Ad conv: Monac: O. E.
S. P. Augustini

2° P. Cat. 404

Columbanus

Patres latini
Columbanus abb.
~~Gregorius Magnus~~
Sec. VI. flor. circa 590
pag. 1466.

R. P. F.
PATRICII FLEMINGI
HIBERNI
ORDINIS FRATRUM MINORUM STRICTIORIS OBSERVANTIÆ OLIM SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS

COLLECTANEA SACRA
SEV
S. COLUMBANI
HIBERNI ABBATIS,
MAGNI MONACHORVM PATRIARCHÆ, MONASTERIORUM LUXOVIENSIS IN GALLIA, ET BOBIENSIS IN ITALIA, ALIORVMQVE,

FVNDATORIS ET PATRONI,

Necnon aliorum aliquot è Veteri itidem Scotiâ ſeu Hiberniâ antiquorum Sanctorum Acta & Opuſcula, nuſquam antehàc edita, partem ab ipſo brevibus Notis, partem fuſioribus Commentariis, ac ſpeciali de Monaſtica S. Columbani inſtitutione Tractatu, illuſtrata;

IN QVIBVS

De ejuſdem Sancti patriâ, doctrinâ, Monachatu, Magiſtris, Collegis, ætate, peregrinatione, monaſteriorum ab ipſo ejuſque diſcipulis conditorum origine & progreſſu; Hibernorum quoque ac Britonum differentiâ olim à Romanis in Paſchæ celebratione multa curioſa & nova,

PER V. A. P. F.

THOMAM SIRINVM

In Lovanienſi Collegio S. Antonii de Padua ejuſdem Ordinis & Provinciæ Hiberniæ S. Thæ. Lectorem Iubilatum recèns caſtigata & aucta.

LOVANII,

Typis Viduæ Andreæ Bouveti, Anno 1667.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

FACULTAS SUPERIORIS

INfrascriptus Provinciarum Germaniæ Superioris, Belgii, & aliarum annexarum Ordinis Fratrum Minorum Commissarius Generalis facultatem facio ut *Collectanea Sacra* R. Patris Fratris Patricii Flemingi olim Sacræ Theologiæ Lectoris de S. Columbano aliisque à V. A. Patre Thoma Sirino Ordinis nostri Seraphici Provinciæ Hiberniæ Sacræ Theologiæ Lectore Jubilato recognita, & aucta, prælo mandentur, prævio tamen examine Lectorum, & consensu aliorum quorum interest. Datum Antuerpiæ in Conventu nostro Fratrum Minorum sub nostro Chyrographo officiique Sigillo minori die 8. mensis Maii, 1665.

Fr. Iacobus de Riddere
Commißarius Generalis
Germano-Belgicus.

APPROBATIO THEOLOGORUM.

INfrascripti ex commissione Rmi. Patris Nostri Jacobi de Riddere, Provinciarum Germaniæ Superioris, Belgii, Hiberniæ, & aliarum annexarum Ordinis Fratrum Minorum Commissarii Generalis, legimus R. P. F. Patricii Flemingi, Provinciæ Nostræ Hiberniæ olim S. Theologiæ Lectoris, *Collectanea Sacra*, S. Columbani Luxoviensis, aliorumque aliquot Opuscula, Vitasque repræsentantia, ab ipso olim Notis & Commentariis illustrata, & recens à Ven. A. P. F. Thoma Sirino, ejusdem Provinciæ & hujus Collegii Lectore Jubilato recognita & suppleta, nihilque in ijs deprehendimus Catholicæ doctrinæ aut virtuti adversum, quinimò amplissimos ex eorum editione tùm pietatis tùm doctrinæ fructus confidimus secuturos. Datum Lovanii in Collegio S. Antonii de Padua Fratrum Minorum Hibernorum Strictioris observantiæ die 16. Iunii, Anni, 1666.

Fr. Franciscus Kinnedy S. Theol. Lector Iubilatus.
Fr. Ludovicus Geraldinus S. Theol. Lector.

CENSURA,

HÆc Collectanea de Sancto Columbano, & aliis Sanctis Hibernis Sacram Doctrinam continent, & ea prelo ac publicâ luce digna censeo. Dat. Lovanii die 28. Septembris. 1666.

JACOBUS PONTANUS *S. Theol. Doctor & Professor ac Librorum Censor.*

PRIVILEGIUM.

COnceditur Viduæ Andreæ Bouvetti Typographi Lovaniensis facultas imprimendi ac divendendi R. P. F. Patricii Flemingi Hiberni Ordinis Minorum Strict. observantiæ S. Theologiæ olim Lectoris *Collectanea de S. Columbano Luxoviensi & Bobiensi Abbate, aliisq; aliquot Sanctis Hibernis*, recognita & suppleta à Ven. A. P. Fratre Thoma Sirino ejusdem Ordinis & Provinciæ, in Collegio S. Antonii de Padua Lovanii, S. Theologiæ Lectore Jubilato, & approbata ab iis quorum interest. Datum Bruxellis, 30. Martij, 1666.

Du Fresne.

PROTESTATIO.

CUm Sanctiss. D. N. URBANUS Papa VIII. die 13. Martii, Anno 1625. in S. Congregat. S. R. & universalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Julij Anno 1634. quo inhibuit imprimi Libros, hominum, qui Sanctitatis, seu Martyrij famâ celebres è vitâ migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia, tanquam eorum intercessionibus à Deo accepta, continentes, sine recognitione atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus sine ea impressa, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Iulij 1631. ita explicaverit, ut nimirùm non admittantur Elogia Sancti, vel Beati absolutè & quæ cadunt super personam, benè tamen ea, quę cadunt super mores, & opinionē, cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides tantùm sit penes Auctorē. Huic Decreto, ejusque confirmationi & declarationi observantiâ, & reverentiâ, quâ par est, insistendo, profiteor *Nomine meo & Authoris sive Collectoris comprehensorum hoc volumine*, Nos haud alio sensu, quidquid in eodem referimus, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humanâ dumtaxat auctoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ, aut Sanctæ Sedis Apostolicæ nituntur, iis tantummodò exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit.

IN-

INDICULUS
CONTENTORUM HOC VOLUMINE

REgula monastica S. Columbani Abbatis à pag. 4. usque ad 8. Cap. 1. de Obedientia. 2 de Taciturnitate. 3. de Cibo & Potu. 4. de Cupiditate calcandâ. 5. de Vanitate calcandâ. 6. de Castitate. 7. de Cursu. 8. de Discretione. 9. de Mortificatione. 10. de Perfectione Monachi.

Annotationes in Regulam Monasticam à pag. 9. ad 18.

Regula Cœnobialis, à pag. 19. ad 24.

Annotationes in Regulam Cœnobialem à pag. 25 ad 40.

Sermones, sive Instructiones S. Columbani, cum Annotationibus à pag. 41 ad 90.

Primus De Deo Uno & Trino. 2. de Mortificatione vitiorum & acquisitione virtutum. 3. de Sectando mundi Contemptu & Cœlestium bonorum amore. 4. Quòd in præsenti vita laborandum, ut in futura quiescamus. 5. Quòd præsens vita non sit dicenda vita, sed via. 6 Præsentem vitam similem esse umbræ. 7 de Cæcitate hominis, qui neglecto spiritu inservit corpori. 8. Quòd ad Cœlestem patriam, viæ præsentis finem, festinandum sit. 9. de Extremo Judicio. 10 de Terribili venturi Judicis irâ declinandâ. 11. de Dilectione Dei & proximi. 12. de Compunctione & vigilantia, quâ Judicis adventus expectandus est. 13 de Fonte vivo Christo Jesu adeundo & potando. 14 Varia Spiritualis vitæ documenta. 15. de Fervore serviendi Deo. 16. Quid est, aut quid erit? 17 Quòd per viam humilitatis & obedientiæ Deus quærendus & sequendus sit.

S. Columbani Tractatus de modo seu mensurâ Pœnitentiarum. pag. 91. ad 103.

Instructio S. Columbani de octo Vitijs principalibus pag. 104.

S. Columbani Epistolæ aliquot, cum Annotationibus. à pag. 108. ad 164.

Prima ad Bonifacium III vel IV. 2. ad Patres Synodi cujusdam Gallicanæ super quæstione Paschæ congregatæ. 3. ad Discipulos & Monachos suos. 4 ad Bonifacium Papam IV. 5. ad Gregorium Papam.

S. Columbani Poëmata quædam cum annotationibus à pag. 165. ad 181.

Poëma primum, ad *Hunaldum*. 2m. ad *Sethum*. 3m. ad *Fedolium*. 4m. *Epigramma de Muliere*. 5m *Monosticha* 6m *Rhythmus de Vanitate & miseria vitæ mortalis.*

S. Ailerani Sapientis Interpretatio mystica Progenitorum D. Jesu Christi. Item moralis explanatio eorumdem nominum ab eodem compilata. à pag. 185 ad 192.

Cumiani Abbatis liber de Pœnitentiarum mensura à pag. 193. ad 210.

Caput 1. de Gula & Ebrietate. 2. de Fornicatione & reliquis immundis Pollutionibus 3. de Adulterio, Raptu & Incestu &c. 4. de Furto, & injustis Rapinis, seu Invasionibus &c. 5. de Perjurio & Mendacio. 6. de Homicidio & Sanguinis effusione. 7. de Maleficis & Veneficis. 8. de Usura, & cupiditate

*

tate

tate, & Inhospitalitate. 9. de Ira, Maledicto, Invidia. 10. de Accedia. 11. de Superbia. 12. de Baptismo reiterato, & opere servili in festis. 13. de Ministerio Ecclesiæ & Reædificatione.. 14. de Reconciliatione & alijs.

Acta S. Columbani à Pag. 211. ad 262.

Commentarius ad vitam S. Columbani à Pag. 262. ad 367.

Vita S. Comgalli Abbatis Pag. 303.

Vita S. Moluæ seu Luani Abbatis. Pag. 368.

Vita S. Mochoemogi seu Pulcherii Abbatis Pag. 380.

Dissertatio de monastica S Columbani Professione Pag. 392. usque ad finem. Articulus primus. Examinatur an sub Instituto Eremitarum D. Augustini militaverit. II. An sub Regula S. Benedicti. III. Sub quo Ordine professionem monasticam emisit S. Columbanus. Sequitur *Apostrophe* ad Lectorem.

Brevis notitia de Collectore

Contentorum hoc volumine vel author vel Collector Venerabilis Pater *Fr. Patricius Flemingus* Adm. R. P. Lucæ Wadingo *lib. de Scriptor. Ordinis Franciscani* verissimo encomio dictus *Vir religiosissimus, suavis, placidæq́; conversationis*, cùm piorum judicio, etsi nondum testificatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, eximium Vitæ candorem illustri morte decorârit, dignus profectò est, cujus ut sequentes paginæ luculentam passionis historiam exhibent, ita hæc vel tenuem reliquæ vitæ notitiam repræsentet. Is ergò (ut inter Schedas piæ memoriæ *Patris Ioannis Colgani* Anglico sermone invenio) die 17. Aprilis Anni Dominicæ Incarnationis 1599. in Ultonia natus est, in patriæ ditionis vico, seu pago vernaculè dicto *Bél-atha Lagáin*, sitoque intra Parochiam de *Cluain-cáoin*, Diœcesis *Ardmachanæ* & Baroniam de *Ath-fhirdia*, seu ut Anglis dicitur, *Athirdey*, Comitatus *Luthensis*; & Baptismi gratiam cum gentilitio nomine *Christophorus* accepit ministerio R. Domini Guilielmi *Iatson*, suscipientibus eum è Sacro fonte generosis ex patriâ eâdem patrinis. Pater ejus *Geraldus Flemingus*, Capitaneus, magni habitus ob inconcussam ergà Principes fidem, & antiquam generis nobilitatem; quippè qui ex perillustri *Flemingorum* prosapiâ descendit, ipsâque *Slanensium Baronum* Domo, quæ generosæ in Belgio originis, postquam in Hibernia sæculo Christi duodecimo consedit, conjugiorum vincula & consanguinitatem cum illustribus illic familiis contraxit, surculosque emisit nobiles, opibus, prædijs, ac publicis functionibus auctos. Ex his *Geraldo* prædicto pater erat *Patricius Flemingus*, avus *Geraldus*, Mareschallus Hiberniæ, militatium victoriarum obtentu, Equitis aurati titulum & prærogativam adeptus: proavus *Christophorus Flemingus* Baro *Slaniæ*, ac Regni Thesaurarius. Porrò *Elizabetha* Patris Fratris Patricii mater, parentes habuit *Robertum Cusack*, Toparcham de *Bale-Chusin* Baronem Fisci regii, ex antiquæ nobilitatis *Cusackorum* illustri familia & *Catharinam* Perillustris Viri *Christophori Nugent*, Baronis *Delviniæ*, filiam. Ab his majoribus profectus Pr. *Patricius Flemingus*, varia dedit adhuc puerulus, sub parentum cura ferulaque constitutus, specimina præclaræ indolis, & signa quædam seu præsagia secuturæ in provecto copiosæ perfectæque virtutis, totus à puerorum nugamentis & vulgari parium puerilitate alienus, devotioni addictus, & vetita vanaque omnia ita aversans, ut nunquam observatus fuerit jurasse, vel minimâ fuisse indignatione commotus. Quo illius ingenio & insigni propensione ad pietatem excitati parentes, statuerunt divino eum cultui addicere; cui fini ut aptior evaderet, cùm tredecim esset annorum, in Belgicam amiserunt ad ipsius avunculum R. Dominum *Christophorum Cusack*, Præsidem Collegiorum Duacensis, Tornacensis, aliorumque ibi pro Hibernica juventute fundatorum, literis & virtutibus imbuendum. Hactenus præcitata relatio, scripta ut reor aut dictata in Hibernia ab ipsius P. Patricii propinquorum aliquo, cujus non erat testari quæ ille deinceps peraegrè moratus aut fecit aut pertulit.

Verùm ex domesticis monumentis constat, quòd postquàm avunculi curâ *Duaci* Scholis admotus humaniores literas apprimè didicisset, in hoc Lovaniensi Collegio *S. Antonii de Padua* Fratrum Minorum Hibernorum, die 17. Martii anni 1617. Seraphicæ Religionis habitum probandus accepit à loci tunc Præside R. P. *Antonio Hiquæo*, eodemque anni vertentis die, in manibus ejusdem Patris solemni formâ & ritu Deo se consecravit & Ordini, assumpto prioris vice vocabulo *Patricius*, contemplatione præcipui Hiberniæ Apostoli & Patroni, quem solemniter eo die colunt Hiberni, & ille præ plurimis devotione ferventiori. Anno inde sexto, & hujus seculi vigesimo tertio, Philosophicis ac Theologicis disciplinis jam imbutus, à Romam proficiscente R. P. *Hugone Cavello*, tunc Ordinis Definitore

finitore Generali, paulò autem pôſt Archiepiſcopo Ardmachano & totius Hiberniæ Primate, ſocius aſſumptus, initâ Pariſiis familiaritate cum P. *Hugone Vardæo*, ſocio tunc R^mi. P. F. *Franciſci de Arriba*, Chriſtianiſſimæ Reginæ Confeſſarij, eum & præſens & abſens per epiſtolas crebrâ ignitâque ſuadelâ provocabat ad aggrediendum ſtrenuè & alaciter quod conceperat de conquirendis, illuſtrandis, ac luce publicâ donandis Sanctorum Hiberniæ Vitis, quarum editione cum Dei gloria, illorum quoque, diutiſſimè ſub oblivionis modio delitentium, fama, cultuſque propagaretur, & Hibernis fortaſſè aurea illa primævæ ſanctitatis ſecula redirent; promittens ad id operam ſuam quando ex Italia rediret; & dum abeſſet diligentiam in colligendis quæ in famoſioribus regionum, quas peragraret, Bibliothecis inveniret ad eum finem opportuna. Et quidem hoc ſecundum feliciter præſtitiſſe indicant extantes adhuc variæ ipſius ad eundem Patrem epiſtolæ, cœli melle mellitæ. In harum enim unâ datâ Romæ 1. Junij 1624 nominatis Sanctis Hibernis, quorum Vitas in Italia reperit; *ex his* inquit *poteris colligere meam in rebus noſtris colligendis ſedulitatem. O utinam liber eſſem! Hîc anno vel circiter dego, & vix quatuor vel quinque Bibliothecas in urbe mihi videre licuit. Tu ſcis unde, & ideò non exprimo hîc rationē. Hoc tamen non obſtante, vive in ſpe Hugo magnanime: faciemus, faciemus permittente glorificatore Sanctorū, ut aliquid noſtrâ diligentiâ ſplendoris Hiberniæ Sanctis accedat, obſtrepant quantumvis &c.* Et infrà: *Ecce Pater in Chriſto mihi chariſſime, quouſque calamum traxi ex deſiderio tecum de his rebus coram agendi. Fortè compotes voti erimus, quando nimirum ego, ſi dederit Dominus, pergam eò poſt Capitulum generale, onuſtus monumentis.* Et in alterâ 24. Aug. ejuſdem anni: *Scribis ad me te coactum ad docendum incepiſſe legere: conſolare in Domino Pater chare, quia ut ipſe Domino dictante ſcripſiſti, melior eſt obedientia quàm victima. Zelus noſter in Sanctorum edendis Hiſtorijs, ſpero non tepeſcet temporis dilatione, ſed ferveſcet magis in dies, ac tandem exardeſcet in ſummum, ardore qui ſpargetur per varia antiquitatis monumenta. Fortè Dominus ita modò noſtra conſilia diſponit, quod neutri noſtrum abſenti, & loco ſeparato ab altero, fas ſit vel tempus vel adjutorium ad iſtud negotium reperire quouſque ſimul poſiti quod animo, paucis cogitantibus, concepimus, opere tandem emittamus in lucem.* Et infrà. *Ego certè libenter tecum eſſem ubicumque maneres, & Lovanium præ aliis locis maximè diligo, præſertim quando pro Sanctis tecum laborandum eſſet.* Porrò ex Italia rediens, Chronicon *Conſecrati Petri* Ratisbonæ, illàc tranſiens, in compendium contraxit: Vitam quoque Ill^mi. ac R^mi. Patris Hugonis Cavelli, quam velut diſcipulus & intimus ſociorum probè perſpectam habebat, magnâ diſcretione & ſtilo nitido anno 1626. ut in ipſamet notatum habetur, compoſuit; deinde ſecus quàm optabat, Superiorum imperio Philoſophiæ in hoc Collegio prælegendæ annis aliquot diſtentus, non omiſit intereà ſubceſivas horas adornandis hiſce *Collectaneis* impendere quoaduſque anno 1631. quo Pragam, inchoandi illic noſtratium Fratrum Collegij Præſes & ſacræ Theologiæ Lector inſtitutus, ſocio Fratre Matthæo Hoar, proficiſcens, ea jam tum à Prælatis & Cenſore approbata, licet non ad ipſius votum expolita, aut completa, prælo mandanda commiſit Antuerpienſi Typographo Moreto, quem ab iis vulgandis non comperio quid diverterit, præter ſecutam protinùs ipſius Venerandi Patris mortem, in conſpectu Domini pretioſam, quam ſequens Fratris Danielis Clery, tunc recenter profeſſi, & longè pôſt Theologiæ Lectoris, threnodum Poema utcumque deſcribit, luculentiùs autem quæ ſubſequitur paſſionis hiſtoria.

PROTESTATIO.

CVm Sanctiſſ. D. N. VRBANVS Papa VIII. die 13. *Martii, Anno* 1625. *in S. Congregat. S. R. & univerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemq; confirmaverit die* 5. *Iulii Anno* 1634. *quo inhibuit imprimi Libros, hominum, qui Sanctitatis, ſeu Martyrii famâ celebres è vitâ migraverunt, geſta, miracula vel revelationes, ſeu quæcumque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta, continentes, ſine recognitione atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus ſine ea impreſſa, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſſimus die* 5. *Iulii* 1631. *ita explicaverit, ut nimirùm non admittantur Elogia Sancti, vel Beati abſolutè & quæ cadunt ſuper perſonam, benè tamen ea quæ cadunt ſuper mores, & opinionem, cum proteſtatione in principio, quod iis nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes Auctorem. Huic Decreto, ejuſque confirmationi & declarationi obſervantiâ, & reverentiâ, quâ par eſt, inſiſtendo, profiteor,* Nomine meo & eorum qui ſequens Carmen & Hiſtoriam ſcripſerunt, *Nos haud alio ſenſu, quidquid in eiſdem refertur, accipere, aut accipi ab ullo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humanâ dumtaxat auctoritate, non autem divinâ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur, iis tantummodò exceptis, quos eadem Sancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adſcripſit.*

In Martyrium Venerabilium è Seraphico Ordine Fratrum Patricii Flemingi Sacerdotis & Matthæi Hoar Diaconi, ab impiis in Bohemia occisorum.

LÆter, an indoleam? Fratrum spectare meorum
Præmia, lætitia est; corpora strata dolor.
Quis non ingemeret, si sacra in membra piorum,
Carnificum sævas cerneret ire manus?
Vidistine lupos mites se immittere in agnos,
Et satiare avidam carne recente famem?
Taliter (ô facinus nimium crudele!) latronum
Impia in innocuos sæviit ira viros.
Nec mortem sat erat crudelem inferre; secabat
Ipsa etiam rabidus mortua membra furor:
Vnius in collo, capite, & latere impia (cerne
Quale latrocinium) mersa securis erat.
Alterius corpus bombardis, ense, securi,
Cædere tortrices non timuêre manus.
O hominum impietas, quam non Fratrum inscia culpæ
Vita, nec offensi terruit ira Dei!
Alta licet fusum circumdet silva cruorem,
Et turpe humano sit sine teste scelus:
Non tamen abscondi poterit: mens conscia culpæ
Testari facinus cogitur ipsa suum.
Testanturq; necem necis instrumenta, nemusq;,
Quaq; tepescenti sanguine terra rubet:
Est etiam testis supremi læsa potestas
Iudicis, occultum cui nihil esse potest:
Cujus in aspectu clamat pretiosa suorum
Mors, sicut justi casus iniquus Abel.
Ergo in vindictam pretiosi sanguinis, æque
Iudex Hæreseos colla superba preme.
Tu Francisce Pater, ne, quæso, impune tuere
Infandâ natos cæde jacere tuos.
Sed quid flebilibus tempus consumo querelis?
Lætandum est: palmam martyr uterque tulit.
Per brevem uterque tulit mortem, de morte coronas,
Quas auxit fusus per pia membra cruor:
Non tantum Sanctis prodessent dona latronum,
Quantum crudeli profuit ira nece.
Atqui hôc lætior est animabus reddita vita,
Quò magis atroci morte perempta caro est.
Vita mori Sanctis fuerat: victoria vinci:
Sic victus victor martyr uterque fuit.
Vos igitur, Fratres, laudabunt sæcula, vestrâ
Nam nece bina orbis nobilitata plaga est:
Nempe antiqua parens Sanctorum Hibernia, quæ vos
Mundo, quæque dedit, terra Bohema, polo
Laude etiam vestri fortis certaminis auctus
Est Franciscanæ Relligionis honos.
Ergo perpetuo, Sancti, gaudete triumpho,
Quos pœna effecit, quos quoque palma pares.

Historia Martyrii Venerabilis Patris Fratris Patricii Flemingi, *Ordinis Fratrum Minorum Strictioris Observantiæ, Provinciæ Hiberniæ, Sacræ Theologiæ Lectoris, & Collegii Immaculatæ Conceptionis B^mæ. Dei Genitricis, Fratrum Minorum ejusdem Instituti & Provinciæ Pragæ, primi Præsidis, ejusque Socii* Fratris Matthæi Hoar Diaconi,

Ex Opusculo quodam de Incunabulis ejusdem Collegii, *cujus initium*, Quoniam in quævis præclara, cedro digna, &c. *A. R^do. ac Piissimo Patre Fratre* Francisco Magnesio, *uno ex Patris Flemingi Sociis & oculato rerum teste, succesuq; temporis dicti Collegii Guardiano, Vicario, Præside, ac Novitiorum Instructore, olim conscripto, & in Archivo ejusdem Collegii asservato,*

Per R. P. Fratrem Antonium Donnilly, Sacræ Theologiæ Lectorem Iubilatum, fideliter collecta, dispposita, & concinnata Anno Domini MDCLXV.

ANno Salutis millesimo Sexcentesimo trigesimo primo, cùm Princeps Saxoniæ Elector Imperii infestis armis in Bohemiam populabundus irrumperet, & Pragam Regni Caput, post Lipsensem Victoriam, sine certamine diripiendam, properaret; Cives, Nobiles, & plerique Religiosi, tempestivè sibi consulentes, ad tutiora, magisque munita loca sese catervatim conferebant.

Quo tempore, pusilli gregis Fratrum Minorum Hibernorum Strictioris Observantiæ, Domicilium Pragæ inchoantis (ab Augustissimo Cæsare Ferdinando II. gloriosæ memoriæ, operâ R. P. F. *Malachiæ Falloni*, facultate ad id impetratâ) primus Præses extitit Venerabilis Pr. Fr. *Patricius Flemingus*, Sacræ Theologiæ Lector & disciplinæ Regularis zelosissimus promotor. Is cum alijs quinque ejusdem Instituti ac Provinciæ Socijs, præmemorati Anni die 2. Iulij, in Festo B^mæ. Dei Genitricis Mariæ, ab Eminentissimo Principe *Cardinali ab Harrach*, Archiepiscopo Pragensi & Regni Bohemiæ Primate;

Primate; necnon ab Ill^mo. & Excell^mo. Domino *Iaroslao* S. R. Imp. Comite *à Martinitz*, Supremo ejusdem Regni Burgravio, aliisque stemmate, prosapiâ, & authoritate claris, in eum locum, ubi nunc monasterium extructum est, solemniter fuerunt introducti: ubi orationem gravissimam, pietate ac eruditione refertam, quam ipse Venerabilis Præses fabricaverat, Fratri *Matthæo Hoar* Diacono, & postmodùm Martyrii socio, ob eminentis ingenii, judiciique acumen, felicis memoriæ fœcunditatem, dicendique gratiam, cum omnimodâ morum honestate conjunctam, coram tot ac tantis Magnatibus fiducialiter declamandam commisit; eaque ab ipso adeò præclarè, venustè, ac planè Angelicè, omnium cum stupore, peroratâ, ut solemnitatem & auditorum devotionem mirum in modum adauxerit.

Domunculam verò, quam jam tum inhabitare cœperunt, omni conatuum contentione laboraverat pręclarus Præses piis ac religiosis exercitiis aptam atque idoneam reddere, spirituali nitore excolere, Sanctęque conversationis receptaculum efficere; nec defuit solers ac devota sociorum cooperatio. Sex erant in Domino congregati, vitæ integritate & virtutum prerogativis conspicui, inter quos continua perfectionis pugna, perpetuum Sanctitatis certamen, animorum unitas, conformitas actionum, & unica acquirendę ac propagandæ verę virtutis æmulatio; quos non solùm inter jam imminentia rerum discrimina, sed & inter precedentes quoque varios vexationum turbines ne despondérent animos, ad tolerantiam, constantiam, & quævis occurrentia corpori adversa, pro CHRISTO JESU ęquanimiter perferenda, identidem nervosiùs exhortabatur; instabatque non mereri dulcia, qui non gustavit amara; laboriosè mandato terræ semini, pretiosam ac jucundam succedere messem; præsentes calamitates esse duntaxat ab antiquo humani generis hoste appositas nebulas, paulò pòst divinæ miserationis fulgoribus dissipandas; non defuturum datorem munerum, qui aliquando nepenthes propinet, in quo esset oblivio curarum & dolorum. Ob oculos posuit S. *Columbanum*, cui singulari devotionis teneritudine afficiebatur; considerarent, quàm magna, quàm enormia, ipsisque humanis sensibus superiora, sit perpessus; huic & aliis Patronis, ut advocatis coram potenti Deo, novellam suam plantationem committerent. Ad hunc porrò finem *Litanias Lauretanas* quotidiè, cum commemoratione de SS. P. N. *Francisco*, *Patricio*, *Columbano*, *Ambrosio*, *Catharina* &c instituit persolvi, agendaque, priùs semper agendo præmonstravit. Dei timorem & amorem super omnia inculcabat, super quę sola asseverans firma atque solida jaci posse novę plantationis fundamenta; eos verò, qui hanc intentionem, velut fabulam transmittentes, super arenam ædificarent, infernarum flammarum suppliciis sine fine torquendos ingemiscens.

His munitus præsidiis, & quoniam, ut in Proverbio est, *tutè canit Vacuus coram latrone Viator*, cùm nihil haberet, quod raperet hostis, excusso omni formidine & metu, ibidem cum suis sociis persistere decreverat. Rebus ita constitutis, quidam Domini conjecturâ assecuti, eorum securitatem, in eâ temporum rerumque circumstantiâ, minimè esse securam, commonefaciunt, non esse opus, ut præstolentur donec hostili ferro sternantur; necem etiam posse securi rusticâ peragi, uti antè Religiosis Franciscanis contigisse meminerunt; esse abjectioris & vilioris conditionis homines nonnullos, in Religiosorum cædes valdè proclives (erant enim plebeii passim, magnâ ex parte, hæresi infecti) si longiores juberet trahere moras, timendum ne seditio & factio, fors destinatâ jam clade, è medio tollat incredulos; pericula non admittere lenta consilia.

His præmonitionibus, non imprudenti metu perculsi, cùm in *Conventu Sanctæ* MARIAE *ad Nives*, è quo plerique Fratres ad tutiora loca se contulerant, nulla appareret securitas, & Domuncula sacra, quam inhabitabant, cuivis esset pervia, ad Conventum Servitarum B^mæ. *Virginis* MARIAE se contulerunt, ubi corporali & spirituali collatione refecti, debitum naturæ somnum tributuri, decumbunt.

Mediâ verò vix elapsâ nocte, piissimus Pater, & Præses vigilantissimus circa filiorum salutem, plusquam mater de propriis, sollicitus, intonando illa Apostoli verba; *Fratres tempus est jam nos de somno surgere*; singulos excitat, & flebiles in voces prorumpens, vigilantiam inculcat; non constare horam, quâ Dominus sit venturus; à momento pendere æternitatem; hostem jam jam in procinctu esse, & in truculentam sanguinis effusionem incubare, sic demum exorsus:

Illustria Sanctorum Omnium, quorum solemnitatem Spirituali cum exultatione peragitis, exempla, Dilectissimi, in imitationem vocant & perurgent, (erat enim infra octavam omnium Sanctorum) *maximè Sanctorum Patronorum, in piam æmulationem vos solicitant, qui arcano naturæ vinculo, quo quivis paternæ glebæ adstringitur, minimè detenti, spretis propriis laribus, relicto amicorum consortio, patiente cum Domino IESV ad flagella parati, ad vincula & carceres, ad ipsam denique mortem pro Martyrii laureâ capessendâ, per ardua quaq; & summa rerum discrimina, sine trepidatione properabant. In jubilum & vos animamini, deprædicate, cantate misericordias Domini, quibus vos ex millibus electos, mundi ex tenebris in admirabile lumen; suæ prædestinationis privilegio vocatos, in præsens disgregari non sustinuit. Præparemus nos, ò Charissimi in omni bonitate, ut ante Tribunal justi Iudicis, finitâ vitæ periodo, quam hodiernus vel crastinus fors dies terminabit, servi boni & fideles inventi, æternæ beatitudinis reportemus talentum, & in sinum Abrahæ*

translati,

translati, hæreditemus Cœlestia, in perpetuas æternitates lætum illud trisagion Sanctus, Sanctus, Sanctus. Domino Sabaoth occinentes, sequamur Agnum quocunque ierit. Accedamus cum fiduciâ ad thronum gratiæ, & facies nostræ non confundentur: expectant, jam præstolantur optimi Patroni, quorum sors inter Sanctos, meliora vota satagunt in conspectum Divinæ Majestatis promovere, æternæ fælicitatis membra nos effecturi. Cupiamus ergò dissolvi, & esse cum Christô. Exclamemus cum Psalmista: Sicut Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. *Et quia scimus, neminem coronari, nisi qui legitimè certaverit, exeramus vires, jucundum Deo & hominibus spectaculum effecti, charitatis radios pleno impetu anima in Sponsum ejaculetur, ut reciprocante dilectione vulneratus, sponsæ ruat in amplexus: Charitas enim vera, divinam ipsam Majestatem expugnat. Diligite autem & vos invicem filioli Charissimi: nam, ut ait ipsa Veritas;* In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. *Et,* Qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo. *Nihil ergò nos separet à Charitate Christi, non fames, non tribulatio, non vincula, non denique ipsa mors; siquidem ille pro nobis mori dignatus est. Ad digniora sumus ab ipso selecti, quàm ut fumosæ vanitatis pondere, quam jampridem explosimus, aggravati, à contemplatione cœlestium abstrahamur. Æmulemur dilectissimi, charismata meliora; in sempiternam mercedem, magnam nimis, irreverberatæ mentes sint defixæ. Quoniam verò jam separari oportet, ignoscamus nobis invicem, & sejunctis corporibus, mentes indissolubili mutuæ recordationis & amoris nexu copulentur. Hoc autem vel maximè oro (& utinam exorem!) ut qui primus beatâ translatione, mortalitate supergressâ, Divinæ Trinitatis conspectu, & æterna beatitudine perfruetur, Fratrum suorum recordetur, eorum suspiria exaudiat, & ex hac miseriarum valle, ad cœlestem Ierusalem & torrentem illam voluptatis, secum transferri impetret.* Ad Sanctos autem convertens sermonem; *ad hoc (inquit) juvate scintillantia & fulgida Hiberniæ nostræ sidera, quæ in firmamento cœli jam coruscatis; spargite vestris meritis & intercessionibus salutarium inspirationum radios, sanctorum infundite instinctuum flammulas, saucientur nostra præcordia, ut pro nomine* Jesu *contumelias & opprobria pati, ducamus gloriosum, constanterq́; insistentes angustæ tribulationum semitæ, quæ ducit ad patriam, latissimas atque præcipites evitemus quæ ducunt ad interitum; monstrate ô Beati, lacteam Beatitudinis viam, ne præfixo à scopo declinemus, &, si ita Deo visum, pulchram properemus per vulnera ad mortem.*

Dolore dein verba abrumpente, non guttatim modò, sed & ubertim, per ora delfluentibus lachrymis, in genua procidit, per viscera misericordiæ Dei, suis veniam petens defectibus, etsi anteactæ vitæ ratio, omne delictum proscripsisset. Idem & collachrimantes filii fecêre omnes: atque ita piissimus & candidissimus Pater, cygneo canore mortis suæ prænuntium fudit melos, & vitæ, multis horribilem, optatam sibi quasi instare prævidens catastrophen, mellifluæ consolationis & admonitionis harmoniâ, suos filios demulsit.

Quibus peractis, deliberatum est, ac tandem conclusum, ut, duobus Fratribus domi relictis, Pr. Præses cum F. *Matthæo Hoar* Diacono, & Pr. *Patricius Taaff* cum F. *Francisco Magnesio*, nondum sacris Ordinibus initiato, Ill^mi. Domini *Comitis de Tun* comitatui quatuor simul adjuncti, ad tutiora loca se conferrent. Scripsit nihilominùs secum abituris obedientiam, quasi jam conscius fati, conscius nefandissimæ cædis in se perpetrandæ, ipso itineris in exordio, ut residuis, qui vitâ forent superstites, esset provisum, quod secutus demonstravit eventus.

Ad abeundum destinati, præmissa Sacramentali exomologesi & sacrâ communione refecti, charitatis osculo domi remansuris dum valedicerent, à Patre Spirituali, Perillustri Domino *Simone Aulico*, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliario, & supremo tunc temporis Cancellariæ Bohemiæ Secretario adfuit nuntius, qui Patrem Præsidem ab auspicanda profectione retardavit. Præcedunt interim *Pater Taaff & F. Magnesius*, singulos fere per passus, Venerabilis Patris Præsidis & socii, retorquentes oculos, explorantes præsentiam. Nec minùs pius Pater ad filiorum consortium anhelans, peractis negotiis, eos sequenti die per eandem viam prò viribus assequi conatur. Cui medio milliari à Pago *Benesavio*, in quo præfati Fratres pernoctârunt, occurrere Ill^ma. Domina *Burgravia à Sternberg* & filii cum herulis, omnes pariter nostris addictissimi, instanter rogantes, ut si non noctis integræ, aliqualem saltem morulam, secum facerent. Acquievit optimorum patronorum piis votis, dolens tamen se non potuisse assequi filios, quos non procul abesse noverat, & pro summo solatio suam expectabant præsentiam.

Quamobrem paulò ante auroram, itineri se committit, & præfatæ Ill^mæ. ac devotissimæ Dominæ curru recusato, curriculo, cui duo Servitæ Beatæ Virginis insederunt, se adjunxit, quem tamen conscendere noluit. Socius autem nimio languore & lassitudine correptus curriculum conscendit, ubi Rosarium devotè persolvit; quod & Pr. Præses ad currum ambulans factitavit, quasi uterque, jamjam crudeliter trucidandus, Matri misericordiæ funiculos porrigeret, exclamando: Trahe me post te in odorem suavitatis.

Cùm verò eo die 7. Novemb. appropinquarent pago *Benesavio*, in quo Pater Taaff, & Fr. Magnesius noctem illam exegerant, ecce subitò septem rustici velut deformes satyri, horrido fustium cum apparatu, è dumo prorumpunt, & postpositò Dei timore, funestas in strages, bipartito agmine facto, conspirant. Tres ineffrenato suo furori ac tyrannidi Venerabilem Patrem Præsidem in spolium crudelissimè

liſſimè decernunt, & mox funeſtæ cædis peragendæ, velut de palma decertantes, præcoci gradu accurrunt; quorum unus potentiſſimo, & ultimis à viribus quaſſato ictu Patrem innocentiſſimum proſternit: reliqui quatuor temulentâ nocendi libidine exagitati, ad currum provolant, & Fratrem Matthæum ſocium, ſacrilegis viciſſim fuſtibus, crepitantium verberum intonante fragore adoriuntur, ac pio aurigâ natione Bohemo, ne tam crudele facinus perpetrarent, fruſtrà reclamante, non deſiſtunt donec multis vulneribus & attrociſſimis plagis ſauciatum è curru deturbant.

Cælum ante tempus necis clarum fuit ac lucidum, & ecce ſub ipſo laniatu, derepentè denſis obſcuratur nubibus, ad horam uſque nonam eo in ſtatu perſeverans, quaſi indignabundum, induto luctu, tàm enormem cladem execraretur.

Dum hæc peraguntur, præfati Patres Servitæ fugâ elapſi, ad hoſpitium Ill^mi Comitis de Tun tremebundi & formidine jam penè exhauſti perveniunt; circumſtantias rerum & infandum patratum eſſe flagitium referunt, ita tamen præ timore attoniti, ut non plenè declarare potuerint, an Fratres omninò eſſent extincti, etſi eos viderint læthaliter ſauciatos.

Aderant triſti allato nuncio Pater Taaff & P. Magneſius, ac paulò pòſt ſupervenerat Ill^ma. Dom Burgravia à Sternberg, venerabilis Patris Præſidis corpus in via repertum, piâ devotione curru ſecum advehens. In capite quinque erant vulnera, purpureum cruoris muricem recenter ſtillantia. Ablata exteriori, interiorem tunicam cum Capucio, ludibrii forſan magis, quàm commiſerationis gratiâ, relinquerant impii homicidæ; quo ſpectaculo, intima accurrentium filiorum viſcera doloris pertranſibat gladius. Etſi enim altior conſideratio feliciſſimi ſtatus animi, magnam jam habentis repoſitam mercedem, mœroris eâ ex parte demebat materiam; eam tamen alia ex parte injurioſa corporis ſtigmata largiùs ſuppeditabant. Singula membra quoties contemplata, toties peculiarem condoleſcentiam ſibi vendicabant; ſacratum os revocabat in memoriam præclariſſimas admonitionum gemmulas, quas identidem depromere ſolebat: vultus affabilitatis oblectamentum, quo ſuos filios recreare conſueverat; manus, ſcriptæ nuper Spiritu Sancto ſuggerente obedientiæ referebant ſolatiũ: genua repræſentabant heroicum humilitatis actum, quo ſuſcepturus illud iter, à ſuis filiis veniam erroribus petiit: pedes, ſinuoſos anfractus atque labores, quos pro iiſdem eouſque exantlârat; quæ omnia velut potentiſſima tela præſentium filiorum animos cordicitùs penetrabant. Quamobrem, circa honorificam digniſſimi Patris ſepulturam ſolliciti, ab Ill^ma Dom. Sternbergiana, ejuſque Ill^mâ Prole, ſupplicum in vota ultroneis, *Voticium*, quatuor à loco necis, & ſeptem milliaribus *Pragâ* diſſitum, ad conventum Fratrum noſtrorum, corpus deferri impetrarunt. Cujus loci Guardianus, vir utique integer, & religioſæ converſationis famâ percelebris, convocatis quadraginta Fratribus, partim domeſticis, partim hoſpitibus, qui ſecuritatis causâ eò tunc confluxerunt, ſingulari cum veneratione exceptum, honorificè ſepeliri curaverat, & die ſequenti de Martyribus in communi ſermonem ad plebem habuit.

Nondum inventum fuit Fratris Matthæi ſocii corpus, neque ut Fratres ad locum patratæ cædis reverterentur, præſentia rerum diſcrimina permittebant. Verùm ſub id tempus reliqui duo, quos prudenti conſilio, diximus Pragæ relictos, quorumdam perſuaſionibus, & terriculamentis, imminentia plus nimio exaggerantium pericula, mutato habitu Pragâ diſceſſerunt, & *Beneſavium* rectà perveniunt, ubi primò patrem ſuum deſideratiſſimum, quem inter omnes anguſtias læti convenire geſtiebant, ruſtico furore interemptum, amarulentâ relatione inaudiunt. Sed & paulò poſt adeſſe nuntiatur *Balthaſaris Barrady* cohortem, exanimem ſecum Franciſcanum adferentem; quo audito confeſtim ex hoſpitio ſe proripientes, Fratrem Matthæum Flemingi ſocium, primo intuitu agnoſcunt, in quo omnia diligentiùs contemplando, adverterunt inuſitatum quemdam vultûs decorem, formoſiores genas, à quibus affabilis purpuræ ſuavitas, omnem læthalis palloris horrorem excuſſerat. Corpus, etſi quadriduani eſſet, non tàm extinctũ, & vitali vigore deſtitutũ, quam dulci ſomno ſopitũ pulchra quædam compoſitio innuebat; ſola vulnera, quorum maximum dextro lateri, ſuo cum Jesu erat inflictum, validiſſimâ morte ſublatum comprobabant · nobile pectus, & cum Deo ſemper rectiſſimum, ter globis, aliovè inuſitato inſtrumento atrociſſimè tranſverberatum, auricula impio hiſtrionum ludibrio truncata, & potiori ex parte erat abſciſſa. Noſtri verò Patres, *Gerardus Geraldinus*, hujus Collegii poſteà Guardianus & P. *Franciſcus VVelferſton*, exequiis ibidem in vetuſtiſſimo Conventualium monaſterio, funebri pompâ peractis, chariſſimoque ſuo pignore terræ in loculo repoſito, ne in impias helluonum manus inciderent, maturiùs ſe *Paſſavium* contulerunt.

Aliquot dein elapſis hebdomadis, Bellonâ jam imperioſiùs in Bohemia clavam tenente, Ill^mus Dominus *Comes Suarby*, divino afflatus ſpiritu, & ſuperni Numinis inſtinctu incitatus, Fratris Matthæi corpus ſubditorum operâ, Beneſavio *Voticium* tranſtulit, & in Monaſterio Fratrum Minorum Reformatorum, à ſe olim fundato, ſub Suggeſto, ſimul cum Venerabili Patré ſuo Flemingo, in ſepulchro ferreis cancellis circumſepto, collocari curavit.

Quotquot in hac tranſlatione conſpexêre corpus, ſanctè affirmârunt, ab omni non tantùm corruptione fuiſſe immunem, ſed & gratioſo quodam vultûs & genarum rubore condecoratum, ut miraculoſæ

loſæ

solæ cujusdam venustatis specimen præ se ferret. Nec mirum sanè si putredinis injuria in eum non desævierit mortuum, qui incorruptilibus præcipuarum Virtutum odoramentis, omni myrrhâ pretiosioribus, ita se vivus communire & præservare studuit, ut non solùm graviora vitiorum inquinamenta prorsus abhorreret: sed à leviusculis quoque ac quotidianis fragilis naturæ defectibus, omnimodæ puritatis amator, divinâ opitulante gratiâ, illæsum se custodire satageret. Hæc de Passione Venerabilis Patris F. Patricii Flemingi, ejusque socii ad majorem Dei gloriam. Quæ *omnia ita meis Lectoribus propono, ut nolim ab illis accipi tanquam ab Apostolica Sede examinata atque approbata, sed tanquam, quæ à solâ suorum Auctorum* seu testium *fide pondus obtineant, atque adeò non aliter, quàm humanam historiam. Proinde Apostolicam S. Congregationis S. R. & universalis Inquisitionis Decretum anno* 1625 *editum, & anno* 1634 *confirmatum, integrè & inviolatè, juxta declarationem ejusdem Decreti à Sanctiss.* D. N. D. URBANO *Papa* VIII. *anno* 1631 *factam, servari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, aut venerationem aliquam per has meas narrationes ulli arrogare; vel famam & opinionem sanctitatis aut Martyrii inducere, seu augere, nec quicquam ejus existimationi adjungere, nullumq; gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem vel Canonizationem, aut miraculi comprobationem, sed omnia in eo statu à me relinqui, quem seclusâ hac meâ lucubratione obtinerent, non obstante quocunque longissimi temporis cursu. Hoc tàm sanctè profiteor quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apostolicæ obedientissimus haberi filius cupit, & ab eâ in omni suâ scriptione & actione dirigi.*

AD LEC-

Sancti Columbani Abbatis, Benigne lector, in Ecclesiam catholicam merita nemo qui vel leviter Ecclesiasticos inspexit Annales ignorat, aut particularia præcipuarum Europę Nationum monumenta. Ipsum *Gallia* perfectissimum Instituti monastici præceptorem veneratur, etiam & fidei Catholicę apud se plantatæ magistrum colit *Helvetia*, Hæreticorum à suis finibus exterminatorem agnoscit *Italia*; quæ omnes collata per hæc ab eo beneficia, singulæ suis consignata tabulis, celebrata libris, sacris demum in ejus honorem extructis ædibus consecrata, sempiternæ memoriæ commendarunt. Nec veneratione tali minus ab his aliquid ipse promeruit. Hæc ipsa, quæ singulis præstitit, latiùs in vulgus explicata loquantur. Gallicana in primis regna, ad quæ ante alia ipse à Britannicis finibus progressus, radios suæ claritatis emisit, ut primùm solis hujus ardorem, fulgoremque senserunt, tantâ mox charitate & sapientiâ exarserunt, ut ignaviæ, desidiæque torpore discusso, ardentissimis animis, ipsa etiam nobilitas ad monasticæ vitæ rigorem, sacrarumque literarum studia capessenda, & diligentiùs prosequenda concurreret. Quibus ille nobilissimum sanctitatis & sapientiæ domicilium erexit, quod mysticâ nuncupatione, ab innumerâ inde ovium ad Christi ovile replendum egredientium multitudine, *Luxovium* meruit appellari; cui tunc non magni nominis umbra suberat, sed veritas; lux siquidem erat *Lux-ovium*, cùm lucente adhuc ibi Columbano, trecentos circiter monachos exhibuit, qui omnes Sancti fuêre, excepto uno *Hebroino*, qui, ne velut ovis morbida reliquum gregem inficeret, divinâ providentiâ segregatus, exivit ab eis; quippe qui non erat ex eis; opera enim ejus tenebrosa erant, illorum autem lucida, & non poterat esse cohabitatio luci cum tenebris. Lux erat *Luxovium*, cùm tempore *Eustasii*, successoris & discipuli S. Columbani, sexcenti ibi clarissimi monasticæ professionis alumni fulserunt; ex quibus quamplurimi posteà Ecclesiarum Præsules extiterunt, magnâ sanctitatis gloriâ conspicui; quorum pręclara facinora ita Gallicanas undequaque excitavit Ecclesias, ut illa se fælicem æstimaret, quæ ex gremio Luxoviensis Collegii meruisset habere Pastorem. Lux erat *Luxovium*, cum binâ Barbarorum irruptione mille ducentos Martyres cœlo dedit, quorum sacratissima pignora terram illam clarissimam reddiderunt, & toti Galliæ venerabilem. Lux denique erat *Luxovium* cùm totam circumquaque *Burgundiam*, magnamque *Normanniæ* partem clarissimis Monachorum gregibus & Collegiis illustravit; quorum quantò illustrior fama sanctitatis, tantò Cœnobii Luxoviensis, unde illa processere clarior emicuit; horum porrò quanta, vel unius duntaxat, ut alia clarissima prætermittam, nos *Gemiticensis* Cœnobii majestas edoceat, in quo sub *Aichadro* *S. Philiberti* successore, nongenti simul monachi morabantur; quorum quadringenti quinquaginta unâ eademque die placida morte translati, quam in terris vitam inter homines, Angelicâ dignam societate ducebant, inter ipsos deinceps cœlestes spiritus transigendam fælici commercio commutarunt; & sicut terram sacris corporum suorum exuviis fælicem, ita cœlum beatarum mentium thesauro reddidêre ditissimum: atque his Gallicana arva tanti solis illustrata fulgore inclaruêre splendoribus; queis similes aliæ, quibus sol iste deinceps illuxit Italiæ, Germaniæque Provinciæ diffuderunt. Densissima *Helvetiæ* antra, claritate ejus affulgente, Paganicæ superstitionis tenebris & erroribus effugatis, clarissimâ Evangelicæ veritatis luce perfusa sunt, ac pulsis procul ignaviæ, desidiæque torporibus, monasticæ perfectionis ardore succensa; quę tanta posteà relictorum ab ipso fulgentissimorum siderum *Galli*, *Sigisberti*, *Magni*, *Theodori*, aliorumque ministerio susceperunt incrementa, ut populus qui sedebat in tenebris, meritò magnam se lucem vidisse gratularetur, novumque justitiæ solem in suis terris exortum gloriarentur universi. Tantum solius sui *Sangallensis* Gymnasii honore inclaruit *Alemania*, ut non domesticis solùm, sed & externis Europæ partibus inde clarissima subministrare posset ornamenta sanctitatis & sapientiæ. Denique solem hunc, sui cursus appropinquantem ad terminum, suo splendore excepit *Italia*, *Arrianæ* tunc perfidiæ *Mediolani* grassantis obnubilata caligine, quam ipse cœlestis doctrinæ luce fugavit, indeque progrediens *Apennini* montis juga lustravit, & *Bobiensi* constructo Cœnobio, suo tandem illustravit occasu; si tamen occasus appellandus est transitus ille, quo sol clarissimus, terrâ undique circumspectâ, ad æternæ claritatis solatium assumptus, in perpetuas fulgere cœpit æternitates.

2 Hæc quidem sunt ex aliis pluribus perenni digna memoriâ, quæ recolunt præfatæ Nationes, cuncta immortali gratiarum actione accepta referentes Hiberniæ, à qua quem ipsa genuit filium, illæ excepere parentem; quæque tanti solis exortu contenta, aliis fulgere permisit, & ipsa hinc non mediocriter illustrata, resultantibus ad sempiternam ejus laudem & gloriam, qui ad horũ regnorum emolumenta fuisserunt, lucidissimi solis splendoribus. Tantũ porrò in harum gentiũ illuminatione universalem ædificavit Ecclesiam, quantũ illa ab his contra fidei & religionis hostes magna semper adjumenta cognoscitur accepisse, ut alia ejus eximia in rẽ Christianã merita, in celeberrimã monastici Ordinis institutione, pravorũ regum exter-

Otho Frisingensis lib. 5. ad an. 583.

Antonius Yepes cent. 2. ad an. Christ. 611.

Catalogus Abbatum Luxoviensium.

S. Fulbertus in vita S. Aichadri cap. 17.

Baltharius in suo ad S. Fridolini Vitam prologo ad Notkerum San-Gallens.

exterminio, sacrorum ad Catholicam doctrinam roborandam librorum elucubratione patentur expressa, præterea, & sublimes eminentissimæ sanctitatis Virtutes, ob quarum præstantiam magno
Ad an. 612. *Eliæ* comparari posse Columbanum meritò existimavit scripsitque Baronius. Hunc ego virum tibi, benigne lector, præsenti Collectaneo exhibeo, non quòd illustrandum meâ scriptione, vel labore putem illustrissimum solem; sed ut pristina ejus claritas oblivionis & ignorantiæ nebulis, quibus hactenus obducta, ne dicam obfuscata, latebat, clarâ præteritorum temporum recordatione depulsis, omnium conspectibus exposita, solito splendore refulgeat. Quanquam enim (ut de cœlesti ejus sapientia priùs loquamur) nemo possit ignorare, sanctum Columbanum omni scientiarum genere fuisse excultum, non licuit tamen hactenus divini vim ingenii, aut eruditionis copiam ex præclarissimis ejus monumentis agnoscere; quippe pro majori parte, vel temporum injuriâ suppressis; vel in pulvere, situque à tineis blattisque comestis; & hoc non sine gravi quorundam negligentiæ vel incuriæ notâ, qui illa cùm potuerant, è tenebrosis illis carceribus in publicam lucem vendicare neglexerunt: & licet ex multis pauca ad nostras manus pervenerint, talia tamen ea sunt quæ doctrinæ profunditate, & sermonis facundiâ Angelicum commonstrent authoris ingenium & eloquentiam. Radius quidem aliquis sapientiæ in editis anteà Fragmentis aliquot Operum ejus, quibusdam scilicet Versibus & Regulâ, sublucebat; sed quia is per se tenuis, aliorum accessione Operum magnum videbatur luminis accepturus augmentum, volui quotquot habere potui scriptorum ejus reliquias colligere & quò clarius in eis Columbanum intueri posses, opportunis Notis exornare, ac ignorantium librariorum errore inductas nubeculas, appositis in margine asteriscis submovere, sicque elegantissimos *Sermones*, salvâ in omnibus MSS. codd. fide & authoritate, suo nitori reddere; quod quâ viâ & ratione sit factum, quia in privatis singulorum tractatuum procemiis exactè signatum est, hîc prolixiùs explicare desisto. Porrò Columbano adjunxi ex *Sangallensis* bibliothecæ scriniis duos celeberrimos Gymnasiarchas, *Aileranum* cognomento *Sapientem*, Scholasticum *Cluainirardensem* & *Cumeanum Abbatem*, ut putamus *Hiensem*; tum quòd exigui Tractatus seorsum edi non possent; tum etiam, ut Christianus lector intelligat, plures præter *Columbanum* illis sæculis in Hibernia sapientiæ soles effulsisse, quorum in caliginoso loco lucentium, vel umbram saltem aliquam consectari conamur, nec assequimur, multorum invidiâ afflictæ gentis nostræ provectioni adversante, & piis eam illustrare volentium conatibus pro viribus obsistente.

3 Cæterùm quia propositum est præsenti Opere *Columbanum*, non solùm sermone, sed & opere potentem ostendere, placuit Opusculis ejus, Vitæ quoque acta & virtutes miraculorum meritis ipsius patratas adiicere, ac fusioribus Commentariis extendere, in quibus omnia, quæ è *Iona* vitæ scriptore prætermissa sunt, ex variis collecta addere, & si quę circa ipsam historiam incidebant obscura vel ambigua, præsertim quæ majoris inter alia ponderis & momenti videbantur, de ætate videlicet ejus, patriâ, peregrinatione, monasteriorum ab ipso, ejusque discipulis conditorum origine, & progressu, monasticâ quoque institutione, attentiori meditatione perpendere, & cautiori calamo explanare, ut sicut prima pars sapientiæ ejus exhibet testimonia, ita hæc posterior sanctitatis & virtutum exempla commemoret, & eâ quâ par est, fecunditate ministret.

4 Atque in his prolixiùs, quàm alioquin fecissem me hærere compulerunt errores quidam circa res Columbani, partim ignorantiâ, partim invidiâ suborti, quibus repellendis fusiores indulsi digressiones, maximè ubi de Columbani patriæ nomenclaturâ, locòque nativitatis sermo est habitus, contra quorundam modernorum inconsultum planè consilium, qui ambiguâ dumtaxat *Scotici* nominis appellatione suffulti, ex inordinato patrii honoris & gloriæ studio, non solùm *Columbanum*, sed & reliquos pænè omnes, quorum notitiam habere poterant, Hiberniæ nostræ cives, sanctitate & literis illustres, ad Britannicam Scotiam, contra jus, fasque, universâ reclamante antiquitate, transtulerunt; neque his contenti, gentem quoque nostram (ut Anglicanam, quam similibus involvunt opprobrijs prætercam) à qua tamen ipsi Evangelicæ veritatis lucem, & politici etiam principatûs initia acceperunt,

perunt, ut etiam fatentur, qui alicujus inter eos fidei sunt Historici, calumniis & contumeliis, ad majorem sanè ipsorum ignominiam, quàm innoxiæ gentis opprobrium onerârunt, non advertentes quàm turpe sit & impium, Acta Sanctorum, quæ olim *Fabianus* Papa in sua Decret. epist. *Fidelissimis* scribenda *committi præcepit, ne aliqua in eis illusio inveniatur, ex qua fidelibus scandalum, quod absit, oriatur*, talibus imposturis, & in alienam gentem scommatibus & calumniis prophanare, ac fœdè polluere; & unde Christianus lector pacis & charitatis documenta accipere deberet, inde ad odiorum ac dissentionum semina ponderanda quodammodò compelli. Novissimè id egerunt, ut antiquiores omittam, Thomas Demsterus & David Camerarius, qui mendacissimis editis Menologiis, non *Hiberniæ* solùm; sed & *Galliæ, Germaniæ, Angliæ*, aliisque regnis, multos clarissimos viros surripuerunt; quos idcircò Philippus Ferrarius, ejusmodi fabulonum lectione deceptus, post agnitas imposturas vocavit Hagioclepta.

Quorū eò nobis perniciosior apparet conatus, quò viri quidam, alioquin graves & docti, nullo habito authorum delectu, sine ulteriori veritatis indagine, illorum hominum imposturis & fabulis libros suos implere, & quasi leprâ quadam maculare cernuntur, & fidem aliquam illis velle tribuere, qui omnē exuerunt fidem & sinceritatem, omniaque humani commercii jura in scribendo violare & contemnere non verentur; nisi fortè, quod mihi planè persuadeo, illorū id candori tribuatur; qui libros quoslibet sub inquirendæ veritatis titulo propositos, simplici legunt oculo, & sine ulla fraudis aut corruptelæ suspicione pervolvunt & sequuntur. Qua quidem in re licet eorum sit ex parte commendanda sinceritas, illa tamen in discernendis authoribus & libris examinandis incuria, & nimia in probanda qualibet scribligine pronitas, in Historico minimè potest excusari. De quibus & similis farinæ nostri temporis hominibus libet justissimam magni Baronii * querelam audire. *Quod si posteriores*, inquit, *rerum Ecclesiasticarum historicos consulas, magnam profectò eorum esse classem intelliges, qui absque delectu quæcunque vel ab aliis scripta ad manus eorum venerint, vel levi auditu perceperint, conscripserunt, & absque aliquâ altiori veritatis indagine, sæpè aniles fabulas, senum deliramenta, vulgi rumores, non sine magno cæterarum rerum, solidâ firmitate subsistentium, præjudicio, intexuerunt.* Quod eximii viri judicium, quàm sit veritati consonum, quivis ex prædictorum hominum libris experientiâ certâ cognoscet. Atque hæc ratio instituti prolixiùs Commentarii; cui annexus in fine *De monastica Columbani institutione* Tractatus, varias de Regula & monachatu ejus examinat opiniones, & quæ nostro exiguo judicio veritati propinquiora apparent, edisserit. Neque enim minus exspectari poterat ab editore Regulæ ejus, quę non infimū inter alia ipsius Opuscula locum tenet; quippe quæ plurimorum in Concilio *Matisconensi* Episcoporum suffragiis, & cœlestibus in repentinâ quinquaginta & amplius rebellium Monachorum extinctione miraculis confirmata, ac demùm tot clarissimorum Sanctorum professione nobilitata est. Itaque si quæ in his omnibus à me instituta est prolixitas major quàm velit lector occupatus, ex impositæ justæ defensionis necessitate, vel rationabilis declarationis studio processit, & proinde curioso rerum *Columbani* lectori minimè videri debent onerosa.

In Præfat. ad to. 1. Annal.

Jonas in Eustasio.

5 Sanè qui præsenti fasciculo collecta attentiùs perpenderit, & studiosiùs contulerit, ut arbitror, clarè satis intelliget, quod præsenti scriptione intendimus, S. Columbanum virum fuisse, opere & sermone potentem; quippe qui veluti gladius ex utraque parte acutus, verbi exemplique efficaciâ fidelium corda penetrare consuevit; ac velut *Aod* ambidexter, secundis pariter & adversis rebus, ad divinæ gloriæ, Ecclesiæque sanctæ augmentū & animarum salutem, uti probè cognoverat. Intelligent quoque exhibitam de ipso parituræ matri visionem, quæ sinu suo rutilantem Solem procedere, nimioque fulgore totum mundum illustrantem conspexit, in ipso fuisse veraciter adimpletam; tot denique de ipsius per Britanniam, Galliam, Germaniam, Italiam, Apostolicâ expeditione, celebratis ubique gentium & locorum magnalibus, & in hoc nostro *Collectaneo*, leviter adumbratis, parem fuisse. Quæ omnia, ut manifestioribus appareant argumentis, rogamus humiliter omnes, qui alia quæ desiderantur hujus Sancti Viri monumenta, in suis

ſcriniis vel Bibliothecis abſcondita detinent, præſertim quæ in *Pſalmos*, *Evangelia* & contra *Arianos* edidit, & adhuc extare credimus, quantociùs ad ipſius Sancti honorem, Eccleſiæ Matris ædificationem, & Divini nominis gloriã, publici juris ea efficiant. Interim Chriſtiane Lector hîc collectis fruere, in quorum explanatione, ſi quid imperfectum, aut mancum inveneris, partim imperitiæ meæ, partim quotidianis diſtractionibus, quibus neceſſariò reſpondendum fuerat, indulge, & auctiora omnia, emendatioraque in ſecundâ operis editione patienter expecta *Vale*.

E L O-

ELOGIA

De S. Columbano Abbate ex Antiquis & Modernis Scriptoribus

COLLECTA.

JOnas discipulus discipulorum S. Columbani cap. 1. Vitæ ipsius, *Columbanus*, inquit, *natus in Hibernia inter primordia fidei gentis illius extitit, ut fides, quam infœcundam ex parte illa gens habebat, suo ac sodalium suorum munimine, in cultu uberi fœcundaretur.* Et infrà cap. 4. de cœlesti ejus & sociorum in terris vitæ ratione loquens, *Tanta*, inquit, *humilitatis ubertas, ut versa vice sicut de honoribus homines sæculi conantur quærere dignitates, ita iste cum sodalibus de humilitatis cultu alter alterum nitebatur prævenire, memores præcepti illius*: qui se humiliat, exaltabitur, *& illud Isaiæ*: ad quem respiciam, nisi ad humilem, & quietum, & trementem sermones meos? *Tanta pietas, tanta charitas, ut unum velle & unum nolle esset omnibus. Modestia atque sobrietas, mansuetudo & lenitas æq; in omnibus redolebat; execrabatur ab his desidiæ atq; discordiæ vitium, arrogantiæ ac elationis supercilium duris castigationum actibus feriebatur: Iræ ac livoris noxa sagaci intentione pellebatur. Tanta patientiæ virtus, castitatis affectus, lenitatis cultus aderat, ut mitem in medio eorum Dominum patulè non ambigeres habitare. Si quempiam ex his in vitiis reperissent, simul omnes æquo jure negligentem correptionibus cadere studebant. Communia omnibus omnia erant. Si quispiam proprium aliquid usurpare tentasset; à cæterorum consortio segregatus, pœnitentiæ ultione vindicabatur, nullus proximo contrarietatem rependere, nullus asperum sermonem proferre audebat, ita ut in humana conversatione Angelicam vitam agi cerneres. Tanta in beatum gratia virum redundabat, ut in quorumcumque domibus quantisper commoraretur, omnium animos ad religionis cultum defigeret.*

Theodorus Papa in Privilegio Boboleno Abbati Bobiensi ejusque Congregationi concesso. *Dum excellentissimus filius noster* Rotharith *Rex & gloriosissima nostra* Gondiberga *regina gentis Longobardorum, piâ & religiosâ devotione perspicui, nos scriptis postulasse noscuntur, ut Apostolicæ Sedis privilegium monasterio BB. Petri & Pauli in loco, qui dicitur* Ebobio, *constituto, in quo vir venerabilis Columbanus ex partibus Hiberniæ, in quibus ortus fuerat, sanctis studiis fervens cum largitate regia in regno gentis* Longobardorum, *postquam alia fundavit monasteria, accedens, monasterium construxisse perhibetur, ubi non parvam Congregationem monachorum instituens, etiam se cum iis, patibus pia devotionis studiis mancipavit; in quo nunc vir venerandus Bobolenus Presbyter & Abbas unà cum centum quinquaginta monachis conversari videtur, & in Dei laudibus, uno Regulæ spiritu, supernâ inspiratione commotus ad laudem omnipotentis Dei pium exhibet famulatum conferre debemus.*

S. Theodorus monachus, primus Abbas Campidonensis, ipsius S. Magni discipulus, in ejus vita cap. 1. *In tempore illo cum beatissimus* Columbanus *simul cum B.* Gallo *nepote suo diversa loca perlustraret, ad diffamandum verba Dei, & peregrinandi causâ ex* Hibernia *perveniret, quidam Frater nomine* Magnoaldus, *ex præfata patria* Hiberniæ *procreatus, pulsare cœpit aures B.* Galli, *discipuli sanctissimi* Columbani, *ita alloquens: Beate magister & domine, video vos in servitio Dei tantùm sollicitos esse, ut eremum concupiscentes, quantisper ibi morantes, bestiarum, scilicet Ursorum, Bubulorum, Luporum, multitudo frequentet, & ad vestrum imperium recedat.*

Venerabilis Beda in Martyrologio ad 21. Novembris. *In Italia monasterio Bobio depositio S. Columbani Abbatis, qui multorum cœnobiorum fundator & innumerabilium Pater extitit monachorum, multisq; virtutibus clarus quievit in senectute bona.* Eadem penè verba repetuntur in Martyrologio Romano, Subensi, ac etiam Luxoviensi, in quo 4. Nonas Junii notatur *Translatio gloriosissimi brachii Patris nostri Columbani de Bobio ad Luxovium.* Cuncta ferè Martyrologia ipsius meminerunt.

Antiquissimus scriptor Vitæ S. Walerici apud Surium, ipsi ferè Walerico æqualis. *Ne missâ*, inquit, *semel ad aratrum manu, retrò respicere videretur (supple* Bobo*) noluit domum reverti, sed cum magistro suo* S. Walerico, *pari religionis fervore* Luxovium *usque profectus est, ubi venerandus & admodùm sanctus insignisq; sacra religionis cultor* B. Columbanus *ex* Hibernia *insula ortus, ducentorum & viginti plus minus monachorum Pater morabatur; in cujus cœnobiis nemo sibi aliquid ceu proprium vindicabat, præter diurnos labores, nocturnasq; vigilias; omnibus omnia erant communia, idem velle ac nolle, cor unum & anima una in Domino; atque tametsi nihil mundi hujus apud se haberent præter parcissimum & tenuem victum, & corporis simplicia atque humillima indumenta, at nihilominus in Christo omnia possidebant, atque his delitiis & divitiis contenti vitam vivebant Angelicam.*

Carolus magnus Imperator in privilegio quodam à se monasterio Luxoviensi concesso. *Tempore Sigeberti, Regis Francorum cum jam per totam Galliam divinæ religionis fervor torperet, Redemptor mundi Deus & Dominus noster Iesus Christus diu dolens Ecclesiam suam ob multorum desidiam penè jam obfuscatam, ad*

repellendas ignaviæ tenebras de occiduis Hiberniæ partibus splendissimum radium Gallicis finibus emergi præcipit, Beatum videlicet Columbanum, egregium Scotigenam, qui ad supradictum Regem Sigebertum veniens, honorificè susceptus, ut intra terminos Galliarum resideret, ab eodem devotissime rogatur. Ille obtemperans regis persuasionibus, eremum petiit, quæ multorum vocabulo Vosagus nuncupatur: est nempe in eadem locus admodum delectabilis, qui spiritaliter Luxovium appellatur; in quo vir Dei cum suis Angelicam vitam ducens, fama ipsius redolere cœpit per omnes partes Galliæ, ad quorum sustentationem, ut ex divitum abundantia illorum inopia sublevaretur, cœperunt nonnulli quidquid possidere videbantur eidem loco contradere: & non solum isti, sed etiam Reges atque Imperatores, videlicet prædictus Sigebertus. &c.

Antiquissimus scriptor anonymus in Vita S. Faræ, quam rogatu Bertradæ regiæ stirpis, monasterii Eboriacensis Abbatissæ, & aliarum monialium precibus se conscripsisse testatur. Multiplex & uberior dictu gratia Dei Columbanum, multorum monachorum salutarem patrem futurum, ab Hibernia excitavit. Qui transgressus Oceanum Britannicum, in Galliam venit: & velut Sol radiis tenebras, ita hic sermonibus errorum caliginem dispulit, & torpore discusso ignaviæ optimis virtutum exemplis fervorem sanctitatis longè lateq; diffudit. Divinis litteris instructus, quod in eis didicit, ipse primus exercuit; authoritatemq; sibi non minus agendo, quàm docendo vendicavit: soliditate fidei Catholicæ imbutus, in ea permansit. Suasor paupertatis, nullius opes concupivit. Mitis & suavissimus fidei communione domesticis; intolerabilis & amarissimus apparuit alienis: unde factum est, ut post exstructionem excellentis cœnobii, quod Luxovium dicitur, in quo non pauci regulariter conversari consenserant, dum Theodorici Regis offensam incurrisset, quod ei concubinarum illicitâ consuetudine interdiceret.

Fridegodus, S. Odonis Diaconus, in vita S. Audoëni. Contigit eo tempore virum Deo dilectum Columbanum, genere Scotum, cœnobiorum Luxoviensis in Gallia, Bobiensis in Italia fundatorem, ex Hibernia insula in Gallias pervenire: qui relicto paterno solo, parentum domo, cunctisq; quibus mundi amatores pro magno utuntur, voluntariam paupertatem & saluberrimam peregrinationem pro amore Christi & regni cœlestis arripuit.

Walafridus Strabo, Abbas Augiensis in Vita S. Galli, cap. 1. magni nominis author, Cùm præclara Sanctissimi viri Columbani, qui & Columba, conversatio per omnem Hiberniam celebris haberetur, & veluti splendidum ignei solis jubar, singulari decore omnium in se provocaret amorem, sicuti de eo priùsquam nasceretur prævisum esse liber gestorum ipsius pleniter indicat; inter cæteros quos fama virtutum ejus attraxerat, parentes B. Galli secundum Deum religiosi, secundum sæculum nobiles, filium suum primo ætatis flore nitentem, cum oblatione Domino offerentes, illius magisterio commendaverunt, ut in regularis vitæ proficeret disciplinâ & inter plurimos spiritalis vitæ sectatores, obedientiæ & arctioris propositi imitaretur exempla.

Notkerus Balbulus, monachus Sangallensis, in suo Martyrologio ad 17. Calendas Novembris. Ad æternam vitam natalis dies beatissimi Galli confessoris festivè celebratur, qui de insula Hibernia, quæ inter Britanniam & Hispaniam sita est, divini amoris instinctu cum magistro & Abbate suo Columbano peregrinaturus, per Gallias iter agens, Alemanniam ingressus est.

S. Bernardus in vita S. Malachiæ cap. 5. Denique ita Hiberniam Scotiamq; repleverunt genimina ejus (nempe monasterii Benchorensis) ut ea potissimùm tempora Davidici illi versiculi præcinuisse videantur: visitasti terram & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam &c. Nec modò in præfatas, sed in exteras etiam regiones, quasi inundatione factâ, illæ se Sanctorum examina effuderunt, è quibus ad has nostras Gallicanas partes S. Columbanus ascendens, Luxoviense construxit monasterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnam fuisse, ut succedentibus sibi vicissim choris, continuarentur solemnia divinorum, ita ut ne momentum quidem diei ac noctis vacaret à laudibus.

Aimoinus de gestis Francorum l. 3. Beatus Columbanus ab Hibernia Oceani insula progressus, primùm à Theodeberto suscipitur &c.

Marianus Scotus lib. 2. ad annum Christi 589. Sanctus Columbanus, Pater, ex Hibernia insula cum S. Gallo aliisq; probatis discipulus venit in Burgundiam, ibiq; permittente Theodorico Rege monasterium, quod Luxovium dicitur, ædificavit; exinde à Brunichilda fugatus, Alemanniam ingreditur, ubi S. Gallum reliquit. Ipse verò in Italiam transiens, monasterium, quod Bobium dicitur, ædificavit, ubi multorum Pater monachorum extitit.

Hermannus Contractus in Chronicis. Beatus Abbas Columbanus, qui cum discipulis suis. S. Gallo & aliis, temporibus Sigeberti Regis de Hibernia veniens, Luxoviense monasterium multis virtutibus coruscans, construebat, cùm sæpè Theodoricum pro sceleribus suis, & maximè adulteriis increpans, ad legitimum hortaretur conjugium, molimine Brunichildis reginæ ambitiosè execrantis; jussu Thæodorici Regis exinde pulsus, Sanctum ibi Eustasium pro se reliquit Abbatem.

Ordericus Vitalis Angligena, monachus Uticensis lib. 8. hist. Eccles. Arbitror, ignorant, quod Beatus Pater Columbanus, de Hibernia ortus, S. Benedicto contemporaneus fuerit, paternam domum, patriamq; relinquens, cum præcipuis monachis in Gallias navigaverit, & à Childeberto Rege Francorum, filio Sigisberti, susceptus, in Burgundia Luxovii cœnobium construxerit, ac postmodum ab impiissima Brunichilde expulsus, in Italiam secesserit, & ab Agilulpho Longobardorum rege receptus, Bobiense monasterium

condi-

condiderit. Hic admirandæ sanctitatis Pater, inter præcipuos laboravit, signis & prodigiis gloriosè inter terrigenas effulsit, & Spiritu Sancto edoctus, monachilem Regulam edidit, primusque Gallis tradidit. Florentissimi de schola ejus monachi prodierunt, & in mundo, velut astra in firmamento, virtutibus micuerunt. Eustachius enim Luxoviensis, Agilus Resbacensis, Pharo Meldensis, Audomarus Bononiensis, Philibertus Gemiticensis, aliique plures Episcopi & Abbates excellentissimæ processêre religionis. Quorum sanctitas evidentibus miraculis cœlitus ostensa est; ipsorumque studio in filiis Ecclesia insigniter propagata est.

Vincentius in Speculo historiali lib. 21. cap. 11. Hic Columbanus ex Hibernia insula inter primordia fidei gentis illius natus est, cujus etiam mater, cùm jam conceptu gravida teneretur, subitò per noctem sopore depressa, videt è sinu suo rutilantem solem procedere, & mundo lumen jam magnum præbere.

Otho Frisingensis in Chro. ad an. 583. Eâ tempestate vir Dei Columbanus natione Scotus, Luxoviensis Abbas, à Brunichilde Burgundionum reginâ, eò quòd eam de pessimis operibus ac maleficiis zelo Dei argueret, tanquam justus Elias à Jezabel, gravem persecutionem passus, monasterium mutare, ac in Italiam ad locum, qui Bobium dicitur, transire, ibique usque ad diem obitus sui manere compellitur. Hujus discipuli clarissimi regni Christi cives fuêre, Leodegarius, qui postmodùm Autisiodorensem regens Ecclesiam, martyrio coronatur; Romaricus, qui in monte, qui ex nomine suo mons Romarici dicitur, sanctimonialium nobile fundavit cœnobium; Gallus, qui in Suevia in territorio Constantiensi residens, egregiam ex nomine suo, quæ multis honoribus ac divitiis modò locupleta cernitur, tenet Ecclesiam, & alii quamplures. Fertur enim, quòd trecentorum prædictus vir Dei Pater extiterit monachorum, qui omnes patris secuti monita, excepto Ebroino, inter cives Christi adscripti creduntur.

Sigebertus Gemblacensis in Chronicis ad Annum 602. S. Columbanus ex Hibernia in Burgundiam venit, ibique permissu Theodorici Regis cœnobium Luxovium ædificare cœpit. Et infrà ad An. 614. S. Columbanus à Theodorico rege instinctu Brunechildis aviæ expellitur Franciâ; qui pòst, relicto Gallo discipulo suo in Alemannia cœnobium Bobium construxit in Italia. Item de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus cap. 60. Columbanus Abbas Luxoviensis in Hibernia Scotorum Insulâ natus, & in Gallias pro Christo peregrinatus, tanto sapientiæ thesauro est ditatus ut adhuc adolescens librum Psalmorum elimato sermone scriberet, & alia multa ederet, vel ad canendum digna, vel ad docendum utilia.

Abbas Ursbergensis in Chronicis--- His temporibus (nempe Sigeberti Regis) S. Columbanus de Hibernia venit in Galliam, quem Sigebertus Rex benigne accepit.

Chronicon Reichherspergense fol. 83. Ipsis etiam in temporibus S. Columbanus ex Hibernia, cum Beato Gallo & aliis probatis discipulis in Burgundiam venit, ibique permittente Theodorico Rege, monasterium, quod Luxovium dicitur, ædificavit.

Chronica mundi fol. 146. S. Columbanus Abbas vir religione & sanctitate insignis, per hæc tempora in Hibernia insula claruit, ubi multis instructis monasteriis, posteà in Burgundiam venit, ibidemque Luxoviense monasterium constituens, innumerabilem quasi gentem aggregavit, & rectum vivendi modum omnibus tradidit. Et infrà. Hujus discipuli plures fuerunt, & specialem gratiam ejiciendi spiritus à Domino percepisse legitur; Episcopatum oblatum renuit, & post multa miracula in Domino requievit 3. Calendas Novembris.

Author Fasciculi temporum, Wernerus. Columbanus, Pater venerabilis, clarus habetur in Hibernia, & post venit in Burgundiam, constituens ibi monasterium Luxoviense, & factus est in gentem magnam.

Petrus de Natalibus in Catalogo lib. 10. cap. 64. Columbanus Abbas claruit in Gallia temporibus Theodorici, & Clodovei Regum Francorum. Hic ex Hibernia insula natus, cùm adhuc matris utero gestaretur, vidit ejus genitrix per somnium, se solem parere, mundum illuminantem. Et infrà: Hic multorum miraculorum gloriâ claruit &c. spiritu prophetico plenus, prædixit ipsum (nempe Clotharium) regna Theodeberti & Theodorici regum obtenturum.

Joannes Aventinus in Annalibus Boiorum lib. 6. p. 631. Hibernia insula est, quæ ultra Britanniam in Oceano septentrionali cubat &c. Ea de qua dico Hibernia, apud majores nostros fœcunda religiosissimorum doctissimorumque vatum fuit. Inde Columbanus, Kilianus & plerique alii in Germaniam migrarunt &c. Divus hinc Marianus cum sex discipulis Reginoburgium devenit, in templo extra mœnia urbis habitavit

Joannes Capgravius in vita S. Columbani in principio. Beatus Columbanus in Hibernia insula, in Oceano sita, quam Scotorum gens inhabitat, ortus est: Hibernia enim antiquitus Scotia dicta est, de qua gens Scotorum Albaniam, Britanniæ majori proximam, quæ ab eventu modò Scotia dicitur, inhabitans, originem duxit, & progressum habuit.

Joannes Trithemius de vir. Illust. Ord. S. Benedicti lib. 2. S. Columbannus fundator & primus Abbas Luxoviensis, natione Scotus, vir meriti & sanctitatis eximiæ, multos pro Christo sustinens labores, cùm adhuc in Hibernia degeret in monasterio, tantum in scripturis studendo confecit, ut non contemnenda Opuscula ediderit, è quibus extat opus insigne limato sermone in totum Psalterium. De cæteris quæ cudisse dicitur, nihil ad meam recolo pervenisse notitiam. Et infrà. Construxit multa cœnobia tam in his nostris regionibus, quàm in Hibernia. Claruit anno Domini sexcentesimo.

Joannes Jacobus Chiffletius in historia Vesontina pag. 126. MSS. codd. S. Joannis, S. Stephani, &

S. Petri

S. Petri Vesontionen. sequentia de S. Columbano & Nicetio profert. *Erat autem tunc temporis B.* Columbanus *Luxoviensis cœnobii Pater celeberrimus, cujus rogatu B.* Nicetius *Antistes sanctissimus* Anagrates *&* Luxovium *&* Fontanas *adiit, & in utroque cœnobio ab eodem sanctæ memoriæ Columbano ædificatis ecclesiis, quia in sua erant diœcesi, altaria dedicavit, ibiq́ue de divinis dulci & admirabili confabulatione habitâ, post multarum lachrimarum sparsa flumina, post deosculationes creberrimas, Præsul ad civitatem rediit, Columbanus verò monachorum vitam educando, apud* Luxovium *aliquanto tempore fuit. Inter quos quanta fuerit vera concordiæ charitas, quantaq́ue in oratione societas, non est dictu facile.*

Pervetustus codex Ms. Luxoviensis, in quo etiam textus Martyrologii ejusdem cœnobii habetur. *Anno ab Incarnatione Domini* ıɔxcv. *Indict.* 13. *regnante* Sigeberto *Rege, ingressus. B. Columbanus in Gallias, veniensq́ue ad supradictum Regem, receptus est ab eo honorificè anno* 13. *regni sui precaturq́ue eum ut intra terminos regni sui resideat; quod etiam fecit, devenitq́ue in locum* Vosagi *antiquitùs* Anagrates *nuncupatum; ibi cum suis resedit anno ab Incarnatione Domini* 596. *indict.* 14. *sed* Sigeberto *non amplius quàm quatuordecim annos administrante, filius ejus* Hildebertus *in sceptra resedit cum matre* Brunichilde anno 15. Chilperici *&* Guntrani *patrui sui, anno ab Incarnatione Domini* 596. *indict.* 14. *Regnavit* 20. *annis.* Et infrà. *His quoque diebus* (id est tempore Mauritii Imperatoris de quo erat sermo) *B. Columbanus apud* Burgundiam *in* Vosago *construxit nobile monasterium, quod vocatur* Luxovium, *priscis temporibus sic nuncupatum. Et benè huic nomini congruit* Luxovium, *id est* lux ovium, *quia est initium & caput omnium monasteriorum Franciæ & Burgundiæ.* Et infrà. *Posteà verò tempore* Hildeberti *filii* Sigiberti, *Luxovium construxit monasterium, in quo multorum adunavit greges monachorum, & cum ipsis ibidem per longum tempus stetit, usque ad annum* VIII. *Theodorici Regis filii* Hildeberti, *qui eum maledictus expulit.*

Codex quidam anonymus MS. Ingolstadiensis Academiæ bibliothecę de Sanctis *Gallus à parentibus suis nobilibus magisterio* S. Columbani, *qui apud* Hiberniam *famosus erat, litteris traditus est; cumq́ue* esset bonæ *indolis provehi eum fecit sacerdotii gradu. Post hoc S. Columbano placuit patriam relinquere & omnia quæ habuit, assumptoq́ue secum* Gallo, Magno, atque Theodoro, *per* Britanniam *in* Galliam *venit.*

Collectio virorum illustrium ordinis S. Benedicti MS. in Monasterio Gemblacen. *S. Gallus Abbas, ex* Hibernia *claris parentibus natus,* S. Columbano *in discipulum traditus, cœnobium construxit in* Alemania *ubi quadringentis monachis præfuit.*

Officium proprium SS. cœnobii Rorensis, diœces. Ratisbon. lect. 4. *de* S. Magno. *Magnus, anteà etiam* Magnoaldus *dictus*, Columbanum *&* Gallum, *viros ejusdem insulæ religiosos prosecutus* &c.

Breviarium Constantiense ad 21. Novembris. *Columbanus Abbas, multorum monachorum Pater, & mirificæ pietatis vir, in Hibernia inter ipsa fidei illic nascentis primordia oriundus, non sine futuræ sanctitatis præsagio in lucem prodiit: hujus namque mater gravida sibi visa est in quiete, rutilantem, nimioq́ue fulgore micantem parere solem, qui universum terrarum orbem luce suâ illustraret. Quo somnio significabatur fore, ut splendore sanctitatis virtutumq́ue suarum ac miraculorum gentes ad Christianam pietatem accenderentur. Veritatem exitus comprobavit; id quippe & præstitit per se & per eos, quos Christo pepererat, è quorum numero præcipui fuêre* Gallus, *&* Magnoaldus *qui* Sueviæ *Apostolus nominari meruit.*

Breviarium Sangallense ad 21 Novembris. *Columbanus in Hibernia, regione* Lagenorum *ex nobilibus parentibus procreatus fuit. Adolescens* Senilem *virum religione & scientiâ eo tempore facilè principem, in Scripturis Sanctis magistrum habuit.*

Breviarium Diœcesis Augustanæ, nuper emendatum ex approbatione S. Congregationis, ad 6. Septembris. *Magnus, ante etiam Magnoaldus, ex Hibernia oriundus,* Columbanum *&* Gallum *perspicuæ integritatis & innocentiæ viros, ejusdem insulæ religiosos, partim prædicandi verbi Dei, partim solitudinis habitandæ gratiâ peregrinantes, secutus.*

Breviarium Curiensis *Diœcesis antiquum in* 1. *lect. de. S. Gallo.* Gallus Abbas ex Hibernia *claris parentibus natus, S. Columbano in discipulum traditus, ab eodem sacris ex litteris eruditus, & monachus ipsius effectus, ad sacerdotium promotus est.*

Breviarium Bellovacensis Diœcesis MS. *Columbanus Hiberniensis genere & natione, mirum habuit præsagium ante ortum.* &c.

Martyrologium Germanicum à Petro Canisio evulgatum, ad 21. Novembris. *In monasterio & civitate* Bobio *in* Italia S. Columbani *Abbatis, qui cum duodecim sociis ex Hibernia ad Burgundiam venit.*

Chronicon MS. Ecclesiæ S. Petri consecrati Scotorū Ratisbonæ cap. 17. ubi de S. Columbani *&* sociorū in Germaniam transitu loquitur. *Non post multum temporis venit catervatim beatus grex sanctorum virorum in peregrinatione ad Romam de Hibernia, quòd Apostolicam indulgentiam misericorditer mererentur accipere. Sanctissimus quoque* Columbanus, *fortissimus tyro Italiæ, Sanctus quoque* Gallus *ac* Magnus *duo candelabra Sueviæ; S.* Florentius, Maximinianus *&* Albeus, *&* Neemias *&* Columbanus, Sinianus, *& alii plures Sancti, qui eum comitati, ministerium Sancti Evangelii fideliter adimpleverunt. Angelus Domini in somnis B.*Columbanum *allocutus est, dicens: Frater Columbane, Pater cœlestis te constituit conductorem gentis occiduæ*

occidua à fine mundi de oceani partibus ; volentis consequi benedictionem Romani Pontificis ; aliter Deo cælesti placet, ut in solo Alemannia terra perficiant divina obsequia, expectantes universa carnis resurrectionem. Te quidem & spirituales tuos collaterales vult per Alpes *venire & cacumina montium transire ad civitatem Mediolanensem, ibiq; diem ultimum in quietâ pace expectabis. Sanctos itineris comites sigillatim per oppida* Italiæ *destinabis, gratiam Baptismi in omnibus seminabunt, & ut divinitus fuit admonitum, necesse fuit adimpleri. Mane facto Beatissimus* Columbanus, *advocatis in unum Fratribus indicavit eis de Angelica revelatione. Tunc palmas beatas ad Deum extenderunt, gratias Deitati retulerunt, dicentes: quoniam scriptum est; quia* qui non bajulaverit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus; & qui non reliquerit patrem & matrem, *patriam charosq;*, non est me dignus. *Beatus quidem Columbanus cum suis principalibus sociis transierunt per Alpes in terram Italiæ ad civitatem Mediolanensem, ibidem cum virtutibus & miraculis claruit, recipiens fælicem finem vitæ suæ; cæteri socii secundum præscientiam Dei fælicem finem sunt sortiti.* S. Gallus *in Suevia cum magno honore debitum carnis recepit, S.* Florentius *apud* Lors *venerabilis habetur,* S. Maximianus *apud* Hersfeld *reverendus habetur,* S. Albeus *cum sociis suis apud* Eluange *in pace quiescit,* S. Sinianus *in* Augustâ *celebris prædicatur. Sanctissimus* Magnus *apud* Coempten *beatum finem beati laboris in* Faucibus *recepit.*

Volfangus Lazius de migrationibus gentium pag. 88. *Hic (nempe Sigebertus)* Columbanum *ex* Hibernia *in* Galliam *venientem honorificè suscepit.*

Josephus Ripamontius lib. 8. hist. Eccles. Mediolanensis pag. 523. *Per ea tempora venit* Mediolanum, Columbanus, *Hibernus natione, vir inclitus sapientiæ studiis & severitate vitæ, neque ignotus* Agilulpho. *Is reliquias Arianorum, quorum adhuc erat in urbe colluvies, authoritate concionum & disciplina Sanctimoniâ, scribendo quoque, ac disputando fugavit aut sanavit. Inde majora & plura jam destinans, imminensq; super omnia contemplationi cœlestium bonorum, egit cum* Agilulpho, *ut quoniam id vitæ institutum adamasset, quo prodesset multis, neque tamen fructu solitudinis careret, concederet sibi aream ædificando monasterio, quâ Basilicam Petri Bobiensis ager amplecteretur. Ibi secessum opportunum & veluti ad Apostolicas expeditiones arcem fore. Hæc fuerunt initia monasterii, quod posteà congestis illuc opibus immensum crevit, & qui mortales cupidine paupertatis ac privata vita secuti* Columbanum *in eas sese latebras abdiderunt. Hi quandam principatûs imaginem oppidâ, multumq; ditionis capessivere. Nec minor gloria Sanctitatis, & virtutum, quarum amore convenerant. Siquidem extincto Columbano, par* Attala, *huic deinde* Bertulfus, Bertulfo *similes alii successere, queis Ecclesia summos honores decrevit.*

Carolus Sigonius de Regno Italiæ lib. 2. ad ann. 613. in Agilulpho Rege. *Sub id tempus Columbanus, homo in insula Hibernia natus, atque eximiâ doctrinâ, & rigidâ vitæ innocentiâ notus, postquam Luxoviense monasterium constituerat, ac Sanctitatem suam Francorum Regibus multis modis probarat, in Italiam venit, atque ab Agilulpho rege benignè acceptus, cùm multa alia egregiæ pietatis suæ monumenta edidit, tùm in primis Mediolani agens, Arianos, qui multi adhuc in regno erant, & Verbis & Scriptis, ipso probante Agilulpho, concidit. Sequenti verò, cùm optionem à Rege accepisset, ut ubicunque vellet, sibi monasterium conderet, neque de loco secum constituere incertus animi posset, ubi Bobii nomen apud Regem celebrari audivit, nova subitò loci cupiditate exarsit, atque eum à Rege poposcit. Erat autem ad Regem delatum, Basilicam Petri Apostoli quandam Appennini in Saltibus reperiri; locum circà soli ubertate facundum, aquis irriguum, copiâ piscium affluentem, quem veteres Bobium, ab rivo ibi fluentem, vocassent, non multis millibus passuum à Papia distantem. Hunc igitur locum Columbanus adeptus, extemplò Basilicam, quæ semiruta erat, refecit, & monasterium addidit, & advocatis monachis Abbas præfuit, atque ibi post annum interiit. Columbanum inde Attalas, Attalam Bertolfus Abbas est consecutus. Quos omnes inter Sanctos relatos Beda prodidit.... Monasterium ab Agilulfo, & posteris ejus ditatum, & monachorum Sanctitate, & Catholicæ Fidei defensione præcelluit.*

Cardinalis Baronius to. 8. Annal. ad annum Christi 612. *Hic est ille annus, quo S.* Columbanus, *probatissima sanctitatis Abbas, cum operâ* Brunichildis *per* Thoedoricum *Regem expelleretur è suo, quod in ejus regno construxerat, monasterio, vaticinatus est fore ut intra triennium ipse penitus regno privaretur, & monarchiam totius Galliæ* Clotharius *obtineret.* Et infrà. *Magno planè Dei beneficio factum apparet, ut vir tantus ex* Hibernia *in* Gallias *veniens, illustraret temporibus his perditissimis Ecclesiam Dei; quem præexcelsum meritis si quis aliqua ex parte exæquet* Eliæ, *haud meâ sententiâ à scopo veritatis aberrârit, cùm videre sit in sanctissimo viro eremum cum suis colente præter mirificam abstinentiam & exactissimam monasticam observantiam, atque alias ejus eminentes virtutes, Dei honoris zelum & fortitudinem animi ad Principes arguendos; qui & in eo similior est visus* Eliæ *quod persecutoribus non caruerit, novo* Achab *& alterâ* Jezabele, *ut tu ipse probè cognosces cùm res anni hujus ab eo gestas accipies.* Et posteà subdit. *Porrò qui eum avulsus ab aliis, secutus est intimus discipulus ipsius* Eustasius, *ut* Lucas Paulum, *totum iter illud ad Italiam usque accuratè recensuit, scribens itinerarium, à quo* Jonas, *qui vitam Sancti conscripsit, accipiens, intexuit Actis ejus, prout ipse eum citans profiteri videtur, relegens loca singula, singulasq; personas, apud quas hospitio susceptus est Sanctus, sicq; sicuti veram, certamq;, ita elegantissimam historiam scripsit, quam si integram legeris, planè disces totum illud iter exilii, nihil aliud fuisse, quam longè ductum ejusdem viri Dei triumphum, quo ipsius Victoria adversus Reges, & eorum detestanda crudelitas, signis ac prodigiis est ubique locorum decantata.* Et iterum ad

annum 615. *Hoc pariter anno mirificus ille Dei cultor Columbanus, Regum pravorum terror & vindex, ex hac vita migravit.* Et mox infrà. *Porrò qui dum vixit Columbanus Dei Ecclesiam in tot tenebris sanctitudine vitæ & miraculorum editione, veluti fulgentibus radiis illustravit, æquè post obitum clarus miraculis, ab ipsa Ecclesia, consueto sanctis viris honore, annis singulis coli cœpit. Carens autem Columbano* Clotharius *Rex Francorum, ejus discipulo & successore in Luxoviensi cœnobio* Eustasio *fruebatur; adeoq; coluit monachos ejusdem Luxoviensis monasterii, ut ex eo quamplures ad Episcopatum promovendos curârit. Recensentur hi à* Jona *in* Eustasio, Chagnoaldus *Episcopus* Lugduni, Acharius *Viromandorum & Noviomensis & Tornacensis*, Rachnacarius *Augustoduni & Basileæ* Audomarus *Bononiæ & Tharonensis oppidi.*

Videndi ad eosdem annos Spondanus & Bisciola, qui Annales Baronii in compendium redegerunt.

Antonius Yepes in Chronicis Benedictinis cent. 2. ad an. 611. c. 1. *Magnâ animi voluptate annum hunc & volumen auspicor à vita S.* Columbani, *quia præterquam quòd gloriosissimus sit sanctitate vitæ & inter maximos quos celebravit antiquitas, innumerabilium insuper Pater extitit monachorum, sanctitate, litteris, & honoribus illustrium, monasteriorum quoque innumerabilium fundator. Qui ex Hibernia transivit in Franciam, regnante* Sigeberto *filio Clotharii.* Et infrà. *Licet S.* Columbanus *Galliam illustrarit, non fuit tamen inde oriundus, sed ex* Hibernia *insula peregrinaturus processit, à Deo missus ad bonum & utilitatem totius Europæ.* Et posteà cap. 3. de monasterio Luxoviensi agens. *Tantus in eo*, inquit, *erat numerus monachorum, ut novum Luxoviense cœnobium evaserit unum ex majoribus totius Franciæ, & ex præstantioribus ac illustrioribus sanctitate eorum quæ habuit Europa; & si dixissem cum excellentioribus & celebrioribus quibusvis, in procreandis illustribus & Sanctorum albo adscriptis viris posse conferri, nequaquam excessurum me credcrem.*

Cardinalis Bellarminus de Script. Eccles. an. 630. *Jonas Anglus, sive Hibernus, tempore Heraclii scripsit vitam & res gestas S. Columbani (ut est apud Bedam lib. 5. historiæ gentis suæ c. 17) qui ut novus quidam Apostolus, Angliam, Gallias & Italiam mirificè illustravit. Obiit anno 6. Heraclii, qui erat annus Domini 615.*

Melchior Haiminsfeldius Goldastus in suis Paræneticis veteribus, in Epistola dedicatoria Carminum S. Columbani ad Marcum Velserum. *Quorum* (moralium scriptorum) *in numero Columbanum repono, tanis moribus & fide antiquâ Patrem &c. Velsere magnifice, vidisti in gravius, sententiosius, inter medii ævi scripta? non ego, sine dolo dicam, qui nunquam ab ejus lectione nisi doctior æquè ac moratior discedo.* Et iterum in Præfatione sua ad Commentaria super præfata carmina dicit, *S. Columbanum eâ vitæ sanctimoniâ atque morum gravitate fuisse, ut Apostolis æquipararetur.*

Christophorus Browerus in Notis ad Fortunatum pag. 74. *Cæterùm Hiberniâ, quæ posteà dicta* major Scotia, *contineri tradunt gentis Scoticæ veram propaginem; unde & Sancti* Kilianus, Columbanus, Gallus, *Scoti, ut ita loquar, Hibernienses extiterunt.*

Zacharias Lippeloo, Carthusiæ Coloniensis alumnus, in Vitis SS. ad 21. Novembris. *Columbanus, qui etiam* Columba *dictus est, in Hibernia inter ipsa fidei illic nascentis primordia oriundus, non sine futuræ sanctitatis præsagio in lucem prodiit. Ejus namque genitrix cùm concepto fœtu gravida esset, vidit nocte quadam intempesta è sinu suo rutilantem, nimioq; fulgore micantem procedere solem, & mundo ingens lumen præbere. Porrò Columbanus exactis infantiæ annis, pubescente ætate, artium liberalium & Grammaticorum litteris, capaci imprimis ingenio operam navare cœpit: eamque ad virilem usque ætatem magnâ animi contentione prosecutus est.* His similia habet Franciscus Haræus ad eundem diem in Vita S. Columbani ab ipso abbreviata.

Thomas Bozius de signis Ecclesiæ lib. 8. cap. 1. *Britannia Pelagii opinionem & alias hæreses est secuta, ut quo tempore* Augustinus *missus est à* Gregorio magno, *nullus in ea catholicus esset, ut ex ejus vitâ apud Bedam liquet. Missus est Augustinus anno 596. Non ita in Hibernia in qua tunc Scoti degebant; in ea non modò semper Catholica religio persistit (quamvis nondum e totâ insula antiquarum superstitionum falsitas esset extirpata omninò) ut ex ea viri Sanctitatis illustrissimæ prodierint; in his* Columbanus, Gallusque Columbani *discipulus, à quibus in Gallia Luxoviense monasterium; in Alemanniâ S. Galli, in Italiâ Bobiense extructa fuerunt, ante accessum Augustini in Britannias.*

Nicolaus Gillius, Secretarius aliquando Regis Franciæ, in Chronicis ejusdem regni fol. 33. postquam narrasset, ut S. Columbanus spuriis Theodorici filiis à Brunichilde oblatis suam benedictionem negarit, subdit hæc. *Iste Sanctus eremita Columbanus venerat ex Hibernia in Galliam cum turmâ Sanctorum virorum, & posteà per istam furibundam Reginam expulsus, in Italiam (quamvis illa quieti ejus interim obsistere conaretur) transivit, & ibi monasteria aliqua excitavit, & multo post tempore obiit.* Hæc ille Gallico ideomate.

Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ pag. 659. *Columbanus in Hibernia natus, quem mater adhuc alvo gestans, à se solem nimio splendore micantem prodire per quietem vidit, pubescente ætate in disciplinis liberalibus eruditur. Adultâ ætate cùm ob elegantiam formæ, & nobilitatem omnibus gratus redderetur, per lascivas & decoras puellas à dæmone tentatur. Verùm is cùm se ad pugnam accinxisset, humanæ tamen fragilitatis non ignarus, relictâ patriâ ad* Senilem, *virum religione & eruditione clarum, venit, cum vix à matre lachrimarum imbrem emittente, avelli potuisset; inde ad Benchorense monasterium, cui* Comogellus [*rectiùs* Comgellus] *Abbas Sanctus præerat, profectus, & factus monachus, sub eo prima militiæ spiritualis stipendia fecit.*

R. Dominus Dionysius Mudtzaert Ordinis Præmonstraten. ad an. Christi 612. *S. Columbanus Abbas, qui*

abhinc

abhinc annis viginti ex Hiberniâ natali solo ad Gallias veniens, in Burgundia coenobium Luxoviense excitaverat, hoc anno (612) agente Brunechilde Reginâ, è cœnobio pulsus est in exilium. Rex enim Theodoricus, qui Burgundiæ regno potiebatur, cum familiarissimè S. Columbano uteretur, ab eoq; gratia salutis propriæ frequenter ob inhonestam familiam corriperetur, tandem ablegatis pellicibus legitimam uxorem ducere statuerat. At ejus avia Brunechildis, verita, ne si Rex uxorem, regniq; consortem acciperet, ipsa regno ac dignitate spoliaretur, tantùm fraudulentis effecit modis, uti Rex suis appensus meretricibus remanserit, Columbanus autem sit ejectus. Vir igitur Dei in exilium dum ducitur, ac Regna Clotarii filii Chilperici, & Theodeberti fratris Theodorici pertransit, qui eum benignè accepère, divino afflatus spiritu, Theodoricum post annos tres regno privandum, atque monarchiam regnorum Franciæ in Clotarii potestatem esse deventuram prædixit. Vaticinii veritatem rei exitus comprobavit. Aliquantisper deinde Moguntiæ commoratus, ingentem Suevorum partem ab idololatria ad veram Christi fidē perduxit. Jonas qui his temporibus vixit vitamq; ejusdem Columbani fidelissimè conscripsit apud Sur 21. Novemb. Idem ad annum 615. 616. *Bobii 21. Novemb. Decessit in senectute bona B Columbanus, Abbas in Gallia celebris admodum & virtutibus clarus; qui plurimorum cum cœnobiorum fundator, tum monachorum pater exstitit. Quem Sanctorum numero adscriptum, memoriâ anniversariâ eodem die Ecclesia Romana recolit. Ejus vitam scripsit Ionas Synchronus.*

Videri possunt de Columbano præter citatos Joachimus Vadianus in comment. ad Pomponium Melam lib. 3. c. 6. Volaterranus Antrop. lib. 20. pag. 239. Henricus Pantaleon de vir. illust. Germ. part. 1. p. 227. Hieronymus Roman. cent. 3. ad an 592. qui tamen imperitè diversum facit Columbanum, abbatem Luxoviensem, à Bobiensi, cùm unus idemq; sit utriusque cœnobii fondator ex Jona manifestè) Nicolaus Serarius in Not. ad Acta S. Kiliani. Gaguinus in Hist. Franc. de contemporaneis Columbano Regibus agens, Arnoldus Wion in Martyrolog. Benedict. ad 21. Novemb. Antonius Possevinus in suo Apparatu, Carolus Stengelius in Corona Lucida, Clemens Reynerus de Antiq. Benedict. in Anglia. pag. 147. Ericius Puteanus in Historia Insubrica de coevis Columbano in Italia Regibus loquens.

Versus in Columbani Festivitate ad mensam legendi

CLare sacerdos eluis almo fultus decore,
 Tuis Columba decus qui redoles in orbes
Monachorum cohortes te clarum dicunt Patrem,
 Te Sophistam proceres, tè vatem dixêre Reges:
Annuent decorata tuis factis præcepta,
 Religionis forma præbet nitorem sacra.
Sic virtutum decus, miles Christi in ævum
 Comptus haberis, sacris pandens præcepta dictis.
* f. Quæ * hic — *Quid tibi * his dignis æquantur in metallis.
 Vel comparantur Sanctis sæclorum gesta factis?
Non aureum caput Babylona Persarum
 Argenteus Darius Medus habuit priscus;
Nec Ceneus Macedo olim signavit bello,
 Vel sepultus salo Nilicola & Cenchris;
Nil dignum simile horum, gessêre gestis
 Smyrnæus Homerus, & Mantuanus Maro,
Non Pœnus Hannibal, non pernix Pollucendus,
 Non Marius, Catulus, Scipio, Scylla, Gracchus,
Non ferreus Cæsar, Bacchus, Numida, Ambro,
 Celtiberus, Scyta, Hyberus, & Sycamber.
Fertilis ut Cedrus, Palmaque poma præbens.
* MS. abrigum — Italiæ thesaurus tu gratus ut * obrizum
Tu Sabæorum grata thurea oles virga,
 Tu Balsama sudas virga Engaddi secta,
*f. Palmes inopacus — Tu * Palmatis opaca manes in vite vera,
 Tu oleum & pinguis diffundis ut olivas:
Tu lenitate polles, benignitate clares,
 Mystica rimando, intacta penetrando,
Ædificasti domum petrâ supra insertam,
* f Quam — *Quem olim mnium rerum firmavit Conditor
Quam supra quis positus manet firmus in ævum,
*f. Cui — *Quæ lapis angularis Chrysophrasus, Hyacinthus,

Sardonius

Horum Versuum, & Hymni sequentis authorem fuisse ipsum *Jonam* colligo ex sequentibus, ipsius proculdubiò uerbis, quæ habentur in volumine Ms Operum ejus de vita S. Columbani & discipulorum, unde illos primùm extraxi. *Hymnum* inquit *subdidi, quem ejus in transitu præcipiatis canere; quia primus, quem vobis nuper transmisi* (nempe præsens iste) *ejus virtutes continet.* Ex quibus verbis apparet, Jonam qui solutâ ante oratione Columbanum audaverat, voluisse quoqne nunc eundem metricè celebrare.

Sardonius, Smaragdus, Topasius, & Beryllus,
Chrysolytus & Jaspis, Sapphyrus, amethystus,
Chalcedon & Sardinus candida margarita,
Herilis Hierusalem positus fundamentum:
Tu mortuus vivis, dum vitam morte emis,
Tu damnanda perdis, dum carnis damna sentis:
Tu cruciando cares, dum Christi crucem geris,
Patriam dum fugis, ad Patriam tu redis:
Æterno sociaris Regi, dum reges contemnis,
Paradisi amœna tu penetras per ævum.
Possessurus læta virentia per rura
Quem Dominus virtutum coronavit amator.
Sedibus æternis te collocant suis,
Ibi canis jucundâ carmina voce sacra:
Jam capis thesauros, quos dudum recondidisti,
Commercio quos pio commutasti in sæculo.
Choros Angelorum cernis & Prophetarum,
Martyrum * candi datus catervas & justorum *f. Candidatas
Permixtus luce fulvâ his clares duce Christo,
Receptus tu in castris hoste sicâ perempto.
Dominum invenisti quem Jesum hic quæsisti,
Qui trophœum de mundo sic reddit triumphanti,
Graderis per viam, quam olim præparasti;
Quæ ducit ad æterna gaudia Paradisi:
Mundum sprevisti ut Messiam haberes,
Cum quo manes per æva sine fine futura.
Gloria Trinitatis semper canenda virtus,
* Præsentia per ævum & omnia futura. *f. Præstans

Alius Hymnus in transitu S. Columbani canendus.

NOstris solemnis sæculis refulget Dies inclyta,
Qua sacer cœlos *Columba* ascendit ferens trophœa:
Sed prius quàm eum mater in auras lucis ederet,
E sinu solem prospicit terris lumen diffundere;
Qui pòst altus Hiberniâ, sacro edoctus dogmate,
Gallica arva adiens, plebi salutem tribuit.
Ægri sanantur ocyùs, cautes producunt latices,
Piscis in usu præbetur, cedit imber à segete;
Prolemque capit sterilis, ales rapinam reddidit,
Farres horreo augentur, abscissa caro sospes est.
Tactus vidit, nec cernitur: sentit damna ergastulum:
Fugit pestis ab homine, quem dæmon sævus miserat.
Liger scapham retinet, ablata furto prodeunt,
Cœcusque lumen recipit, præbendo cibus augetur.
In escas alites veniunt, feræ jussis obediunt,
Fides patrare conscia novit quæ poscit omnia.
Gloria tibi Trinitas, æqualis Una Deitas.
Et ante omnia sæcula & nunc & in perpetuum.

Infrascrip.

Infrascriptos duos Hymnos transumpsi ex proprio officiorum S. Columb... ac successorum ejus Attalæ *&* Bertulphi, *quod in Bobiensi cœnobio adhuc extat; & quantum spectat ad Columbanum, etiam in Luxoviensi.*

HYMNUS AD VESPERAS ET NOCTURNUM

Actori mirabilium
Cantemus novum canticum,
Sublatâ cujus gratiâ
Nostra frustrantur merita,
Quibus ergo miraculis
Enituit in populis
Columbanus Sanctissimus
Dicamus in sequentibus.
Hunc paritura filium,
Vidit mater per somnium,
De sinu lucem surgere,
Et terris lucem fundere.
Hic factus alter Moyses,
Traxit de petra latices:
In colligendis messibus
Suspendit imbrem nubibus.
Corvus hunc despiciens,
Eliæ quamvis serviens,
Chirothecas, quas abstulit
Furtim, patenter attulit.
Pro bove quem necaverat
Ursus onus subierat,
Bovis implens officium
Jussu Patris ut proprium.
De trunco lapsus cuneus
Os frontis fregit protinus,
Quod Sanctus Dei famulus
Sputo sanavit citius.
Mundavit lepræ maculam,
Dæmonum fugans copulam:
Febricitantem fœminam
Sanat per fidei gratiam.
Patrata cujus gratiâ
Sunt tanta mirabilia
Nos & hunc locum protege
Rex in æternum Domine.
Præsta Pater piissime &c.

Ad Laudes Hymnus.

Dum messem Frater meteret,
Et digitum incideret,
Beati Patris precibus
Læsus sanatur digitus.
Paucis cervisiæ potibus
Et ex duobus panibus
Omnibus fit largissimus
Potus cibusque Fratribus.
Christi spirante gratiâ
Implentur promptuaria,
Ne panis à penuria
Fratrum periret copia.
Vas insufflatum solvitur,
Et per frusta dividitur,
Quo facto admirabili
Sunt stupefacti barbari.
Cantemus ergo pariter
Quod cantat David jugiter:
Mirabilis est Dominus
In suis sanctis omnibus.
Patrata cujus gratiâ
Sunt tanta mirabilia
Nos & hunc locum protege
Rex in æternum Domine.
Præsta Pater piissime
Patrique compar Unice
Cum spiritu Paraclyto,
Et nunc, & in perpetuum.

Antiphona ad Magnificat in secundis Vesperis

Columbanus Sacer, Sanctissimus, summus & egregius, Hiberniâ ortus, humatus ruribus Apenninis, intercedat pro nobis quæsumus ad Dominum.

Epitaphium S. Columbani tumulo Bobii inscriptum

S. Columbanus, Hibernus natione, Abbas & fundator Monasterii Bobiensis & aliorum plurium monasteriorum.

Antonius Possevinus in suo Apparatu recenset sequentia S. Columbani opera.

Commentaria in totum Psalterium
Epistolarum adversus Theodoricum Regem adulterum lib. 1.
Monasteriorum methodi lib. 1.
Carmen adversus avaritiam, excusum Basileæ ... Hæc Possevinus: ... addi possunt sequen

sequentia, ex quiqus ea solùm impressa sunt, quæ asteriscis consignantur.

Contra Arianos Mediolani lib. 1.
* *Piarum instructionum* lib. 1.
* *Regula monastica* *Primo omnium &c.*
* *Regula cœnobialis* *Statutum est fratres &c.*
* *Epistolæ variæ ad Romanos Pontifices.*
* *Epistolæ plures ad Gallicanos.*
* *Epistola ad suos monachos Luxovienses.*
* *De mensura pœnitentiarum* lib. 1.
De quæstione Pascha ad Arigium lib. 1.
De eadem ad Papam, ut arbitror, Gregorium lib. 3.
* *Poëmata varia*
Commentaria in Evangelia.

Multa alia, inquit Jonas cap. 2. *quæ ad cantum sunt digna, vel ad docendum utilia condidit dicta.* *De Commentario ejus super Psalmos, extant ibidem apud Jonam hæc verba:* Tantum ejus in pectore, *nempe Columbani*, divinarum thesauri Scripturarum conditi tenebantur, ut intra adolescentiæ ætatem detentus, Psalmorum librum elimato sermone exponeret &c. *Hoc opus ab Hartmoto monacho in annotatione librorum monasterii S. Galli ita signatur:*

Expositio S. Columbani super omnes Psalmos. vol. 1.

Ipse quoque in antiquo illius, ut credo, Hartmoti, Sangallensium codicum Inventario Ms. pergamineo idem annotatum reperi; sed in ipsa bibliotheca non extat; nec alibi facilè invenietur. Vidi quidem in monasterio Luxoviensi commentarium quemdam super Psalmos, elegantis satis stili, & Columbani ingenio, eruditioneque digne doctrinæ; sed authorem scire non licuit propter prima & ultima folia vetustate corrosa. Verba quædam absoleta Columbano usitata, ibi leguntur; sed hæc æquè alterius vetusti scriptoris esse poterat; unde nihil certi de præfati operis authore possumus adferre.

De epistolis illis contra Theodoricum scriptis nihil scire potui, præterquam, quod incerto rumore acceperim aliquid simile alicubi in Gallia extare, fortè Vesontione, ubi aliqui rebus S. Columbani vulgandis insudare dicuntur. Jonas cap. ultimo litterarum quoque ad Clotharium Regem per Eustasium transmissarum meminit. An methodus monasteriorum sit tractatus distinctus ab institutione monastica Columbani, complectente duas regulas infra ponendas?

Operis contra Arianos meminit Jonas cap. 29. contra quos, *inquit*, libellum florentis scientiæ dedit. *De editis super quæstione Pascha libris, mentionem facit ipsemet Columbanus in epistola sua ad Gallicanos, quam infra damus:* Quidquid, *inquit*, illi, *nempe Hiberni*, sentiunt de Pascha, sive Papæ per tres tomos innotui, & adhuc Sancto Fratri vestro Arigio, brevi libello, hoc idem scribere præsumpsi. *De tribus illis tomis accipienda puto, quæ de eadem materia loquens habet in Epistola ad Bonifacium, sequentis tenoris verba:* semel & bis Satanas impedivit portitores nostrorum ad bonæ memoriæ Papam conscriptorum Gregorium, olim apicum in subjectis positorum; qui tibi quoque offerendi, discutiendique à nostra transmittuntur vilitate. *Hæc ille quibus colligere licet, opus illud de Paschate pro sua traditionis defensione conscriptum, ab ipso ad S. Gregorium, probandum & examinandum primitùs transmissum.*

Commentaria quoque S. Columbani in Evangelia extitisse non ita pridem, si rectè memini, intellexi ex ipso Bobiensis cœnobii bibliothecario sene, qui & alia plura S. Columbani monumenta sub Paulo V. partim Romam, partim Mediolanum ex eodem monasterio transportata conquestus fuit; ex quibus pro memoria tanti Patris & fundatoris, tantum remansit (illius senis industriâ) codex ille, in quo infrascripti sermones continentur cum Regula monastica, & libro Pœnitentiarum. Item alius liber, in quo ipsius Sancti epistolæ aliquot collectæ extant, & huic fasciculo inferiùs insertas habes.

SANCTI

SANCTI COLUMBANI ABBATIS HIBERNI, MAGNI MONACHORUM PATRIARCHÆ, COENOBIORUM *LUXOVIENSIS IN BURGUNDIA, ET BOBIENSIS IN ITALIA,* ALIORUMQUE PLURIMORUM FUNDATORIS, REGULA MONASTICA

DESCRIPTA EX MS. CODICE MONASTERII BOBIENSIS, ET COLLATA CUM ALIIS EXEMPLARIBUS MSS. BIBLIOTHECÆ COENOBII OXENHUSANI IN SUEVIA, ET SS. AFRÆ ET ULDARICI URBIS AUGUSTANÆ.

BENEVOLO LECTORI.

HIc, Benevole Lector, reliquis quæ ſequuntur Opuſculis præmittendam duxi Monaſticam S. Patriarchæ Inſtitutionem, quæ pro priori parte etjam in codice Bobienſi, ex quo tranſumpta ſunt cætera ferè omnia, ordine prima eſt. Complectitur autem duos tractatus, qui etiam Regulæ dicuntur, ſed cum aliqua differentia. Prior namque in omnibus codicibus abſolutè & ſine reſtrictione S. COLUMBANI *Regula* inſcribitur: alter verò in codice Monaſterii Oxenhuſani, Ordinis S. Benedicti (in quo utraque Regula conjuncta, ut in Auguſtana ejuſdem Inſtituti SS. AFRÆ & ULDARICI

Cœnobio ſeparata reperitur) hunc præfert titulum: *S. Columbani Regula Cœnobialis*, ſeu *de quotidianis pœnitentiis Monachorum*. Itaque prima Regula continet vivendi normam, ſecunda ſtatuta quædam ad prioris obſervantiam ordinata. Unde hæc præſupponit illam, ſicut acceſſoria principalem, & ſub eadem cum ea unius regulæ & inſtitutionis communione & appellatione paſſim à Jona comprehenditur, ut infrà pleniùs oſtenditur, ſed prius de utraque ſeorſim loquamur.

2. Prima ergo Regula, ut ordine procedam, (quæ in MS. codice Bobienſi & Sant-Gallenſi ſola; in codice Oxenhuſano & Auguſtano ſimul cum illa cœnobiali habetur) in aliquibus codicibus, videlicet Oxenhuſano & Auguſtano, quatuordecim capitibus dividitur: In Bobienſi autem, cujus hic ordinem ſequimur, decem dumtaxat, quorum ſextum de ſynaxi, & ultimum de perfectione Monachi, alii codices omiſerunt. Quam capitum diverſam diſtributionem inferiùs ſuis locis adnotabimus, interim codicis Bobienſis diviſionem ſequamur. In hac itaque Regula ante omnia inſtar proloquii duo præcepta charitatis proponuntur. Capite primo *Obedientia*, quarto *Paupertas*, ſexto *Caſtitas*, funiculus triplex ruptu difficilis, religioſæ fundamentum ſtructuræ, & Evangelicorum conſiliorum primaria capita devotâ commendantur oratione. Capite ſecundo *Silentium*, tertio *Abſtinentia*, quinto *Humilitas*, ſeptimo *Orationum ordo Canonicus*, octavo & nono *Diſcretionis* & *Mortificationis* regula. Quibus omnibus velut clauſtralis obſervantiæ firmiſſimis munimentis nihil in antiquis Sanctorum Patrum Auguſtini, Baſilii, Pachomii, Benedicti, Monaſticis inſtitutis frequentius, nihil diſtrictius inculcatum reperitur, ut in Notis ad hanc Regulam plenius obſervabimus. Ad hæc autem non eſt prætereundum quàm concinnè ac ordinatè Vir ſanctus ultimum ſuæ inſtructionis capitulum, de perfectione Monachi ſtatui voluerit; perfectio namque Monachi meta & terminus quidam eſt, ad quem quotidianis profectibus contendere debet, donec illum attingat, & ideò non incongruè ultimum locum accepit, & ſupremum ſcalæ regularis gradum, finis cum principio pulchrâ conſonantiâ: qua nimirum à duobus charitatis præceptis inchoatus ſermo, in vitæ perfectione, velut in charitatis conſummatæ complemento, finitur: ex quo vel maximè hujus inſtitutionis præſtantia comprobatur. Hanc porrò Regulam editam invenies ex ſcriniis Bibliothecæ Sant-Gallenſis apud Melchiorem Himinsfeldium Goldaſtium in ſuis Paræneticis veter. ad lacum Acronium impreſſis, & apud Thomam Meſſingamum ex codice Bobienſi, qui caput ſeptimum de Synaxi ſeu curſu Pſalmorum, & ultimum de perfectione Monachi, quæ in Goldaſti deerant editione, reſtituit.

3. Altera illa Regula dicta Cœnobialis, quæ primam, de qua jam locuti

jam locuti sumus, infrà consequitur, extat in Codice Oxenhusano & Augustano: in illo quidem (ut supra tetigi) *S. Columbani Regula Cœnobialis*: in hoc autem, non S. Columbani, sed *Fratrum de Hibernia*, seu *Hiberniensium* inscribitur; qua de re infrà latiùs. In utroque quindecim capitibus distincta reperitur, quæ seorsim, Codex quidem Oxenhusanus ad finem; Augustanus autem ad initium collocavit; sed nos claritati studentes textui inserta, singula suis locis accomodavimus, & Præfationem, quæ in Codice Augustano præfigitur, seorsim post finem inter Notas posuimus, quòd ejus Authorem non credamus Columbanum; quodque in Codice Oxenhusano, cujus hic sequimur fidem, minimè reperiatur. Cæterùm inter priorem Regulam, & hanc Cœnobialem (quæ in Codice Oxenhusano conjunguntur) in exemplari Augustano interposita reperiuntur septemdecim magna folia, in quibus hæc habentur: *Epistola S. Columbani*, & *Sermo ejus ad Monachos*, quæ infra suis locis referuntur. *Regula S S. Pauli & Stephani*, 41. capitulis distincta; *Monita S. Macarii Abbatis*, & *Epistola ejus ad Monachos. Proverbialia S. Evagrii Episcopi*, *Regula Abbatis Pinnucii*. Quibus omnibus subjungitur dicta Cœnobialis cum præfixa Præfatione memoratâ, infrà ponendâ. Porrò hæc Regula dicitur in lucem edita à Carolo Stengelio Monacho Augustano in sua *Corona Lucida*; quem librum non vidi. Exemplar, quo utimur, nobis exhibuit cum Epistola & Sermone S. Columbani memoratis, R. Pater Stephanus Vitus Societat. Jesu Sac. Theologiæ Doctor, & Professor emeritus, antiquitatum suæ gentis Hibernicæ studiosissimus inquisitor, (Patri Mattheo Radero in sua Bavaria Sancta, ob uberem & accuratam rerum tam domesticarum, quàm externarum peritiam, meritò dictus Polyhistor) qui ex Codice Oxenhusano hanc Regulam descripsit, & cum illo Augustano studiosè contulit, ut ex variis infrà lectionibus ad marginem signatis conspicitur. Cæterum Notas quasdam ad majorem utriusque Regulæ claritatem in fine adjecimus, quibus id potissimùm contendimus, ut adductis variis antiquorum Patrum sententiis, & collatis ritibus hujus Institutionis cum illorum Monasticis Institutis & Regulis concordiam ostendamus; ut vel sic impietas refellatur Agrestii, qui plurima in hac sancta Regula à canonica institutione aliena contineri, ore sacrilego calumniari non timuit; de cujus repressâ impudentiâ infrà mihi prolixior habendus est sermo, ubi de doctrinæ hujus approbatione, & cœlestibus signis confirmata veritate agendum erit. Interim ipsam Regulam recitemus.

REGULA
S. COLUMBANI ABBATIS

(*a*) Primò omnium docemur (*b*) Dominum diligere ex toto corde, (*c*) tota * mente, totis viribus, & proximum sicut nosipsos, deinde opera. Math. 22. *Cod. Aug. *Anima.*

CAPUT I.
De Obedientia.

AD (*a*) primum verbum senioris omnes ad obediendum audientes surgere oportet, (*b*) quia obedientia Deo exhibetur, dicente Domino nostro JESU Christo: *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. (*c*) Si quis igitur verbum audiens non statim surrexerit, inobediens (*d*) judicandus. Qui autem contradixerit, (*e*) crimen incurrit. Ideò non solùm inobedientiæ reus est; sed etiam contradictionis aditum aliis aperiens, multorum destructor æstimandus est. Si (*f*) quis verò murmuraverit, & ipse tanquam non ex voto obediens, inobediens putandus est. Idcircò opus ejus abjiciatur, donec illius bona voluntas cognoscatur. Obedientia autem usque ad quem modum definitur? (*g*) usque ad mortem certè præcepta est; quia Christus usque ad mortem obedivit Patri pro nobis. Quam ipse nobis per Apostolum insinuat * dicendo: *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinavit formam servi accipiens, & specie inventus ut homo; humiliavit semetipsum factus obediens* Patri *usque ad mortem, mortem autem crucis.* Nihil itaque recusandum est obedientibus veris Christi discipulis, (*h*) quamvis durum & arduum sit, sed (*i*) cum fervore & lætitia arripiendum est. Quia si talis non fuerit obedientia, non erit acceptabilis Domino, *quia (*k*) ait: *Et qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus.* & ideo dicit de digno discipulo; *ut ubi ego * sim, ibi & minister meus mecum.*

* Alii Codices *dicens.* Philip. 2.
*Cod. San-Gal. *qui.* Luc. 14.
Joan. 17. * San-Gal. *sum.*

CAPUT II.
De Taciturnitate.

(*a*) SILENDI regula diligenter custodienda decernitur, quia scriptum est: *cultum autem justitiæ silentium & pax*: Et ideo ne reatus de verbositate conquiratur, (*b*) exceptis utilitatibus & necessariis, opus est ut taceatur, (*c*) quia juxta scripturam: *In multiloquio non deerit peccatum.* Idcircò Salvator ait: *ex verbis tuis justificaberis, * & ex verbis tuis condemnaberis.* Justè damnabuntur, qui justa dicere noluerunt cùm potuerunt: sed (*d*) mala, injusta, impia, inania, injuriosa, incerta, falsa, contentiosa, contumeliosa, turpia, fabulosa, blasphema, aspera, ac (*e*) flexicosa, loqui garrulâ verbositate maluerunt. Tacendum igitur de * eis & talibus, & (*f*) cum cautela & ratione loquendum est, ne aut detractiones, aut tumidæ contradictiones in loquacitate vitiosa prorumpant.

Proverb. 10.
Math. 12. * Codex S. Galli & August. *aut.*
* Alii Codices. *his.*

CAPUT III.
De Cibo, & Potu.

(*a*) CIBUS sit vilis & vespertinus, (*b*) Monachorum satietatem fugiens, & potus ebrietatem, ut & sustineat, & non noceat. (*c*) Olera, legumina, farinæ aquis mixtæ cum (*d*) parvo pane paxemati, ne venter oneretur, & mens suffocetur. Etenim utilitati & usui tantùm consulendum est æterna desiderantibus præmia. Ideo temperandus est * ita usus, sicut temperandus est labor. Quia hæc est vera discretio, ut possibilitas spiritualis profectus cum abstinentia carnem macerante retentetur. Si enim modum abstinentia excesserit, vitium, non virtus, erit:

* Alii Cod. *vita.*

erit: virtus enim multa sustinet bona & continet. Ergo quotidiè jejunandum est, sicut quotidiè reficiendum est: & dum quotidiè edendum est, vilius & parcius corpori indulgendum est. Quia ideo quotidiè edendum est, quia quotidiè proficiendum est, (e) quotidiè orandum est, quotidiè laborandum, quotidieque est legendum.

CAPUT IV.

De Cupiditate calcanda.

Galath. 6. (a) MONACHIS, quibus pro Christo mundus crucifixus est, & (b) ipsi mundo, cupiditas calcanda est. Nimirùm dum non solùm superflua eos habere damnabile est, sed etiam velle: quorum non census, sed voluntas quæritur: qui relinquentes omnia, & (c) Christum Dominum cum timoris cruce quotidiani sequentes, in cœlis habent thesauros. Idcircò dum in cœlis multum sunt habituri, * parvo extremæ necessitatis censu in terris debent esse contenti, scientes lepram esse cupiditatem Monachis (d) imitatoribus filiorum Prophetarum, ac (e) discipulo Christi proditionem atque perditionem, (f) Apostolorum quoque dubiis sectatoribus mortem. Ideò ergò (g) nuditas & facultatum contemptus prima perfectio est Monachorum: Secunda, vera purgatio vitiorum: (h) tertia, perfectissima Dei continuata dilectio, ac divinorum jugis amor, qui terrenorum succedit oblivioni. Quæ cum ita sint, paucis nobis opus * sunt juxta verbum Domini, aut etiam uno. Pauca namque sunt (i) necessaria * vera, *sine quibus non (k) transigitur*; aut etiam uno, quasi cibo juxta litteram. (l) Puritate autem sensus indigemus per gratiam Dei, ut intelligamus spiritualiter, quæ sunt illa pauca charitatis, quæ Marthæ à Domino * suggeruntur.

Math. 16.
* San-Gall. & Oxenhus. parvo &
Actorum 5.
* Alii Codices est.
Luc. 10.
* Alii Cod. veri.
Luc. 10.
* Oxenhus. commendantur.

CAPUT V.

De Vanitate calcanda.

(a) VANITAS quoque quàm sit periculosa, * brevibus demonstratur verbis Salvatoris; qui Discipulis hac lætantibus vanitate dixit: *Vidi Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem*: & Judæis aliquando se justificantibus * ait: (b) *Quod autem altum est hominibus, abominatio est in conspectu Domini*. His & illo Pharisæi famosissimo se justificantis exemplo colligitur, quòd interemptrix sit omnium bonorum vanitas & gloriatio elata (c) dum bona vanè laudata Pharisæi perierunt, & peccata Publicani accusata evanuerunt. (d) Non exeat igitur verbum grande de ore Monachi, ne suus grandis pereat labor.

* Alii Cod. breviter.
Luc. 10.
Luc. 16.
* Oxenh. & San Gall. dixit.

CAPUT VI.

De Castitate.

(a) CASTITAS vera Monachi in cogitationibus judicatur: cui nimirùm (b) cum Discipulis ad audiendum accedentibus à Domino dicitur: *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Dum enim * votum illius considerat ille cui consecratus est, verendum est, ne inveniat in * animo quod * abominatur. Ne fortè juxta sancti sententiam Petri (c) habeant oculos luxuriæ plenos atque adulterii. Et quid (d) prodest virgo corpore, si non sit virgo mente? * Deus enim spiritus in spiritu habitat ac mente, (e) quem immaculatum viderit, in quo nulla sit adultera cogitatio, nulla spiritus coinquinati macula, nulla peccati labes sit.

Math. 5.
* Alii cod. vultum.
* Alii Cod. * Anima. Oxenhus. abominetur.
* Al. Dominus.
Joan. 4. & 2. Corinth. 3.

CAPUT VII.

De Cursu.

(a) DE Synaxi ergo, id est, de cursu Psalmorum & orationum modo canonico, quædam sunt distinguenda, quia variè à diversis memoriæ de eo traditum est. Ideò juxta vitæ qualitatem, ac temporum successionem variè à me quoque litteris idem insinuetur. Non enim uniformis esse debet pro reciproca temporum alternatione; longior enim per longas noctes, breviorque per breves esse convenit. Inde & cum senioribus nostris ab 8. Calendas Julii cum noctis augmento sensim incipit crescere cursus à duodecim choris brevissimi modi in nocte Sabbati, sive Dominicæ, usque ad initium hiemis, id est, Calendas

Novembris; in quibus viginti quinque canunt Antiphonas Psalmorum ejusdē numeri duplicis, qui semper tertio loco succedunt Psaltis; ita ut totum Psalterium inter duas supradictas noctes numero cantent duodecim choris, cæteras temperantes tota hieme noctes. Qua finita per ver sensim per singulas hebdomadas terni semper decedunt Psalmi, ut duodecim in singulis noctibus tantum Antiphonæ remaneant, id est, quotidiani hiemalis triginta sex Psalmi cursus, viginti quatuor autem per totum ver & æstatem, & usque ad autumnale æquinoctium, id est 8. Calendas Octobris: in quo similitudo Synaxeos est sicuti in vernali æquinoctio, id est, in 8. Calendas Aprilis, dum per reciprocas vices paulatim crescit & decrescit. Igitur juxta vires consideranda vigilia est, maximè cum ab authore salutis nostræ jubemur vigilare & orare omni tempore, & Paulus præcipit *sine intermissione orare.* Sed quia orationum canonicarum noscendus est modus, in quo omnes simul orantes horis conveniant statutis, quibusque absolutis unusquisque in cubiculo suo orare debet. Per diurnas terni Psalmi horas pro operum interpositione statuti sunt à Senioribus nostris cum versiculorum augmento intervenientium pro peccatis primùm nostris, deinde pro omni populo Christiano, deinde pro Sacerdotibus, & reliquis Deo consecratis sacræ plebis gradibus, postremo pro eleēmosynas facientibus, posteà pro pace regum, novissimè pro inimicis, ne illis Deus statuat in peccatum quòd persequuntur & detrahunt nobis, quia nesciunt quid faciunt. Ad initium verò noctis duodecim Psalmi, ad mediumque noctis duodecim similiter psalluntur: ad Matutinum verò bis deni, bisque bini per tempora brevium, ut dictum est, noctium sunt dispositi, pluribus jam, ut dixi, nocti Dominicæ ac Sabbati vigiliæ deputatis. In quibus sub uno cursu septuaginta quinque sigillatim cantantur. Hæc juxta comunem dicta sunt synaxim. Sed vera, ut dixi, orandi traditio, ut possibilitas ad hoc destinati sine fastidio voti prævaleat; sive sua perfectio possibilitatis permittat, vel capacitas mentis illius cum necessitatum consideratione, vel vitæ qualitas possit admittere. Cui quantum uniuscujusque fervor exegerit, si liber ac solutus sit, aut eruditionis ejus quantitas postulaverit, aut status etiam, aut magnitudo studii, aut operum qualitas, aut ætatum diversitas permiserit. Ita variè licet unius rei perfectio æstimanda est, quia cum labore, ac loco vices partitur. Et ideo licet longitudo standi aut cantandi sit varia, unius tamen perfectionis erit æqualitas oranti in corde, ac mentis cum Deo jugis intentio. Sunt autem quidam Catholici, quibus idem est canonicus duodenarius Psalmorum numerum, sive per breves, sive per longas noctes: sed per quaternas in nocte vices hunc canonem reddunt, ad initium noctis, ad mediumque ejus, pullorum quoque cantus, ac Matutinum. Qui cursus sicut in hieme parvus aliis videtur, ita in æstate satis onerosus & gravis invenitur, dum crebris in noctis brevitate expeditionibus non tam lassitudinem facit, quàm fatigationem. Noctibus verò reverentissimis, Dominicæ scilicet, vel Sabbati, ad Matutinum ter idem volvitur numerus, id est, ter denis & sex Psalmis. Quorum pluralitas ac sancta conversatio hunc numerum canonicum multis dulci indixit suavitate, tanquam & reliquam disciplinam, sub * qua nimirum regulâ nullus invenitur lassus: & cum tanta pluralitas eorum sit, ita ut mille Abbates sub uno Archimandrita esse referantur, nulla ibi à conditione cœnobii inter duos Monachos rixa fuisse fertur visa; quod sine Dei ibi habitatione dicentis: *Ego in eis habitabo, & inter illos ambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus*, esse non posse manifestum est. Meritò itaque creverunt, & quotidie, Deo gratias, crescunt, in quorum medio Deus habitat: quorum meritis mereamur salvari à Salvatore nostro. Amen.

* Cod. mendosè quæ.

CAPUT VIII.

De Discretione.

(a) DISCRETIO Monachis quàm sit necessaria multorum error ostendit, & (b) aliquorum ruinæ demonstrant, qui sine discretione incipientes, & absque moderatrice scientiâ degentes vitam finire laudabilem non potuerunt. Quia sicut sine via tendentibus error evenit, ita sine discretione viventibus excessus in promptu est, qui semper virtutibus, in medio

medio inter utramque nimietatem positis, contrarius est. (c) Cujus impactio, periculi res est, dum juxta semitam discretionis directam inimici pravitatis offendicula, ac diversorum errorum scandala ponunt. (d) Orandus igitur jugiter est Deus, quò lumen veræ discretionis largiatur ad (e) illuminationem hujus viæ, tenebris sæculi utrimque obscurissimis circumdatæ, quo sui ad se sine errore veri adoratores (f) possint has evadere tenebras. Discretio igitur à discernendo nomen accipit, eò quod ipsa in * rebus discernit inter bona & mala; inter media quoque * ac perfecta. Divisa namque sunt ab initio, sicut lux & tenebræ, utraque; id est, bona & mala, postquam mala per diabolum (g) boni depravatione esse cœperunt; sed per * Dominum illuminantem prius, ac postea dividentem; inde Abel pius bona elegit, (h) Cain verò mala incœpit. (i) Bona fecit Deus cuncta quæ creavit; mala verò diabolus superseminavit dolosâ calliditate, (k) ac subdolâ ambitionis intutæ suasione. Quæ sunt igitur bona illa? Scilicet quę integra sunt, ac incorrupta, sicut creata, permanserũt; quæ solus creavit Deus & præparavit juxta Apostolum, ut in illis ambulemus; quæ sunt opera bona, in quibus in Christo JESU creati sumus; bonitas scilicet, integritas, pietas, justitia, veritas, misericordia, charitas, pax salutaris, lætitia spiritualis cũ Spiritus * fructu. Hæc omnia cum fructibus suis bona sunt. His verò contraria mala sunt, scilicet malitia, corruptela, impietas, injustitia, mendacium, avaritia, odium, discordia, amaritudo cum *fructibus eorum multiplicibus*, qui ab eis nascuntur. Innumerabilia enim sunt, quæ de utrisque contrariis, id est, bonis & malis procreantur. (l) Quod autem declinat à bonitate condita & integritate, hoc primùm malum est, * ut est (m) superbia malitiæ primæ, cui contraria est piæ bonitatis humilis existimatio, suum creatorem agnoscentis & glorificantis, quod est rationabilis creaturæ primum bonum. Sic & cætera per duplices sensim partes in immanem nominum silvam crevêre. Quæ cum ita sint, tenenda sunt fortiter bona, Dei habentibus auxilium, quod semper orandum est per prospera & adversa; ne aut extollamur in (n) prosperis in vanitatem,* aut dejiciamur in adversis, in desperationem. (o) Ideo continendum ab utroque periculo, id est, ab omni nimietate per temperantiam gloriosam & veram discretionem, quæ Christianę humilitati adhæret, & viam perfectionis * veris Christi militibus aperit; discernendo scilicet semper in dubiis rectè, ac inter bona & mala, ubique dividendo justè: sive inter utraque foris: sive inter corpus intus & animam: sive inter opera & mores: sive inter curam & quietem: sive inter publica & secreta. Mala itaque cavenda sunt similiter, superbia, invidia, mendacium, corruptela, impietas mala, (p) morum transgressio, gula, fornicatio, cupiditas, ira, tristitia, instabilitas, vana gloria, elatio, detractio. Bona quoque virtutum sectanda sunt, humilitas, benignitas, puritas, obedientia, abstinentia, castitas, largitas, patientia, lætitia, stabilitas, fervor, impigritia, vigilantia, taciturnitas: quæ per fortitudinem sufferentem, & temperantiam moderantem, quasi in quadam ponderatrice discretionis staterâ statuenda in actu sunt operis assueti * per (q) capitula conatus nostri, sufficientia ubique quærentibus: nam cui sufficientia non (r) sufficiunt, excessisse discretionis modum nulli dubium est, & quidquid ipsum modum excesserit, vitium esse manifestum est. (s) Igitur inter parvum & nimium rationabilis est in medio mensura revocans semper ab omni utrinquè superfluo in omni re posita, certum ubique necessitatis procurans, ac irrationabile superfluæ voluntatis declinans. Et hæc mensura veræ discretionis omnes nostros pondere trutinans justo actus, nequaquam nos deviare ab justo permittet; neque (t) si illam vice ducis per directum semper sequamur, errorem pati. Dum enim de utraque parte semper est continendum juxta illud dictum: *Continete vos a dexteris & sinistris*, in directum semper per discretionem tendendum est, id est, per lumen Dei, dicentibus sæpius, atque (v) Psalmistæ victoris versiculum cantantibus: *Deus meus illumina tenebras meas, quoniam in te eripiar in * (vv) tentatione: tentatio enim est vita hominis super terram.*

Marginal notes: *Al. Cod. nobis. — *Al. Cod. &. — Genes. 1. — *Al. Cod. Deum. — Genes. 4. — Genes. 7. — *Cod. Aug. fructibus. — *Al. Cod. quod. — *Al. Cod. neque. — *Al. Cod. veram. — *Cod. San-Gall. pro captu conatus. — Deuteron. 5 — *Cod. San-Gall. a tentatione.

CAPUT

CAPUT IX.

De Mortificatione.

(*a*) MAXIMA pars Regulę Monachorum mortificatio est: quibus nimirum per sacram Scripturam præcipitur: (*b*) *sine consilio nihil facias*; ergo si nihil sine consilio faciendum, totum per consilium est interrogandum. Inde etiam per Moysen præcipitur: *Interroga patrem tuum & annunciabit tibi; maiores tuos & dicent tibi.* Sed licet duris dura videatur hæc disciplina, ut scilicet homo semper de ore pendeat alterius (*c*) * certis tamen Dominum timentibus dulcis ac secura invenietur, * *&* si ex integro, & non ex parte conservetur. (*d*) Quia nihil incertius est conscientiæ securitate, & nihil securius animi impunitate, quam nullus sibi ipsi per se potest tradere, * quæ propriè aliorum est examinis. Hoc namque defendit à timore judicii, quod jam examinaverit judicantis censura, cui alieni ponderis imponitur moles, & totum (*e*) portat, quod suscipit, periculum: (*f*) majus enim, ut scriptum est, periculum judicantis, quàm ejus qui judicatur. (*g*) Quicumque itaque semper interrogaverit, si servaverit, nunquam errabit; (*h*) quia si alterius erraverit responsum, fides credentis & labor obedientis non errabunt. Neque mercede interrogati carebunt; nam si per se aliquid discusserit qui debuit interrogare, hoc ipso arguitur errasse, quod judicare præsumpsit, qui debuit judicari: & si rectum fuerit, (*i*) pravum illi reputabitur, dum per hoc à recto declinavit; quia nihil audet per se judicare, cujus officium est tantum obedire. Cum igitur hæc ita sint, cavenda ubique est Monachis superba libertas, ac vera humilitas discenda sine murmuratione & hæsitatione obedientibus, quò juxta Domini verbum jugum Christi suave & onus ejus leve sentiant. Alioquin donec Christi humilitatem discant, suavitatem jugi ejus, & oneris illius levitatem non sentient. Humilitas enim cordis requies animæ est, vitiis (*k*) ac laboribus fatigatæ, ac unicum illius de tot malis refrigerium. Et quantum ad hanc considerationem tota de tantis foris vagis (*l*) ac vanis * attrahitur, tantùm intùs requiescit & refrigeratur; ita etiam ut amara illi sint dulcia: * ac dura & ardua antè habita, plana ac facilia esse sentiat. Mortificatio quoque superbis ac * duris intolerabilis, illi fit * consolatio; cui hoc solum placet, quod humile ac mansuetum est. Sciendum autem est, quod neque hanc * martyrii fœlicitatem, neque aliud quid utile superveniens poterit perfectè complere quis, nisi qui in hoc studium singulare posuerit, ut non inveniatur imparatus. Si enim juxta hoc studium suas * aliquas sectari aut nutrire voluerit intentiones, continuâ interpositorum occupatione detentus, turbatus totus sequi quò jussio ducit, * gratusque semper non poterit; neque ut competit, complere potest qui turbulentus est & ingratus. Mortificationis igitur triplex est ratio, non animo discordare, (*m*) non lingua libita loqui, non ire quòquam absolutè. Suum semper est dicere (*n*) Seni quamvis contraria jubenti; *non sicut ego volo, sed sicut tu vis*; juxta exemplum * Salvatoris, qui & alibi ait: *Descendi de cœlo non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui me misit Patris.*

Eccles. 35.
Deut. 32.
* Al. *servù*.
* In al. Cod. *&* omittitur.
* Al. Codd. *quia*.
Math. 11.
* Ita alii codices ex quibus corrigendus Bobien. in quo *attrahatur*.
* In Cod. Oxenhus. deest *ac*.
* Cod. Aug. *consideratio* sed mendosè.
* Oxenhus. *elatu*.
* August. *materia*
* Al. *aliquis*.
* Al. Cod. *gratus*.
Joan. 5.
* Oxenh. & Aug. *Domini Salvatoris*.
Joan. 6.

CAPUT X.

De Perfectione Monachi.

(*a*) MONACHUS in Monasterio vivat sub (*b*) unius disciplina Patris, consortioque multorum, ut ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam: unus eum silentium, alter doceat mansuetudinem. Non faciat quod vult, comedat quod jubetur, habeat quantum acceperit, (*c*) operis sui pensum persolvat, subjiciatur cui non vult. Lassus ad stratum veniat, ambulansque dormitet; necdum expleto somno surgere compellatur. Passus injuriam taceat. Præpositum Monasterii timeat ut dominum, diligat ut parentem; credat sibi hoc esse salutare quidquid ille præceperit, nec de majorum sententia judicet, cujus officium est obedire, & implere quæ jussa sunt, dicente Moyse: *Audi Israel & * tace.*

Deut. 67.
* Codex mendo. *reliqua*.

ANNOTA-

ANNOTATIONES.

(a) PRimo omnium &c. Hoc quod Codex Bobiensis Præfatiunculæ loco præfert; alii tres Codices, videlicet San-Gallensis, Oxenhusanus, & Augustanus, additis ex primo capite de *obedientia* unâ vel alterâ clausulâ, caput primum Regulæ inscribunt sub hoc titulo : *ut primum sit diligendus Deus, deinde proximus, & de obedientia admonet.* Finitur autem hoc caput cum illis verbis : *Qui vos audit me audit.* Cæterùm hac sua præfatione S. Columbanus secutus est exemplum S. Augustini, qui duo illa charitatis præcepta suæ regulæ præmisit. *Ante omnia,* inquit, *fratres charissimi diligatur Deus, deinde proximus, quia ista præcepta sunt principaliter nobis data.* Sanctus quoque Basilius Magnus Orientalium Monachorum Patriarcha cap. 1. de institut. Monach. ab iisdem tanquã à duobus primis & magnis mandatis in lege sermonem exorsus est. Alii tres memorati Codices, *primum omnium.*

Lucæ 10.

(b) *Dominum diligere.* Codex vetustissimus à septingentis & amplius annis conscriptus, hic à Goldastio relatus habet *Deum,* sicuti etiam Sant-Gallensis. Alii verò cum nostro Bobiensi *Dominum.*

(c) *Tota mente.* Codex Oxenhusanus *ex tota mente, & ex totis viribus, & proximum tanquam nosmetipsos.* Et omissis illis verbis: *deinde opera.* immediatè subjungit : *deinde ad primnm verbum* &c.

IN CAPUT I.

(a) AD *primum verbum.* Codex Aug. *audiendum verbum.* Hic promptitudo obsequendi, qui est primus perfectæ obedientiæ gradus, commendatur. De quo vide S. Benedictum in reg. c. 5. & S. Bern. Serm. de virt. obed. Hujus rei legitur exemplum in vita Marci Monachi, qui quondam die ab Abbate suo Silvano vocatus, litteram, quam scribebat, imperfectam reliquit. Quò alia multa spectantia brevitatis studio prætermitto.

(b) *Quia obedientia.* Non *qua,* ut mendosè Cod. Oxenhusanus. Hanc eandem promptæ obedientiæ rationem, quòd scilicet Deo exhibeatur, adfert S. Benedictus citatus, & S. Bern. de præc. & dispens. cap. 12. aliique multi.

(c) *Si quis igitur.* Cum his verbis in aliis tribus Codicibus incipit caput 2. hujus Regulæ sub hac inscriptione : *De inobediente & contumace.*

(d) *Judicandus.* In San-Gallensi, & Oxenhus. additur *est.* Sed in Augustano utrumque deest.

(e) *Crimen incurrit.* Alii tres Codices: *contumaciæ crimen incurrit & ideo* &c. Hic punitur Monachus, qui non cum humilitate, & submissione, qui est secundus acceptabilis obedientiæ gradus, jubentis excipit imperium. De quo S. Benedictus & Bernardus citati.

(f) *Si quis vero murmuraverit ; & ipse tanqnam non ex voto obediens* &c. Ad hęc verba incipit in aliis Codicibus cap. 3. cum hac inscriptione: *De murmurante: & qui non ex voto obedit.* Hic perstringitur Monachus, qui non simpliciter & libenter obedit : qui sunt alii duo à prioribus distincti obedientiæ gradus. Primus attenditur in eo, quod obediens non hæreat examinando vel discutiendo superioris mandatum : *Nihil,* inquit Hieronymus ad Rust. *discernens, nihil dijudicans ex iis, quæ tibi fuerint imperata ; sed cum omni simplicitate ac fide obedientiam semper exhibeas.* Vide Cæsarium homil. 8. ad Mon. Basil. constitut. Mon. c. 20. & 23. Greg. cap. 2. in 1. Reg. Alter verò gradus, quo libenter, seu ex voto quis obedientiam exhibet, tangitur à S. Benedicto capite superius allegato, & S. Bernardo in cit. sermone, qui spontaneæ & hilaris obedientiæ recenset indicia.

(g) *Usque ad mortem certe præcepta est.* In Codice Augustano deest *certe.* Hic est apud S. Bernardum serm. cit. septimus obedientiæ gradus, quo nimirum constanter in obedientia persistitur. *Mementote,* inquit, *Fratres, Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam.*

(h) *Quamvis durum sit & arduum.* Codex August. *asperum ac arduum.* Imò quamvis esse humanitùs impossibile solebant antiqui Monachi obedientiæ zelo incensi parere, ut colligitur ex Cassiano

ſiano l. 4. c. 10. & S. Benedicto cap. 68. reg. ubi ſuadetur ut gravia aut impoſſibilia imperanti de adjutorio Dei confidens Monachus obediat. Cujus rei varia leguntur apud antiquos exempla. Ex quibus eſt illud de Mauro Monacho, qui ad vocem S. Benedicti ſuper aquas ambulavit. Et illud de Joanne diſcipulo Pauli Abbatis, qui ex imperio magiſtri leonem alligatum ad ipſum adduxit. Vide Caſſ. l. 4. inſtit. c. 24. Sulpit. dial. 1. de vita S. Martini, S. Greg. l. 3. dial. c. 9. & Jonam cap. 11. & 12. vitæ S. Columbani, apud quos plura huc ſpectantia.

(i) *Sed cum fervore & lætitia.* Alii Codices ultimo verbo præmittunt ſecundum *cum*. Hîc duos alios acceptabilis obedientiæ gradus exprimit; quorum alterum, nempe hilaritatem, confundit S. Benedictus cum eo, quod eſt, *libenter* obedire. Obedientia igitur ſuis à S. Columbano Monachis præſcripta, debet eſſe celer, humilis, ſimplex, voluntaria, conſtans, fervens, ſeu virilis, & hilaris. Quos ſeptem gradus ſeu conditiones pulchrè declarat memoratus ſupra Bernardus, licet non eo ordine, quo hîc Columbanus. Sanctus autem Benedictus cap. 5. reg. quinque dumtaxat recenſet, nempè celeritatem, ſtrenuitatem, ſimplicitatem, humilitatem. De quibus vide Turrecrē. ad idem cap. Sed hæc facilè conciliantur, propter nimiam horum graduum inter ſe propinquitatem; nam ad ſtrenuitatem reduci poſſunt fervor, & conſtantia, quæ ſupra Benedictum numerat Columbanus & Bernardus.

Obedientia quam ſuis Monachis præſcripſit S. Columbanus, ubi de Obedientiæ gradibus.

(k) *Domino quia ait.* Codex San-Gallenſis & Oxenhuſanus *qui ait.* Auguſtanus autem, *Deo qui ait.* Ex quibus colligitur ibi per mendam irrepſiſſe, *quia*, licet eo retento perfectus maneat ſenſus.

IN CAPUT II.

(a) SIlendi, ſeu ut alii Codices habent *ſilentii regula diligenter cuſtodienda decernitur.* Ab hoc loco incipit in aliis Codicibus caput quartum *de ſilentio* inſcriptum. In quo primum Sacræ Scripturæ teſtimoniis & ratione ad ſilentium inducit; deinde enumerat illa, à quibus ſit ſilendum. Quæ tria eodem ordine S. Benedictus cap. 6. reg. proſequitur. Poſtremò modum in loquendo ſervandum ſubjicit.

(b) *Exceptis utilitatibus &*, vel ut habet San-Gallenſis Codex, *ac neceſſariis, opus eſt, ut taceatur.* Quia quando loci vel temporis opportunitas invitat, non eſt ab utilibus & neceſſariis pro amore ſilentii abſtinendum, *ne proximorum mentem & fraternam charitatem*, (ut pulchrè inquit Laurentius Juſtinianus converſ. mon. c. 15.) *quæ ſilentio maior eſt, offendant.* Vide pulchra apud eundem loco cit. de diſcretione in loquendo ſervanda.

(c) *Quia juxta Scripturam, in multiloquio non deerit peccatum.* Hic rationem aſſignat propter quam ſit ſilendum, quam eodem cap. latè deducit memoratus Laurentius, mala quæ ex multiloquio naſcuntur enumerans. Climacus item ad hoc præclarè loquitur gradu 11. loquacitatis malis opponens ſilentii fructus, & S. Benedictus capite citato.

(d) *Sed mala, iniuſta, &c.* Hic recenſet ea, à quibus abſtinendum eſt inter loquendum. Quæ omnia reduci poſſũt ad quatuor capita. Vel enim quæ malè dicuntur ſunt contra decentiam & honeſtatem; & ſic ſunt inania, ſeu otioſa, fabuloſa, hoc eſt riſum moventia, & turpia; vel ſunt contra veritatem, quæ ſemper in dictis obſervari debet: & ſic ſunt *incerta, falſa, flexuoſa*; vel ſunt contra charitatem proximi: & tunc ſunt *iniuſta, iniurioſa, contumelioſa, aſpera.* Vel denique ſunt contra reverentiam Deo & Sanctis debitam: & ita ſunt *blaſphema.* De tribus primis quæ magis ſunt ad propoſitũm, quia interdum, etiam Religioſorum & Monachorum colloquiis commiſcentur, videri poſſunt S. Benedictus cap. 6. reg. & 16. Turrecrem. tract. 57. S. Baſilius conſtit. mon. cap. 13. Hieronymus cap. 8. ad Demetriad. S. Bernard. l. 2. de conſid. c. 13. Clemens Alexand. l. 2. Pædag. c. 5. S. Chryſoſtomus hom. 17. in Epheſ. 5. Laurentius Juſtinianus converſ. Mon. cap. 15. & alii numeri. Quibus accedit quod Concilium. 4. Carthaginenſe c. 60. & refertur à Gratiano cap. *clericum.* diſt. 46. *clericum ſcurrilem, & verbis turpibus ioculatorem ab officio retrahendum cenſet.* Alia, quia ſatis omnibus nota prætereo.

Mala quæ in loquacitate nimia intercurrunt.

(e) *Ac flexuoſa loqui.* Alii tres Codices

dices

dices antè memorati habent *afflictuosa*, hoc est, opinor, afflictiva, quia nimirum affligunt vel vexant; qui sensus satis etiam cohæret reliquæ sententiæ. Nihilominus nos Bobiensis Codicis lectionem sequemur, in quo *flexuosa*, idem sonat quod verba duplicia, vel dolosa.

(f) *Cum cautela & ratione loquendum est.* Hic modus in loquendo servandus præscribitur; qui ex debitis circumstantiis loci, temporis, & personæ regulatur. vide S. Ambrosium l. 1. offic. & S. Gregorium in Prov. 15. Laurentium supra citatum & alios.

IN CAPUT III.

(a) *Cibus sit vilis & vespertinus.* Hæc verba reperiuntur etiam in epistola S. Hieronymi ad Paulinum. Ad ea autem in aliis Codicibus incipit caput quintum *de abstinentia* inscriptum: in quo quidem capite cibi qualitas, quantitas, & tempus ac discretio in eo sumendo præscribuntur. Cibi quidem qualitas in generali notatur, cum dicitur, *vilis*, & tempus, cum additur *vespertinus*, quo videtur Columbanus unicam tantum suis Monachis in die refectionem concessisse. Quæ consuetudo abstinendi apud nonnullos antiquos viguisse legitur, de quibus Climacus grad. 14. & ex Philone Eusebius lib. 2. histor. cap. 16. qui de Ascetis Alexandrinis Monachis à Marco Evangelista institutis refert, quod *cibum aut potionem ante solis occasum nemo illorum capiebat.* Quod etiam de S. Antonio tradit Athanasius, & de Hilarione scribit Hieronymus. Meminit etiam hujus consuetudinis Cassianus coll. 2. c. 26. eam non ita probans. Alii verò Monachi, maximè Benedictini, tempore tantùm Quadragesimali hanc consuetudinem observabant. In aliis verò jejuniis extra Quadragesimam ad horam nonam cibum sumere solebant, ut colligitur ex S. Benedicto, qui cap. 41. Reg. de refectionis tempore ita scribit: *A sancto Pascha usq; ad Pentecosten ad sextam reficiant fratres, & ad serum cœnent. A Pentecoste autem tota æstate, si labores agrorum non habent Monachi, aut nimietas æstatis non perturbat, quarta & sexta feria ieiunent usque ad nonam; reliquis vero diebus ad sextam prandeant.* Et infra. *Ab idibus autem Septembris usque ad caput* Quadra*gesimæ ad Nonam semper reficiant. Ab initio verò Quadragesimæ usque ad Pascha ad vesperam reficiant.* Huc etiam spectant verba Sancti Bernardi Sermone 3. de Quadragef. *usque ad nonam ieiunavimus soli, nunc usque ad vesperam ieiunabunt nobiscum pariter universi reges & principes*, &c. Ex quibus satis apparet in jejuniis aliis extra Quadragesimā horam nonam, hoc est, tertiam pomeridianam, in jejunio verò Quadragesimali vespertinam refectioni assignatā fuisse antiquitùs. Cæterùm an allatis suprà verbis intenderit Columbanus suis Monachis unicam tantùm, eamque vespertinam cum illis Ascetis Alexandrinis in die refectionem permittere, videtur hic ulterius investigandum. Qua in re cuipiam forsan videri posset, illa verba non esse generaliter de quocumque, sed de Quadragesimalis dumtaxat abstinentiæ tempore intelligenda, quo ad vesperam refectio differri consueverat, ut jam dixi. Vel certe, si generaliter de quolibet die prolata accipiantur, non esse præcepti, sed consilii. Verùm consideratis his, quæ hic & alibi apud hunc Sanctum habentur, nulla videtur germanior, & scribentis intentioni conformior istorum verborum, & aliorum eò spectantium hujus capitis interpretatio, quàm quòd per illa non voluerit excludere Columbanus binam in die extra jejunii tempora refectionem; sed illam aliquorum antiquorum Monachorum triduanam, vel biduanam abstinentiam (de qua Cassianus lib. 5. instit. c. 5. tanquam periculosam & minus discretam, volens quòd Monachi sui ad minus semel in die in communi; si non mane vel in prandio, saltem vesperi sese reficerent, ac per hoc illis verbis statuit, ut cibus sit saltem vespertinus, non vetans etiam jungi matutinam refectionem, videlicet prandium, quod cuique sumere liberum reliquisse videtur. Et quod hæc sit mens Columbani, videtur ex contextu posse colligi; nam subdit præfatis verbis, illius ordinationis rationem, *ut & sustineat*, inquit, nempe cibus *& non noceat*; *sustineat*, si videlicet semel saltem in die sumatur, *& non noceat*, si in quantitate & qua-

Monachi qui non ante solis occasum cibū sumebant?

Tempus refectionis apud Benedictinos.

An Columbanus binā in die suis Monachis refectionem permiserit.

litate moderatio servetur. Item infrà subdit, quod *si modum abstinentia excesserit, vitium, non virtus erit*; hoc est, si plus debito, & diutius quis abstineat à cibo, quàm vires permittunt. Denique concludit, quod *ideò quotidiè edendum est, quia quotidiè proficiendum est*, &c. In quibus omnibus id potissimùm contendere videtur, ut corporis refectio ad spiritualem profectum necessaria, ad biduum vel triduum non protelettur, sed quotidiè semel ad minus adhibeatur. Per quod tamen non est intelligendum quin aliqui in particulari (quibus videlicet Dominus ad hoc gratiam & fortitudinem dedisset) biduanæ, vel triduanæ abstinentiæ rigorem ad ipsius S. Columbani exemplum, exercere potuerint: quia quæ hic habentur, non ad ullos in particulari, sed ad communitatem informandam directa sunt à Columbano. Et quidem quòd suis Monachis vir sanctus nequaquam auferre voluerit licentiam bis in die cibum sumendi, satis clarè colligitur ex capite 13. Reg. cœnob. ubi Monacho ante horam nonam quartâ sextaque feriâ manducanti, jejunium biduanum in pane & aqua injungitur; quo manifestè datur intelligi, aliis diebus licitum fuisse ante nonam cibum sumere, hoc est, prandere; & insuper minimè fuisse necessarium expectare vesperam, cum in diebus jejuniorum, & in aliis à fortiori, permittatur citato capite refectio ad horam nonam. Ex quibus satis apparet scopus intentus hic à Columbano per illa verba & alia ejusdem capitis ad idem spectantia.

(b) *Monachorum satietatem fugiens, & potus ebrietatem*, supple *fugiens*. potus enim ibi non est obliqui, sed recti casus. Hîc moderationem præscribit in cibi quantitate servandam, quæ juxta Cassian. coll. 2. c. 23. in Monacho talis esse debet, ut *quotidianam panis refectionem quotidiana comitetur esuries*. de quo vide Fulgentium ad Probum & S. Benedict. cap. 39. Reg. & ibi Turrecrem.

(c) *olera, legumina*, &c. Hîc cibi qualitatem in particulari determinat, ubi carniũ esum videtur excludere, quibus antiqui Monachi minimè vescebantur, ut colligitur ex cap. *carnem* de consecr. dist 5. ubi habetur quod *carnem cuiquam monacho nec gustandi nec sumendi est concessa licentia*. Item extra. de stat. Monach. cap. *cum ad monast*. esus carnium tam intra, quàm extra refectorium Monacho prohibetur, nisi in infirmitorio. vide S. Benedictum cit. cap. Cæterum olera, legumina, & id genus alia suis Monachis præscribit, tanquam cibum apparatu facilem, carni domandæ aptum, pretio vilem, & usu communem, ut docet Hieron. contra Jovin. l. 2. qualis cibus maximè monachum decet juxta Cassian. l. 5. Instit. c. 23. vide S. Bernardum in apol. ad Guiliel. Abbat. de superflua præparatione ciborum. & Turrecrem in cap. 39. Reg. S. Benedicti tr. 102. Dictis hîc non est credendum obstare quod refert Jonas cap. 26. vitæ S. Columbani, ipsum cum Monachis suis in Helvetia avium carnes in cibum sumpsisse. Quia, ut ibidem narrat Jonas, post triduanam abstinentiam, velut jam in necessitate constitutis, nec habentibus aliunde, quo fessa corpora reficerent, divina bonitas dapes illas suis famulis cœlesti miraculo transmisit; quas posteà frumenti submisso præsidio amovit. Cujus voluntati contra suas etiam constitutiones & consuetudines ipsi oblatum cibum sumendo, sese conformare poterant & debebant. Neque ex tali facto sequitur carnium apud ipsos usum fuisse quotidianum aut communem.

Esus carnium Monachis olim interdictus.

(d) *Cum modico pane paxemati*, seu, ut alii Codices habent, *paxemate*. Ubi sciendum quod paxemas, sive paxamacium, ut scribit Ephrem Syrus c. 10. de virt. vel, ut legit Cassianus coll. 2. c. 19. *paximacium*, aut, ut aliis placet *paxamadium* intelligebatur apud antiquos parvus panis bis coctus dimidiæ libræ, hoc est, sex ferè unciarum mensura. Colligitur ex Cassiano coll. 2. c. 19. qui de duobus paximaciis loquens, *quos parvulos panes*, inquit, *vix libra unius pondus habere certissimum est*. Nicolaus Rigaltius in Glossario suo Tactico mixobarbaro non improbabiliter existimat paximacium à Paxamo cupediario sic dictum, qui, teste Suida, de arte culinaria ordine alphabetico scripsit. Varia & frequens paximacii mentio apud antiquos invenitur. Ruffinus l. 3. n. 31. *tantum unum paximatium & quinque olivas in cibo capiebat*. Joannes lib. 3. n. 2. *posuit super mensam tres paximates*. Pelagius l. 4. n. 25. *rapui unum panem paximatem*. Præter quos & alios ex vitis Sanctorum Patrum

Paximacium quid, & unde dictum.

Patrum, hac de re videri possunt Ephrē Syrus de virt. c. 10. Cassianus coll. 2. c. 19. & coll. 12. c. 15. ac alibi passim. Leo Imp. in Tacticis cap. 10. §. 13. Ipse quoque Columbanus infra in Reg. cœnob. cap. 10. Denique Cumeanus in suo Pœnit. cap. de fornicat. & alii multi. Paximates dicti etiam leguntur panes sicci. Ruffinus lib. 2. cap. 7. in vita Apollonii: *Erant autem eis pauci tantummodò & sicci panes.* item lib. 3. n. 19. *Nihil in ea vidit, nisi paucos panes siccos in sporta pendentes.* Pelagius lib. 10. n. 97. *Et apposuit eis panem siccum & aquam & sal.* vide Palladium cap. 52. vitæ Apoll. & Joannem libel. 3. n. 2. Oriebatur autem hęc siccitas in his ex recoctione (erant namque hi panes bis cocti, ut eos vocat Hesychius & suprà tetigi) & quia hinc nonnihil duriores, ideò eos comestuᵣi solebant aquâ madefacere & macerare. Unde Palladius cap. 28. *Et imponit mensa quatuor paxamadia sex unciarum: & sibi quidem unum madefecit, erant enim sicci, illi autem tres.* vide Ruffin. lib. 2. n. 4. & l. 3. n. 19. Cæterùm quantæ fuerit unum paximacium mensuræ vel ponderis, non est ita certum. Aliqui existimant fuisse unius libræ, & ita intelligunt verba Abbatis Moysis apud Cassianum coll. 2. cap. 19. *Æquissimum modum in duobus paximaxijs statuerunt: quos parvulos panes vix libra unius pondus habere certissimum est.* Verùm non de singulis paximaciis seorsim, sed de ambobus junctim hæc verba esse accipienda probat Lessius in libro de rat. conserv. valetud. & Gazæus in Notis ad hęc ipsa verba, & colligitur ex ipsius Cassiani mente, qui in citato capite intendebat exprimere quanta esset mensura panis, seu portionis quotidianæ Monachorū, quæ duobus paximaciis constabat; non quanta singulorum paxematum. Nam de mensura diurna agebatur. Vide alia huc spectantia argumenta apud Gazæum loc. cit. Duos ergo hujusmodi parvos panes pro diurnę portionis mensura sumebant Ægyptii Monachi, teste Cassiano in cit. coll. & l. 4. instit. c. 14. quos præferebant solis leguminibus, aut pomis, &c. Columbanus autem mediam tenens viam, pani paxemati olera, legumina &c. adjecit in obsonium, in hoc S. Benedictum imitatus, qui cum una per diem panis librâ, duo vel tria Monachis suis pulmentaria concessit. Vide plura de paximacio apud Heribertum Rosweydum in sua Onomast. ad vitas SS. Patrum, & Gazæum citatum; Himinsfeldium & alios.

Paximacia quia sicca solebant in aqua intingi

Quanta paximacii mēsura.

Quanta portio panis antiquis Monachis assignabatur

(e) *Quotidiè orandum.* Hæc verba in aliis codicibus desunt, & ita habent hanc sententiam: *Quia ideò quotidiè edendum est, quia quotidiè proficiendum est, sicut* quotidiè est orandum, quotidieque est legendum*; vel ut habet Codex Oxenhusanus, *quotidie est legendum.*

*Cod. Aug. quotidieque.

IN CAPUT IV.

(a) M*Onachis quibus* &c. Hic incipit in aliis codicibus caput sextum *de paupertate & de cupiditate calcanda* inscriptum. In quo strictam, non solum externam rerum, sed etiam internam mentis paupertatem inculcat, ad hoc futurorum spe præmiorum inducens, & tremendis aliquorum cupidorum exemplis. Postremò tres Monachi perfectionis incidentaliter enumerat.

(b) *Et ipsi mundo.* Ita codex Augustanus: ex quibus corrigendi Oxenhusanus & San-Gallensis qui habent: *& ipsis mundi cupiditas* &c.

(c) *Christum Dominum.* Ita San-Gallensis & Augustanus, sed Oxenhusanus, *Christum pauperem.*

(d) *Imitatoribus filiorum prophetarum.* Concordat Codex Augustanus, sed alii duo omittunt *filiorum.*

(e) *Discipulo Christi proditionem atque perditionem,* non *proditione atq; prodititone,* sicut mendosè scribitur in nostro contra alios Codices, qui priori modo habent. Discipulus iste fuit Judas proditor, quem ad tantum facinus in suam perennem perniciem impulit avaritiæ cupiditas, ut eleganter etiam observavit Cassianus l. 7. instit. cap. 23.

(f) *Apostolorum quoque dubiis sectatoribus mortem.* Hic horrendum Ananiæ, & Saphyræ perstringit interitum, de quibus Actor. 5. quem ita breviter describit Basilius: *Pradium suum vendiderat* (Ananias;) *pretium attulerat, idque ante Apostolorum pedes statuerat: attamen quod partem de eo clam malitiosè compilasset, propterea eodem ipso tempore unà cum uxore, morte afficitur.* An autem Petrus Apostolus hujus mortis suâ imprecatione author

Mors Ananiæ & Saphyræ cœlitus inflicta, cupiditatis & avaritiæ stipendium extitit.

author extiterit, an solùm prænuncius, controvertitur inter Sanctos Patres, sicut & alia de his quæstio, qua dubitatur, an hi unà cum temporali carnis interitu æternam etiam spiritus mortem incurrerint. Sed horum disquisitio non est hujus loci; nostro siquidem instituto satis est, pœnam illam, sive corporalem solam, sive etiam spiritualem animę, sive Petri increpatione, vel maledictione inflictam, ut videtur velle Cassianus lib. 7. instit. cap. 15. & c. 25. Author libri de mirabil. Sac. Script. inter opera D. Augustini, & Gregorius lib. 2. Dialog. c. 30. & 31. aliique plures; sive Angelico ministerio divinii arbitrii sententiam exequentis illatam, ut malunt alii, immodicæ cupiditatis extitisse stipendium, & mentis avaræ vindictam. Qui hæc scire desiderat, legat præter adductos, Originem tr. 8. in Matth. Hieronymum Epist. 8. Augustinum contra Parmenianum lib. 3. c. 1. Petrum Damirnum lib. de contemptu sæculi, V. Bedam & alios Sanctos Patres, de quibus videndus Gazæus ad lib. 7. instit. cap. 25. & Baronius ad an. Christi 34. & Expositores in Act. 5.

(g) *Nuditas & facultatum contemptus prima perfectio est monachorum.* Tres perfectionis hic à Columbano recensitæ continetur illis verbis Salvatoris Matth. 19. *si vis perfectus esse, vade & vende omnia qua habes, & da pauperibus, & sequere me. Facultatum contemptus* quæ est prima ibi: *Vade & vende omnia* &c. *Purgatio vitiorum,* seu, ut habet Codex August. *peccatorum,* quæ est secunda, *& Dei continuata dilectio* &c. quæ est tertia ibi: *sequere me.* Qui enim sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis suis; & insuper ambulant in dilectione Dei, unus cum eo spiritus effecti, & proximi, sicut Christus dilexit nos, & lavit nos in sanguine suo.

Facultatum contemptus prima Monachi perfectio.

Galath. 24.

Apocal. 1.

(h) *Tertia, perfectissima* &c. Alii Codices: *Tertia verò,* nihilò melius quàm noster codex.

(i) *Sunt necessaria vera.* Ita Codex August. alii Codices *verè.*

(k) *Sine quibus non transigitur.* Ita August. sed San-Gall. & Oxenhus. *vita non transigitur.* Sic quidem clarius; sed priori etiam modo sensus consistit, *transigitur* namque sumitur ibi neutraliter, idemque sonat, quod *vivitur.*

(l) *Puritate autem sensus indigemus* &c. Sic quidem Oxenhusanus & San-Gallensis Codex. Verùm multò correctius Augustanus. *Puritatem autem sensus indagemus per gratiam Dei* &c.

IN CAPUT V.

(a) *VAnitas quoque quàm sit periculosa* &c. Hic incipit apud alios Codices caput septimum; In quo duobus Sacræ Scripturæ testimoniis, & Pharisæi se justificantis exemplo, ostendit cęnodoxiam, seu vanam gloriam, summoperè fugiendam. De quo vide Basil. constit. c. 10. Climacum grad. 21. Cassianum l. 11. instit. de cenodoxia, & lib. 12. ubi de superbia fusè, & alios passim Patres, quorum de hac re loquentium libri sunt pleni.

(b) *Quod autem altum est hominibus.* Codex Oxenh. & San-Gall. *in hominibus;* August. *quod enim aptum est hominibus.* Prima lectio vulgatior pariter & correctior.

(c) *His & illo Pharisæi famosissimo se iustificantis exemplo.* Cod. San Gall. *ex his & illo Pharisæi* &c. Oxenhus. *Hoc & illius Pharisæi famosissimi se justificantis exemplo.*

(d) *Dum bona vanè laudata Pharisæi perierunt.* Noster Codex Bobiensis *perierint.* Sicut & infra *evanuerint.* Quæ ex aliis Codicibus emendavimus, qui omnes habent, *perierunt, evanuerunt.*

(e) *Non exeat igitur verbum grande de ore Monachi.* Verbum grande hic intelligitur verbum ostentationis seu jactantiæ, quod fœtet in ore proprio: *Nihil est,* inquit Valerius Maximus l. 2. *quod magis minuat laudis præconium, quàm suos assiduè jactare successus, & singulis diebus anni vendere diem unum.* Cujus rei refert exemplum de Mario, *qui cum plurima fecisset egregiè, una sui jactatione gloriam fama perdidit; & quia sibi præsumpsit, quod ex ore alieno captare debuerat, publicæ commendationis vota demeruit.*

Laus propria fugienda.

IN CAP-

IN CAPUT VI.

(a) CAstitas vera Monachi in cogitationibus judicatur, vel ut habet San-Gall. & August. *vero* &c. Hoc caput in aliis tribus Codicibus est ordine octavum, in quo internam mentis & cogitationum puritatem commendat, tanquam castitatis radicem. De quo specialiter videri potest Cassianus l. 6. instit. c. 2. 9. 12. ubi cordis puritas principale contra spiritum fornicationis remedium prædicatur; de qua puritate videndus sermo S. Bernardi in parvis quadragesimus sextus, & sermo de tripl. custod. Item S. Basilius constit. mon. cap. 5. & alii multi, quos hic superfluum est numerare.

Puritas cordis castitatis custos.

(b) *Cum discipulis ad audiendum accedentibus à Domino dicitur.* Ita Augustan. & San-Gallens. ex quibus corigendus Oxenhusanus qui sic habet: *cum discipulis accedentibus non dicitur.*

(c) *Habent oculos luxuriæ plenos.* Cod. Oxenhus. & August. *habeat.* Illi dicũtur hic habere oculos luxuriæ plenos, qui vident mulierem ad concupiscendam eam. De quo videndus Hieronymus in cap. 4. Lament. Hierem. & in 5. Matth. S. Augustinus in Reg. Cleric. reg. aliique Patres in dictum locum Matth. & maximè Cassian. l. 6. c. 12.

Qui dicuntur habere oculos luxuriæ plenos.

(d) *Quid prodest virgo corpore si non sit virgo mente.* Alii Cod. *si corpore virgo sit, & non sit virgo mente.*

(e) *Quem immaculatum viderit, in quo nulla sit adultera cogitatio.* Codex Oxenhus. *quam immaculatam viderit, in qua nulla sit adulterina cogitatio.*

IN CAPUT VII.

(a) D*E synaxi ergo.* Caput hoc prolixum pariter & obscurum, in quo Columbanus rationem & ordinem psalmodiæ pro temporum varietate, & canonicum orandi modum præscribit, in omnibus aliis Codicibus deest. Sciendum imprimis pro ipsa Synaxeos origine & significatione, quę tum apud Latinos, tũm Græcos multiplex & varia est, dictam Synaxim à verbo Græco συνάγειν, quod est colligere, seu congregare, indeque per Synaxim, collectam, seu conventum, aut congregationem fidelium ad orationem aut psalmodiam; vel ad sacrosancta mysteria celebranda, vel Dei verbum audiendum designari prout aliis atque aliis locis variisque nominibus explicat Cassianus, maximè lib. 2. instit. Quo etiam sensu ea voce utitur Sanctus Benedictus caput 17. regul. solemnitatem, seu communem & solemnem cursum vesperarum, *vespertinam synaxim* appellans. Ephrem item Syrus epist. ad Joan. Monach. & to. 2. parænes. 18. 19. 23. 76. & aliis in locis sæpissimè in eadem significatione hanc vocem usurpat; quam etiam hoc loco tenuisse Columbanum ipsa ejus verba clarè indicant: *De synaxi,* inquit, *hoc est cursu Psalmorum, & orationum modo canonicò* &c. Frequens quoque ejusdem vocis in eadem acceptione usus apud Cassianum præsertim lib. 2. instit. qui variis eam nominibus latinè reddit, collectam, conventum, conventiculum, congregationem, canonicum officium, vel orationẽ, solemnitatẽ, celebritatem, & Missam canonicam, aliis atque aliis locis appellans, ut observavit Gazæus in Notis ad cap. 10. dicti libri, ubi Cassianus synaxim interpretatur solemnitatem. Alia quoque & usitata Patribus acceptione synaxis pro sacra communione & Missæ sacrificio sumitur, sive quod Christianis in unum collectis celebrari & sumi soleat hoc Sacramentum, sive quòd sit pacis & unionis symbolum. Vide Ephrem citatum, Joannem Damascen. lib. 4. orthod. cap. 14. Basilium reg. brev. cap. 71. & alios.

Synaxis ethymologia & varia significatio.

Synaxis accipitur pro Sacra Communione, & Sacrificio Missæ.

Reliqua quo sequuntur hujus capitis, in quibus de solemnitate laudis perpetuæ per duodecim choros distributa, tam sunt obscura, & intricata, ut sine magna veterum rituum & cæremoniarum Congregationis Luxoviensis notitia, ad plenum explicari non possint. Quare cum ad præsens circa hæc non simus sufficienter instructi, in aliud tempus hujus capitis ulteriorem expositionem dimittimus, in secunda forsan editione adjungendam. Quod infra de ingenti Monachorum in eodem Cœnobio multitudine tangitur, in Notis ad caput 3. Vitæ S. Columbani, plenius declaravi.

IN CAPUT

IN CAPUT VIII.

(a) D*Iscretio Monachis* &c. In hoc capite, quod est in aliis Codicibus ordine nonum, agitur de ethymologia & natura discretionis, & bona ac mala, inter quæ discernit ac dividit, copiosè recensentur; ac tandem concluditur esse mensura revocans ab omni semper nimietate, in medio consistens. De qua materia legendus Cassianus coll. 2. cap. 4. 5. 16. coll. 6. c. 3. & alibi passim. Legendi quoque Isidorus lib. de Synod. qui pro vitio reputat quidquid sine discretione geritur, & S. Bernardus serm. 24. in Cant. qui discretionem virtutum moderatricem appellat, & alii S. Patres passim.

Discretio quid.

(b) *Aliquorum ruina demonstrant.* Codex Oxenhus. *antiquorum.* Has ruinas latè describit Cassianus coll. 2. passim, ubi cap. 5. miserandum Heronis austerissimæ vitæ senis casum refert, qui suis malens definitionibus, quàm aliorum sanis consiliis acquiescere, sese in puteum altissimum præcipitem dedit; unde Fratrum posteà extractus industria nec morti jam vicinus deceptionis suę agnoscere voluit errorem, sicque miserando exitu multorum annorum jejunia finivit. Simile narrat alterius Monachi exemplum cap. 7. & tertium cujusdam Mesopotameni, qui post multos in eremo labores ad Judaismum dęmonis astutia fuit delapsus cap. 8. commemorat. Quibus relatis casibus ita subscribit: *Horum itaque profectò tam lugubriter nemo fuisset illusus, si rationem discretionis hujus assequi laborasset. Quamobrem inquantum perniciosum sit, discretionis gratiam non habere, multorum casus & experimenta declarant.*

Multorum ex defectu discretionis miserabiles lapsus.

(c) *Cujus impactio, periculi res est.* Codex Oxenhusanus ab aliis dissentiens, *Cujus impar hic periculi res est.* Sed puto per mendam irrepsisse *impar hic.* pro *impactio.* Porrò sensus est, quod in excessum impingere, seu impactio in excessũ res sit periculi, id est, periculosa, seu periculo obnoxia, aut periculi plena.

(d) *Orandus est igitr Deus.* Hîc in aliis Codicibus incipit caput decimum, in Codice Oxenhusano & Augustano ita inscriptum: *ut Deus orandus sit.* In San-Gallensi verò sic: *quia orandus est Deus de ipsa discretione.* Sed planè sequenda dispositio Codicis Bobiensis, omnia hîc usque ad caput *de mortificatione*, velut ad idem omninò spectantia, sub eodem titulo & capite concludentis.

(e) *Ad illuminationem hujus viæ.* Oxenhusanus, *ad interminationem hujus vitæ* id est, ad consummandum fæliciter cursum pręsentis exilii.

(f) *Possint*, vel ut habet Oxenhus. *possent has evadere* tenebras, hoc est, securè pertransire.

(g) *Boni depravatione.* Concordant Oxenhusanus & Augustanus; ex quibus corrigendus San-Gallensis ubi sic: boni *depravatione.* Metzlerus legit *depravatorem.* Quod longè clarius videtur.

(h) *Cain verò mala incapit.* Alii Codices sic: *Cain verò impius in mala incidit.* In August. & San-Gallen. deest *in.*

(i) *Bona Deus fecit* &c. Hic in aliis Codicibus incipit caput undecimum, *de creatura Dei bona*, prænotatum.

(k) *Subdola ambitionis intuta suasione.* Hinc emendandi videntur alii Codices, qui sic habent: *sublata ambitionis suasione.*

(l) *Quod autem declinat.* Ad hæc verba in aliis Codicibus incipit caput duodecimum cum hoc titulo in Oxenhus. *quod malum sit declinandum*: in Codice verò San-Gallensi sic: *quod malum est declinare à bonitate & integritate.*

(m) *Superbia malitiæ prima.* Intelligit superbiam Luciferi, qui inter creaturas rationales omnium primus lapsus est, dum per immoderatum propriæ excellentiæ appetitum voluit similis esse *Altissimo*, ut habetur Isaiæ 14. capite super quem locum videndi Sancti Patres & Expositores. Cæterùm an primum illud Angeli peccatum fuerit propriè superbia, ut comuniter dicitur; vel potius inordinatus amor seu complacentia sui (dicta nostro Doctori spiritualis luxuria) ex qua sequitur immoderatus amor excellentiæ super alios, seu superbia, disputant latè Scholastici cum D. Thoma 1. p. q. 63. a. 2. & 2. d. 5. q. 1. a. 3. & cum Doctore Subtili 2. dist. 6. q. 2. vide Alensem 2. p. q. 109. m.

Primum peccatum Angeli quale.

m. 2. D. Bonau. 2. d. 5. a. 1. q. 1. Rich. a. 1. q. 1. 3. Durand. q. 1. Gab. 2. q. 1. Mayr. 2. q. 4. Vasq. 1. p. d. 135.

(n) In prosperis *in vanitatem.* Postrema duo verba desunt in MS. San-Gallen. & Augustano.

(o) *Ideo continendum.* Alii Codices addunt, *semper est.*

(p) *Morum trangressio, gula.* Hinc corrigendi alii Codices, qui illa non rectè conjungunt sic, *transgressio gulæ.*

(q) *Per capitula conatus* sufficientia. Alii Codices; *pro captu conatus nostri sufficientiam.*

(r) *Non sufficiunt.* sic etiam Augustanus Codex, sed alii duo: *Non sufficit,* quod verbum regitur à *sufficientia,* substantivo singularis numeri.

(s) *Igitur inter parvum & nimium.* melius *parum,* ut San-Gallen. & Oxenhus. Ab his incipit in aliis tribus MSS. caput decimum tertium cum hac inscriptione: *Quod inter parvum & nimium rationabilis est in medio mensura.*

(t) *Neque si illam vice ducis.* ex hoc corrigendi aliqui Codices, qui sic habent: *neque dum stellam vice ducis,* vel *per stellam.*

(v) *Atque Psalmistæ victoris versiculum cantantibus.* Alii Codices. *idque* &c. *versiculo canendo.*

(w) *In tentatione* &c. *tentatio enim.* Alii Cod. *à tentatione.* Oxenhus. *tentatio autem.*

IN CAPUT IX.

(a) MAxima pars. Hoc in aliis Codicibus est caput 14. In quo perfectum animi subjectionem in manus aliorum, velut in qua vera monachi mortificatio consistit, pulchrè describit, triplicem in fine mortificationis gradum declarans. *per scripturam sacram,* deest hoc ultimum in aliis Codicibus.

(b) *Sine consilio nihil facias.* Hic prohibetur monachus ne proprii consilii ductum sequatur. Qua de re pulchra videri possunt apud S. Bernardum serm. 3. de resurrect. & serm. 61. in Cant. S. Basilium reg. brev. cap. 123. Cassian. coll. 2. c. 10. & l. 4. instit. cap. 9. & 10. In quo ultimo de Ægypti Monachis refert, quod *juniores absque Præpositi sui scientia vel permissu, non solum non ausi fuerint cellam progredi, sed ne ipsi quidem communi ac naturali necessitati satisfacere sua authoritate præsumpserint.* Vide ipsum etiam lib. 12. c. 32.

(c) *Certis tamen Dominum.* Ita August. sed Oxenhus. & San-Gall. *cæteris tamen Deum.* Puto legendum *servis.*

(d) *Quia nihil incertius est conscientiæ securitate, & nihil securius animi impunitate.* Al. cod. *Quia nihil dulcius est conscientiæ securitate, & nihil securius est animæ impunitate.*

(e) *Portat quod suscipit periculum.* Al. cod. suscepit, omisso *periculum.*

(f) *Maius enim, ut scriptum est, periculum.* Codex Oxenhus. *maius enim est periculum;* quorum media verba omittit Augustanus cod.

(g) *Quicumque itaque semper interrogaverit, si servaverit, nunquam errabit* &c. Præclaram hanc & tanto Magistro dignam sententiam aliâ non minus eleganti confirmat Cassianus coll. 2. cap. 10. *Nullatenus decipi poterit quisque, si non suo judicio, sed majorum vivit exemplo: nec valebit ignorationi ejus callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes perniciosa verecundia nescit obtegere* &c. vide eundem lib. 4. instit. c. 9. Quam bonum sit aliorum sequi judicium.

(h) *Quia si alterius erraverit responsum,* concordat nobiscum August. quoad tria prima verba, sed quoad duo ultima, cum Oxenhusano, in quo sic legũtur citata verba: *quod si ejus erraverit responsio.*

(i) *Pravum illi reputabitur,* vel ut habet August. *deputabitur.* Oxenh. *parvum illi judicabitur.*

(k) *Vitiis ac laboribus fatigatæ.* in aliis codd. ultimo verbo præponitur *non,* quod longè alium facit sensnm.

(l) *Vagis ac vanis attrahitur.* Al. cod. *vagis acuminibus attrahitur.*

(m) *Non lingua libita loqui.* C. Aug. *liberè.* Oxenh. San-Gall. Non *lingua quidlibet alloqui.*

(n) *Seni quamvis contraria jubenti.* Oxenh. & San-Gall. *sibi quamvis contraria jubentur.*

IN CAPUT X.

(a) *Monachus in monasterio vivat* &c. Deest hoc caput in aliis codicibus. Porrò cuncta ferè in eo contenta iisdem penè verbis leguntur apud Hieronymum in ep. ad Rusticum Monachum c. 6. & 7. cui tradita hic perfectionis documenta in secunda persona diriguntur.

(b) *Sub unius disciplina Patris, consortioque multorum, ut ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam,* &c. Præclaram hanc doctrinam ex S. Antonio tradit Cassianus lib. 5. institut. c. 4. docens Monachum proprio jam potentem stare judicio, minimè debere ab uno quamvis summo universa genera virtutum expetere. Publius item Abbas apud Theodoretum in Hist. SS. Patr. c. 5. hortabatur suos, ut alter ex altero assiduam utilitatem capere conaretur, & omnes sibi invicem & discipuli fierent & magistri: sic enim fore dicebat, ut alter ex alterius vita, quæ sibi deerant, desumentes, perfectissimum virtutum cumulum conficerent. Cæterum hæc doctrina non tyronibus aut novitiis, sed provectis utcumque Monachis congruit, hoc est, ut loquitur Cassianus, *potentibus proprio stare judicio*, scientibusque discretionis, spiritu prælucente, *reprobare malum & eligere bonum.*

Ab alio atque alio discenda virtutum exempla.

Isaiæ 7.

[c] *Operis sui pensum persolvat.* Hîc prisca tangitur antiquorum Monachorum de labore manuum consuetudo, quem statutis ad id horis exercere solebant. Qua de re Hieronymus in ep. ad Eustoch. Basil. reg. fus. disp. cap. 37. & 38. S. Augustin. lib. 1. de morib. Eccles. c. 31. Cassian. l. 2. instit. c. 3. & l. 10. c. 7. Chrysost. hom. 57. & 59. de vit. Mon. Sozom. l. 6. hist. c. 28. qui de Serapione loquitur, 10. millium Monachorum Patre: qui omnes de labore manuum suis ac pauperum necessitatibus providebant. Cui simile est quod de Monasterio Bangorensi in Britannia refert V. Beda in hist. Angl. qui omnes de labore proprio vivebant. Cujus exercitii apud primitivos illos Cœnobitas multiplex erat causa. Imprimis erat ipsa victus parandi necessitas: neque enim possiones habebant, nec quidquam monasteriis inferebant, teste Cassiano l. 4. c. 4. Neque eleëmosynæ sufficiebant, quia in uno Cœnobio terna ut minimùm Monachorum millia, ut refert S. Augustinus de morib. Eccles. c. 31. degebant. Alia causa fuit otii vitandi, & ut loquitur Hieronymus, *ne mens periculosis cogitationibus vagaretur.* His alia accedebant, quæ Cassianus etiam recitat l. 2. c. 3. nempe maceratio carnis & exercitatio humilitatis, & ex cap. 11. animi relaxatio per spiritualium & corporalium exercitiorum vicissitudinem. Vide plura huc spectantia apud ipsum l. 10. c. 7. 22. 23. & 24. ac alibi passim.

Labor manuum primævis Monachis usitatus, & quare.

S. COLUM-

(a) # S. COLUMBANI ABBATIS REGULA COENOBIALIS FRATRUM; SIVE LIBER DE QUOTIDIANIS POENITENTIIS MONACHORUM.

CAPUT I.

De confeßione ante mensam sive *Lectionem: & * de custodienda Benedictione ante mensam, similiter & de silentio.* *Cod. Augustanus *Lectorem. Custodiendam Benedictionẽ.

STATUTUM est Fratres charissimi à Sanctis Patribus ut demus (b) confessionem ante mensam, sive ante lectorum introitum; aut quandocunque fuerit facile; quia Confessio & pœnitentia de morte liberant. Ergo nec ipsa parva sunt à confessione negligenda peccata; quia, ut scriptum est, *qui parva negligit, paulatim defluit.* Ergo qui non custodierit ad mensam benedictionem, & non responderit, *Amen*, sex percussionibus emendare statuitur. Simili modo (c) qui locutus fuerit comedens, non necessitate alterius Fratris, sex * emendare statuitur; & qui non (d) signaverit cochlear quo lambit * &, qui (e) locutus fuerit in plausu, id est, altiore sono solito sonaverit, sex percussionibus. Eccli. 19. *percussionibus. deest in C. Aug.

CAPUT II.

Ut lucerna signata * fiat, *& qui suum proprium aliquid dixerit, & de observatione cultelli ad mensam, & qui ministrando aliquid perdiderit, & de humiliatione in Synaxi, & qui perdiderit* * micas. *fit. *mitras.

SI non (a) signaverit lucernam, hoc est, cùm accensa fuerit à juniore Fratre, & non exhibeatur ad Seniorem ad signandum, sex percussionibus. (b) Operis peculiaris præsumptio centum plagis emendetur. *(c) *Possessio alicuius rei, quam non necessitas generaliter omnibus Fratribus concessit, amissione eiusdem, & centum plagis coërceatur.* Qui pertuderit cultello mensam, decem percussionibus emendetur. Quicumque de Fratribus, cui sollicitudo * *coquinandi*, vel ministrandi commissa est, quantulum quid effuderit, oratione in Ecclesia post expletum Cursum, ita ut Fratres pro eo orent, emendare statuitur. Qui humiliationem in Synaxi, id est, in Cursu, oblitus fuerit (hæc est humiliatio in Ecclesia post finem * *cuiusque* Psalmi) similiter pœniteat. Simili modo qui perdiderit * *micas*, oratione in Ecclesia emendetur: ita tamen hæc parva pœnitentia ei indicetur, si parum quid effuderit. *Deest in Cod. Aug. *coquendi *cujuscumque. *mitras.

CAPUT III.

De eo qui aliquid negligenter perdiderit, & qui effudit aliquid super mensam, & qui egrediens domum non se humiliaverit ad orationem, & qui obliviscitur

viscitur orationem ante opus, & qui comedit sine benedictione, & qui * egrediens *domum non se curvaverit, & de eo qui hæc omnia confessus fuerit.*

* regrediens.

QUod si ex negligentia, vel oblivione, seu (*a*) transgressione securitatis, tam in liquidis, tam in aridis amplius solito perdiderit, lōga venia in Ecclesia dū duodecim Psalmos ad duodecimam canunt, prostratus, nullum membrum movens, pœniteat. Vel certè si multum est quod effudit, quantas metranas de cervisia, aut mensuras qualiumcumque rerum * *intercedente* negligentiâ effundens perdidit, supputans, tot diebus illud, quod in sumptus proprios ritè accipere consueverat, sibi ea perdidisse sciat, ut pro cervisia aquâ bibat. De effuso super mensam, decidenteque extra eam, veniam in discubitu sufficere. Qui egrediens domum ad orationem poscendam se non humiliaverit, & post acceptam benedictionem * non se *signaverit*, crucem non adierit, duodecim percussionibus * *emendare* statuitur. Similiter qui orationem ante opus, aut post opus oblitus fuerit, duodecim percussionibus; & qui * *comedere* sine benedictione *præsumpserit*, duodecim percussionibus; & qui regrediens domum, orationem petens non se curvaverit intra domum, duodecim persecutionibus emendetur. Qui verò Frater hæc omnia confessus fuerit & cetera usque (*b*) ad * *superpositionem*, semi-pœnitentia, id est, media; & de his similia * *sic temperare.* *

* intercidente.

* non resignaverit.
* emendari.

* Comederit.

* Suppositionem *vel* positionem.
* Interim.
* *Videtur hic aliquid desiderari quod sensum compleat.*

CAPUT IV.

Qui in exordio Psalmi benè non cantaverit, & qui Calicem Domini dentibus pertuderit, & qui ordinem suum non custodierit; & qui riserit in Synaxi, & qui eulogias * accipit, *& qui obliviscitur oblationem facere. De fabulis ociosis, & de excusatione, & de consilio contra consilium, & de altari concusso.*

* Acceperit.

QUi * *tussiens* in exordio Psalmi non benè * *cantaverit*, sex percussionibus *emendare* statuitur. Similiter qui pertuderit dentibus Calicem salutaris, sex percussionibus. (*a*) Ordinem ad Sacrificium qui non custodierit, sex percussionibus; & qui subridens in Synaxi, id est, in Cursu orationum, sex percussionibus: si in sonum risus eruperit, superpositione, nisi (*b*) venialiter contigerit. (*c*) Eulogias *immundus* accipiens, duodecim percussionibus. (*d*) Obliviscens oblationem facere usque dum * *itur* ad officium, centum percussionibus. (*e*) Fabulas ociosas proferens ad alterum, statim semetipsum reprehendens, * *venia tantum*; si autem se non * *reprehenderit*, superpositione silentii, aut * 50 *percussionibus*. (*f*) Excusationem proferens cum simplicitate quando in aliquo discutitur, & non dicat statim, veniam petens, mea culpa, pœnitet me, quinquaginta percussionibus. Consilium contra consilium cum simplicitate promens, quinquaginta percussionibus. Qui altare concusserit, 50. percussionibus.

* tussè.
* decantaverit.
* emendari
* in mundo
* eatur.
* venia, decem percussionibus.
* Reprehendens.
* Deest in A.

CAPUT V.

De eo qui profert sermonem altum, & qui se excusat, & qui Fratri aliquid indicando contradicit: & quod excusantes se non sint filii Dei.

PRoferens sermonem altum sine * *suppressione*, nisi ubi necessitas fuerit, superpositione silentii, aut quinquaginta percussionibus. (*a*) Excusans ad veniam similiter pœniteat. Qui Fratri aliquid indicanti, responderit: nō ita est ut dicis, præter seniores junioribus dicentes simpliciter, superpositione silentii, aut quinquaginta percussionibus. (*b*) Nisi hoc tantum licet ut * *respondeatur* coæquali Fratri suo si veracius est aliquid, quàm ille dicit & *recordatur*; si benè recolis, Frater: & alter hæc audiens non adfirmet sermonem suum, sed humiliter dicat: spero quod tu meliùs recorderis; ego per oblivionem in

* pressione.
* responderit.
* respondetur.

* verbo. onem in * verba excessi, pœnitet me quòd malè dixi. Ecce verba filiorum Dei, si nihil per contentionem, ut ait Apostolus, neque per inanem gloriam, sed per humilitatem spiritus, alter alterum existimans superiorem sibi. Cæterùm qui se excusaverit, non (c) filius Dei spiritualis, sed filius Adam carnalis * *judicatur.* * judicetur.

CAPUT VI.

De eo qui superbum verbum dixerit, & qui profert sermonem altum, & qui abscondit alicujus crimen donec proferat illud in malum, & qui reprehendit alterius * opera, *& qui profert correptionem contra correptionem.* * Opus.

* Qui se non citò. * *QVicumque non citò ad (a)* portam requiei humilitatis Dominicæ confugerit, * *nimiæ* contradictionis aditum aliquibus aperiens, in superficie verbo persistens, de libertate sanctæ Ecclesiæ in cellula ob pœnitentiam agendam separetur usque dum bona ejus voluntas cognoscatur, atque per humilitatem denuò sanctæ congregationi inseratur. Qui profert sermonem altum ad reprehendendum opus ostiarii, aut ostiarias * (b) *horas* non benè custodierit, superpositione silentii, aut quinquaginta percussionibus. Et qui abscondens aliquod crimen videns in Fratre suo usque * *dum* corrigatur de alio vitio, vel de ipso, & tunc profert illud adversus Fratrem, tribus * *superpositionibus.* Reprehendens aliorum Fratrum opera aut detractans, tribus * *superpositionibus* pœniteat. Proferens * *correptionem contra correptionem*, hoc est, castigans castigantem se, similiter tribus *superpositionibus* pœniteat.

* nimirum. * deest in Aug. * positionibus. * positionibus. * correctionem contra correctionem.

CAPUT VII.

De eo qui detrahit alteri, & de contentioso, & qui reprehendit Superiorem sibi, & de eo qui tristis fuerit, & qui consanguineum suum sollicitat ad malum, & qui vituperat alterius obsequium.

(a) QUi detrahit alicui Fratri aut audit detrahentem, non corrigens eum, tribus superpositionibus. (b) Qui aliquam *contemptionem* cum tristitia, simili modo tribus superpositionibus pœniteat. (c) Qui * *aliquem* reprehendens, * *Præposito suo* non vult indicare, usque dum * *Patri* seniori indicet, tribus superpositionibus, nisi hæc omnia à * *confessione* verecundiæ fiant. Si quis Frater tristis fuerit, si sustinere valet, (d) supprimat interim * *compassionem*, & verecundius dicat *quando* * *cessaverit.* Si (e) quis dicat ad consanguineum suum * *sollicitus*, in loco optimo habitantem: melius est ut nobiscum habites; aut cum aliquibus; tribus superpositionibus. Et qui vituperat * *aliquem Fratrem* obsequium dantem, similiter pœniteat.

* contentionem. * aliquid * Præpositum suum. * Patrum. * conventione. * compassione ut. * tristitia. * sollicitans eum. * alicui Fratri.

CAPUT VIII.

De eo qui docet consanguineum suum contra Seniorem suum, & qui Priori suo causam suam contradicit, & qui non postulat veniam cum corripitur, & qui visitator vult esse aliorum, & qui coquinam visitant * injussi, *& qui extra claustra egreditur: & qui colloquuntur invicem prohibiti, & qui dicunt quod non licet eis facere rogata, & de his qui* * non *dicunt: facimus quod dicis: & qui scientes transgrediuntur: & cui ceciderit suum chrismal.*

* non jussi. * non deest in Aug.

(a) QUi consanguineum suum docet aliquam discentem artem, aut quodlibet à Senioribus impositum, ut melius lectionem discat, tribus superpositionibus. Qui ad Præpositum audet dicere: non tu judicabis causam meam; sed noster Senior, aut cæ-

aut cæteri Fratres, * *simul* ad Patrem monasterii ibimus, omnes quadraginta diebus oportet castigari in pœnitentia, nisi ipse dicat: pœnitet me quod dixi. Qui non postulat veniam correptus, *superpositione* pœniteat. [*b*] Qui visitaverit alios Fratres in cellulis eorum sine interrogatione, simili modo pœniteat: aut * *qui in* coquinam post nonam ierit, superpositione: aut qui (*c*) extra * *vallum*, id est, extra sepem monasterii sine interrogatione ierit, (*d*) * superpositione & *vinculis*. Quibus imponitur terminus, ut (*e*) non se appellent invicem, si transgressi fuerint, tribus superpositionibus: * & si quis præceperit eis * *quodlibet*: ipsi dicant; scis quod non liceat nobis, & ipse præceperit ultra, ipse damnetur tribus superpositionibus: ipsi tamen dicant: facimus quod dicis, ut bonum obedientiæ servetur. Illud verò specialius cavendum est, ut quomodo inter se mutuò non loquatur, sic nec per os alterius Fratris colloquantur. Quod si scientes transgressi fuerint, simili modo quasi inter se locuti fuissent, pœniteant. (*f*) * *Cui* ceciderit Chrismal nihil confringens, duodecim percussionibus emendetur.

* sive.
* Deest in Aug.
* Cellam.
* suppositione in vincula.
* Deest &
* Sic Aug. at Oxenhusanus Cod. *quod licet* mendosè.
* Oxenhus. *cùm*.

CAPUT IX.

De eo qui profert verbum ociosum, & de pœnitentibus Fratribus, & de minutis pœnitentiis.

QUi profert verbum ociosum, silentio inter duas horas consequentes debet condemnari, aut duodecim percussionibus. Pœnitentes Fratres quamvis opera difficilia & sordida efficiant, non (*a*) lavent capita nisi Dominicâ, id est, octavâ; si autem, quindecim diebus; aut certè propter fluentium capillorum incrementum, arbitrio Senioris in lavando * *unusquisque* utatur. Pœnitentias minutas juxta mensam si scierit Præpositus mensæ, imponat, & amplius quàm viginti quinque percussiones non dentur. Pœnitentes Fratres & indigentes pœnitentiâ Psalmorum, hoc est, cui necesse fuerit, ut Psalmos adhuc pro visione (*b*) nocturnâ decantet, quia pro illusione diabolicâ, aut pro modo visionis alii 30 alii 34, Psalmos in ordine, alii 15, alii 12 indigentes pœnitentiâ Psalmorum decantare debent. (*c*) Qui ergò in nocte Dominica, & tempore Quinquagesimæ pœnitentes genua flectunt, in * *commune cum omnibus Fratribus* omnibus diebus ac noctibus tempore orationum in fine omnium Psalmorum genua in oratione, si non infirmitas corporis hoc fecerit, flectere æquo animo debent, sub silentio dicentes: *Deus in adiutorium meum intende*; *Domine ad adiuvandum me festina*. Quem versiculum postquam ter tacitè in oratione decantaverint, æqualiter in *orationis flexione* surgant, (*d*) exceptis diebus dominicis, etiam & * *prima die sancta* Paschæ usque ad quinquagesimum diem, in quibus moderatè se in tempore Psalmodiæ humiliantes, genua non flectentes, sed *sedulo* Dominum orent.

* quisque.
* commune autem omnes Fratres.
* à flexione Orationis.
* à primo die Sancto.

CAPUT X.

*De Fratre qui inobediens fuerit, & qui dicit & non facit, & qui murmurat, & qui veniam non petit, aut se excusat, & qui * suos Fratres ad iracundiam provocat, & de mendacio, & qui contradicit Fratri, & qui interrumpit mandatum, & qui negligenter facit opus sibi injunctum, & qui detractaverit * Abbatem suum, & qui * aliquid obliviscitur foris, vel perdiderit.*

SI quis (*a*) Frater inobediens fuerit, duos dies uno *paximace & aqua*: *si quis * dicit, non faciam*; tres dies uno paximatio & aqua. Si quis veniam non petit, aut dicit excusationem, duos dies uno paximatio & aqua. (*b*) Si duo Fratres *contenderint* aliquid & ad furorem venerint, duos dies paximatio & aqua. (*c*) Si alius contendit mendacium & (*d*) * *dictionem* confirmat, duos dies uno paximatio. (*e*) Si quis contradicit Fratri & non petit * *eum* veniam, duos dies uno paximatio. Si quis interrumpit mandatum & regulam frangit, duos

* duos Fratres.
* Abbatis suo.
* Deest *aliquid*.
* Unum paximatium & aquam.
* dicit & non facit.
* contendentes.
* distinctionem.
* Deest *eum*.

git, duos dies uno paximatio & aqua. Si quis cum injungitur ei opus & negligenter facit, duos dies uno paximacio & aqua. Si (*f*) quis detractaverit * *Abbati suo*, septem dies uno paximatio & aqua; si quis Fratri suo venienti, quatuor Psalmos. Si quis obliviscitur aliquid foras, si minus 12. Psalmos, si majus 30. Psalmos. Si quis (*g*) perdiderit, vel **dederit* aliquid sicut pretium ejus, ita & pœnitentia ejus.

* Abbatem suum.
* dixit.

CAPUT XI.

De eo qui loquitur seculari, & qui opus suum perficit, & postea sine jussione aliquid fecerit. & de eo qui bilinguis * fuerit, *& qui manducaverit in domo aliena, & qui narraverit peccatum præteritum, &* * qui *de sæculo rediens etiam secularia narraverit, & de eo qui consentit & qui aliquid facit contra Regulæ præceptum.*

* est.
* & de eo qui.

SI (*a*) quis facit colloquium cum sæculari sine jussu, 24. Psalmos. Si quis quando consummaverit opus suum, non * *requirit*; aut fecerit aliquid sine jussu *venientis*, tres Psalmos cantet. Si fuerit aliquis bilinguis, & conturbet corda Fratrum, unum diem *in paximatio & aqua*. Si quis manducaverit in domo aliena sine jussu, & venerit * *domui suæ*, unum diem in paximatio & aqua. Si quis enarraverit præteritum peccatum, unum diem in paximatio: vel qui (*b*) ambulaverit in sæculo & dicit sæculi peccata, unum diem in pane & aqua. * *Qui aliquem audierit* murmurantem, & detrahentem, aut facientem (*c*) aliquid contra Regulam & consentit, à confessione diem unum in paximatio.

* requirens.
* veniens.
* domum suam.
* & tepidus qui audierit aliquem.

CAPUT XII.

De eo qui suscitat furorem Fratri suo; & de eo qui non venit ad orationem super mensam, & qui dormiverit ad orationem, & qui non responderit Amen, & qui transgressus fuerit horam, & qui non audierit sonitum orationis, & qui cum nocturno cingulo communicaverit.

SI (*a*) quis suscitat furorem Fratri suo & satisfaciat ei postea, & ipse non remittit ei, sed * *mittit eum* suo Seniori; qui suscitavit furorem venienti, 4. Psalmos, & * *ille diem* unum in pane & aqua. Si quis voluerit aliquid & prohibet æconomus & jubet Abbas, quinque dies. Si quis non * *venerit* ad (*b*) orationem super mensam & post cibum, duodecim Psalmos cantet. Si quis dormierit dum oratur, si frequens, duodecim Psalmos; si non frequens, sex Psalmos. Si quis non dicit (*c*) Amen, triginta verbera. Si (*d*) transgressus erit horam, quindecim *Psalmos Cantica* graduum; nisi matutina *hyems*, duodecim Psalmos, & qui non audierit sonitus orationum, duodecim Psalmos. Si quis veniet ad Sacrificium, & nocturnum cingulum vel vestis circa eum, duodecim Psalmos.

* remittit suo.
* illo die.
* veniet.
* 12. Psalmos Canticum graduum.
* hiemis.

CAPUT XIII.

De eo qui quarta & sexta feria ante nonam manducaverit, & qui dixerit mendacium, & qui dormierit cum muliere in domo una, & qui non claudit Ecclesiam post se, & qui sputaverit in Ecclesia, & qui psallendi obliviscitur.

SI (*a*) quis ante horam nonam, quartâ, sextaque feriâ manducat, nisi infirmus, duos dies in * *pane* & aqua. Si quis dixerit mendacium nesciens, quinquaginta verbera: si sciens & audax dicit, (*b*) duo dies in * *pane* & aqua. Si denegatur mendacium ejus, & ille contendit, septem dies in * *pane* & aqua. Si quis Monachus dormierit in una domo cum muliere, duos dies in

* paximacio
* paximacio
* paximacio

* *pane*

* *pane & aqua*: si nescivit quod non debet, *unum diem.* * Si quis non claudit Ecclesiam, duodecim Psalmos. Si quis emittit sputum, & attingit altare, viginti quatuor Psalmos; si parietem attingit, * *sex.* Si obliviscitur [c] * *psallendi* seu lectionis, 3. Psalmos.

* in paximatio, vel tres dies in pane & aqua.
* Psalmos.
* Psalmi.

CAPUT XIV.

De eo qui tardius ad aliquod signum venerit, & qui sonaverit post pacem, & qui velato capite intraverit, & qui non petit oratienem, & qui manducat sine oratione, qui sonum fecerit dum oratur, & qui iram vel tristitiam retinet.

SI (a) quis tardius venit ad orationes, quinquaginta; vel (b) * *cum* plausu, quinquaginta; vel signis *exequatur* quod *iubetur*, quinquaginta: si post (c) pacem sonaverit, quinquaginta; si * *contumaciter* responderit, quinquaginta; si venit [d] velato capite in domum, quinquaginta: si manducat sine oratione quinquaginta: si [e] locutus est aliquid in ore suo, quinquaginta: si sonum fecerit dum oratur, quinquaginta verbera. Si quis iracundiam vel tristitiam, vel invidiam retinet contra Fratrem suum, * *ut* [f] *tempus tenuerit*, ita erit pœnitentia ejus in pane & aqua. Si verò prima die confessus fuerit, viginti quatuor *Psalmos cantet.*

* In Cod. Aug deest.
* Deest.
* contumace.
* ad tempus tenuerit & tacuerit.
* 34. Psalmos decantet.

CAPUT XV.

De negligentia Sacrificiorum.

(a) QUicunque Sacrificium perderit, & nescit ubi sit, annum *in pœnitentia.* Qui [b] negligentiam fecerit erga Sacrificium, ut siccetur; & à vermibus *consumatur*, ita ut ad nihilum devenerit, dimidium annum pœniteat. Qui negligentiã erga incurrerit, ut inveniatur vermis in eo & tamen *plenum* sit, igne *comburat* vermes & juxta altare abscondat cinerem ejus in terra, & ipse pœniteat quadraginta diebus. Et qui negligit Sacrificium & immutatum fuerit & panis amiserit saporem, si [c] rubro colore, viginti diebus pœniteat; si *hyacinthino*, quindecim diebus pœniteat. Si autem non immutatum fuerit colore, sed conglutinatum, septem diebus pœniteat. Qui autem merserit Sacrificium, continuò *bibat* aquam, quæ in chrismali fuerit, Sacrificium comedat. Si de cymba, vel de ponte, seu de equo ceciderit, & non per negligentiam, sed casu aliquo, *diem unum* pœniteat. Si autem per contemptum submerserit, id est, exierit aqua & non consideraverit de periculo Sacrificii, *quadraginta diebus* pœniteat. Si autem obtentu insolitu pinguioris cibi, & non vitio saturitatis, sed stomachi [d] evomvit in die sacrificii cœnam, viginti diebus; * *Si infirmitatis causa, decem diebus pœniteat in pane & aqua.*

* pœniteat.
* consumetur.
* plenus.
* comburetur.
* accinctino colore.
* ebibat.
* uno die.
* decem dies.
* Deest.

ANNOTA-

ANNOTATIONES IN REGULAM COENOBIALEM

De titulo & Authore hujus Regulæ.

(a) SAncti COLUMBANI *Abbatis Regula Cœnobialis Fratrum* &c. Ita inscribit Codex Oxenhusanus; Augustanus autem in hunc modum : *Regula cœnobialis Patrum de Hibernia, seu Regula cœnobialis Fratrum Hiberniensium.* Ante quem titulum extat Præfatio quædam (quæ in Oxenhusano Codice deest) sequentis ordinis ac tenoris. *Incipit Præfatio Regulæ cœnobialis Patrum de Hibernia.*

Regulæ cœnobialis titulus.

Præfatio.

Equidem S. Pater Benedictus in hanc Regulam qualitate ordinis pœnitentiæ modos instituit, sed unde de quibusdam causis intimavit dicens : siquis hoc aut illud perpetraverit disciplinæ regulari subiaceat : ipsius quippe disciplinæ mensuram in arbitrium Abbatis Judicandum permisit, quia dum qualitatis morum, vel pœnitentiarum innumerabilis est diversitas, potuit ei fieri in arbitrium onerosa prolixitas; etenim ipse per humilitatem spiritus, præcedentium Patrum disciplinæ authoritatem recipit, quia, ut fertur, omnium Sanctorum spiritu plenus fuit. Igitur de eadem emendatione disciplinæ quibusdam verbis instituta subter inserta nectuntur. Post hanc Præfationem immediatè sequuntur hæc verba : *subsequuntur capitula Regulæ cœnobialis.* Et interpositis titulis capitum, quos nos suis locis inseruimus, memoratus supra titulus mox subjicitur in hæc verba. *Incipit Regula cœnobialis Fratrum Hiberniensium.* Suspicari fortè quis posset, hujus Regulæ authorem non fuisse Columbanum, qui non tantum pro Fratribus Hiberniensibus, sed & pro Gallis, & Germanis, & aliis quibuscumque externis, suam Regulam condidisse dignoscitur; & cujus nomen in illo Codice Augustano omissum invenitur; quod minimè contigisset, si pro authore habitus fuisset Columbanus. Verum acquiescendum priori inscriptioni Codicis Oxenhusani, illam Regulam S. Columbano authori tribuentis, & nullam interponentis mentionem Fratrum de Hibernia, (quamquam nihil hoc à vero discrepet, modò non ad solos Hibernos restringatur ejus Regulæ observantia.) Imò hanc ipsam unà cum priori esse institutionem, quā Luxovii condiderat Columbanus, efficaci satis ratione persuadent ea, quæ in Concilio Matisconensi ab Agrestio contra Institutum S. Columbani objecta sunt, hîc contenta; nam primum, quod ipse carpebat in Regula S. Columbani, de signando videlicet cochleari, habetur in hac Regula cœnobiali c. 1. his verbis: *qui non signaverit cochlear, quo lambit, sex percussionibus.* Aliud item de danda, & recipienda benedictione ab ingredientibus & egredientibus domos, & cellas, vel officinas, insinuatur cap 3. in hæc verba : *qui egrediens domum, ad orationem poscendam se non humiliaverit, & post acceptam benedictionem, non se signaverit* &c. 12. *percussionibus* &c. & infra: *& qui regrediens domum, orationem petens non se curvaverit intra domum,* 12. *percussionibus emendetur.* Ex quibus impugnationis Agrestinianę capitulis manifestè conspicitur, hanc ipsam esse Regulam, de qua locutus est Jonas, quamque impugnavit Agrestinus, à Columbano, Spiritu Sancto dictante, conscriptam, ac proinde veritati consentaneam Codicis Oxenhusani memoratam inscriptionem, ex eaque corrigendum, seu supplendum Augustani titulum, authoris nomen supprimentis. Præfatio porrò illa addita omninò à Columbani nomine removeri debet, quā ab aliquibus Benedictinis, unā cum Sancti Patris Benedicti Regulâ, has etiam S. Columbani constitutiones, velut præclara disciplinæ regularis documenta servare volentibus compositam, & claritatis gratiâ præfixam, alibi probabili satis conjecturâ colligimus. Quod fortè non ab alio factum est, quam à Sigismundo Taus conventuali monasterii SS. Afrę, & Aldarici Benedictinorum urbis Augustanæ, qui circa annum Christi 1510. reformator existens cœnobii Augiæ divitis ejusdem Ordinis, Codicem illum, in quo illa præfatio Regulæ Cœnobiali præ-

Author S. Columbanus.

At Præfationis quis alius.

Tractat. de Monachatu S. Columbani Benedictino. fin.

ali præmissa reperitur, transcripsisse perhibetur.

IN CAPUT I.

(b) UT *demus confessionem ante mensam.* Satis obscurum est quid hic per confessionem designetur: non enim videtur sermo esse de confessione sacramentali, quia nullibi legimus à SS. Patribus statutum, ut talis confessio cibo præmittatur; quod tamen de confessione in hoc loco memoratâ asserit Columbanus. Neque etiam hic agitur de confessione laudis, seu benedictone cibi, quæ ante mensam ex antiqua Ecclesiæ consuetudine peragi consuevit. Nam subditur hîc pro ratione *quia confessio & pœnitentia de morte liberant.* Ex quo colligitur de aliqua peccatorum & pœnitentiali confessione hic esse mentionem. Sed contrà de hujusmodi benedictione hunc locum intelligendum suadere videntur hæc sequentia verba, quibus videtur Vir sanctus præmissum de confessione canonem concludere: *Ergo qui non custodierit ad mensam benedictionem & non responderit: Amen,* &c. Hinc omninò existimo id, de quo hic loquitur Columbanus, fuisse publicam aliquam & generalem quotidianorum defectuum confessionem, cum aliqua exteriori pœnitentia conjunctam, quæ inter benedicendam mensam ab omnibus exhiberi debebat, cujus confessionis tanquam neglectæ rei puniebantur non custodientes ad mensam benedictionem. Qua in re sancti illi Monachi imitabantur Job, qui dixit: *Antequam comedam suspiro.* Verùm ubinam etiam hæc consuetudo fuerit à SS. Patribus præscripta non reperio.

Quę confessio mensæ apud S. Columbani Monachos pręmitti solita.

(c) *Qui locutus fuerit comedens &c.* Consuetudo stricti in mensa silentii antiquis Monachis communis erat, quam etiam hodiè benè instituta Religiosorum collegia observant. S. Hieronymus epist. 22. cœnobitarum mores describens: *nullus*, inquit, *in cibo strepitus est, nemo dum comedit, loquitur.* Qua de re Cassianus l. 4. instit. c. 17. S. Benedict. c. 38. Reg. Nicephorus quoque l. 9. c. 14. & colligitur ex Pachomii Regula à S. Hieronymo translatâ, artic. 11. & 13. Hanc porrò silentii legem in mensa Innocentius III. confirmavit in decreto, quod incipit: *cum ad Monasterium*, de statu Monach.

(d) *Qui non signaverit cochlear.* Hic est articulus, quem impius Agrestinus velut nugatorium, & superfluum calumniabatur; quem S. Eustasius his verbis doctè confutavit: *Nequaquam*, inquit, *reor ego contrarium esse religioni cochlearem, quam Christianus lambit, vel quodcumque vas aut poculum, crucis signo muniri, cùm per adventum signi Dominici pellatur pestis adversantis inimici*; ut innumeris constat antiquorum exemplis. Nam S. Georgius Martyr, ut author est Metaphrastes, ex statua Apollinis, solo salutiferę crucis signo dæmonē effugavit, & eodem attestante Sancti Martyres Terentius, & Aphricanus cum Sociis, sacro hoc signaculo frontibus primùm impresso, insufflantes idola & simulachra dæmonum in pulverem redegerunt. De Sancto quoque Benedicto refert Beatus Gregorius, quod dæmonem in forma merulæ circumvolitantem, & vultui suo importunè insistentem signo crucis edito fugavit, quodque simili munitus armaturâ vas veneno plenum sibi oblatum extensâ manu signans perfregit. Ipsemet quoque S. Gregorius caballum eodem sacro signaculo à diabolica rabie liberavit. Et ut intelligamus quàm periculosum sit Christiano se crebrò hoc sacro clypeo non munire, refert idem S. Doctor in vita S. Equitii Abbatis, ut quædam Dei Famula hortum ingressa, & lactucam non ante cruce signatam vel benedictam ori injiciens, protinùs à dæmone arrepta ceciderit, sicquè vexatione obnoxia permanserit donec accedens Equitius hostem expulit. Insigne sanè hujus rei testimonium profert S. Adomnanus in vita S. Columbæ, narrans cap. 9. l. 2. qualiter sanctissimus Abbas per signum crucis in aëre formatum cacodæmonem ex vale lacte pleno (quod quia signatum anteà nō fuerat dæmon intraverat) potenter expulerit, & lac, inimici nequitiâ solo effusum, divinitùs restituerit, modico quod supererat, mirabiliter multiplicato. Legitur etiam in vita S. Vincentii Ordinis Prædicatorum puellam quamdā se signo crucis non munientem à dæmone occupatam, qui testatus est nihil se aliis nocere potuisse, *quòd crucis essent signo armati.* Quibus & aliis mille docemur

Jonas in Eustasio.

Signi S. Crucis contra malignos spiritus efficacia variis exemplis ostenditur.

Ejus vita apud Sur. 23. April.

l. 2. dialog.

Surius. 12. Martii.

l. 1. dialog.

Surius ad 7. Martii.

Apud Surium 5. April

l. 3. vita ejus.

cemur e xemplis quantâ polleat virtute salutiferum crucis signum ad nos ipsos, & omnia quę nostris usibus deserviunt, à dæmonis infestatione tuendos, adeoque quàm impia fuerit illa, & à Christiano pectore aliena Agrestini calumnia. (Qui plura huc spectantia desiderat consulat doctissimum Gretserum lib. de benedict. & maledict. ubi sacrarum benedictionum miram efficaciam multis Sanctorum miraculis & exemplis commonstrat.

(e) *Qui locutus fuerit in plausu.* Idem inhibetur in cap. 5. ubi punitur *proferens sermonem altum sine suppressione, nisi ubi necessitas fuerit.* Quibus moderatio in voce servanda præscribitur; qua de re pulchrè S. Basilius reg. brev. interrog. 151. dicens. *Prorsus vocis modum audientium necessitas ipsa definit, quocirca etsi summissior sit, tanquam segnior propè ad susurrum accedit, ac propterea damnanda est. Si verò etiam sit altior, quàm res desideret, cum is qui audit, etiam submissius loquentem posset audire, tum clamor existit, qui damnatus est ab Apostolo, hoc excepto, nisi ubi lentitudo audientis tanta sit, ut necessario cogamur uti clamore, quo hunc ex somno veluti excitemus. Nam hoc Dominus etiam fecisse memoratur, ut est apud Evangelistam: JESUS enim clamavit, inquit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me; sed in eum, qui misit me.*

IN CAPUT. II.

Consuetudo benedicendi lucernam antiqua.

(a) SI *non signaverit lucernam.* Sciendum hîc moris fuisse apud antiquos lucernas jam deficiente lumine solis vel diei, accensas certâ quadam precatione seu gratiarum actione suscipere. Unde S. Basilius ad Amphiloc. c. 29. *Visum est*, inquit, *Patribus nostris beneficium vespertini luminis non silentio suscipere, sed statim ut apparuit, gratias agere. At quisnam fuerit author lucernariæ gratiarum actionis, dicere non possumus.* Hæc Basilius, insinuans non aliundè, quàm ex Apostolica traditione hunc morem acceptum. De hoc quoque meminêre S. Chrysostomus in Psal. 118. Isidorus in reg. monach. cap. de officiis & Concil. Toletanum 1. c. 9. cavens ut *Lucernarium nisi in Ecclesia non legatur.* Verùm non tam ad hanc solemnem, & prolixiorem gratiarum actionis formam, quàm ad vulgarem benedictionis modum, quo super res quaslibet oblatas, sancti maximè antiqui signum crucis edere solebant, videtur mihi respexisse Columbanus.

Opus peculiare antiquis Monachis inhibitum.

(b) *Operis peculiaris præsumptio.* Hæc verba ad litteram habet Cassianus l. 4. c. 16. Opus autem peculiare (ut benè advertit Gazæus in hunc locum Cassiani) est quod in proprium commodum aut quæstum, non in commune utilitatem: vel quod propriâ authoritate aut temeritate contra vel præter mentem Abbatis præsumitur. Unde S. Aug. in reg. c. 16. *Nullus*, inquit, *sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant, majori studio & ferventiori alacritate, quam si vobis singulis faceretis propria.* Operis quoque peculiaris mentio reperitur in Regula S. Benedicti cap. 55. ubi statuitur, ut lecti Fratrum ab Abbate frequenter visitentur, *propter opus peculiare, ne inveniatur.*

Monachi S. Columbani nihil proprium admittebant.

(c) *Possessio alicuius rei.* Hæc clausula in Codice Augustano deest, verùm de textu est, ut vel ex ipso capitis titulo constat, in quo sic habetur: *vel qui suum proprium aliquid dixerit*, & author vitę S. Walerici disertè testatur Monachos S. Columbani nihil sibi proprium vendicasse: *in cuius*, inquit, *cœnobiis nemo sibi aliquid ceu proprium vendicabat præter diurnos labores, nocturnasque vigilias; omnibus omnia erant communia.* Quin & Jonas de S. Columbano ejusq; in Galliam comitibus cap. 4. sic habet: *communia omnia omnibus erant: si quispiam aliquid proprium usurpare tentasset, cæterorum consortio segregatus pœnitentiæ ultione vindicabatur.* Ex quibus locis colligitur strictam apud Columbani Monachos proprietatis abdicationē viguisse, quam nullibi in sua institutione clarius & apertius prohibuisse reperitur, quàm hîc. Porrò hujus sanctæ abdicationis, apud omnes hactenus Monachos consuetæ, tanta apud Ægyptios viguit observantia, ut teste Cassiano l. 4. instit. c. 13. *Ne verbo quidem auderet quis dicere aliquid suum, magnumq; esset crimen ex ore Monachi processisse, Codicem meum, Tabulas meas. &c.* Quæ perfectæ renunciationis forma à primis Cœnobitis, Apostolorum videlicet discipulis, promanavit; de quibus legitur Act. 4.

Vita S. Columban.

Antiqui Monachi ne verbo quidem aliquid dicebant suum.

Nec quisquam eorum aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Vide hac de re Trithemium in Opusc. de propr. Monach. c. 6. Basilium institut. Monast. c. 21. S. August. c. 2. regul. Chrysost. homil. 58. & 59. & alios à Gazæo ad citatum Cassiani locum adductos.

IN CAPUT III.

(a) Ex *transgressione securitatis.* Hoc est, incuriæ; securus namque dicitur qui sine cura est: quo sensu frequenter ab hoc Sancto vox hæc accipitur. *Qui egrediens domum ad orationem poscendam se non humiliaverit &c.* & *qui regrediens domum orationem petens non se curvaverit intra domum &c.* Hanc sanctissimam sanctionem inter alia calumniatus fuit Agrestinus, quem doctâ responsione confutavit S. Eustasius ex illo Psalmistę versiculo: *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc & usque in sæculum:* qua de re copiosius Jonas in vita ipsius Eustasii. Per orationem hic videtur intelligi benedictio, quæ cum aliqua brevi precatione exhibebatur; ad quam benedictionem recipiendam monentur hoc canone Monachi sese inclinare. Et licet hîc videatur esse sermo de egrediente, vel ingrediente Monasterium, observabatur tamen idem universim in omnibus Cœnobii officinis, in quibus Fratres morabantur, ut ex illa Agrestini impugnatione liquet. Cæterum illud, quod de cruce adeunda interponitur, indicare videtur reverentiam, vel inclinationem aliquam, quam cruci, seu imagini Crucifixi forsan exhibere solebant illius instituti Monachi ad exitum vel introitum domorum Monasterii.

Psalm. 120.

Jonas in vita Eustasii.

Benedictionis usus apud Monachos S. Columbani.

(b) *Usque ad superpositionem.* Codex Augustanus ut plurimùm *suppositionem*, interdum etiam *positionem* nudè inscribit, nusquam autem *superpositionem.* Quod hic semel notasse sufficiat. Porrò frequens hujus vocabuli usus apud hunc & Cumeanum Abbatem in suo Pœnitentiali, admodum tamen obscurum est quid eo velint intelligi. Infra cap 3. & 6. hæc vox silentio jungitur: *superpositione*, inquit, *silentii, aut quinquaginta percussionibus &c.* Unde quis opinari posset, per hoc pœnam servandi silentii ad aliquod tempus intelligi. Verùm passim in hac Regula, & dicto Pœnitentiali sola usurpatur. Unde aliud videtur *superpositio* seorsim prolata, aliud *superpositio silentii.* Priori modo accepta gravior erat pœnâ viginti quatuor plagarum, ut ex Pœnitentiali ipsius S. Columbani infrà suo loco posito mihi videor colligere, in quo vallum Monasterii apertum de nocte relinquenti, tanquam gravioris culpę reo, *superpositionis* imponitur pœna; de die verò idem facienti, velut levius delinquenti, non nisi viginti quatuor plagæ pro pœnitentia assignantur. Altero verò modo accepta *superpositio* videtur adæquare pœnam quinquaginta percussionum; quandoquidem ambo sub disjunctione jerguntur cùm dicitur: *superpositione silentii, aut quinquaginta percussionibus &c.* Cumeanus cap. de fornicatione, de Presbytero, aut Diacono fornicario loquens, *tribus*, inquit, *annis pœniteat, veniam omni horâ roget, superpositionem faciat in unaquaque hebdomada, exceptis quinquagesimis diebus; post superpositionem, pane sine mensura utatur, & ferculo aliquatenus butyro impinguato, hoc est, quadrante, & die Dominico sic vivat &c.* Eadem voce utitur cap. de gula, & cap. de ministerio & reædificatione Ecclesiæ. Cæterùm de vocis significatione nihil certi habeo. Forsan illo vocabulo aliquod flagellationis genus intelligebatur, quod in se ipsemet delinquens exercebat, (nam percussiones illæ, de quibus hic passim fit mentio, non ab ipso percusso, sed ab alio infligebantur, ut alibi dicam) & simile videtur illi castigationi, quam hujus temporis Religiosi & Monachi disciplinam vocant. In quo autem ab hoc distingueretur *superpositio silentii*, dicere non possum, nisi quòd hæc videatur fuisse specialis aliqua, *superpositione* absolutè sumpta levior castigatio, cui annexa erat obligatio silendi ad aliquod tempus, indeque dicta fuerit *superpositio silentii.* Posset etiam forsan per superpositionem congruè intelligi publica aliqua castigatio cum aliqua notoria vel patenti confusione, alienis etiam manibus inflicta, similis illi, quam art. 87. suæ Regulæ præscribit Pachomius Monacho pertinaciter alium pervertenti: *separabunt eum*, inquit, *extra Monasterium, & verberabunt eum ante fores triginta novem, dabuntq; ei ad vescendum panem*

Superpositio quid, & qualem importet pœnam.

panem solum & aquam, *donec mundetur a sordibus.* Sed superpositio non videtur fuisse tam gravis punitio, quàm hęc, cùm pro levibus interdum culpis hîc plures nonnunquam superpositiones imponantur.

IN CAPUT IV.

(a) *ORdinem ad Sacrificium &c.* Hoc est, qui suo tempore Missam non celebraverit, vel audiverit, sed tempus sibi præfixum transgreditur. *Qui subridens in Synaxi*, &c. *sex percussionibus.* Maximum tempore Officii divini ab antiquis Monachis servabatur silentium & modestia, maximè verò ab Ægyptiis Cœnobitis, de quibus scriptum reliquit Cassianus l. 2. instit. c. 10 quòd *tantum à cunctis silentium præbetur, ut cum in unum tam numerosa Fratrum multitudo conveniat, præter illum, qui consurgens Psalmum decantat in medio, nullus hominum penitùs adesse credatur.* Hæc Cassianus. Cæterum loquenti vel ridenti tempore Synaxis pœnam assignat his verbis Regula Pachomii art. 1. *Si acciderit, ut psallendi tempore, vel orandi, aut in medio lectionis aliquis loquatur aut rideat, solvet cingulum & inclinata cervice, manibus ad inferiora depressis, stabit ante altare, & à Principe Monasterii increpabitur.* Videatur Climacus grad. 4. S. Benedictus cap. 52. Reg. & Innocentius 3. cap. *Cum ad Monasterium*, quos omnes latius citat Gazæus ad locum citatum Cassiani.

Silentium antiquorum Monachorum in Synaxi.

(b) *Nisi venialiter contigerit.* Hoc est, nisi seipsum reprehendens culpam agnoverit, & veniam petierit: humilis enim confessio apud sanctos hos Monachos facilè indulgentiam consequebatur. Unde in hoc eodem capite habetur, quod *fabulas otiosas proferens ad alterum, statim semetipsum reprehendens, veniâ tantùm; si autem se non reprehenderit, superpositione silentii, aut quinquaginta percussionibus sit puniendus.*

(c) *Eulogias immundus accipiens.* Codex Augustanus alio quidem, sed congruo sensu *in mundo.* εὐλογία, vox Græca, Platoni 2. de Republ. bonam orationem significat. Accipitur etiam pro munificentia, seu munere amicis misso, quo sensu hic usurpatur, ubi Monacho prohibetur ne munuscula suscipiat; quod etiam S. Benedictus suis inhibuit cap. 54. Regulæ, & Canones incerti authoris apud Basilium, art. 49. vetant omnibus, excepto Archimandrita, *accipere aliquid alicunde.* λογίας, id est, collectiones pro eleēmosynis & collationibus dixit Paulus 2. ad Corinth. 9. & 6.

Monachi antiqui prohibentur eulogias, seu munuscula recipere.

(d) *Oblivíscens oblationem*, hoc est, Missam, *facere.* Ubi assignatur pœna prætermittenti horam celebrandi.

(e) *Fabulas otiosas proferens.* Hoc strictè prohibebant & puniebant antiqui Patres. Vidi ea quæ habet incertus apud Basilium post epistolam ad Monachum elapsum art. 34. *Si quis facetias loquatur, aut inaniter garriat, careat benedictione.* Ipsum item Basilium const. mon. c. 13. S. Bern. l. 2. de consid. c. 13. S. Benedict. c. 4. Reg. Laurent. Justin. l. de disc. c. 22. Huc spectat judicium illud, quod propter scurrilitatem & facetias in hac vita frequentatas, post obitum subiisse legitur in vita Hugonis Cluniacens. Abbatis, Duranus Episcopus Tholosanus, qui Siguino Presbytero labiis ulcerosis ora tumida pręferens apparuit.

(f) *Excusationem proferens cum simplicitate.* Hoc est, ut arbitror, cum imprudentia. Nam apud Plin. *l.* 8. c. 4. & Quint. l. 2. c. 12. *simpliciter*, idem sonat, quod imprudenter. Videtur hic excusans se cum simplicitate accipi, ut opponitur excusanti se ex dolo vel malitia.

IN CAPUT V.

(a) *EXcusans ad veniam*, subintelligendum puto, *impetrandam*; taxari namque videtur hîc Monachus, qui punitionis modum evadendi studio se excusat.

(b) *Nisi hoc tantum licet.* Hoc est, solum licitum erit respondere coæquali *Fratri suo* &c.

(c) *Non filius Dei spiritualis.* Monachus sese excusans dicitur filius Adæ, quia Adam cùm à Deo argueretur, suæ transgressionis culpam conjecit in Evam, & illa similiter in serpentem.

IN CAPUT VI.

(a) A*D portam requiei humilitatis Dominicæ.* Portam requiei humilitatis Dominicæ videtur appellare humilem culpæ agnitionem ſupradictis verbis expreſſam, nempe *mea culpa*, quæ ſignum eſt humilitatis Chriſti, qui cum maledicebatur, non maledicebat; ſed adverſus ſemetipſum à peccatoribus miram ſuſtinuit contradictionem; unde Monachus in contradictionis & ſuperbiæ verbo perſiſtens à Fratrum conſortio hîc ſegregatur. De Monacho contradicente vel murmurante cùm aliquid à ſeniore præcipitur, vide caput primum Regulæ prioris, ex qua aliqua huc verba ſunt tranſlata: lege quoque articulum 89. Regulæ S. Pachomii.

Heb. 12.

(b) *Oſtiarias horas non benè cuſtodierit.* In Codice corruptè habetur, *heras.* Unde non aliud hic indicari videtur; quàm ad portam diligenter accurrendum eſſe Monacho cùm jubetur, aut ejus vices requirunt; ſicuti enim coquinæ, ita & oſtii per vices curam obibant Monachi antiqui. Certè nullatenus legendum *heras*, cum tales fuerint hi Monachi, qui omnem penitùs mulierum familiaritatem, imò etiam famulatum, à ſuis habitaculis excluderent, ut ſatis conſtat ipſius S. Columbani teſtimonio, qui Theodorico Regi durius ipſum increpanti, quòd omnibus Chriſtianis ad ſecretiora loca Monaſterii non pateret aditus, *reſpondit*, ut narrat Jonas cap. 18. *ſe non habere conſuetudinem, ut ſæcularibus hominibus, & à religione alienis famulorum Dei habitationis pandat introitum.* Ubi non mulierum tantùm, ſed omnium ſæcularium cum Monachis commerciũ repellit: & in quodam MS. Codice S. Patritii, de quo alibi, legitur Sanctos 2. ordinis in Hibernia, ex quibus erat S. Columbanus, mulierum famulatum à ſuis domibus excluſiſſe.

IN CAPUT VII.

Pœna Monachi detrahentis.

(a) Q*Ui detrahit alicui Fratri.* De Monacho detrahente, vel detractioni conſentiente ſic habetur in pœnis incerti apud Baſilium, art. 35. *Si quis inventus fuerit detrahens aliquibus, aut aliquos detrahentes audiens, & non increpans ipſos, aut indicans Archimandritæ, unà cum ipſis excommunicetur.* Videri hac de re poſſunt ipſe imprimis Baſilius reg. brev. interrog. 26. Pachomius art. 84 & 88. ſuæ reg. Caſſianus l. 4. c. 6. S. Benedictus tum aliàs ſæpe, tum præcipuè cap. 34. ex quibus clarè conſtabit, quàm graviter detractionis & murmurationis vitium punire conſueverunt antiqui Monachi.

(b) *Qui aliquam contemptionem &c.* Hoc eſt, qui verba deſpectoria, ſeu contemptoria contra ſe prolata cum triſtitia & indignatione, & non cum affabilitate & manſuetudine exceperit. Vel ſi cum Codice Auguſtano, *contentionem*, legamus: qui aliquam contentionem, ſeu altercationem cum triſtitia, ſeu indignatione in ſe, vel in alio ſecutâ exercuerit, *tribus ſuperpoſitionibus pœniteat &c.* Poſterior lectio videtur titulo conformior, in quo *de contentioſo* fit mentio. Pœna Impatientis.

(c) *Qui aliquem reprehendens Præpoſito ſuo.* Codex Auguſtanus habet Præpoſitum ſuum, qui ſenſus ex capitis titulo colligitur, ubi legitur: *qui reprehendit Superiorem ſibi.* Verborum autem intellectus hic eſt: Qui Præpoſitum reprehendens non vult agnoſcere culpam ſuam, niſi coram Seniore, ſeu Abbate, tribus ſuperpoſitionibus &c. *niſi hæc omnia à confeſſione*, ſeu ad ſenſum aptiùs, *conventione*, ut habet Codex Auguſtanus, *verecundiæ fiant*, id eſt, niſi iſta faciat, ut coram Prælato culpam agnoſcens majorem confuſionem & verecundiam ſubeat de commiſſo peccato. Juxta lectionem Codicis Oxenhuſani hic videtur eſſe dictorum verborum ſenſus. Qui cum aliquem reprehendit, non vult hoc indicare Præpoſito, hoc eſt, Prælato inferiori, ſeu Vicario, aut Præfecto decaniæ, in qua ipſe recenſetur (monaſteria enim illorum temporum, in quibus magna Monachorum degebat ſocietas, in decanias dividebantur, ut in Notis ad hujus Sancti vitam ſæpius dictum eſt) qui non vult, inquã, Præpoſito id indicare, donec Abbati indicet, *tribus ſuperpoſitionibus &c.* Vel fortè, & magis ad litteram, per confeſſionem, vel conventionem verecundiæ intelligitur ibi agnitio culpæ, nam cap. ſeq. poſtquam Monacho, ſuo Præpoſi-

Præposito obloquenti & contradicenti, quadraginta dierum imponitur pœnitentia, additur tamen: *nisi ipse dicat, pœnitet me quod dixi.*

(d) *Supprimat interim compassionem:* Codex Augustanus habet, *compassione,* quæ putarem separanda, ut sensus sit: supprimat supple tristitiam, *cum passione*, hoc est, patientia, donec passionis motus quieverit, & tunc verecundius exponat causam, vel culpam suam. Quod si conjunctim & in accusativo legatur, *compassionem*, forte per compassionem intelligitur ibi passio, & sic illo articulo moneatur Monachus tristis supprimere passionem tristitiæ.

(e) *Si quis dicit ad consanguineum &c.* Hic punitur qui suo malo consilio consanguineum suum à bono proposito, & loco divinis obsequiis opportuno revocat, ad malum inducens.

IN CAPUT VIII.

(a) QUi *consanguineum suum docet.* Hic articulus in se valdè obscurus explicari videtur per verba hæc præfixa in titulo: *de eo qui docet consanguineum suum contra Seniorem suum &c.* Unde videtur textus aliquo modo supplendus illis: *contra Seniorem,* aut similibus verbis.

Ingressus cellarum antiquis Monachis interdictus.

(b) *Qui visitaverit alios Fratres in cellulis eorum sine interrogatione.* De circumeunte cellas aliorum ita canones illi incerti apud S. Basilium art. 33. *Si quis inventus fuerit loquens per cellas, exceptis his, qui faciunt ipsas, aut his, qui quietem & silentium imperant, careant benedictione.* Regula autem Pachomii art. 61. sic habet: *ad alterius cellulam intrare nullus audebit.* Vide S. Benedictum cap. 48. Reg. Quod additur, *sine interrogatione,* idem est, ac sine petita & obtenta facultate, juxta illud Regulæ Pachomianæ art. 47. *Nullus neque ambulandi in monasterio, neque extra murum monasterii procedendi habeat facultatem, nisi interrogaverit Præpositum, & ille concesserit.* Vide caput 9. Regulæ superioris, ubi præscribitur, ut Monachus in suis agendis semper ex ore pendeat alterius; & tractatum de pœnitentia; ubi *faciens aliquid sine interrogatione; vel contradicens,* tribus superpositionibus punitur.

Observatio clausuræ apud antiquos Monachos.

(c) *Qui extra vallum &c.* Contra exeuntem sine licentia septa monasterii est articulus 47. Regulæ S. Pachomii jam citatus, & articulus primus Canonum incerti apud Basilium in hæc verba: *si quis egrediatur de monasterio non acceptâ benedictione, aut non dimissus ab Archimandrita, hoc est, Patre & Præfecto Monasterii, sit excommunicatus*; quæ verba apud ipsum Basilium ferè omnia leguntur in instit. Monach. quibus, & similibus observantia clausuræ indicatur, quam apud antiquos Monachos viguisse constat ex S. Gregorio l. 2. dialog. Dorotheo serm. 9. Climaco grad. 4. & S. Benedicto cap. 67. & aliis. Vide Gazæum ad dictum articulum.

(d) *Superpositione & vinculis.* Cod. August. *superpositione in vincula.* Quo forte indicatur aliud superpositionis genus distinctum à superpositione silentii.

(e) *Ut non se appellent invicem.* Hoc est, ut non colloquantur, vel confabulentur mutuò, quibus id fuerit vetitum, ut colligitur ex contextu.

Quid chrismal.

(f) *Cum ceciderit chrismal. &c.* C. Aug. *cui.* Eandem vocem usurpat Cumeanus cap. de minister. Ecclesiæ cum ait: *qui autem perdiderit suum chrismal, aut solum sacrificium in regione qualibet, & non invenitur, tribus quadragesimis, vel anno pœniteat.* Habetur quoque ejusdem vocabuli infra in hac ipsa Regula mentio cap. 15. ubi dicitur: *qui autem merserit sacrificium, continuò bibat aquam, quæ in chrismali fuerit, sacrificium comedat.* ex quo loco colligitur chrismal fuisse vas seu pixidem, in qua circumferebant secum monachi iter agentes, species consecratas, juxta videlicet consuetudinem primitivæ Ecclesiæ, qua fideles Eucharistiam pro viatico secum ferre in itinere solebant, ut ostendit Baronius ad annum Christi 57. n. 151. ex Ambrosio, & S. Gregorio, quam consuetudinem in Hibernia viguisse etiam temporibus Alexandri Papæ III. ex Actis S. Laurentii Archiepiscopi Dubliniensis colligitur, in quibus hæc ab eodem Baronio citata verba leguntur: *quatuor sacerdotes cum magna turba hominum transire comperiunt, qui Eucharistiã*

Consuetudo antiqua Ecclesiæ ferendi in itinere Eucharistiã.

(sicut tunc moris erat pluribus) secum pro tuto viatico, ac securo duce itineris publicè deferebant. Vide Baronium loco cit.

IN CAPUT IX.

(a) *Non lavent capita, nisi Dominica &c. arbitrio senioris in lavando unusquisque utatur.* Hîc insinuatur consuetudo, quæ apud antiquos erat in usu, capita lavandi, quæ in Hibernia hodieque apud sæculares multis in locis observatur, & apud Pachomianos olim Monachos viguisse colligitur ex articulo 52. Reg. ubi dicitur, quod *nemo lavare alterum aut ungere, nisi ei fuerit imperatum*, & iterum ar. 54. *nullus attondat caput absq; maioris imperio.*

Consuetudo lavandi capita Monachis antiquitus usitata.

(b) *Pro visione nocturna.* Per hoc intelligit turpes per somnia illusiones sive dæmonis astutiâ, sive propriâ culpâ dormientibus immissas.

(c) *Qui ergo in nocte Dominica &c.* quantum capio, quod hoc loco de genuflexione sequitur, pœnitentia est Monachi genuflectentis in die Dominica & in Quinquagesima post Pascha. Hoc enim velut communi & receptæ consuetudini contrarium puniendum existimabant antiqui. Sed hoc secundum lectionem nostri Codicis Oxenhusani. Nam juxta Augustanum, in quo sic legitur: *In commune autem omnes Fratres omnibus diebus &c.* alius ejus clausulæ sensus eruitur, priori dissimilis, nimirum iste. Qui pœnitentes sunt, etiam in Dominica, & diebus Quinquagesimæ genua flectunt: omnes autem Fratres in communi singulis diebus ac noctibus genuflectunt; exceptis Dominicis & Quinquagesima, in quibus tantùm se inclinant. Et hic longè clarior & germanior videtur istius litteræ intellectus. Unde planè corruptum existimo hoc loco textum Oxenhusanum.

(d) *Exceptis diebus Dominicis, etiam & prima die S. Paschæ usque ad quinquagesimum diem,* in quibus &c. *genua non flectentes &c.* Hanc consuetudinem ab Apostolorum etiam temporibus in Ecclesia usurpatum, psalmodiam & orationes publicas diebus Dominicis, ac in Festo Paschæ cum sequentibus quinquaginta usque ad Pentecosten sine geneflectione, aut etiam jejunio, transigendi, multi antiquissimi & gravissimi Scriptores commemorant, ex quibus etiam colligitur, non tantùm apud Monachos, sed & apud omnes communiter fideles, ejus usum viguisse. *Die Dominico (* inquit Tertullianus lib. de corona mil. cap. 3.) *ieiunium nefas ducimus, de geniculis adorare: eadem immunitate à die Pascha in Pentecosten usque gaudemus.* & Sanctus Hieronymus adversus Luciferianos cap. 4. *die Dominico,* inquit, *& per omnem Pentecosten (* hoc est *quinquaginta dies* à Paschate ad Pentecosten) *nec de geniculis adorare, & ieiunium solvere, multaq; alia, quæ scripta non sunt, rationabilis sibi observatio vendicavit.* Hujus porrò traditionis & observantiæ rationem assignat idem Hieronymus in prœm. comment. Epistolæ ad Ephesios cùm ait: *Pentecosten tempus lætitiæ atque victoriæ, quo non flectimus genua, nec curvamur in terram, sed cum Domino ad cælorum alta sustollimur.* Et S. Augustinus epist. 119. *propter hoc,* inquit, *Ieiunia relaxamus, & stantes oramus, quod est signum resurrectionis, unde etiam omnibus diebus Dominicis ad altare id observatur.* Idem docent alii Patres, Maximus Taurinensis Episcopus homil. 1. de Pentecoste, Isidorus l. 1. de offic. c. 33. & Raban. l. 2. de instit. Clericorum c. 41. & author ille qui de hac re tractat apud Justinum in quæst. 4. 115. Denique tota ferè collatio Abbatis Theonæ apud Cassianum vigesima prima eò spectat, ut doceat, quam ob causam instituta sit remissio Quinquagesimæ, hoc est, relaxatio jejunii in Quinquagesima, seu tempore Paschali. Qui de hac traditione & ejus ratione plura desiderat, adeat Cassianum l. 2. instit. c. 18. & citata collat. cap. 11. & 20 & ibi Gazæum, doctum sanè & copiosum Cassiani commentatorem, S. Ambrosium serm. 61. & apud Gratianum dist. 76. S. Epiphanium in compend. doct. Eccles. De hac re plura etiam Heribertus Rosweydus in suo Onomastico ad vitas Sanctorum Patrum.

Consuetudo antiqua non genuflectendi in diebus Dominicis, & tempore Paschali.

CAPUT X.

Si (a) *quis Frater inobediens fuerit, duos dies uno paximace, & aqua.* vide quæ dicta sunt ad cap. 1. Regulæ prioris, de obedientia, *& ad cap. 3. de paximacio,*

macio, & eius significatione. Codex Aug. hic ubique *unum paximacium, & aquam.* Sed prima lectio emendatior.

Si (b) duo Fratres contenderint, vel, ut habet Aug. *contendentes.* De his ita Regula Pachomii art. 118. *si inventus fuerit unus è Fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens Maioris imperio, increpabitur iuxta mensuram peccati sui:* & pœnæ Incerti apud Basilium art. 21. etiam in Sacris Scripturis contentionem prohibent. *Siquis*, inquit, *è scripturis contentiosè disputat, careat benedictione.*

(c) *Si alius contendit mendacium.* Contra mendacem monachum vide articulum 89. & 119. Regulæ S. Pachomii. S. Basilium reg. brev. interrog. 58. ubi definit non tantùm culpabilem esse qui de industria mentitur, sed etiam, qui ex ignorantia quidvis præter veritatem loquitur. Unde cap. 13. hujus Regulæ non tantùm scienter, sed etiam ignoranter mentienti pœnâ taxatur.

(d) *Et dictionem confirmat.* Codex Aug. *distinctionem.* Sed putarem omninò legendum *dictionem.* Sicut ibi posui, ut sit sensus: qui mentitur, & *dictionem*, hoc est, mendacium dictum, seu prolatum confirmat. Sed illo etiam verbo prætermisso sensus cohæret; nam *confirmat* refertur ad mendacium.

(e) *Si quis contradicit Fratri, & non petit veniam.* De Monacho, qui Fratrem à se offensum non reconciliat humili satisfactione, ita articulus 19. inter pœnas *Incerti apud Basilium. Si quis habet adversus aliquem offensam, eamque contemnens non reconciliatur ante ministerium, aut dicit causam Archimandritæ, aut cubiculorum Præfecto, excommunicetur*; ante ministerium, hoc est, communionem, ut ex articulo 27. colligitur, in quo eadem ferè repetuntur. Vide Basilium reg. brev. interrog 40. 41. & 42. qui præclara hac de re tradit documenta.

(f) *Si quis detractaverit Abbati suo.* Vel *Abbatem suum* ut Cod. Aug. vide articulum 118. Regulæ Pachomii, ubi damnātur contradicentes majoris imperio. Et S. Basilium in libro reg. fus. disput. interrog. 27. & 47. ubi declarat, qua discretione sit procedendum cum eo, qui Senioris mandatum noluit adimplere.

(g) *Si perdiderit, vel dederit aliquid &c.* articulus 38. canonum incerti authoris hac de re ista habet. *Si quis dederit foras aliquid, aut acceperit præter voluntatem Archimandritæ excommunicetur.* Vide articulum 58. Regulæ Pachomii & 75. ubi sic habetur: *Si quis aliquid perdiderit, ante altare publicè corripietur. Si verò de propriis vesticulis fuerit quod perditum est, tribus hebdomadibus non accipiet, & in quarta, actâ pœnitentiâ dabitur ei quod amisit.* Pœna dilapidantis aliquid ex rebus Monasterii.

IN CAPUT XI.

(a) SI *quis facit colloquium cum sæculari sine jussu.* Non tantùm cum externis aut sæcularibus, sed etiam cum propriis venientibus colloquentes sine licentia puniunt canones incerti, in quibus art. 8. sic habetur: *Si quis cum externis, aut propriis accedentibus conversatur, non permissus ab Archimandrita, exceptis ad hoc designatis, careat benedictione.* Pœna colloquentis cum sæculari, vel hospite sine licentia.

(b) *Qui ambulaverit in sæculo, & dicit sæculi peccata.* Magna districtione S. Pachomius suis Monachis foris venientibus inhibuit ne ea, quæ audierant inter sæculares, referrent in monasterio. *Et omninò*, inquit, *quidquid foris gesserint aut audierint, in monasterio narrare non poterunt.* Idem denuò cavet art. 49. Quod etiam S. Benedictus totidem ferè verbis, suis interdixit cap. 67. Reg. rationem assignans, *quia*, inquit, *plurima distractio est*, & subdit: *Quod si quis præsumpserit, vindictæ regulari subiaceat.* Monachos rumigerulos non patiebantur antiqui.

(c) *Aut facientem aliquid contra Regulam & consentit.* Severam profert S. Pachomius sententiam in Monachos peccantes; & Regulam transgredientibus consentientes, dicens art. 99. Reg. *Qui consentit peccantibus & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum, & homines, & corripietur increpatione severissima &c.* Vide S. Basilium reg. brev. interrog. 46. & 47. Sub nomine Regulæ videtur hoc loco Columbanus primam accipere, ad cujus observantiam strictiorem hi canones, statutorum instar, adjecti sunt. Transgressores Regulæ severè puniebant antiqui Monachi.

IN CAPUT XII.

Pœna Monachi graviter alium commoveantis.

(a) *Qui suscitat furorem Fratri suo.* Supra cap 10. pœnam assignavit S. Columbanus illi, qui contradicit seu leviter offendit Fratrem suum, nunc animadvertit in eum, qui graviter Fratrem suum lædit, seu ad furorem iræ excitat. Ubi sciendum diversa esse iram, furorem, excandescentiam, & amaritudinem, seu exacerbationem: quæ ab invicem eleganter ita distinguit Basilius reg. brev. interrog. 55. *furoris quidem & iræ differentia*, inquit, *fortasse in animi affectione & motu consistit, cum qui irascatur, in sola animi affectione perturbationem habeat: quemadmodùm apertè docet is, qui dixit irascimini & nolite peccare. Qui autem furit, maius nescio quid etiam præ se ferat: furor enim ipsis*, inquit, *secundum similitudinem serpentis. Et Herodes erat furenter pugnans adversus Tyrios & Sidonios. Porrò vehementior ille, qui ex furore existit motus, excandescentia nominatur. Amaritudo autem confirmationem perturbationis acriorem quandam significat.*

(b) *Ad orationem super mensam &c.* Intelligit benedictionem cibi ante & gratiarum actionem post mensam.

Antiqua Ecclesiæ consuetudo respondendi Amen. Vide Baronium ad annum 57.n. 163.

(c) *Si quis non dicit Amen.* Hic tangitur antiqua Ecclesiæ consuetudo, qua populus Christianus in Ecclesiæ conventu præsens, velut annuens & consentiens his, quæ à Sacerdote dicebantur, solebat conclamare, *Amen.* Unde consequens erat, ut omnes qui eâ voce uterentur, ejus vim & significationem intelligerent; quò spectant illa S. Pauli Apostoli verba: *qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet: AMEN.* Ad hanc veterrimam institutionem ex Hebræorum fontibus ductam (apud quos ex persona populi aliquid confirmantis repetita legitur hæc vox.) respiciunt hæc S. Hieronymi verba de Ecclesia Romana loquentis: *Ubi*, inquit, *sic ad similitudinem cœlestis tonitrui Amen reboat.* Item hæc S. Ambrosii l 4. de Sacram. c. 4. de fideli ad Sanctam Communionem accedente loquentis: *Ergo non otiosè cum accipis, tu dicis, Amen, iam in spiritu confitens quòd recipias Corpus Christi; dicit tibi Sacerdos: Corpus Christi; & tu dicis: Amen, hoc est, verum; quod confitetur lingua, teneat affectus.* Porrò idem Ambrosius in Psalm. 40. hujus vocis diversas affert significationes, ut aliquando sit imperantis, interdum precantis, interdum verò confirmantis, & hoc ultimo sensu accipitur à S. Paulo & aliis jam citatis; nec non & hìc à Columbano. Hæc de Amen legitimo; cæterum Amen illegitimum erat triplex; primum, quod à non intelligente vim vel significationem vocis efferebatur, & dicitur *Amen pupillum.* Aliud, quod antequam absolvebatur oratio pronunciabatur, & vocatur *Amen surreptitium.* Tertium denique, cum sic respondens aliquid aliud agebat, & tale *sectile Amen* appellatur, quasi dissectum in duas partes, dum loquens aliud agit & aliud loquitur. Vide Angel. Canin. in loc. Novi Testam. citatum à Baronio ad annum Christi 57. nu. 163. ubi de hac voce uberius agitur.

In præfat. lib. 2. in Epist. ad Galat.

Amen quid, & quotuplex.

(d) *Si transgressus erit horam*, nempe orandi vel psallendi, *quindecim Psalmos &c.* nisi matutina hiems vel hiemis, ut habet Cod. Aug. *duodecim Psalmos &c.* frigus namque hiemale tardiorem ad res sacras accessum alleviat, & ideò tunc tardè venienti levior imponitur pœnitentia; sicut & in Regula Pachomii art. 3. levius punitur tardè veniens de nocte, quàm de die, ut infrà notatur. *Nocturnum cingulum &c.* Hinc habetur Monachos Columbani, præter diurnam & exteriorem vestem, aliam interiorem & nocturnæ quieti aptam gestare consuevisse, idque redimiculo aut cingulo præcinctam, cum qua, velut minus decenti, præsenti canone prohibentur Monachi accedere ad altare. Qui de antiquorum Monachorum indumentis nosse velit, adeat Cassianum l. 1. instit. ubi hæc fusè describuntur.

IN CAPUT XIII.

Consuetudo jejunandi quartâ & sextâ feriâ.

(a) *Si quis ante horam nonam quartâ sextaq; feriâ manducat.* Moris nimirum erat in primitiva Ecclesia per totum annum extra tempus Paschale illis duobus diebus jejunare, ut testatur S. Epiphanius in compend. doct. Eccles. dicens: *Per totum quidem annum ieiunium hoc servatur in Sancta Catholica Ecclesia, quarta inquam, & pro sabbatho* (id est, feria sexta) *usque ad horam nonam exceptâ*

exceptâ sanctâ Pentecoste; per totos quinquaginta dies, in quibus neque genua flectuntur, neque ieiunium imperatum est. Hæc S. Epiphanius, cui consonat S. Benedictus, qui cap. 41. Reg. *quarta,* inquit, *& sexta feria ieiunent usque ad nonam, reliquis diebus ad sextam prandeant.* Cæterùm de consuetudine veterum Monachorum protrahendi tempus refectionis usque ad horam nonam, hoc est, tertiam pomeridianam, in qua Synaxis expleri solebat. Vide Cassianum collat. 2. c. 26. & collat. 20. c. 14. & eruditas Gazæi animadversiones ibidem. Item vitam S. Antonii cap. 37. Prudent. Hym. 10. S. Augusti. reg. 11. de temp. edendi, Ruffinum l. 3. n. 4. & n. 55. in Silvano, Pelagium libello. 10. n. 69. Joan. libello 3. n. 2. quos fusius adducit Rosweydus in suo Onomast. ad vitas SS. Pat. Cęterùm per hoc quod hic habet S. Columbanus indicari videtur, extra feriam quartam & sextam ac tempus jejunii, licitum fuisse Monachis ipsius ante horam nonam cibum sumere; & proinde per illa verba capitis tertii Regulæ prioris: *Cibus sit vilis & vespertinus,* non meridianam refectionem, sed triduanam aut quatriduanam abstinentiam, velut indiscretam excludi, prout latius ad dictum caput ostendi.

Protrahentes tempus refectionis usque in vesperam.

(b) *Duos dies in pane & aqua.* Cod. August. *in paximacium & aquam,* quæ vox paximacium ubique ferè in hoc capite, loco *panis,* ponitur.

(c) *Si oblivifcitur psallendi,* vel, ut habet Codex Augustanus, *Psalmi.* Priori modo videtur esse sensus, ne quis obliviscatur Psalmi, seu lectionis, quam ex officio debet canere in publica Fratrum congregatione. Juxta posteriorem verò lectionem videtur ibi caveri, ne cui Monacho impressus semel memoriæ Psalmus vel lectio per negligentiam elabatur.

IN CAPUT XIV

(a) SI *quis tardius venit ad orationes.* De Monacho serius veniente ad collectam seu synaxim ita Pachomius art. 3. *Quando ad collectam tuba insonuerit per diem, qui unâ oratione tardius venerit, superioris increpationis ordine increpabitur.* (vide hunc ordinem in Notis ad cap. 4. hujus Regulæ, ubi loquens vel ridens in Synaxi, punitur) *& stabit in loco convivii. Noctu verò, quia corporis infirmitati plus aliquid conceditur, qui post tres orationes venerit, eodem in collecta, & vescendi loco corripietur.* Vide etiam articulum 68. ubi idem prohibetur.

Pœna tardè venientis ad orationem.

(b) *Vel cum plausu quinquaginta, vel signis exequatur quod iubetur.* Hoc est, qui cum plausu, id est, strepitu, vel cum signis, supple nolentis aut obstrepentis, exequitur injunctum obedientiæ mandatum, quinquaginta verbera sustinebit. Qui modus contrarius est secundo acceptabilis obedientiæ gradui, (de quo suprà ad cap. primum Regulæ prioris) quo jubentis imperium cum humilitate suscipitur.

(c) *Qui post pacem sonaverit.* Hoc est, ut arbitror, qui post signum quietis & silentii strepitum, vel sonum ediderit, quo turbetur pax vel tranquillitas quiescentium Fratrum. Vel potest aliter intelligi, ut qui post pacem, supple compositam, vel initam sonaverit, id est, causam offensionis vel dissensionis, vel tumultum aliquem denuò excitaverit. *Velato capite in domum.* Per domum hic videtur intelligenda Ecclesia, vel locus ubi sunt congregati Fratres, ut Capitulum, vel Refectorium; ad quæ loca aperto capite intrare reverentia Deo & Sacræ congregationi debita exigit.

(d) *Si locutus est aliquid in ore suo.* Hoc est, si mussitaverit. Vide Regulam Pachomii art. 68. ubi mussitanti Monacho pœnitentia imponitur.

(e) *Ut tempus tenuerit, ita erit &c.* Cod. August. *Ad tempus tenuerit & tacuerit.* Prima lectio textui accomodatior, in quo id potissimùm præscribi videtur, ut tamdiu puniatur in pane & aqua Monachus invidus, quamdiu invidia vel rancor in animo perseverat.

IN CAPUT XV.

(a) QUicumque *Sacrificium perdiderit.* Idem repetit infra in suo Pœnitentiali. De Eucharistiam (quæ hic Sacrificii nomine signatur) amittente

 Vide de

Vide de consec. dist. 2. ex Decreto Pii Papæ, qua de re copiosè Rubricæ Missalis Romani, & Cumeanus mox citandus, in capite de ministerio Ecclesiæ, ubi sic habet: *Qui non benè custodierit Sacrificium, & mus comederit illud, quadraginta dies pœniteat; qui autem perdiderit in Ecclesia, & pars ceciderit, & non inventa fuerit, viginti dies pœniteat.* Et de effusione Calicis infra loquens inquit: *Qui autem infuderit Calicem in fine solemnitatis Missæ, quadraginta dies &c.*

Pœna amittentis species consecratas.

(b) *Qui negligentiam fecerit erga Sacrificium.* His & illis, quæ sequuntur similia habet Cumeanus cap. de ministerio Ecclesiæ, de hac re sic loquens: *Qui negligentiam erga Sacrificium fecerit, aut siccans vermibus consumitur, ad nihilum devenerit, tribus Quadragesimis cum pane & aqua pœniteat. Si integrum inventum fuerit, ita ut sint in eo vermes, comburatur & cinis sub altare abscondatur.* Et infra: *Si autem amißione saporis decoloratur Sacrificium, viginti diebus expleatur ieiunium, coadunatum verò septem diebus. Qui autem mergit Sacrificium, continuo bibat aquam, & quod in chrismale fuerit, sumet Sacrificium, & emendet per decem dies culpam solutus.*

Negligentia circa Eucharistiæ Sacramentum committens punitur.

(c) *Si rubro colore, viginti diebus pœniteat; si hyacintino, quindecim diebus pœniteat.* Hic taxantur Monachi, qui sua negligentia Sacram Hostiam diutius, quàm oportet, reservantes corrumpi sinunt. Idcircò autem rubrum & hyacintinum, hoc est, purpureum, signatè specificat, quòd hi colores maximè sint signa corruptionis in speciebus.

(d) *Evomuit in die Sacrificii cœnam, viginti diebus.* Vide quæ habentur circa hoc ex Pœnitentiali Bedæ de consec. distinct. 2. ubi Clerico, vel Monacho Eucharistiam evomenti septuaginta dierum imponitur pœnitentia. Vide S. Columbanum infra in suo Pœnitentiali, & Cumeanum cap. de ministerio Ecclesiæ, in quo sequentia hac de re leguntur: *Qui vomit Sacrificium, & à canibus sumitur, annum unum pœniteat; sin autem, quadragint dies, si inde quando communicaverit, Sacrificium evomuerit: si ante mediam noctem, tres superpositiones faciat.* Et infrà ex infirmitate evomenti, septem dierum pœnitentiam assignat.

Pœnitentia Sacram Hostiam evomentis.

Codex mendose habet evomerit.

DE INSITU-

DE INSTITUTIONIS & REGULÆ S. COLUMBANI APPROBATIONE ET AUTHORITATE.

IN collectis hucusque Notis conati sumus ea omnia perstringere, quæ ad Regulæ & Statutorum S. Columbani declarationem necessaria videbantur, traditæ à sancto Viro suis Monachis doctrinæ firmitatem ex inita ejus cum aliis Sanctorum Patrum Monasticis institutis collatione monstrantes; nunc tantùm superest hîc aliqua prius quàm ad alia transeamus, de dictæ Institutionis approbatione & authoritate subnectere. Qua in re tractanda ipsum Jonam ducem sequemur, qui multis in locis tam in vita ipsius S. Columbani, quàm in Actis ejus successoris Eustasii, nunc sub ipso Regulæ vocabulo, ut c. 9. & 25. vitæ S. Columbani, nunc sub nomine Instituti, ut ex cap. 6. vitæ ejusdem Eustasii apparet; interdum etiam sub Religionis appellatione, prout ex eadem historia c. 5. & ex vita S. Columb. cap. 18. expressè habetur, hujus Regulæ mentionem instituit. Et quamquam in rigore priori illi Institutioni (*quæ in omnibus* Codicibus *sine restrictione S. Columbani Regula* inscribitur) veluti quæ tria essentialia vota, & primaria regularis vitæ capita de abstinentia, silentio, orationum & Psalmodiæ formâ, aliisque similibus exactè præscribit, Regulæ nomen aptius competere videatur, quàm posteriori seu Cœnobiali, quæ Statuta dumtaxat & Constitutiones quasdam pœnales exhibet ad strictiorem & puriorem primæ Regulæ observantiam, quam proinde velut accessoria principalem sequitur; Jonas tamen utramque tanquam integram monasticæ vitæ normam ex statutis & Regula inter se subordinatis perfectè conflatam, sub unius quasi Regulæ, vel Instituti, aut Religionis communione & nomine comprehendit, ut ex Agrestianæ impugnationis articulis contra S. Columbani Regulam & Religionem ex ipso mox Jona citandis constat; quorum aliqui contra primam, alii contra secundam militant. Nam illa, quæ de cochleari signando, & benedictione in egressu, & ingressu domorum petenda carpebat Agrestius, in cœnobiali continentur; illa verò quæ circa orationum & suffragiorum in divinis officiis multiplicationem reprehendebat, habentur in prima Regula cap. de synaxi. Ex quibus intelligas ad unam eandemque monasticam institutionem spectare utramque Regulam, atque illam Institutionem, utrâq; constantem? Regulæ nomine à Jona comprehendi: & idcircò quod in alterutra contentis adversatur, Regulæ seu Institutioni monasticæ S. Columbani utramque complectenti ex mente Jonæ contrarium censeri debet. Quibus ita prænotatis, ad Jonam, à quo digressi sumus revertamur, & ex ipso Regulæ seu Institutionis S. Columbani sic acceptæ approbationem & confirmationem, auscultenus. Is igitur cap. 5. vitę S. Eustasii, postquam impii Agrestii schismatici ad partes hæresesque Aquileiensis Patriarchæ defectionem, ejusque ad S. Attalam & Eustasium post se abducendos inanes conatus expressisset, occasionem dictæ confirmationis, motam videlicet ab eodem Agrestio adversus Columbani instituta litem, in hæc verba subtexit apud Surium in ipsius Eustasii vita.

Quid nomine Regulæ, seu instituti S. Columbani intelligatur.

'*Refutatus ergo (* Agrestius) *a B. Eustasio huc illucque vagatur ut nonnullos suæ sententiæ fautores possit efficere*; sed cum præ imperitia nihil possit obtinere, B. Columbani Regulam sibi carpendam sumpsit, multa contra eam livido dente garriens,

Ex vita S. Eustasii apud Surium ad 29. Martii.

Qua occasione approbata fuerit Regula & Institutum S. Columbani.

'ac velut cænosa sus grunniens per quoscumque potuit sui similes murmur excitavit, annuente illi Abeleno Genuensis urbis Episcopo, qui illi sanguinis conjunctione proximus erat; & is quidem Abelenus vicinos Episcopos in Agrestii subsidium sensim sibi jungere, omni studio nitebatur, ita ut ipsum quoque Regem Clotharium tentaret, num ipsorum parti esset assensum præbiturus. At ille sciens, & experimento cognitam habens B. Columbani sanctitatem & Discipulorum ejus doctrinam, primò suis eos studuit responsis redarguere; sed cum nihil proficeret, statuit, ut synodali examine Regula probaretur, nihil ambigens de B. Eustasii authoritate & doctrina, quin omnes adversantes sanctæ Regulæ, prudentiâ & facundiâ suâ, adminiculante ei Spiritu Sancto, facilè superaret. Emanante ergo Regia jussione multi Burgundionum Episcopi in suburbio Matisconensis oppidi conveniunt; inter quos Maximus residebat * Tretecus Episcopus, propter quem præcipuè synodum fieri urgebat Wernacharius B. Eustasii inimicus. Sed prævaluit B. Eustasii deprecatio, ut qui fautor & patronus fieri voluit miseræ intentionis, is correptus à Domino omnium vires frangeret. Nam præfixo & statuto die, quo adversus Eustasium altercatio futura erat, ipse morte præventus interiit. Fractis ergò in illo Agrestianæ partis viribus, turbantur. Suscitantur omnes ex Agrestino, quænam adversus Regulam B. Columbani, vel Venerabilem Eustasium objiceret. Tum ille trementibus labiis, nihil authoritatis aut elucubrati eloquii habens, ait superflua quædam, & à canonica constitutione aliena, ab ejus Regulæ professoribus pari studio observari. Cumque illi urgerent, ut ea exprorueret, tandem crimina recitat; nempe ipsos suæ Regulæ habere cochleam, quam cum lamberent, eam crebro signo crucis signari, & in ingressu cujusliber domicilii intra cœnobium, tam ab introeunte, quàm egrediente benedictionem postulari. Sed cum illi nihil dignum synodali discussione objici cernerent, alia, inquiunt, si quæ habet, proponat. Prorumpit ille, aitque se scire Columbanum à ceterorum more discrepare, & ipsa Missarum solemnia multiplicatione orationum, vel collectarum celebrare, & multa alia superflua, quæ cum authore, tanquam hæreticas traditiones, voluit ut synodus execraretur. Ut vero audivit B. Eustasius hæreticos dici se, suosque, unà cum Magistro Columbano, dixit ad synodum: vos ô decus Sacerdotii probare debetis, quinâ in Ecclesiis veritatis ac justitiæ seminaria constituunt, & qui à veritate & verâ religione aliena tradant. Quidquid enim à norma veri tramitis dissentit, extra Ecclesiæ corpus haberi debet. Vestrum est discernere objecta, an sint à scripturarum serie aliena. Ajunt illi: ex tuo ore nosse volumus, quod his responsum reddas. At ille: nequaquam, inquit, reor ego contrarium esse religioni cochleam, quam Christianus lambit, vel quodcumque vas aut poculum crucis signo muniri, cum per adventum signi Dominici pellatur pestis adversantis inimici. Introeuntem verò monachum cellulam, vel exeuntem benedictione Domini armari ratum duco juxta illam Psalmistæ vocem: Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animã tuam Dominus. Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc & usque in sæculum. Et licet hoc ad unumquemque Christianum possit referri ut gratiâ baptismi per fidem in Ecclesiam intrans servetur, & usque ad finem perseverantiæ vigore firmetur; tamen ad quotidianum motum sive in ingressu, sive egressu vel progressu, unumquemque nostrum signo crucis muniri vel benedictione sodalium roborari fas duco. Multiplicationem verò orationum in sacris Officiis credo ego omnibus Ecclesiis proficere. Quantò enim plus Dominus quæritur, tantò plus invenitur: & cum crebrius oratione pulsatur, ad miserendum petentibus citius excitatur. Nihil enim magis desiderare debemus, quam orationi incumbere; sic enim ipse Dominus in Apostolis nos hortatur: vigilate & orate ne intretis in tentationem. Sic & Apostolus sine intermissione orare nos docet. Denique omnis sacra Scriptura ad Deum clamare nos jubet. Qui enim clamare negligit, tanquam à Christi membris neglectus & præcisus abjicitur; nihil enim tam utile, tam salutare, quàm creatorem multiplicatione precum & orationum assiduitate pulsare. His & consimilibus responsis confusus Agrestinus

Solicitatur Clotarius Rex adversus Regulam S. Columbani.

Conveniunt Episcopi ad examinandã Regulam.
* forte *Trecensis.*

Objecta Agrestii contra Regulam S. Columbani.

Diluit Eustasius.

Ps

Multiplicatio oratonũ & suffragiorum utilis ac salutaris.

Lucæ 40.

Thess. 5.

ſtius addit garrulitatis noxam, calumniatur capitis comam aliter tonderi, aliter characterem exprimi, & ab omnium recepto more deſciſci. Cum ſic ille frivola garriret, ſagax Euſtaſius, ut erat virtute patientiæ & ſcientiæ inſignis reſpondit: In horum præſentia ſacerdotum te ego ejus diſcipulus & ſucceſſor, cujus tu diſciplinam & inſtituta damnas, ad divinum judicium cum illo intra præſentis anni circulum diſceptaturum invito, ut juſti judicis examen ſentias, cujus famulum tuis obtrectationibus maculare conaris.

S. Euſtaſius Agreſtinum ad divinum tribunal invitat.

His dictis metus quoſdã partis Agreſtianæ perculit, hortanturque omnes, ut pacis nexu corda jungantur, & *ille* quidem à præſumptæ temeritatis audacia deſiſteret, hic verò paterno affectu piis correptionibus labentem foveret.

Patres Synodi pacem inter eos ſuadent.

Reſpondet B. Euſtaſius: veſtris ego precibus libens ſatisfacerem, ſi miſera mens duritiam vecordiæ abjiceret, & correctis cauterio morbis, vel antidoto curatis viſceribus, redux ad ſana conſilia ſe recipere niteretur. Tum verò cogentibus cunctis Agreſtius ſimulatam pacem poſtulat, uti poſtea factis declaravit.

Quam ſimulatè init Agreſtius.

Euſtaſius miti animo & mente virtutum conſcia, ſuaſione poſcentium flexus, pacem tribuit, oſculum porrigit. Hæc Jonas; ex quibus colligitur, rejectis Agreſtii obtrectationibus & calumniis S. Columbani Regulam pro ſana & ſancta, canonicisque ſanctionibus conformi doctrinâ, à Patribus Concilii receptam & approbatam fuiſſe; quam divino quoque judicio confirmatam edita cælitùs contra ejus tranſgreſſores & deſertores poſteà *ſigna demonſtrant*, *de quibus* idem Jonas *cap. 6.* ejuſdem hiſtoriæ, qui poſtquam retuliſſet, ut præfatus Agreſtius initæ cum Euſtaſio pacis immemor S. Romaricum & Amatum pervertere ſit conatus, & exinde à S. Burgondofara (quam inter alios ſuis ſuggeſtionibus à Columbani doctrinâ abſtrahere fruſtrà tentaverat) virili conſtantiâ ſit repulſus, ſermonem ita proſequitur,

Confutatus ille (nempe Agreſtius his Chriſti famulæ Burgundofaræ) reſponſis, rurſum ad Romaricum & Amatum repedat, ut cœptam deceptionis rugam foveat & contrahat: ſed non defuit ultio divina. Cum enim ad hoc jam omnes aſpirarent (qui nimirum ſub Romarici & Amati curâ vivebant) ut contemptui priſtinorum documentorum ſubſcriberent, & aſſenſores ſe præberent: primùm lupi rabiæ exagitati, duos ex hujus aſſertionis fautoribus, per intempeſtam noctem intra ſepta irrumpentes, morſibus laniarunt, atque ipſos quoque rabie comprehenſos, miſerabiliter morti tradiderunt.

Terribilis divinæ ultionis vindicta in deſertores Regulæ & Inſtituti S. Columbani.

Alium quendam Plarcium, qui ad hunc diſcordiæ fomitem vehementer adſpirabat, dæmoniacus furor pervaſit, atque ignobiliter neci dedit; nam propria manu ipſe ſe laqueo ſuſpendit. Sed cùm ultio necdum corrigeret delinquentes protinus major ſecuta eſt. Nam ſubito fulgur lapſum è cœlo, magno fragore percutit locum; Eccleſiam pervagatur, tegumenta ſubvertit, plebem urit & exanimat, ſcilicet, ut præſens correctio illi, qui nimiâ ſimplicitate, prævenientе calliditate, everſà, ignavę perſuaſioni aſſenſum præbuerat, monſtraret futuram debere iram fugere. Mortui ad præſens ſunt uſque ad viginti, deinde metu perculſos paulatim mors rapit, ut ex ea ultione, ut ajunt, amplius quàm quinquaginta extincti ſint, authore quidem criminis ad pœnitentiam ſervato, ut ſi agnoſcat & redeat proculdubiò ſanitatem recipiat: nullum etenim Dominus perire deſiderat, ſed ſemper quamvis gravibus delictis obrutum; ut per pœnitentiæ fomenta reſipiſcat, expectat. Sed cum ille ſæpius ſibi datum pœnitentiæ locum non agnoſceret, ut B. Euſtaſii ſententia ad divinum judicium ipſum vocantis prævaleret, ante triginta dierum circulum priuſquam vertentis anni meta compleretur, à ſervo ſuo, quem ipſe redemerat, ſecuri percuſſus interiis: occaſio criminis dicebatur, uxoris permixtio: quod quamvis multi dixerint, & pro vero aſſerere voluerint, noſtrum tamen affirmare non eſt: cuncta enim, juxta Salomonem, adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum ſive malum. Et ſecundum Apoſtolum, *uniuſcuiuſque opus, quale ſit, ignis probabit.* Hoc tamen nobis dicendum eſt, juſtam eum ſententiam divini judicii ferire non diſtuliſſe, ut & aſſentatores, ſive aſſeclas ejus ceſſare à lacerationibus famulorum Dei admoneret, & ille per contumaciam admiſſa ſcelera meritâ ultione lueret.

Miſerabilis Agreſtini interitus.

Eccleſ. 12.

1. Corinth. 3

Amatus & Romaricus reconciliantur Eustasio.

'ret. *Amatus verò, & Romaricus venerabilis Eustasii indulgentiam postulantes recepti sunt, & submotâ desidiâ, eius gratiâ 'fruuntur.* Hæc Jonas de terribili vindicta impugnatorum Regulæ S. Columbani; qui post hæc subjungit, ut ex hinc ad roboranda Sancti Viri instituta; divino pariter & humano judicio confirmata, omnes Galliarum Episcopi sese contulerint; qua de re, quia infra sermo recurrit oportunius, hic verba facere prætermitto.

Non statuta addita Regulæ S. Benedicti, sed Regula per se ab illa diversa censenda Institutio S. Columbani.

Ex dictis hactenus clarè colligitur hanc S. Columbani Institutionem non esse, ut Patres Benedictini contendunt, introductionem vel additionem ad S. Benedicti monasticen; sed particularem per se vivendi formam, ab ipsius & aliorum Patrum institutis omninò diversam. Nam in allatis suprà verbis ipsi Regulæ & Instituti nomen disertè tribuitur, ejusque observatores, Regulæ quoque professores à Surio ex mente Jonæ appellantur; quod dici non potuisset, si illa tantum Statuta contineret ad alterius Regulam ordinata. Nulli enim regulares ex novorum, & strictiorum ad suam Regulam adjectione Statutorum, dici rectè possunt novæ Regulæ professores, ut exempli gratia, Cistercienses, quamvis strictiores aliquas Patrum suorum institutis pro puriori status observantia constitutiones addiderint, non alterius tamen quàm S. Benedicti Regulæ professores censentur & appellantur. Cum itaque Jonas juxta Surii interpretationem Regulæ S. Columbani ut à Benedictina distinguitur, observatores disertè *Regulæ Professores* appellarit, manifestè videtur utriusque Regulæ diversitatem indicare voluisse. Quibus accedit, quòd in vita S. Philiberti Gemetieensis Abbatis ab antiquo scriptore edita, inter SS. Basilii, Benedicti, & Macarii Regulas referuntur, & ut distincta ab aliis recensentur *S. Columbani Instituta sanctissima*, prout infra plenius ostenditur ad calcem operis in tractatu huc spectante. Non inefficax ad hoc ex ipsa Agrestii impugnatione deducitur argumentum, qui S. Columbani Regulam, ejusque professores impugnabat, & nullo modo S. Benedicti, contra quam, (nempe jam ante à Sede Apostolicâ approbatam) in consessu Catholicorum Præsulum os aperire minimè ausus fuisset. Ex quo non obscurè colligitur Agrestium pro diversæ planè professionis & ordinis à Benedictinis habuisse Monachos illos Columbani, quorum institutū & modum vivendi ipse carpebat & damnabat. Sanè qui stylum & ordinem hujus Institutionis consideraverit, perspicuè intelliget vera esse quæ jam dicta sunt. Nam in priori hujus Regulæ seu Institutionis parte præscribitur Monachis monasticæ vitæ forma, quæ debeat observari. In altera verò parte, videlicet Regulâ Cœnobiali, taxantur ea, quæ ad prioris conservationem necessaria esse possunt, canones videlicet quidam pro quotidianis Monachorum negligentiis, & defectibus pœnitentias certas complectentes; qui canones plus accedunt ad S. Basilii & Pachomii, quàm ad S. Benedicti Regulam, ut singula inter se conferenti constabit. Sed de hoc infra latius.

SANCTI

SANCTI COLUMBANI ABBATIS HIBERNI, MAGNI MONACHORUM PATRIARCHÆ, COENOBII *LUXOVIENSIS IN BURGUNDIA, ET BOBIENSIS IN ITALIA,* ALIORUMQUE PLURIMORUM MONASTERIORUM FUNDATORIS ET PATRONI

SERMONES, SIVE INSTRUCTIONES VARIÆ,

NUNC TANDEM POST MILLE ET AMPLIUS ANNOS *EX ANTIQUIS* MONASTERII BOBIENSIS MONUMENTIS IN LUCEM EDITÆ.

BENEVOLO LECTORI.

SEQUENTES Sermones, Benevole Lector, ferè omnes cum Regula suprà posita 10. capitum, & Tractatulum de *octo principalibus vitiis*, ac Opusculum de *Pœnitentia*, seu *de pœnitentiarum mensura* infrascriptum, reperi in vetustissimo Codice MS. Monasterii Bobiensis pergameneo, per Boniprandum quendam (Monachum, ut arbitror, Bobiensem) accuratè transcripto, qui se, præfixis hisce Codicis frontispicio versibus, ex-

 pressit

pressit (nisi fortè quis velit ista de ipso non tanquam Scriptore, sed donatore Codicis accipere)

Obtulit hunc Librum Boniprandus mente libenti
Columbæ eximio Patri. Qui legeris ergo
Dic: veniam largire Deus, meritumque rependе.

Qui Sermones *Instructionis*, *seu Epistolæ* inscriptione singuli prænotantur, neque titulum aliquem generalem præferunt determinatè alicujus in illis comprehensæ materiæ tractationem indicantem. Extat in celebri Monasterio S. Joannis Baptistæ Florinensis Ordinis S. Benedicti Codex pergamineus antiquus in folio, in quo præter Cassiani Instituta, & aliorum aliquot opuscula; videlicet librum Effrem Diaconi ad Monachos, viginti duas homilias Cæsarii item ad Monachos, & alia, referuntur aliquot S. Columbani Sermones; hoc est, tractatulus de octo principalibus vitiis, & instructio 3.ª & 11.ª inferius recitandæ sub hoc præfixo titulo; *Incipit ordo S. Columbani Abbatis de vita & actione Monachorum.* Quibus Sermonibus immediatè præponitur admonitio S. Basilii ad Monachos: *Audi fili monitiones Patris tui, & inclina aurem tuam ad verba mea: commoda mihi libenter auditum.* Ex quibus clarè satis colligi videtur, instructiones has ex S. Columbani intentione ad Monachos fuisse directas, maximè cum ipse Fratres suos charissimos, ad quos nimirum loquebatur, in singulis pro more compellet.

Id quod ulterius ex ipsarum scopo instructionum non obscurè innotescit; quibus Vir sanctus vanitatum mundi contemptum, & cœlestium bonorum affectum persuadere conatur; in quo potissimùm assequendo, Monasticæ vitæ sectatores, velut ex ipsa Instituti ratione, sese occupare noscuntur. Et sanè videntur mihi hi Sermones ex illis esse sacris lectionibus, quibus suos Monachos quotidianis exercitiis instruere solebat Columbanus, ut legitur in vita S. Walerici, & tradit Yepes. Ipse namque Sanctus infra serm. 6. & 8. doctrinæ & styli servans ordinem, ad prius dicta, vel dictata sese refert, eorum cum sequentibus explicans connexionem. Et hæc quidem satis favent inscriptioni Florinensi. Verùm nos, sicuti in ipsis Sermonibus transcribendis fidem, sic & in assignando titulo stylum sequi malumus Codicis Bobiensis, & sic sine ulla ad Monachos restrictione, & *Epistolæ* adjectione rejectâ, sub nudo instructionis vocabulo hos Sermones prænotabimus, atque singulis titulum & argumentum breve contentorum præfigemus obscuriorum passuum Annotationes subdituri.

INSTRUCTIO

INSTRUCTIO I.

De Deo Uno & Trino.

ARGUMENTUM.

Duobus S. Scripturæ testimoniis demonstrat Personarum Trinitatem, & essentiæ Divinæ Unitatem, cuius incomprehensibilitatem, & immensitatem eleganter ostendit, monens de inscrutabilibus hisce mysteriis non esse nimis altè speculandum, nec plura curiosiùs investiganda, quam quæ in sacro eloquio continentur; sed humili, & simplici fide, omni verborom præsumptuosa garrulitate, & curiosa inquisitione semotâ, credendum hoc mysterium, rogandum piè eum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ut circa tam profunda, & obscura illuminet tenebras ignorantiæ nostræ.

INSTRUCTIONIS valdè necessariæ curam gerens, primùm ante omnia, quod omnibus scire primum est, dicere, breviter licet, cupii, ut quod est fundamentum salutis omnium, nobis crepido sermonis sit; & nde nostra doctrina ordiatur, unde ome quod est, oritur, & quod non fui, initiatur; ostiumque nobis sermoni, cordis credulitas aperiat, quæ in saltem confessionis omnium Christianoum rectè credentium ora aperuit. Dinitio ergo humanæ salutis, Christo adivante, rectè nostra dicta sumant exrdium.

Credat itaque primùm omnis, qui vul salvus esse, in primum & in novissimm Deum Unum, ac Trinum, unum subtantiâ, trinum subsistentiâ, unum potntiâ, trinum personâ, unum natura; trium nomine, unum numine, qui est Patr & Filius & Spiritus Sanctus, Deus uns totus invisibilis, incóprehensibilis, inefabilis, in quo est semper esse, quia æternus est Deus Trinitas, cui initium nonquæras, qui finem non habet, & qui semper fuit quod est & erit; quia in Deo iteratio non est, sed semper Trinitais perfectio. Quod unus est Deus Trinitas, Deus ipse in lege de se testatur dcens: *Audi Israël; Dominus Deus tuus Unus est.* Quod autem Unus ille Deus Trinitas est, Salvator in Evangelio docuit, dicendo: *Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* His duobus testimoniis duarum legum quasi quibusdam fulcris firmissimis fides credentium firmata est. Ubi habes in veritate Trinitatem in Unitate, & Unitatem in Trinitate. Pro rei igitur magnitudine breviter quod credimus diximus, & fides cordis, oris produxit confessionem; & hoc firmiter contra omnes hæreses tenendum est, quod Deus unus dividi, vel separari non potest, quia quod fuit totus, semper fuit ut est. Cesset ergo venenosa, & insana omnium hæreticorum vesania, quando ipso Deo teste audimus & credimus: *Audi Israël: Dominus Deus tuus Unus est*; quia qui unus est, hoc semper fuit quod est; sed ut scias quantus, pluraliter dixit in mundi conditione: *faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Ne verò erres in numero, Christus tibi indicat Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, in cujus Dei, quasi unius Dei nomine, omne humanum genus baptizandum est. Quid plura de Trinitatis coæternitate? Quod dicitur *Unus est*, sufficienter nos docet. De veritate autem personarum Patris & Filii & Spiritus Sancti, (*a*) distinctio Christi, præcepti authoritate, abundanter instruxit audientes. Ex his inquam testimoniis omnis errorum exclusa perversitas est; quibus nominando, Trinitas, atque Unitas attestando approbatur. Cum rei igitur magnitudo nos de his, quasi de ineffabilibus amplius loqui prohibet, firma fide supra dicta conservemus. Quia cui hæc pauca de Deo Trinitate non sufficiunt, plura

Deuterono. mii, 6.

Math. 28.

Genes. 1.

Math. 28.

 juxta

juxta Scripturam non proderunt. De eo enim tantùm quòd Unus in Trinitate, & Trinus in Unitate est, diximus. De essentia verò ejus quis dicere poterit? quomodo ubique præsens, & invisibilis est, vel quemadmodum cœlum & terram, & omnem creaturam repleat, juxta illud: *Nonne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus.* Et alibi, *Spiritus Dei,* secundum Prophetam, *replevit orbem terrarum.* Et iterum: *cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum.* Deus ergo ubique est, immensus totus, & ubique proximus juxta suum de se testimonium: *Ego sum,* inquit, *Deus proximans, & non Deus de longè.* Non ergo longè à nobis manentem quærimus Deum, quem intra nos sumere habemus; in (b) nobis enim habitat quasi anima in corpore, si tamen nos membra sana sumus ejus, si mortui non sumus peccatis, si putridæ voluntatis corruptione immunes sumus: tunc verè ille habitat in nobis, qui dixit; *Et habitabo in eis, & inter illos ambulabo.* Si autem digni sumus, ut ille in nobis sit, tunc in veritate ab illo vivificamur quasi viva ejus membra; *In ipso enim,* ut ait Apostolus, *vivimus, & movemur, & sumus.* Quis inquam juxta hanc ineffabilem & incomprehensibilem essentiam ejus altissimam investigabit? Quis Dei profunda perscrutabitur? Quis æternum universitatis principium tractare audebit? Quis infinitum Deum omnia implentem, & omnia circumdantem, (c) omnia penetrantem, & omnia excedentem, omnia capientem, & omnia effugientem scire gloriabitur? Quem nemo vidit unquàm ut est. Nullus itaque præsumat quærere investigabilia Dei, quid fuit, quomodo fuit, quo fuit. Hęc sunt ineffabilia, inscrutabilia, investigabilia; simpliciter tantum, tamen fortiter, crede quod sic est Deus, & sic erit, quomodo fuit, quia inconvertibilis Deus est. Quis est ergo Deus? Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, unus Deus est. Amplius non requiras de Deo; quia volentibus altam scire profunditatem rerum de Deo, antè natura consideranda est. Trinitatis enim scientia profunditati maris meritò comparatur, juxta illud Sapientis; *Et Alta profunditas, quis inveniet eam?* Si quis ergò scire voluerit profundissimum Divinæ cognitionis pelagus, istud visibile antè, si possit, pervideat, & quantò minus cognoscere se noverit de his, quæ intra mare latent, tantò plus intelligat minora se scire posse de authoris profunditate, & sicut debet, & decet, minus de Creatore, quàm de creatura tractare præsumat; quia in majoribus idoneus esse non potest, qui priùs minora non investigavit, & cui in minoribus non creditur, in majoribus quomodò credendum est? Qui enim, rogò, terrena ignorat, cœlestia cur scrutatur? Oh qui vana loquuntur *nō intelligentes,* juxta Apostolum, *neq; quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* Quam multi enim, quibus est væ, fragili licet pennâ, in altum volare nitentes, & in cœlum os suum ponentes, creaturæ, vel per partes, ut non dicam omnes, (d) ratione antè * non collecta, primùm de summa profunditate immundo corde, & impuro ore docere præsumunt, non intelligentes, quod non verbis, sed fide Deus Trinitas agnoscitur, qui cordis mundi pia fide, & non impuris vaniloquiis intelligitur. Piè ergo credenda est, & non impiè discutienda est magna Trinitas; quoddam enim insuperabile, & investigabile pelagus est Deus unus Trinitas. Altum cœlum, & lata terra, & profundum mare, longaque sæcla; sed altior & latior, ac profundior, longiorque est scientia, * quia (e) naturam ascematus est, qui eam ex nihilo creavit. Intellige, si vis scire Creatorem, creaturam; si nec illam, tace de Creatore, sed crede in Creatorm; melior est enim, & plus scit pietas tacens, quàm impia loquacitas; satis enim ineptum est, & impium, de fide transire ad tractantis invisibilem, inæstimabilem, inconspicabilem Dominum, vacua verba. *Alta enim profunditas,* ut scriptum est, *quis inveniet eam;* quia sicut maris profunditas ab humanis est visibus invisibilis, ita Trinitatis divinitas ab humanis similiter sensibus incomprehensibilis deprehenditur; & ideo si quis inquam, scire voluerit quid credere debuerit, non putet se plus posse intelligere loquendo, quàm credendo; magis enim longè refugiet quæsit Divinitatis sapientia, quàm erat. Quære ergo scientiam summam, non verborum disputatione, sed morum bonorum perfectione; non lingua, sed fide quæ de cordis simplicitate procedit, non quæ de impietatis doctæ conjectura colligitur. Si ergo tractationibus quæ-

ieris

Ierem. 23.
Sapient. 1.
Isai. 66.
Ierem. 23.
2. Corinth. 6. & Levit. 26.
Actor. 17.
* forte Altissimam.
1. Timoth. 6.
Eccles. 7.
1. Ad Timoth. 1. 7.
* Codex mendosè habet *enim.*
Job 11.
* qua.
Impium est transire à fide ad vacua verba tractantis invisibilem Deum.
Ecclesiastæ 7. 25.

sieris ineffabilem, *longiùs recedet à te magis quàm erat*: si fide, *stabit* ubi deget, *in portis sapientiæ*; & ubi versatur vel ex parte videbitur, sed tunc in veritate etiam aliquatenus attingitur, quando invisibilis incomprehensibiliter creditur: Deus enim credendus est invisibilis ut est, licet ex parte à mundo corde videatur. Quamobrem ipsum ubique præsentem invisibilem Deum nostrum, Fratres charissimi, deprecemur, ut vel fidei ejus timor, vel charitas quæ nescit cadere, in nobis perseveret; qui timor junctus charitati sapientes nos faciat in omnibus, & pietas nos silere de hoc quod dictu majus est, suadeat, quia quoddam inscrutabile & inenarrabile est, Deum quod est, nosse. *(f)* Qui est, & quantus est, sibi soli notus est. Sed quia noster Deus est, invisibilis licet nobis, à nobis tamen pulsandus est, sæpè pulsandus, semper tenendus est profundus Deus, immensus, secretus, excelsus, omnipotens Deus; & per Sanctorum suorum merita & interventus orandus est, ut vel aliquam sui luminis particulam nostris tenebris largiatur, quæ nobis stolidis, & ignaris in via tenebrosa hujus mundi luceat, ut nos ad se ducat, donante Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre & Spiritu Sancto est gloria in sæcula sæculorum.

Proverb. 1.

Medit. S. August. c. 29. & in Solil. cap. 31.

ANNOTATIONES.

(a) *Distinctio Christi præcepti &c.* Hic passus paululum involutus sic explicandus & construendus. Distinctio personarum divinarum expressa in illo præcepto, ipsius Christi authoritate Apostolis imposito, videlicet: *Euntes &c. docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti &c.* Matth. 28. abundanter instruxit audientes de veritate personarum divinarum.

(b) *In nobis enim habitat (Deus) quasi anima in corpore.* Nempe per gratiam sanctificantem, qui est quartus modus, quo Deus præsentem se exhibet creaturis; nam sicut anima in corpore est principium operationum, & functionum corporalium, ita Deus per gratiam homini præsens ipsum ad opera meritoria, & spiritualis vitæ functiones vivificat. Et de hujusmodi præsentia in creatura rationali hic esse sermonem, quæ sequuntur verba demonstrant. *Si tamen nos membra sana sumus ejus, si mortui non sumus peccatis, si putridæ voluntatis corruptione immunes sumus.* Hanc porrò similitudinem tali sensu declaratam videtur insinuasse Gregorius cum dixit: *Habitare in corpore animam probant vitales sensus corporis, habitare in anima Spiritum probat vita spiritualis: illud ex visu, & auditu dignoscitur; istud ex charitate, & humilitate, cæterisq; virtutibus.* Non sunt ergo præfata verba in rigore accipienda, sicuti nec illa Athanasii in Symbolo; *Sicut anima rationalis & caro, unus est homo; ita Deus & homo unus est Christus,* ubi non est sensus quòd Christus sit unum per se compositum ex divinitate & humanitate, tanquam ex actu & potentia, sicut homo ex anima & corpore.

Gregorius in Moral.

(c) *Omnia penetrantem & omnia excedentem, omnia capientem, & omnia effugientem.* His & similibus loquendi formulis Sancti Patres non aliud intendunt, quàm Deum ita omni loco esse præsentem, ut tamen à nullo circumscribi possit. Sic Gregorius 2. Mor. c. 7. *Deum ita manere,* ait, *intra omnia, ut sit extra omnia &c.* Prudent. in Hym. de S. Romano. *Deus perennis, res inæstimabilis, extraq; & intus replet, ac superfluit.* Idem clarius tradit Theod. serm. 2. de provid. *Omnia item complectitur, ipse à nullo circumscriptus.* Videri possunt plura huc spectantia apud August. l. 1. Confess. & 22. de Civit. Boet. l. 1. de Trin. Chrysost. homil. 4. in Joan. Basil. in princip. Evang. Joan. & alios antiquos.

(d) *Ratione antè non collecta.* Substitui *non* loco *enim*, quod dubium non est vitio scriptoris irrepsisse ex *non*, ut arbitror, abbreviato reddentis *enim*. Quod non semel in his occurrit Sermonibus.

(e) *Quia naturam ascematus est, qui eam ex nihilo creavit.* *Ascemor* verbum grecum ἀσκέω, idem est, quod Latinè exerceor mente, do operam, aut etiam meditationi divinarum rerum vaco, unde *ascetes* apud Ecclesiasticos Scriptores significat eum, qui divinis se exercet, & hinc contemplativos vocamus *asceticos*. Videtur autem S. Columbanus

lumbarus illo verbo deponenter uti more Latinorum, pro contemplari, aut profundè perscrutari. Cæterùm advertendum, proculdubio per mendam irrepsisse illud *quia*, pro quo legendum *qua* satis ex ipso contextu colligitur, ubi instituitur comparatio altitudinis cœli, & profunditatis maris cum altitudine & profunditate scientiæ Dei, ut videatur ibi sensus esse iste: Altum quidem cœlum, & profundum mare &c. Sed tamen altior & profundior est scientia, qua naturam ascematus seu contemplatus est, qui eam ex nihilo creavit.

(f) *Qui est, & quantus est, sibi soli notus est.* S. Augustinus, aut quisquis author est Meditationum, & Soliloquiorum, quæ nomine S. Augustini circumferuntur, dicit Meditat. cap. 29. Soliloq. verò cap. 31. *Sibi soli integrè notam esse Sanctam Trinitatem.* Quæ, & similes Patrum locutiones, tantùm volunt illud ineffabile mysterium ab intellectu creato naturaliter comprehendi non posse, aut videri; vel certè non ita perfectè, sicut ipsa seipsam intuetur, ab ullo, vel pro ullo statu intelligi; quod insinuare videtur adverbium illud *integrè*.

INSTRUCTIO II.

De mortificatione vitiorum & acquisitione virtutum.

ARGUMENTUM.

Dimissa altiori summæ Trinitatis, tanquam humano intellectui inconprehensibili, tractatione, satius ducit ad ea transferre sermonem, quæ ad animarum faciunt ædificationem, quò spectantem elegantissimam sui Magistri Comgalli doctrinam adfert, (quam dicendorum statuit fundamentum) in qua vitiorum extirpatio, & interioris hominis renovatio prius amplectenda, quàm exterioris exercitatio, quæ sine illa ad modicum valet, varia luculentaq; comparatione demonstratur. Monet deinde sanctissima hæc monita, non aure tantum aut ore, sed efficaci promptaq; operis executione sectanda. Videatur de hac re S. Augustinus serm. 45. *de temp. & lib.* 10. *Confess. passim. S. Gregorius l.* 4. *Moral. & alii Patres, qui in abnegatione pravarum animi affectionum vitæ spiritualis fundamentum constituunt.*

DIVINAE profunditatis magnitudo emenso sermone, prælibando quasi gustata est, & cum honore debito pulsata magis, quàm enarrata est, quia illud Dei ineffabile meditandum est magis, quàm eloquendum * sit, & exceptis his, quæ aut lex, aut Prophetæ, aut Evangelium, aut Apostoli loquuntur, grande debet esse ab aliis de Trinitate silentium. Dei enim tantum de Deo, hoc est, de seipso credendum est testimonium, qui aut in lege, aut in Propheta, aut in Evangelio, aut in Apostolo, aut in speciali cuique de se, per se, aut per Angelum, testimonium perhibuit. Cæterùm disputatio, seu ingenium humanum, aut aliqua superba sapientia, quæ vel mundi in ratione fallitur, de Deo magistra esse non potest, sed sacrilega & impia in Deum præsumenda est. Unde enim reverà, quæso Fratres, illi vani, & illi nimis mali, & impii, qui vel seipsos ignorant, vel quod vivunt non sapiunt, ut * enim dicam opera cætera (quorum rationem vel minimam consequi non possunt) potuissent invisibilem Deum unum Trinitatem coæternam, omnia sub, super, in, extra, amplectentem, vel usque ad tractationis modum scire, ut non loquar definitionis de Deo finem? His itaque quasi * innarrabilibus cum debito honore silendis, de manifesta re, & ineffabili Deo placita loqui incipiamus, non præsumentes, ut alii, de quibus erubescendum est, de altioribus quærere, juxta illud Sapientis: *altiora te ne quæsieris*, sed potius de ædificatione animarum nostrarum sermocinantes, non primùm nostræ parvitatis

Margin notes: * est. — * f. nam — * idem quod inenarrabilibus — Eccli. 3.

parvitatis fundamenta jacere præsumimus, alicujus majoris doctoris authoritatem quærentes, sancti *(a)* scilicet *Fausti* luculentissimam, elegantissimamque doctrinam, de cujus dictis pauca ad initiandum opus nostrum satis convenienter elegimus, utpotè qui de eisdem monitionibus, de quibus dicere cupimus, & nos, viles licet, commissos sibi docuit, & quasi tempore, & merito, & scientiâ me prior, quasi pro me impugnaturus ignaros quosque & ignavos, prius loquatur: inquit: * Si ruris cultor, & terræ agricola, quia agrum suum seminibus præparat jactandis, non sibi sufficere putat, terram ipsam forti vomere proscindisse, ac frequenti aratro duras edomuisse glebas, sed insuper studet agrum ipsum, infœcundis graminibus emundare, noxiis evacuare ruderibus, spinarum ac stirpium formites excussos radice convellere, nequaquam credens terram suam boni esse germinis futuram, nisi mali graminis vacuam, ad se dictum putans illud Propheticum: *Novate vobis novalia, & nolite seminare super spinas*; quantò magis nos oportet agrum cordis nostri vitiorum passionibus emundare, & non sufficere credamus nobis, terram corporis nostri jejuniorum, & vigiliarum labore conficere, nisi imprimis studeamus vitia corrigere, moresque componere, qui spem fructuum non terræ credimus, sed cœlo repositam? Studeamus ergo imprimis vitia eradicare, virtutesque insinuare, eradicemus superbiam, plantemus humilitatem; eruamus iram, fundemus patientiam; excidamus invidiam, insinuemus benevolentiam. Cæterùm si caro conteratur, & anima non fructificet, sic est, quasi arari campus non desinat, & nunquam tamen messis appareat; aut si quis statuam de-foris auream, de intus luteam ædificaret. Quid enim prodest, si extra civitatem bellum geratur, & intus excidium patiatur? velut si quis extrà vineam & in circuitu ejus foderet, & intus incultam spinis, ac tribulis relinquatur. Quid ergo prodest exterioris hominis religio, * nisi interioris quoque non adhibeatur emendatio? fictus esse & latro potest, fictus & hypocrita est quicumque aliud habitu ostendit, aliud moribus. Ne simus ergo tanquam sepulchra dealbata: de intus, non de foris, speciosi ac ornati apparere studeamus; vera enim religio, non in corporis, sed in cordis humilitate consistit. In quo enim alio Dominus habitat, nisi in veri humilis corde, juxta illud Isaiæ: *Ad quem autem respiciam, aut cum quo requiescam, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos.* Quicumque ergo se habitaculum Dei effici voluerit, humilem & quietum se facere contendat, ut non verborum aviditate, & corporis flexibilitate, sed humilitatis veritate cognoscatur esse *(b)* Deicula: cordis enim bonitas non verborum fictis indiget religionibus. Vana est ergo nutibus colorata corporis religio, vana similiter corporalis sola afflictio, & cassa hominis exterioris diligentia, nisi comitetur animi fructuosa temperantia. Quid prodest passiones impugnari à famulo, quę inveniuntur pacem habere cum domino? Ideò ne fortè sine fructu laboremus, liberari à vitiis operam Deo auxiliante demus, ut postea virtutibus ornari possimus. Mundemus itaque nos quantum prævalemus ab omni vitiorum labe, à superbia primùm, ab invidia, ab iracundia, à blasphemia, ab iniquitate, à malitia, à tristitia, à vana gloria, à cupiditate, à malignitate, ab omni amaritudine; ut humilitate & lenitate, ac benignitate, mansuetudine, temperantia, misericordia, justitia, lætitia, charitateque possideamur. Sed quid facimus? Hæc quasi similia recitamus, & quasi similiter innoxia, inculta, ac indiscreta relinquimus. Legendo ea delectamur, expellendo dissolvimur. Nunquid nos salvabit ea audire, quæ intra nos comprobamur non habere? Nunquid si semper nobis legantur, & nunquam emendantur à nobis, crebra nos adjuvabit lectio eorum, quæ tardè à nobis expelluntur? Nunquid solo sermone quis suam domum à quolibet squallore mundabit, aut sola loquela pulverulentos aggeres immundi ruderis submovebit? Aut nunquid sine sudore vel quæ ad vitam quotidianam pertinent, quis efficere potest? Patientia ergo, & diligentia & labor, ac studium infatigabile, interioris hominis nobis domum mundantibus, necessaria sunt, ut in injuriis patientiam, in religione diligentiam, in operibus laborem, in profectibus studium demonstremus. Crebro nobis prædicantibus tardè emendamur; crebrò offensi, rarò patientes; crebrò victi,

* deest forte *enim*.

Verba S. Comgalli primi Abbatis Benchorensis, qui alio nomine dicebatur Faustus.

Ierem. 4.

* lege *si*.

Isaiæ 66.

victi, rarò victores; crebrò seducti, rarò intelligentes sumus. Quid ergo nobis quasi infirmis, ac indoctis pugnatoribus, quibus arma vertuntur in vulnera, subveniet, dum non hæc audire, sed complere laus est? Non enim auditu Lex sanctificat, sed facto proculdubiò; unusquisque * non verbis tantum, & corporali labore, sed morum maturitate, & cordis puritate, Dominum honoret. Nec dicatur de nobis: *Hic populus labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me*, & quando audis pugnam, crede vulnera, & fugas interesse, & dum (c) unusquisque pacem possidere à septem gentibus hostilibus se impugnantibus non potest, tamdiu accinctus dimicare non cessat, donec septem gentium Rex, & rector, Dei dono viriliter dimicando, existat. Nullus enim coronatur, nisi qui legitimè certaverit, & nemo legitimè in primo certamine certat. Primùm itaque certandum est, deinde standum est, & in bello studendum est, ut postea legitimè certandum sit. Utinam & nos legitimè certaremus, ut & coronari mereamur, & sicut in eodem apparatu, & sub iisdem armis sumus, ita cum hostibus nostris quotidiè dimicaremus, ut non in nosmetipsos, sed in adversarios nostros tela torqueremus. Hoc longus bellandi usus cum Dei gratia præstabit, per Dominum nostrum JESUM Christum, cui est honor, & gloria, & virtus in sæcula sæculorum, Amen.

* Codex per mendā habet *enim*.

Marc. 7.

2. Timoth. 2.

ANNOTATIONES.

(a) *Sancti scilicet Fausti, luculentissimam, elegantissimamq; doctrinam.* Comgallum intelligit, primum monasterii Benchorensis Abbatem, suum quondam Patrem & Magistrum, ut ipsemet paucis interjectis, expressè fatetur; qui alio nomine *Faustus* vocabatur, ut ex Notkero Balbulo Monacho Sant-Gallensi in suo Martyrologio ad 9. Junii clarè colligitur, apud quem inter alia, quæ de Sancto Columba commemorat, hæc leguntur: *Columba cum plurimos discipulos sanctitatis suæ pares habuisset, unum tamen Comgellum, latinè Fausti nomine illustrem, Præceptorem B. Columbani Magistri Domini Patris nostri Galli, virtutum, ac meritorum suorum, quasi unicum, exemplo Isaac reliquit hæredem.* Cæterum ex quo Comgalli opere illam doctrinam assumpserit, quàm tantoperè commendat, non est dictu facile, cum ejus monumenta non extent. Potuit illa, vel ex libro de methodo Monasteriorum, vel certè ex libro Epistolarum ejus excerpsisse. Vero similius videtur ex priori acceptam, in quo de Monasticæ vitæ institutis agebat Faustus, cujus illa doctrina fundamentum est.

Comgallus alio nomine dictus Faustus.

(b) *Deicola.* Id est, Dei cultor, vox quippe est, licet Latinis minus usitata, ex *Deus* & *colo* composita.

(c) *Dum unusquisque pacem possidere à septem gentibus hostilibus se impugnantibus non potest.* Loquitur de septem vitiis capitalibus, quæ mysticè figurantur in septem illis gentibus impugnantibus Israëlem, de quibus Deuteron. 7. sic legitur: *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam possessurus ingrederis, & deleverit gentes multas, Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, & Cananæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum, septem gentes multò maioris numeri, quam tu es, & robustiores te, tradideritq; eas Dominus tibi, percuties eas usque ad internecionem.* Vide de his plura apud Cassianum collat. 5. cap. 16. & sequentibus. Cur hic Columbanus septem dumtaxat numerat capitalia vitia, cùm infra octo disertè recenseat, opportunius in tractatu ipsius de octo princip. vitiis inferiùs explicabitur. Cæterùm de principali hujus Instructionis argumento, pravarum animi affectionum expulsionevide præter adductos supra Patres, S. Leonem sermon. de Joan. Baptista, Cassian. l. 5. c. 21. & S. Hieronym. in epist.

Septem capitalia vitia in septem gentibus præfigurata.

INSTRUCT. III

INSTRUCTIO III.

De sectando mundi contemptu & cœlestium bonorum amore.

ARGUMENTUM.

In hoc Sermone (qui in Codice Florinensi sub hoc titulo habetur : Qualiter Monachus Deo placere debet) *persuadere conatur mundi contemptum, & omnium, quæ in eo sunt, ex consideratione instabilitatis eorum; atque amorem cœlestium, & æternorum, quæ sapiens quisque diligere debet adiutus Divina gratia. Ostendit autem huiusmodi contemptum consistere in abdicatione voluptatum carnalium, & odio sui, quo sibi moritur homo; ad quod iucundâ sempiternorum bonorum recordatione, & amarâ suppliciorum, horrendisq; amatorum mundi exitus commemoratione pulchrè inducit.*

QUID in mundo optimum est? Authori ejus placere. Quid est ejus voluntas? Complacere quod jussit, hoc est, rectè vivere, & piè æternum quærere; pietas enim, & æquitas, pii & recti voluntas est. Ad id quomodo pervenitur? Studio. Studendum est ergo in pietate, & æquitate. Ad hoc conservandum quid juvat? Intellectus, qui cætera alia eventilans, nihil, cui inhæret, firmum inveniens, de his quæ mundus habet, ad unum, quod æternum est, ratione *(a)* convertitur. Mundus enim transibit, & quotidiè transit, & rotatur ad finem (quid enim habet, quod fini non adsignet?) & quodamodo vanitatis columnis fulcitur. Quando autem vanitatis finis adfuerit, tunc ille cadet, & non subsistet. Quod autem non finitur, de mundo non dicitur. Morte ergo & occasu omnia transeunt, & non stant. *(b)* Quid ergo sapiens diligere debet? Mortuam imaginem ex parte mutam, & ex parte sonoram, quam videt, & non intelligit? Si enim intelligeret, forsitan diligeret; sed & in hoc offendit, in quo se non ostendit. Quis enim intelligit, vel semetipsum, vel alterum, florem terræ & terram de terra factum, qua dignitate Dei Filium, & cœlicolam facit terra & pulvis post modicum futurus, & nisi anima mediante nunquam profuturus? Si quis hoc intelligit, cui Deus donavit, qua vita vivere oportet, ut æternus sit de mortali, sapiens de stolido, cœlestis de terreno, primùm sensum habeat purum, quo utatur ad benè vivendum, & non quid est, sed quid erit, videat. Id enim erit, quod non est, & per ea quæ videt, ea quæ non videt, cogitet, & nitatur esse quod creatus est, & Dei *(c)* gratiam suo advocet conamine; impossibile est enim solum per se unumquemque adipisci quod perdidit in Adam. Quid autem prodest sensum accipere, & non eo benè uti? *(d)* Benè utitur ille, qui sic vivit, ut nunquam, aut pœniteat, aut pœnituerit; pœnitentia enim sera malè usum arguit, & bona conscientia vitam laudat. Quid ergo sensus purus diligere sapit? Illud certè quod diligere, & cætera omnia fecit, semperque manet, & nunquam senescit. Nihil aliud extrinsecum diligendum est secundum veri rationem, nisi æternum, & *(e)* æterna voluntas, quæ ab æterno mirabili, ineffabili, invisibili, incomprehensibili, omnia implente, & omnia excedente, præsente, & fugiente, inspiratur & animatur. Nihil hic sapiens diligere debet, quod nihil durat; æterna enim illic cum æterno, & caduca hic cum mortali sunt. Periculosum est ergo habitare inter fallentia & falsa, & non vera videre, quæ debes amare, & videre insuper quæ fugiendo provocant, & quasi in somnio te cum eis peccare persuadent, & re odiosa tibi blanditiis rident; & jure diligenda, ac si non essent, * sed subducunt. Constat * forte si ; ergo sollicitum esse debere eum, qui inter fallentes habitat, velut qui non evadet, si non eos fugerit, cauteque

si benè egerit. Nos quomodo fugiemus mundum, quem diligere non debemus, qui in mundo sumus, quique ei mori docemur; & è contrario eum intra nos quadam lividâ cupidine * cludimus, quem sub pedibus quasi nostris conculcare debuimus. Conculcat mundum, qui seipsum vincit, qui vitiis antequam * naturâ, mente, quàm corpore moritur: nemo enim * semetipsi parcens, mundum odire potest; in se enim solo mundum aut diligit, aut odit. Nihil habet quod amet de mundo, qui corporis voluptatibus mortuus est. Tali morte moriamur, quia mors illa corporalis cunctos, ista paucos tenet. Paucorum enim sic vivere, quasi * mortui quotidiè, & dum non semper fuit, nec esse potest in mundo, sed in quadam brevi medietate, debet unusquisque sic vivere, quasi quotidiè * moriatur, ut æterna tantum & cœlestia, in quibus, si meruerit, æternus & cœlestis futurus sit, hujus mortis dubius, cogitet. Quæ enim ante mundum fuerant, ipsa erunt & post mundum, & in perpetuum, & adhuc sunt, sed non apparent, & à nobis in tantum celata sunt, ut non licet ea loqui hominibus: in cor enim, aut in aures hominis non ascendunt, neque intrant, neque humano visu perspici queunt. O quàm dolenda conditio? Quæ amare debuimus,* si ea nobis sequestrata, & incomperta, & ignota sunt, ut quamdiu homines sumus, & in hoc corporis ergastulo constituti, omninò nobis impossibilia sunt videri, audiri, cogitari ea, quæ verè bona sunt, & æterna. Quid ergo faciemus? Vel ignota amemus, & quæramus, ne fortè in perpetum ea ignoremus, & perdamus; sine causa enim natus est, qui illa perpetua & in perpetuum ignorabit, & illa æterna in æternum nesciet. O te miserum hominem! quod vides debes odire, & quod amare te convenit, ignoras. Loquens tibi tua vita, irretiris, velis, nolis; in (f) te habes, quo compediris; in te non habes quo solveris. Cavebisne te miser,* in teque ne confides, qui à te laquearis, nec à te solveris, oculos habens cæcus ligaris, libensque morti duceris. O intolerabilis cæcitas! ô dolor incomparabilis! ô infelicissima miseria! Qui favet adversariis, qui libenter se

* forte claudimus.

* f. naturâ tam mente.

* forte sibimetipsi

* forte morituri.

* corruptè morietur in MS.

* sc.

* .i. & confidesne in te.

tradit persecutoribus, sibi nunquam parcentibus, qui se alligantibus, & morti tradentibus gaudens consentit. Quis unquam lætus ad mortem pergit? Quis ad jugilandum, vel decollandum libens ducitur? Væ tibi humana miseria, utinam tantum jugulareris, vel decollareris, & non in æternum cruciareris. Quid te cæcius ô misera humanitas? Quæ sic erras videns, licet vides usque ad cœlum, non ultra; citra cœlum sapis, ultra cœlum non sapis; dura, incomprehensibilisque ignorantia, quis tibi narrabit inenarrabilia? Infelix humanitas, quid tibi subveniet? Audi quid Sapiens dixit; (g) cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt. Audisti, credo, Dominum in Evangelio dicentem: *Ite maledicti in ignem æternum,* & propter quid, scis, itur in ignem, miser homo. Esto misericors, forte à filio perditionis te sic abstrahere poteris: ne parcas cibo, ne fragili parcas vestimento, ne tibi tua præferas, plus te ames quàm tua; plus animam, quàm res tuas: tu-met enim tantùm es miser, & non tuæ res: plus temet amare debes quàm aliena. Quid enim tuum est, præter animam? Noli ergo animam tuam perdere pro nihilo. Ne parcas caducis, ne æterna perdas; alienum tibi totus mundus est, qui nudus natus, nudus sepeliris.* O inremediabilis dementia! quid alienum caducum tanto amore diligis, ut æternum proprium in æternum perdas? Cogita itaque mortem, quæ finem dat mundi * voluntatibus, & vide quò amœna divitum abiit lætitia. Luxus, jocus, libido, luxuria conticuère, & cadaver nudum, vermibus, & putredine dissolvendum, limus suscepit, miserrima anima pœnis æternis reddita. Quid hac conditione lachrimabilius? Quid hac miseria infelicius? Qui usque ad corruptionem & interitum perpetuum hujus vitæ vana sectatur. Verè melior fuit unius horæ patientia, quàm æterni temporis sera pœnitentia. Time ergo citra cœlum mortem; ultra cœlum ignem æternum; hoc quod vides, illud quod non vides, sed tamen credis ei, qui vidit. Verax enim est Dominus noster JESUS Christus, cui honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Matth. 25.

* sepelieris.

* fortè voluptatibus.

ANNO-

ANNOTATIONES.

(a) R*Atione convertitur.* Ita lego, nam in Codice mendosè *convertuntur.*

(b) *Quid ergo sapiens diligere debet? &c.* Hunc passum, ambiguæ satis interpretationis, sic intelligendum & construendum existimo. Quid ergo sapiens diligere debet? Cui interrogationi respondet: *Mortuam imaginem*, hoc est, humanam creaturam, *ex parte mutam*, nempe corporis, quod terrena sapit, *& ex parte sonoram*, videlicet animæ rationalis, in qua reperitur Sanctissimę Trinitatis imago, *quam videt & non intelligit?* Videt pro parte corporis, & non intelligit pro parte animæ, cujus ignorat dignitatem. An ergo sapiens diligere debet talem imaginem pro illa parte quæ sensu videtur? Quasi diceret, nequaquam. Est enim interrogatio negativa. *Si enim intelligeret*, animæ rationalis dignitatem, *forsitan diligeret* ipsam & æstimaret, idque vel ex eo maximè, quòd hæc ipsa nobilissima hominis portio *in hoc offendat*, id est, offendiculi & lapsus causa efficiatur, *in quo se non ostendit*, vel in quo frequenti considerationi non subjicitur, aut, quia non intelligitur. Et hæc clausula videtur ibi parenthesi interclusa; nam ad priorem, qua dicebatur imago pro parte animæ non intelligi, probandã, illâ clausulâ interjectâ, revertitur dicens; *Quis enim intelligit vel semetipsum vel alterum &c.* Sensus est. Quis intelligit qua dignitate quis vel se, vel alium, cum sit pulvis & cinis, reddat Filium Dei adoptivum & dignum vitâ æternâ per Sacramentorum administrationem, quę ex se gratiam conferunt adoptionis suscipienti: *Si quis hoc intelligit*, hanc scilicet conditionis suæ dignitatem, cui etiam Deus donavit gratiam vivendi vitâ spirituali, qua fit homo cœlestis de terreno, *primùm* omnium, *sensum habeat purum*, & vacuum omni affectione sensuali & inordinata, *& per ea quæ videt*, nempe corporalia, *ea quæ non videt*, quę sunt spiritualia, *cogitet*, quatenus, juxta S. Gregor. Hom. 11. in Evang. *Animus ex his quæ novit, surgat ad incognita, quæ non novit, & exemplo visibilium se ad invisibilia rapiat, & per ea quæ usu didicit, quasi confricatus incalescat. Et nitatur esse quod creatus est*, perditam, nimirum per peccatum primum parentis, innocentiam restaurare, & ad hoc Dei gratiam pro viribus petat & advocet, sine qua impossibile est per se quemquã vel suis viribus adipisci quod perdidit in Adam, ut definit Arausc.can.13. & 17. & variis in locis tradit Augustin. maximè de nat. & grat.c. 43. & 67. de prędest.Sanct.c. 5. & de grat. Christ. c. 50. Prosper in epist. de lib. arb. & alii Sancti Patres. Hæc igitur illius litteræ summa sententia est. Sapiens non debet diligere partem mutam imaginis mortuæ, hoc est, corporalia & terrena; sed sonoram, nempè spiritualia & cœlestia, quæ sunt animæ propria, quam si intelligeret, seu cujus dignitatem si cognosceret, forsan diligeret. Sed & si quis intelligit, & ex Dei dono accepit, quomodò spiritualiter sit vivendum, primùm evacuet sensualia, & per auxilium Divinæ gratiæ nitatur esse quod creatus est, &c.

(c) *Gratiam Dei suo advocet conamine.* Per hoc non intendit excludere concursum Divinæ gratiæ, quasi vellet asserere, aliquem suo conamine, aut naturę viribus, posse sine auxilio gratiæ, Dei gratiam invocare. Nam infrà Instruct. 15. luculenter affirmat, quòd *nisi Divinâ gratiâ nos præveniente, opus bonum inchoare, & eadem subsequente, ipsum consummare non valemus.* Quod si opus bonum inchoare aut consummare sine Dei gratiâ non possumus, certè nec Dei gratiam implorare, quod opus bonum esse, nulli dubium est. Gratiam ergo Dei suo advocet conamine, utique divinæ gratiæ pręsidiis adjutus.

Gratia ad bonum opus, etiam inchoandum, necessaria est.

(d) *Benè utitur ille qui sic vivit, ut nunquam pœniteat, aut pœnituerit*, id est, ut nunquam pœnitenda committat, vel commiserit. Ex hoc quippè probatur quis benè usus libero arbitrio, quòd peccato non succubuerit. *Pœnitentia verò sera*, ut mox ipse Sanctus subjungit, id est, peccati jam commissi, *malè usum arguit*, hominem scilicet libero arbitrio. Vide infra tract. de pœnit.

(e) *Æterna voluntas.* Hoc est pia & recta voluntas, æternę Dei legi & beneplacito conformis, unde & æterna dicitur; quæ voluntas ab *æterno, mirabili, ineffabili*, Deo scilicet mentibus fidelium *inspiratur* per gratiam prævenientem, & animatur, seu roboratur per subse-

ſubſequentem. Nihil ergo hic diligendum eſt ſecundum veri rationem, niſi Deus, & quod ejus æternæ voluntati placitum eſt & conforme. Quò ſpectant varia Scripturæ loca, ut illud orationis Dominicæ Matth. 6. *Fiat voluntas tua.* Item Joan. 39. *Hæc eſt voluntas eius qui miſit me Patris.* Rom. 12. *Ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona &c.* Epheſ. 6. *Facientes voluntatem Dei &c.* In quibus & ſimilibus multis Sacræ paginæ locis non tam de ipſa Dei voluntate, quàm de bona & recta creaturæ voluntatis & beneplaciti Divini executiva ſermo eſt.

(f) *In te habes, quo compediris.* Carnem videlicet corporis, quam hoſtem noſtrum eſſe docet Hieronymus dicens: *Quocumque pergimus, nobiſcum portamus inimicum.* Ubi de corpore mortis hujus ſermo eſt, de quo idem cum Hieronymo teſtatur Bernardus in hæc verba: *Hoſtem crudeliſſimum circumferre cogimur, quem ſuſtentare licet, non perimere.* Vide ad hæc S. Gregorium Nazianzenum orat. 16. & Climacum grad. 15. qui de domeſtici noſtri inimici blandâ, ſed periculoſâ ſocietate loquuntur.

Epiſt. 21. ad Euſtoch.

Bernard. in Evangel. 7. pan.

INSTRUCTIO IV.

Quòd in præſenti vita laborandum, ut in futura quieſcamus.

ARGUMENTUM.

Per locum à minori ad maius oſtendit ex conſideratione laborum, & periculorum, quæ ſæcularium diſciplinarum & artium ſtudioſi, ſub incerta ſpe lucri temporalis, vel fructus ex harum comparatâ notitiâ ſecuturi, tolerare conſueverunt; quanto ſtudio, & contentione Chriſti Diſcipuli, velut nobiliori multò facultati ſtudentes, ſub certâ æternorum præmiorum expectatione, præſentis vitæ moleſtias, & incommoda ſuſtinere debeant, maximè cum Chriſtus ipſe nos verbo & exemplo docuerit, non de gaudio ad gaudium, ſed de luctu ad gaudium, & lætitiam eſſe tranſeundum.

Hebræor. 12

(a) OMNIS *diſciplina* juxta Apoſtolum, *in præſenti videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris; poſteà verò iucundum fructum, placidumq́, mercedis fœnus his, qui per eam exercitati ſunt, (b) reddet.* Quid enim reverâ hic ſine mœrore, vel labore diſcitur in tempore vel maximæ ſtoliditatis & fragilitatis noſtræ? Si verò temporalia diſciplinarum genera præſentis gaudii ſuavitatem adimunt, quid de hac noſtræ ſcholæ diſciplinâ ſperandum eſt? Quæ etiam diſciplina diſciplinarum eſt, quæque æterni temporis jucunditatem, & æterni gaudii amœnitatem præſenti mœrore (c) comparat. Quod enim eſt diſciplinæ genus, quod caſtigationis mœrore careat? Quantum triſtitiæ vel mœroris in artificiis fabrilibus ineſt? Quantum laboris? Quantum induſtriæ fabricantibus, vel etiam ædificantibus imminet? Quantis verberibus, quibus doloribus (d) muſicarum diſcentes imbuuntur? Quantiſvè fatigationibus, vel quantis mœroribus medicorum diſcipuli vexantur? Qualibus verò inquietudinibus ſapientiæ amatores, vel quantis paupertatis anguſtiis * Philoſophici coarctâtur? Poſtremò quantis periculis gubernacula appetuntur? In quibus omnibus poſt licet innumerabilium miſeriarum labores, paccatiſſimus finis patienter expectatur, cujus conſideratione ſupradictæ calamitates, licet non ſine mœrore, licet cum multâ amaritudine, tolerantur. Etenim ſi cum mœrore diſciplina comitatur, finis tamen ejus in lætitia agit, & labor in ſecuritate verſatur, & mirum in modum pro lætitiâ triſtitia, pro ſuavitate amaritudo, pro ſecuritate labor, pro quiete inquietudo patientiſſimè toleratur. Licet enim ignorant ſi

diſcentes, hoc eſt diſcipuli, ſumitur namque hic nominaliter, & non participialiter.

* mendosè *Filoſophico.*

rant, si ad cujusque disciplinę finem perveniant, tamen vel pro incerta spe futuri gaudii præsentem mœrorem * sustinent, non aspernantur, * & dum laborem non segniter adsequuntur. Quis enim eorum certus est, si vel magister illius unquam disciplinę, cujus laborem sustinet, futurus sit? Vel si hujus gaudii, pro quo mœrorem tolerat, particeps existet? Quod si itaque pro temporalibus & incertis tanta, & talia infatigabiliter tolerantur, quid nos pro æternis & veris, certisque sustinere debemus, quorum finis æternus est? Etenim si incertum est apud temporalium disciplinarum appetitores, quantò tempore adeptâ disciplinâ frui eis licebit, nullâ tamen segnitiâ eam sequendi dissolvuntur; & sic dupliciter nobis dubii pertinaciores sunt, quia si ad disciplinę finem perveniant, ut dixi, incerti, pro vitę scilicet incerto, & sensus stoliditate: nihilominus adeptâ disciplinâ denuò dubitant, quàm longè eâdem utantur: quantò enim incerti de profectu, tantò certi de amittendâ in brevi disciplinâ sunt. Temporalia ergo, ut diximus, studia, & defectiva ingenia, mœrores ac tristitias, angustias ac labores, pericula ac peregrinationes, injurias ac fatigationes, cum quidem apud illos constat incerta esse & fragilia hæc, pro quibus tantæ calamitates sustentantur, tolerant; nostræ scholæ disciplina si tribulationes habeat, si molestias, si mœrores, si amaritudines habeat, mirabitur, fugienda putabitur? Nonne sine disciplinâ aliquâ perfecta magistratio, aut aliqua * militia acquiri * impossibile est? Aut disciplina sine amaritudine adipisci queat? Cum hęc ergo ita se habeant, *præparemus animum, non ad lętitiam, non ad securitatem*, ut sapiens ait, *sed ad tentationes & tribulationes*, ac tristitias, atque labores. Christus tribulatus est, injuriatus, contumeliatus, passus est, & tu in terra securitatem putas? Vide & intellige quàm difficile est vinci sæculum, dum non aliter, nisi Christi morte sanctus de eo liberatur: *Si vix iustus sic salvatur, peccator & impius ubi parebit?* Audi Dominum dicentem Discipulis: *In mundo pressuram habebitis.* Et iterum: *Vos autem flebitis & lugebitis, mundus autem gaudebit, & vos tristes eritis.* Vide mœrorem disciplinæ nostræ, intellige quod non de lætitia ad lętitiam, neque de securitate ad securitatem, sed de luctu ad lætitiam, ac de tribulatione ad securitatem transitur. Patienter ergo tolerandus est brevis mœror, ut æterna acquiratur lætitia, & leve * tribulationis nostrę cum alacritate sustinendum est, ut æternam immensæ gloriæ vitam apprehendamus. Si enim pro caducis rebus hæc (ut diximus persæpè) accidunt, & non vincunt, quid nos regnorum cœlestium negotiatores fatigabit, aut vincet? Nullis lętis vel tristibus; blandis, vel amicis cedere debemus; utrisque enim mundus plenus est, & utraque dux belli nostri vincit: & videamus quàm periculosè immundus cedit his, quibus mundus & immaculatus non cessit cum Christo; respiciamus mundi honores, & diaboli regna cum omni gloriâ eorum. Quidquid diaboli est, dedignemur accipere, eique brevis lætitiæ regi dicamus: *Tua sint tecum in perditione:* tristes simus usque ad mortem cum Christo, ut tristitia nostra in gaudium convertatur. Rideat mundus cum diabolo; absit à nobis eorum lætitia: si volumus gaudere nunc ex parte gaudeamus in spe, verum gaudium posteà habituri in re; tristes pro peccatis nostris, læti propter spem vitæ ęternæ; tristes propter Christi absentiam, exultantes similiter, quia legimus: *Videbimus eum sicuti est.* Licet enim præsentium miseriarum mœroribus repleamur, licet peccatorum nostrorum frequentiâ tristemur, victoria tamen utrorumq; liberalis lætitia & nobile gaudium est: & licet pro tempore peregrinemur à Domino, ut pro brevis temporis bello in æternum coronemur, nimiùm tristes esse non debemus, scientes mox esse ad Deum nos ituros, & cum eo semper mansuros: ad hoc enim nos creavit, ut cum eo semper regnantes in sæcula sęculorum, laudemus, & gratias ei agere perseveremus. Hæc ergo scientes nullis laboribus, nullus tribulationibus deficiamus, nullis mærororibus vincamur, nullis bellis fatigemur, nullis disciplinarum anxietatibus destituamur, nullis rursum delitiis dissolvamur, nullis blanditiis decipiamur, &, ut Apostoli voce dicamus, nullus nos, nihil nos à Christi charitate separet; nulla tribulatio, nulla angustia, nulla persecutio, nulla fames, nulla nuditas, nullum periculum, (e) nulla vel mors gladii, ignis, crucis, necis, nihil triste,

Marginal notes: * forte: sustinent. * l. etiam. * Cod. mendosè malitia * item possibile. Eccl. 2. 1. Petri 4. Joan. 16. Lucæ 6. * pondus. Actor. 8. Joan. 3. Rom. 8.

triste, nihil suave, nihil durum, nihil blandum, nihil mundi * verorum nos à Christo separet, ut ei hîc & in æterna secula hæreamus seculorum. Amen.

* f. *vanorum*

ANNOTATIONES.

(a) O*Mnis disciplina in præsenti videtur non esse gaudii &c.* Hunc passum nostra Vulgata sic vertit: *Omnis autem disciplina in præsenti videtur non esse gaudii, sed mœroris; posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ.* Quem quidem locum applicat primò Columbanus ad omnem disciplinam & artem, & postmodùm ad disciplinam sequentium Christum, quæ in hac vitâ amara videtur, & dolore plena; in alterâ verò semotis jam à conturbatione hominum in abscondito faciei Christi Jesu suavissimum reddit præteriti laboris & exercitatæ justitiæ fructum, juxta illud Psalmistæ: *Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos,* & illud Corinth. 4. quod infrà citatur: *momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ &c.* Et hujus exemplum apparet in medicina corporali, quæ licet amara sit, & horribilis ad sensum, tamen ex consideratione secuturæ sanitatis sumitur ab infirmo. Quod & Salvator Joan. 16. aliâ similitudine confirmat dicens: *Sicut mulier cum parit tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Itaque cum dolore in præsenti contenditur ad id quod cum gaudio in futuro possidetur. Vide SS. Patres in hunc locum, in quo præsentis instructionis doctrina fundatur.

Quod in hac vita pro Christo cum dolore dicitur, in futura uberè fructum reddit.

Psalm. 125.

(b) *Reddit,* (c) *comparat.* In Codice mendosè: *redditur, comparatur.*

(d) *Quibus doloribus musicarum discentes.* Fortè *musicam.* Sed prima etiam lectio consistit; sumitur namque ibi *discentes* nominaliter, prout ejusmodi participia usurpari possunt, undè illud Ciceron. ad Attic. *Boni cives amantes patriæ.* Item ad Q. Frat. *Homo suæ dignitatis retinens,* Terent. Phorm. *Herus liberalis est, & fugitans litium.* Musicarum ergo, supple artium, discentes, seu discipuli hic intelliguntur.

(e) *Nulla vel mors gladii, ignis, crucis, necis.* Nex generaliter omne genus violentæ mortis significat, juxta illud Ciceronis pro Milone: *Insidiatori, & latroni quæ potest afferri iniusta nex?* Ideo à S. Columbano postremo loco ponitur quasi diceret: non gladii, non ignis, non crucis, vel illius demum violentæ mortis genus nos separet à charitate Dei &c.

INSTRUCTIO V.

Quòd præsens vita non sit dicenda vita, sed via.

ARGUMENTUM.

Ostendit mortalem hanc vitam non esse vitam appellandam, sed potiùs viam, qua itur ad patriam; ac proinde non esse in ipsa hærendum, aut quiescendum; sed constanter progrediendum donec perveniamus ad patriam, alioquin non expeditè & caute per eam incedentibus, nequidem veram, aut tutam esse viam, sed periculosam, ac lubricam; quod variâ, luculentaq; comparatione demonstrat.

O Tu vita quantos decepisti, quantos seduxisti, quantos excæcasti! quæ dum fugis, nihil es; dum videris, umbra es; dum exaltaris, fumus es; quæ quotidiè fugis, & quotidiè venis; veniendo fugis, quæ fugiendo venis;

venis; dissimilis eventu, similis ortu; dissimilis luxu, similis fluxu; dulcis stultis, amara sapientibus. Qui te amant, non te sciunt, & qui te contemnunt, ipsi te intelligunt. Ergo non es verax, sed fallax: te ostendis tanquam veram, te reducis tanquam fallacem. Quid ergo es humana vita? Via es mortalium, & non vita; à peccato incipiens usque ad mortem: vera enim esses si te peccatum primæ transgressionis humanæ non interrupisset, & tunc cassabunda & mortalis devenisti, cum omnes tuos viatores morti assignasti. Via ergo es ad vitam, & non vita: vera enim non es: via, sed non plana, aliis longa, aliis brevis, aliis lata, aliis angusta, aliis læta, aliis tristis, omnibus similiter festinans, & irrevocabilis. Via es, inquam, via es, sed non omnibus manifesta es: multi enim te vident, & pauci te viam esse intelligunt. Sic enim subtilis es & sic seductrix, ut paucorum sit te scire viam. Interroganda ergo es, & non credenda, nec vendicanda; transeunda, non habitanda, misera humana vita; nullus enim in via habitat, sed ambulat, ut qui ambulant in via, habitent in patria. Quare ergo tu mortalis vita habitaris, diligeris, vindicaris? Diligeris, vindicaris à stultis & à perditis; contemneris à sensatis, caveris à salvandis. Timenda itaque es humana vita, & multum cavenda, quæ sic fugitiva es, sic lubrica, sic periculosa, sic brevis, sic incerta, ut quasi umbra, aut imago, aut nubes, aut nihil, aut inane * dissolveris. Dum ergo nihil es, ô mortalis vita, sive imago, fugitiva *(a)* ut avis, ut *(b)* nubes incerta, & fragilis ut umbra, ut somnium, sic per te iter agendum est, tam solicitè, tam cautè, tam expeditè, ut viatorum more ad veram patriam omnibus intelligentibus festinandum sit. De *(c)* transacto securus, de eo quod restat sollicitus, nihil enim tibi prodest ascendere, quod ascenderis, nisi quod restat, evaseris; via enim & ascensus quidam putanda est * via hæc. Ne quæramus in via quod in patria futurum est: labor enim, & fatigatio in itinere versatur; in patria requies, & securitas paratur. Cavendum est itaque nobis ne fortè per viam securi simus, & ad veram nostram patriam non perveniamus. Sunt enim revera nonnulli in hoc itinere desides, securi, lividi, ut non tam in via, quàm in patria esse videantur; & non tam voluntarii, quàm inviti eunt ad patriam, nimirum jam perditam. Hic enim in via perusi sunt patriâ, & de brevi vitâ æternam mortem mercati sunt. Infælices de frustrato commercio læti sunt, *(d)* aliena caduca dilexerunt, & *(e)* propria æterna neglexerunt. Quapropter quamvis sint læta, quamvis blanda, quamvis sint speciosa, aliena terrena devitemus, ut propria æterna non perdamus: fideles in alienis inveniamur, ut in propriis ac nostris hæredes efficiamur, donante Domino nostro Jesu Christo, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Vita præsens non est vita, quia in se solum spectata, nõ est vera via ad vitam æternam.

* f. *dissolvaris.*

* f. *vita.*

ANNOTATIONES.

(a) Ut *avis*, quia quolibet adversitatis vel prosperitatis humanæ flatu, sicut avis à vento, movetur, & mutatur, unde illud Job 13. *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam.*

(b) *Ut nubes incerta*, juxta illud Sapien. 2. *Transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur.* Quia sicut nubes in varias transformatur figuras, hominis proceri, nunc turris altę &c. quas ventus statim resolvit in nihilum, ita divitię, & honores, quæ suis exhibet amatoribus mundana prosperitas, uno adversitatis ictu evanescunt, & *de vanitate redeunt in idipsum.*

(c) *De transacto securus. &c.* Hic in secunda persona sermonem dirigit, quasi diceret: Qui jam factus es de transacto securus, superest, ut de eo quod restat evadendo sis sollicitus &c.

(d) *Aliena caduca dilexerunt.* Temporalia bona vocat aliena, quia homo horum dominus plenè non est, sed dispensator tantùm; quod colligitur ex Habacuc 2. *Væ ei, qui multiplicat non sua.* Unde Nabuchodonosor in multitudine divitiarum suarum, & robore fortitudinis suæ glorians castigatus legitur Daniel. 4. *Punitus est Nabuchodonosor, ut cognosceret Deum omnium esse Dominum.* Hunc item spectant illa Apostoli verba Timoth. 5. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus.* Pleno igitur jure nostra non sunt

Temporalia bona cur dicantur aliena.

sunt bona illa, quæ nobis invitis auferuntur in morte: *Dives cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Vide S. Augustinum l. 2. qq. Evangel. c. 35. Irenæum cap. 64. Cyprianum lib. de op. & eleëmosyn. Theophilact. Bedam, Euthymium, Cassianum coll. 3. c. 10. & alios Sanctos Patres, qui illud Lucæ 16. *In alieno fideles non fuistis,* de temporalibus bonis interpretantur.

Psalm. 48.

(c) *Propria æterna neglexerunt.* Hoc est, spiritualia & cœlestia bona, ad quorum possessionem creati sumus: quæ propria idcircò dicuntur, quod illa nobis auferri, vel eripi nequeant, nisi volentibus & consentientibus nobis; sicut è contrà transitoria dicuntur aliena, quia vel nos illis, vel illa nobis eripiuntur nolentibus & invitis, ut ex adductis jam supra notavimus.

Spiritualia bona cur dicantur propria.

INSTRUCTIO VI.

Præsentem vitam similem esse umbræ.

ARGUMENTUM.

Comparat mortalem hanc vitam umbræ vel imagini quæ statim evanescit, & redit ad nihilum, sicut somnia dormientium, devotâ nos adhortatione monens, ne falsâ præsentium imagine delusi fugientem sequamur umbram, aut caduca seu falsa bona somniantium more pro veris speculemur. Vide Sanctos Patres super illud Job 14. Fugit homo velut umbra. *Et illud Psalmistæ:* Sicut umbra cum declinat ablatus sum: *qui explicant qualiter hominis vita umbræ comparetur.*

DONANTE Domino de humana vita diximus, quod viæ similitudo est, in qua unusquisque iter ad æterna agens de alienis cupiditatibus securus, quasi viatici tantum paupertate contentus esse debeat, ut nullis hærens illecebris terrena cuncta sibi esse aliena intelligat. Nunc umbram esse eandem (ut ante jam diximus) ostendamus vitam. Non tibi videtur umbra esse & imago vita hominis super terram? quæ sic dubia, quamdiu sit & incerta, ut res umbræ æquetur. Vides enim & non vides; ipsa, nec ipsa, dicamus; quod fuit non vides; quod erit nec ipsum videre potes. Vides tantum quod est, quod diu stat: tolle quod es, nihil vides; sic est invisa, ac si non esset; ergo umbram videt unusquisque vitam suam, & à mane usque ad vesperam, quasi in quodam speculo vanitatem suæ vitæ circumspicit. Sed quælibet alia similia tantum in somnis videt, *(a)* similiter enim falsa pro veris speculatur, & pro veri imagine *(b)* vanis * includitur. Quid enim rogo interest quod hesterno vidisti, ac nocte somniatur? Nonne hodiè similiter vana esse tibi videntur?

* forte *illuditur.*

Etenim utique me non plus satiant pro veris quæ videndo fugiunt, quàm quæ somnianda * includunt; utraque enim vana esse invenio; quod enim sum, non fui, & non ero; & unaquâque horâ aliud sum, & nunquam sto. Semper enim curro à die nativitatis usque ad diem mortis, & per singulos dies vitæ meæ mutor, & quæcumque mutantur, vel quomodo mutantur non video, & totam simul in uno vitam meam nunquam videre possum; & quod heri fui, hodiè non sum, sic quod hodiè sum, cras non ero; & sic semper mobilis & mutabundus per cætera vitæ meæ spatia ero, ut de momento in momentum, de momentis in horas, de horis in dies, cum incertis ætatis meæ spatiis concurram ad mortem, ut ibi videam certa & vera, & tota simul in uno, quod hic mihi impossibile est. O me miserum! si ibi vitam non videro, quam nunquam veram video; veram enim esse ibi eam necesse est, ubi æternitas agit. Fuge ergo, fuge ô tu vitæ mortalis umbra; fuge tu nos, & nos te: tu fuge ut facis; semper enim fugis, ut citò vera vita veniat; nos te, ne nos decipias, fugiamus: tardos

* forte *illudunt.*

tardos enim blandis decipere soles impedimentis. Fuge, inquam, & festina quæ multos seduxisti, & nos seducere instas, & alios post nos deduces, & morti assignabis. O quàm cæca es tu, quàm seducens, incerta vita! me expectas, ut rapias; me provocas, ut suadeas; me rogas, ut seducas; me suades, ut decipias. Quis tam insipiens est, ut te credat, quæ decipis amantes, & seducis credentes? Qui enim te diligunt, decepti sunt, & qui te credunt, seducti sunt: qui autem te negligunt, ditati sunt; & qui te fugiunt, salvati sunt. Deum quærunt qui te contemnunt. Fugiamus itaque nos te, antequam tu nos: & quia sic mortalis, brevis, caduca, incerta, instabilis, mobilis, mutabilis, convertibilis es, nos Dei & vitæ æternæ amatores & negotiatores potiùs, quàm tui nos habeamur, & te fluentem & fugientem fugiamus, ne nos cum tuis amatoribus vindices. Fugiendum est enim nobis quod fugit, & sic in eo vivendum est, quasi quotidiè moriendum esset. Quid enim interest nobis hodiè, sive cras mori? Dum enim mori nobis necesse est, sic nobis est mors consideranda, quasi jam diu præteriret; & dum nihil durat ante mortem, festinandum est ad mortem, ut possimus vera æterna videre post mortem. Quamobrem non tardandum est, sed festinandum est de umbra imaginatæ vitæ, ad veritatem veræ vitæ. Et quia alia via vitæ carnalis, alia via profectus spiritualis, currat animus profectibus, sicut vita cursibus, & ita animi augeatur maturitas, ut ætatis plenitudo; & sicut vitæ circuli minuuntur, sic vitiorum numerus decrescat, ut cum sæculo sua relinquamus, & nihil de ejus moribus nobiscum feramus ad Dominum, præstante Domino nostro JESU Christo, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATIONES.

(a) *Similiter falsa pro veris speculatur.* Supple qui somniat. Nunc imaginariam illam, & umbraticam vitam somnia dormientium esse ostendit juxta illud Job 20. *Velut somnium avolans non invenietur, transiet sicut visio nocturna,* & illud Psal. 72. *Velut somnium surgentium Domine imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Sicut enim somniat dormiens falsa pro veris, & experrectus reperit totum esse nihil, ita mundani homines de caducis & falsis sæculi delitiis, tanquam de veris bonis in hac vita somniantes, post mortem, tanquam è somno surgentes, intelligent se fictis imaginibus fuisse delusos, secundum illud Psalmistæ: *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Omnia ergò terrena sunt quasi res per somnium visæ, quæ somnianti quidem veræ apparent, vigilanti verò & intelligenti vanæ & falsæ, qualis extitit Sanctissimus iste Confessor, qui his de se verbis testatur quàm parvi mundana bona penderit: *Etenim me non plus satiant pro veris, quæ videndo fugiunt, quàm quæ somniando illudunt.*

Temporalia bona quomodo dicantur somnia.

Psalm. 75.

(b) *Vanis includitur.* Legendum proculdubio *illuditur*, vel certè *inluditur* pro usitata videlicet quorumdam antiquorum consuetudine, in vocibus compositis invariatam præpositionem retinentium. Cujus rei qui exempla desiderat, in Epistolis Bonifacii Angli, Moguntini quondam Archiepiscopi, reperiet plurima, sicut & apud alios nonnullos, quibus minutiùs recensendis non est opus hic immorari. Hujusmodi verba sunt: *Inlatum, conlatum inlæsum* & similia.

INSTRUCTIO VII.

De cæcitate hominis, qui neglecto spiritu inservit corpori.

ARGUMENTUM.

Exclamat in eos, qui plus debito voluptati & sensualitati inserviunt, quibus à superflua corporis curâ retrahendis primùm carnis proponit fœditatem & vilitatem, ejus insatiabilem detestans & deplorans ingluviem; ad quam viriliter reprimendam, ardenter hortatur; futuram eorum in altera vita fælicitatem, qui in præsenti carnis petulantiam coercent; & ex adverso miseriam illorum ibi, qui hic curam ejus in desideriis perficiunt, eleganter exponens. Pulchra huc spectantia de corporis & carnis fœditate videri possunt apud Hug. de Claust. animæ lib. 1. c. 31.

O Te cæcam insaniam! ô te cæcam foveam humanam voluntatem, quæ accepta celas, & data non reddis! frustrà placaris, quæ ingrata pasceris; frustrà voras, quæ sic importuna* sensum tuę voracitatis exigas. O protusata, sanguisuga impatiens, immitis saturata, blanda jejuna, vorax, inverecunda, edax, quid habes recti? quid honesti? nihil. Quæ frustrata quæris, quæ vituperata iteras, quæ turpia ornas, quare te-ipsam non consideras? ô misera humanitas, intus putrida, felle, humore, liquore, sanguine, flegmate plena; foris verò pellem * lavatam, sed nunquam tamen * mundatam; semper enim de intimo inmunditię cœno coinquinaris, pollueris; licet quotidiè lavaris, quotidiè violaris. O pollutam pellem! frustrà lavaris, quæ naturâ immunda es. O inversam cœcitatem! quod lavas, quod ornas, naturâ putredo: quod autem violas & polluis, naturâ, nitor. Quid munda coinquinas, & immunda lavas, quę animam corrumpis & corpus ornas? Satis-ne te diligis, an satis te ignoras? Si enim te scis, quare horrida & immunda flegmatis & stercoris domicilia diligis? Si videris in vestimento tuo immunditiam, si flegmata, horrescis, & aspectum retrò torques, & te in tuis vestimentis immundum sterquilinium, & olidum, ac putridum volutabrum non fugis, non detestaris? Non vides quid tua fistulata pellis per sua foramina foveat? pudet referre quod amare non pudet. Quare horrida non horrescimus? quare pudenda non detestamur? quare fœtida non fugimus? Nonne quia non sapimus, & quia mundi non sumus? Ideò immundus immunda quærit, & turpia turpis, & inhonesta inhonestus; & quia cæci, inhonesti sumus, idcirco nulla verecunda declinamus. Si enim cæci non sumus, quare nosmetipsos primam nostram immunditiam non despicimus? quare nos vel nostram verecundiam, vel nostram turpitudinem non contemnimus? Nonne turpia esse honesta tibi non videntur? quæ crebris lamentis & ornatibus variis indigent, & ingrata suis non satiantur impendiis, & satiata non juvant futuris, & transacta voluntas pręsentem non satiat, nec futuram repellit. * In vanum ergo laborat qui talia pascit, & in ventum seminat qui vanę voluntati huic servit, ubi expensum non expedit servitium. Esuriant itaque ista, quæ sic ingrata, sic molesta sunt, ut semper esurire videantur. Qui ista pascunt, seipsos decipiunt. O inhonesta servitus, qua * carne * fruitur! ô dura! ô inexorabilis! ô fera, licetdomestica, dominatio! quæ quotidiè solvitur & quotidiè exigitur, sub die vadit & venit; saturata exit, esuriens redit. Væ his, qui hic pascuntur, ubi fames dominatur, nec divitiis vincitur, & dum hæc solvuntur, alia exiguntur. Redde enim prima, secunda cogêris exolvere; gulam pasce, libidinem exigêris. Cum Susanna ergo clamandum est: *Angustiæ mihi undique.* Et cum Paulo ejulandum est & dicendum est: *Infælix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Si necessaria solvas, non necessaria

* forte censum.
* forte lavata
* f. mundata
* deest forte esuriem, famem, vel quid simile.
* forte carni servitur.
Daniel. 13.
Rom. 7.

necessaria reddere cogêris. Si ergo miser homo *(a)* secunda reddere times, prima nega si potes; si non, parcè redde, avarè exolve; nihil nisi invitus exolvas; nihil libenter dones. Sed non potes; video, quod pejus & gravius est, quia exactores diligis. Et *(b)* amicus est tibi inimicus tuus. Quid dicam, nescio; quid suadeam, ignoro. Unum dicam quod scio; qui hic pascitur, hic saturatur, hic jucundatur, hic ridet, hic inebriatur, hic ludit; illic esuriet, illic sitiet, illic lugebit, illic lamentabit, illic
Lucæ 6. ululabit, sicut Dominus dixit: *Væ his qui rident, quia ipsi lugebunt, & væ vobis qui saturati estis, quia esurietis:* duo enim tibi tempora succedunt, & duæ vitæ, & duo sæcula sunt: una vita brevis, & altera longa, & qui in una esurit, in alia pascetur; qui verò hic vorat, saturatur, consolatur in una; in altera esu-
Isaiæ 65. riet & sitiet juxta illud Isaiæ: *Propter hoc dicit Dominus: ecce qui serviunt mihi, manducabunt & bibent, vos autem esurietis & sitietis.* Et post pauca: *Ecce, qui serviunt mihi, exultabunt in iucunditate; vos autem propter dolorem cordis clamabitis, & præ contritione spiritus ululabitis.* Cùm hæc ergo ita sint, parcendum est divitiis, & brevi *voluntati minimè serviendum, ne pascamur ad esuriem, ne fortè satiemur ad famem, & bibamus ad sitim: videmus enim aut hic, aut illic, unum è duobus necesse experiri. Quamobrem si saturemur, si bibamus, ô nos miseri, ex parte, non ex toto hic comedamus, necessaria, non suavia; cum paupere manducemus, cum paupere bibamus, cum paupere participemus, ut vel sic cum paupere illic participare mereamur, ubi saturabuntur qui hic pro Christo esuriunt & sitiunt justitiam. Quorum enim regnum cœlorum est, nisi pauperum, qui animis humiles, & divitiis pauperes pro Christo sunt? cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

* forte *voluptati.*

ANNOTATIONES.

(a) S*Ecunda reddere times, prima nega si potes.* Hoc est, si superflua sumere times, ipsa necessaria, quantum vales substrahe: nam tanta est inter hæc connexio, ut cum necessitati servire te credis, à concupiscentia tua abstractus & illectus indulgeas voluptati, ut subtiliter admodùm & eleganter explicuit Augustinus lib. 10. Confess. c. 31. his verbis; *Dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ; ipse enim transitus voluptas est, & non est alius, quà transeatur, quàm quò transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi, & bibendi, adiungit se tanquam pedisequa periculosa iucunditas, & plerumque præire conatur, ut eius causâ fiat, quod salutis causâ me facere vel dico, vel volo; nec idem modus utriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est: & sæpe incertum fit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere quid satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis.* Propter hæc consequenter monet S. Columbanus, ut avarè necessitati exolvamus sua, nisi velimus superflua ministrare. Quod maximè observandum est illis, qui divinarum rerum meditationi se dedunt, quia ut rectè notavit Richardus lib. de contempl. *Nunquam affectus noster ad desiderium æternorum accenditur, nec intellectus ad cœlestium contemplationem perfectè acuitur, nisi cura carnis, etiam in licitis & necessariis, frequenter & fortiter repellatur.*

Dum necessaria corpori ministramus subintrat voluptas sub specie necessitatis.

(b) *Amicus est tibi inimicus tuus.* Hunc locum luculenter admodum declarant aurea illa Climaci verba grad. 15. de blanda hac hominis cum hostili amico & domestico societate loquentis: *Quonam more vel modo,* inquit, *meum hunc amicum vinciens in morem cæterorum diiudicem nescio; prius enim quàm illum vinciam, solvitur, & antequam diiudicem, cum illo in gratiam redeo, & antequam puniam flector. Quomodo illum vinciam, quem ut amem, à natura suscepi? Quomodò ab eo liberabor, cui in sæculum colligatus sum? Quomodo mecum etiam surgentem destruam? Quomodò incorruptibilem ostendam, qui naturam accepit corruptibilem? Quid illi rationabile dicam, qui per naturam mille rationibus ac persuasionibus mentitur? Si enim ipsum ieiunio vinciam, rursus illi proximum iudicans tradór; si & iudicare desistens hunc superem, elatus corde in eumdem præcipitor. Estque cooperator & hostis, adiutor atque adversarius, auxiliator*

Qualiter nobiscum circumferimus inimicum pariter & amicum nostrum.

liator; simul & insidiator; si foveatur, oppugnat; si affligatur, debilior fit; lascivit per quietem, rursus verbera & flagella non sustinet &c. Vide pulchra huc spectantia apud Gregorium Nazianzenum orat. 16. lege quoque Hieronymum ep. 22. ad Eustoch. & Cassianum l. 5. Instit. cap. 21. & ibi Gazæum.

INSTRUCTIO VIII.

Quod ad cœlestem patriam viæ præsentis finem festinandum sit.

ARGUMENTUM.

Impigrè monet esse currendum in hac via mortali, in qua peregrinamur à Domino, ut citò perveniamus ad patriam nostram cœlestem, ubi Christus est in dextera Dei sedens cum Angelis & Sanctis, qui pro suo quisque merito Dei visione fruuntur; qui licet ubique sit, ibi tamen speciali modo resplendet eius maiestas & gloria, ad quam nos, huius brevis itineris obliti laboris, sanctis & fervidis desideriis inhiare debemus. Vide S. Cyprianum de mortal. in fine. S. Basil. in Psalm. 44. August. l. 4. de Symbol. c. 11. & in Psalm. 128. Gregor. in septem Psalm. pœnitent. Bernard. de præmio vitæ cœlestis, qui præclarè hoc argumentum tractat.

ECCE nunc de fine viæ dicendum est; jam enim diximus viam esse humanam vitam, & quàm sit dubia & incerta, & non esse quod est, umbræ similitudine monstravimus: similiter, quàm improvisa & quàm cæca est, ante diximus: de fine verò vitæ nostræ, Spiritu Sancto nos adjuvante, noster sermo producendus est. Viatorum est festinare ad patriam: eorum similiter est in via sollicitudo, in patria securitas. Festinemus ergo ad patriam, qui in via sumus; tota enim vita nostra, quasi iter unius diei est. Primum nobis est, nihil hic amare, sed sursum amemus, sursum desideremus, sursum sapiamus, sursum quæramus patriam; ibi enim,* ubi Pater est. Patriam ergo non habemus in terra, quia Pater noster in in cœlis est. Etenim si *(a)* potestatis virtute, & Deitatis magnitudine ubique est, quàm mare profundior, terra stabilior, mundo latior, aëre purior, cælo altior, sole clarior est; in cœlis tamen manifestè est, in quibus panis Angelorum est, qui ut domestici beatam *(b)* cœli primi Regiam incolunt, & Dei fruuntur conspectu. Sed quia inconspicabilis Dei *natura sinceram natura infirmior ferre non poterat; ideo Deus pius, intra quem omnia, & extra quem nihil, *(c)* primam regionem cognitionis suæ, quam primo cœlo inclusit *(d)* (quod aquis elevatis temperavit) supernis virtutibus deputavit; nisi enim illa primi cœli natura supradictis aquis temperaretur, superni Dei accensa virtute, nequaquam *(e)* ab inferioribus esset patienda naturis, ac sic omnibus ubique præsens, inconspicabilis Deus est. Plus enim est, quam totus conspici queat, & plus omnibus, qui omnia ex nihilo creavit; & ideo cum videtur, invisibilis est, quia quis sit & quantus sit, sibi soli notus est. Pulsemus tamen illum, quia unicuique pro merito puritatis notus adest, invisibilis licet, inæstimabilis licèt, Deus Trinitas. Pulsemus inquam vel hinc, vel illuc familiarius, vel intremus, vel manifestius intelligamus, & nos in via cantantes dicamus: *Post te in odorem unguentorum tuorum curremus*, & *post te adhæsit anima mea*, & *trahe me post te*, ut cum his canticis mundum festinanter transeamus, ac de supernis gubernati præsentia negligamus, & de cœlestibus semper cogitantes, terrena despiciamus: nisi enim cœlestibus desideriis impatientibus inhiemus, terrenis necesse est hærebimus. Occupemus itaque nos divinis, ne forte humanis; & quasi peregrini

Marginalia: * forte *ibi.* — Math. 9. — Job 11. — * f. *naturam.* — Cant. 1. — Psalm. 62. — Cant. 1.

grini semper patriam suspiremus, semper patriam desideremus; finis enim viæ semper viatoribus optabilis, & desiderabilis est; & ideo quia sumus mundi viatores & peregrini, de fine viæ, id est, vitæ nostræ semper cogitemus; viæ enim finis nostræ, patria nostra est. Sed (f) ibi omnes sæculi* iterantes pro meritis diversa sortiuntur, & boni viatores in patria requiescunt, mali verò de ea peribunt; multi enim patriam veram perdunt, quia plus viam diligunt. Non plus viam nos, quàm patriam diligamus, ne æternam patriam perdamus; talem enim habemus patriam, quam amare debemus. Duret igitur apud nos ista diffinitio, ut hic vivamus in via, ut viatores, ut peregrini, ut hospites mundi, nullis hærentes cupiditatibus, nullis terrenis inhiantes desideriis, sed cœlestibus, & spiritalibus formis animos nostros repleamus, virtute & opere psallentes: *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? Sitivit* enim *anima mea ad Deum fortem vivum*, & *anima mea sicut terra sine aqua tibi*, & cum Paulo dicentes: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*, sciamus nos, licet peregrinos à Domino quamdiu sumus in corpore, præsentes tamen esse oculis Dei. Quapropter omni ignaviâ calcatâ, & omni deposito tepore nitamur ei, qui ubique præsens est, placere, ut cum bona conscientia de via hujus sæculi ad beatam patriam nostri Patris æternam, & æterni transire fœliciter possimus, de præsentibus ad absentia, de tristibus ad læta, de caducis ad æterna, de terrenis ad cœlestia, de regione mortis ad regionem vivorum, ubi facie ad faciem cœlestia videbimus, & Regem regum recto regimine regna regentem Dominum nostrum Jesum Christum, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

* forte itinerantes.

Psalm. 41.

Ibid.

Philipp. 1.

ANNOTATIONES.

(a) *Potestatis virtute & Deitatis magnitudine ubique est.* Hic insinuat tres illos modos, quibus Deus dicitur esse præsens cuilibet creaturæ: duobus primis verbis præsentia per potentiam (qua nimirum res omnes à Deo pendet) exprimitur. Posterioribus verò alii duo modi (videlicet per essentiam, quatenus rebus localiter sese præsentem exhibet, & per præsentiam, quatenus omnia habet in prospectu) comprehenduntur. De quibus modis & eorum differentia latè Theologi 1. p. q. 8. vel q. 10. & 1. d. 37. per totam.

Modi quibus Deus creaturis est præsens.

(b) *Cœli primi regiam incolunt*, hoc est, empyrei, quod est supremum omnium cœlorum (sive tria, sive octo, sive undecim secundum varia Philosophorum placita statuamus) quod primum dicitur, quia deorsum numerando primum erit, & cælum lunę ultimum. De cælo Empyreo intelligit Magister illud Gen. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, quem multi Scholastici sequuntur in 2. sent. Theophilactus illud Psal. 113. *cælum cœli Domino*, de eodem interpretatur, & omnes passim Theologi cœlum illud admittunt, uno Cajetano excepto, qui ad 2. Corinth. 12. negat dari hujusmodi cœlum aliquod ab aliis inferioribus distinctum: qua de re vide Conimbricenses l. 2. de cœlo c. 5. q. 1. a. 2.

Cœlum Empyreũm cõmuniter admittitur à Doctoribus.

(c) *Primam regionem cognitionis suæ.* Per primam regionem hic videtur intelligere perfectissimum statum cognitionis Dei, quem rationalis creatura ex ordinatione divina consequi potest; quæ licet in via aliquam sui conditoris notitiam acceperit, neutiquam tamen plenam & primam, seu supremam illam beatitudini propriam, qua non per speculum & in ænigmate, sed facie ad faciem videtur Deus. Vel certè prima dicitur ibi cognitionis divinæ regio, pro quanto prius in cœlo Empyreo, quàm in ullo alio loco Deus à creatura rationali, seu intellectuali, cognitus est: etenim ibi Angeli, ante homines conditi, ad divinam contemplandam naturam admissi fuerunt, aulici illius cœlestis curiæ constituti.

(d) *Quod aquis elevatis temperavit.* Ad hujus loci intellectum notandum multos, & quidem antiquissimos Patres, in ea fuisse sententia, ut cœlum ex voracissimo igne crederent esse conflatum; ac proinde ad nimium ejus ardorem, quo subjecta corpora penitùs absumi potuissent, temperandum, magnam aquarum vim congestam, firmamentoque superpositam à Deo fuisse, id quod illâ Genes. 1. sententiâ significatum volunt, qua *dixit Deus: Fiat firmamentum*

Qui cœlum igneæ esse naturæ putaruut, ideoque ad ejus temperamentum aquas firmamento superpositas.

mentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis, de veris ibi aquis sermonem esse credentes. Ita Justinus martyr respondens ad 93. quæst. orthodox. Basilius homil. 3. super Genes. Ambros. l. 2. Hexamer. c. 2. Theodoret. q. 11. super Genes. Genadius item, & Severianus uti hoc loco citantur in catena aurea, V. Beda lib. de nat. rer. Augustin. 2. de Gen. ad lit. c. 3. qui cœlum igneæ naturæ esse affirmat. Sed lubet Basilii verba in medium adferre, qui clarius, & apertius id tradit: *Cùm Deus*, inquit, *infinitam prope vim ignei ardoris propter multiplices, & ad plurima necessarios eius usus in cœlo & infra cœlum, multifariam sparsisset, essetq; suapte naturâ ignis voracissimus, ac minimus mirè crescens initiis: ne ob eam causam universi salus, atque incolumitas periclitaretur, ex adverso maximam ei infra, supraque cælum vim aquarum opposuit, ut earum refrigeratione tantus ignium ardor temperatus, non solum non obesset mundo, sed etiam prodesset plurimùm.* Hæc S. Basilius. Quo etiam spectare videtur rythmus ille hymni Ecclesiastici ad Vesperas Feriæ secundæ *Immense cœli Conditor, qui mixta ne confunderent, aquæ fluenta dividens, cœlum dedisti limitem, firmans locum cœlestibus, simulq; terræ rivulis, ut unda flammas temperet, terræ solum ne dissipent.* Vide Sanctos Doctores super illud Psalmistæ: *qui tegis aquis superiora eius.*

Psalm. 103.

Hujus autem opinionis extitisse S. Columbanum, eoque sensu supradicta locutum, hæc quæ sequuntur ejus verba demonstrant. *Nisi enim illa primi cœli natura supradictis aquis temperaretur, superni Dei accensa virtute, nequaquam ab inferioribus esset patienda naturis.* In quibus licet illam urendi vim cœlo primo dumtaxat expresse tribuere videatur, aliis tamen inferioribus sphæris eam cum citatis Patribus concessit, ut videtur colligi posse ex illis verbis: *Nequaquam ab inferioribus esset patienda naturis*; ubi inferiorum naturarum nomine sublunaria corpora comprehendi manifestum est, quæ illam cœli primi, cæteris videlicet astris caloris sui communione influentis, naturam superni Dei virtute accensam, non nisi illis aquis temperatam ferre potuissent; quæ aquæ super firmamentum, in quo sunt inhærentes stellæ, collocatæ, tam cœli Empyrei in suppositos orbes impetum, quàm horum immediatam in sublunaria flammeam influentiam nativâ refrigerandi virtute coercent.

S. Columbanus ejusdem opinionis extitit.

Quod si cum S. Bonaventura in 2. d. 14. q. 2. n. 6. dicere velimus præfatos Patres non existimasse re ipsâ cœlos igne constare, sed similitudine & analogiâ quadam igneos dixisse, quatenùs scilicet ignis instar maximam lucem & splendorem diffundunt: si inquam, sic dicamus, non erit necessum veras ullas aquas super firmamentum ad siderum ardorem temperandum constituere, sed aquarum appellatione supercœlestium, cœlum crystallinum, medium inter empyreum, ac firmamentum accipiendum erit, quòd in frigiditate & perspicuitate aquæ naturam imitetur, ut vult S. Bonaventura citatus. Quod cœlum nomine aquarum, quæ erant super firmamentum Gen. 1. comprehensum à Moyse præter S. Bonaventuram opinantur Egidius 2. p. oper. Hexamer. c. 14. Lyra, Cajetanus, Catharinus, Tostatus, & plures alii interpretes in hunc locum. Et secundum hoc non alio sensu dici poterunt aquæ elevatæ sive cœli primi, sive aliorum orbium temperare naturam, quàm quod cœlo Empyreo (quod ex nimii fulgoris redundantiâ igneum appellatur) & cœlo stellato, seu firmamento cum annexis septem planetis, (quarum aliquæ calefaciendi, aliquæ refrigerandi vim habere dicuntur) interponatur illud chrystallinum, quod ob majorem cum aquæ qualitatibus propinquitatem aqueum dici solet, sicque propter illum ordinem, quo duo illi cœli, empyreum videlicet & firmamentum, tanquam ambo ignis naturæ propiores, interposito illo crystallino, seu aqueo, velut qualitatis contrariæ dividuntur, cœlestis mundus, nec totus ignitus, nec totus etiam aqueus, sed velut in medio consistens, temperatus dici queat, temperataque in sublunaria operatione influere; non quòd ulla cœlo stellato ab illo crystallino refrigerativa sit impressa temperies.

Sententia negantium cœlos re ipsa igne constare.

Quid nomine aquarũ quæ sunt super firmamentum intelligendũ.

Verùm his non obstantibus, supradicti Patres, sicut & Columbanus hîc, satis clarè loqui videntur de vero igne, verisque aquis super astra collocatis. Verba Basilii sunt aperta, proinde videntur priori sensu Columbani dicta interpretanda, & non ad metaphoricam, vel analogicam trahenda locutionem. Tota itaque istius periodi, sanè obscurissi-

obscurissimæ, videtur hæc esse sententia; quòd Deus, qui ubique est, speciali tamen modo, ut suprà vidimus, in primo cœlo est, hoc est, Empyreo; in quo tanquam in primario suæ cognitionis & residentiæ domicilio, ut nobilioris & excellentioris naturæ creaturas, Angelicos spiritus domesticos collocavit; hominibus autem velut ex terrenæ conditione substantiæ multò infirmioribus, & tantæ luci ferendę imparibus, terrestri ipsorum naturæ congruas in terra sedes ab initio constituit, ubi non nisi in ænigmate, & quasi per speculum Deum cognoscere possint, eosdem posteà in illud cœleste palatium assumpturus, & supernis illis spiritibus, ex sua pietate in tam sublimi regione sociaturus. Cæterùm illam Regiam primam suę cognitionis in cœlo primo, inferioribus multum eminentiore, locavit; & quia flammea hujus virtus, firmamento suapte naturâ ardentissimo conjuncta, excessivam intolerabilemque urendi vim produxisset, quæ cuncta cœlis subjecta rapaci voracitate potuisset absumere, pius Deus suâ providentiâ, aquis interpositis, Empyreum à firmamento secrevit; quibus ejus in firmamentum, aliaque sidera ignea, impediret actionem, & firmamenti similiter in sublunaria influentis validissimum mitigaret incendium; sine qua mitigatione utrimque adhibita, nequaquam inferior natura cœli primi impetum, astrorum accumulatum ardoribus (qui continuâ in ipsam actione sparguntur) tolerare potuisset. Et licet Deus ubique sit præsens, nullibi tamen, ne quidem in cœlo primo, ita se exhibet, ut ab alio, quàm à semetipso queat comprehendi, quia *quis sit, & quantus sit, sibi soli notus est*, ut habetur in Medit. S. August. c. 29. & Soliloq. c. 31.

(e) *Ab inferioribus esset patienda naturis.* Verbum illud in passiva etiam significatione, sicut hic sumitur, accipitur apud Gellium l. 14. c. 2. ubi legitur, quod *alius atque alius motus animi patiendus est*.

(f) *Ibi omnes seculi iterantes.* Apud Gell. l. 3. c. 18. legitur *iterare*, pro iter facere (quo sensu hic accipitur) derivaturque à nomine, *iter*, quod secundum Priscianum flectitur, *iteris*, licet vulgarius, *itineris*, unde *itinerari*.

INSTRUCTIO IX.

De extremo Judicio.

ARGUMENTUM.

Pergens adhuc loqui de fine huius viæ mortalis, explicat dissimilem sortem & finem Justorum ac iniquorum, quem in extremo Judicio, ad quod tam hi, quàm illi præsentabuntur, Justus Judex cuique secundum opera sua assignabit: serio proinde huius tremendi Judicii memoriam inculcat, monens contemptum terrenorum, quò dignus quilibet inveniatur segregari in sortem Sanctorum.

ADHUC de fine dicamus, Fratres charissimi: finis enim vię nostræ, ut diximus, nostra patria est. Sed quia alii hîc patriam possidentes, illic finem viæ in patria non habebunt; sed de via in viam vadunt, id est, de pœna in pœnam animo remordente mutabuntur, & requiem non habebunt; ideo viæ, id est, vitæ illorum finis patria non est, sed pœna; non est requies, sed inquietudo. Justorum autem vitæ finis est vita æterna, requies, pax perennis, patria cœlestis, æternitas beata, lætitia infinita. Diversus itaque finis viæ humanæ vitæ est; quia licet fragilitate & volubilitate lubricâ, ac incertâ fugacitate via vitæ humanæ similis, studiis tamen ac profectibus dissimilis est. Sed dissimilem vitam hîc sors similis premit, & incerti itineris incursus infestat: similiter enim omnes nascuntur, crescunt, decrescunt, infirmantur,

mantur, tribulantur, moriuntur; sed quando ad finem veniunt, ibi discernuntur, & quos similis incursus fatigavit, dissimilis ordo segregavit; ibi enim vera probatio & diligens examinatio similis miseriæ erit, qua omnes viatores viæ, quam mortales similiter terræ * premunt: Illic (a) enim, ut Apostolus ait, *Uniuscuiusque opus quale sit ignis probabit.* Videte ordinem miseriæ humanæ vitæ, de terra, super terram, in terram, à terra in ignem, de igne in judicium, de judicio aut in gehennam, aut in vitam: de terra enim creatus es, terram calcas, in terram ibis, à terra surges, in igne probaberis, judicium expectabis, æternum * autem post hæc supplicium, aut regnum possidebis; quia illic *oportet nos*, ut ait Apostolus, *manifestari ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum*; quam rem etiam Dominus in Evangelio denuntiat: *Filius hominis venturus est in gloria sua, & tunc reddet unicuique secundum opera sua.* Expavescite quæso dictorum pondus, & cum timore, & tremore suspectâ semper mente illum tremendum divini judicii adventum indesinenter cogitate, ubi ante illud tribunal Christi judicis horrificum, uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit, & propria uniuscujusque corporis, sive bonum, sive malum quisque ut gessit referet; & ubi Filius hominis veniens unicuique secundum opera sua reddet. Satis tremenda sententia est Fratres, quia * non dixit, *secundum misericordiam suam*, sed *secundum opera sua unicuique reddet*: hic enim misericors, illic justus judex. Idcircò timendum est, tremendum nobis est multùm, qui hæc legimus & audimus charissimi, quando Deo prædicante cognoscimus juxta opera sua unicuique reddendum esse. Quid durius dicere potuit? quid spei reliquit humanæ? quis enim potest per ignem justificari & Judicis misericordiâ non egere, qui in corpore peccati habitat? Quis rogo, humani generis carnem gestans, hæc non timeat, quibus nos omnes manifestandos & quodammodò assignandos esse ante tribunal Christi, & ibi opera nostra per ignem probanda prædicatur? Cum dolore pro perditis dicendum est: ut quid limus sensum accipit? quare sensus factus est de pulvere? qui de terra creati, paululùm super eam stantes in eandem paulò post intraturi, eâdem nos iterum, jussu Dei reddente ac projicente, novissimè per ignem probabimur, ut (b) quadam arte terram & lutum ignis dissolvat, & si quid auri aut argenti habuerit, aut cæterorum terræ utilium (c) * paracarassimo liquefacto demonstret. Mortuorum ergo animorum est & desperabilium ista non timere: nam cuivis vel semel hęc audire, cautelę sufficere debuit. Quapropter nihil nobis utilius sciamus, quàm ut omnibus diebus vitæ nostræ vitam ancipitem retractantes, nosmetipsos quotidiè discutiamus, & verborum cogitatuumque nostrorum rationem agentes, & humanam vitam perhorrescentes, hunc supradictum istius viæ, id est, vitę nostræ, finem, cunctis spretis mundi hujus voluptatibus, sine intermissione cogitemus: videmus vitam, sed umbram & imaginem fugientem & fallentem advertimus. Ne ergo nos fallax & seductrix, brevis & temporalis, caduca & fragilis, amara ac tristis vita decipiat, de vera & æterna semper cogitemus, quæ post mortem immortales justos habitura sit. Vide vicissitudinem rerum; vita ante mortem, & post mortem vita; justus pius duas possidet, & peccator impius unam infœliciter habuit, alteram fœlicem perdidit: post brevem enim vitam, de morte in mortem vadit in interitum, de quo Dei pii bonitas nos dignetur eripere, per Dominum nostrum JESUM Christum, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Margin notes: * mendosè *premuntur.* — 1. Cor. 3. — * mendosè *aut.* — 2. Cor. 5. — Math. 16. — 1. Cor. 3. 2. Cor. 5. 2. Rom. — * mendosè *enim* in MS. — * *paracaraximo.*

ANNOTATIONES.

(a) *Illic uniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit.* Hunc Apostoli locum intelligunt Oecumenius, Ammonius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alii Patres antiqui non pauci de Purgatorio. Verùm & ad ignem prævenientem universale Judicium hoc extendit D. Thomas hîc; pro quo sciendum quod triplici igne probari, seu discerni dicuntur in Sacrâ Scripturâ merita & demerita hominũ. Primus dicitur ignis tribulationis, de quo intelligitur illud Eccles. 2. *In igne probatur aurum & argentum, homines verò acceptabiles in camino tribulationis.* Secundus est ignis Purgatorii, de quo potest

Margin notes: 1. Corint. 3. — Triplex ignis quo probantur merita hominum.

potest intelligi Job 23. *Probabit me quasi aurum, quod per ignem transit.* Tertius denique ignis est ille, qui præcedet diem extremi Judicii & faciem Judicis, exurens faciem mundi; unde dicitur ignis conflagrationis, & involvens reprobos ac justos purgans, de quo loquitur Psalmista: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.* De primo igne non est hic sermo, quia talis solis competit viatoribus, de quibus hic non agitur. Sed neque ad secundum ignem illum Apostoli locum applicat Columbanus; quia ipse loquitur de igne, quo examinantur merita hominum post generalem carnis resurrectionem, ut innuunt illa ejus verba: *In terram ibis,* supple per animæ separationem, *à terra surges,* utique per carnis resumptionem, *In igne probaberis, Judicium expectabis.* Secundus autem ignis, qui manifestat diem Domini instar furis venientem, hoc est, diem mortis & privati judicii, quo exigitur ab homine stricta vitæ trãsactę ratio, purgandis electis deputatus, generalem resurrectionem non sequitur, sed antecedit. Itaque ad tertium ignem Sancti viri verba sunt referenda, in quo dies Domini magnus revelatur, & tunc demum uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit, hoc est, manifestabit. Vide S. Thomam in hunc locum & Bellarminum l. 1. de Purgat. c. 5. qui per ignem probantem hic intelligit severum & strictum Dei judicium. Qui sensus Columbani verbis congruentior videri posset; nam electorum à reprobis separatio, de qua ipse loquitur, ad sententiam Judicis propriè spectat, quæ oves ab hædis, sicut ignis aurum purum ab adulterino, secernet. Congruentior, inquam, hic sensus, nisi quòd hunc ignem distinguere, & omninò separare videatur Columbanus à sententia Judicis, cum ait: *de igne in Judicium; de Judicio autem in gehennam.*

Psalm. 96.

(b) *Ut quadam arte terram & lutum ignis dissolvat.* Sensus esse videtur, quod ignis ille conflagrationis, de quo est sermo, totam massam judicandorum, tanquam terram & lutum dissolvet, ut deprehendatur si quid in ea veri metalli lateat; indequè peccatoribus velut scoria & rubigine jam liquefactis, seu manifestatis, aurum & argentum, hoc est, electi, qui in illa massa continebantur, liquidò separentur & appareant. Et hoc indicant verba quæ sequuntur; *Et si quid auri, aut argenti habuerit, aut cæterorum terræ utilium paracaraßimo liquefacto demonstret.*

(c) *Paracaraßimo liquefacto demonstret.* Paracaraximum (non paracarassimum, ut hic corruptè scribitur) usurpat Cassianus collat. 1. caput 20. de cujus vocis significatione hæc ad eum locum Cuychius: *Paracaraxima, sive paracharagmata, sunt adulterina & falsa signa, sive numismata, & qui hujusmodi monetam cudunt paracharactæ vocantur* παραχαράττειν *est adulterare & falsò signare.* Similia habet Ciaconius ibidem, qui putat Cassianum hanc vocem accepisse ab Origine Homil. 3. in Levitic. Item notat ex lib. 9. Cod. Theodosiani tit. de falsa moneta lib. 8. falsæ monetæ reos, quos vulgò paracaractas vocant, Majestatis crimine teneri obnoxios. Vide hæc & alia huc spectantia fusius apud Gazæum in Notis ad dictum Cassiani locum.

Paracaraxima quid.

INSTRUCTIO X.

De terribili venturi Judicis ira declinanda.

ARGUMENTUM.

Allatis variis Sacræ Scripturæ testimoniis de terribili & universali Judicio post resurrectionem, viam demonstrat, qua possit homo iram Judicis in illa die evadere; nempè si sibi & suis immodicis cupiditatibus in hac vita mori, & soli Deo ac Christo Domino, qui pro nobis mortuus est, vivere studeat. Ad quod fœlix sui odium & salutiferam mortem subeundam futuræ beatitudinis recordatione hortatur.

MULTUM nobis de fine, Fratres charissimi, timorem Dominus in superioribus per Evangelium & Paulum incussit; quod nobis post hæc tam tremenda divini canonis testimonia refugium est? quibus lachrimis, quantis suspiriis opus est? qualibus compunctionibus durum & lapideum cor conterendum est, ut iram Judicis tantam effugere possimus? quam universitatis creator Deus ac Dominus noster per se ac Apostolum Prophetasque minatur, qui easdem minas non
Malach. 4. tacent dicendo: *Ecce dies Domini venit, ardens ut clibanus, & exuret eos, & erunt omnes alienigenæ & omnes qui faciunt iniquitatem, ut stipula, & incendet eos dies illa, quæ venit, dicit Dominus omnipotens, & non relinquetur radix & germē.* Similiter,
Malach. 3. & alius dicit Propheta: *Ecce venit Dominus omnipotens, & quis sustinebit diem adventus eius? Aut quis supportabit conspectum eius? Quia ipse ingredietur ut ignis*
Isai. 13. *conflatorii.* Sed & Isaias dicit: *Ecce dies Domini veniet insanabilis, dies iræ & furoris, dies nubis & nebulæ.* Et paulò post: *Cœlum enim quatietur, & terra movebitur à fundamentis suis, propter furorem iræ Domini Sabaoth in die, qua supervenerit furor*
Isai. 24. *eius.* Et iterum dicit: *Movebuntur fundamenta terræ, perturbatione perturbabitur terra, stupore stupebit terra, inclinatione inclinabitur terra, & commotione commovebitur terra, sicut ebrius & crapulatus ex-*
Psalm. 49. *cutietur.* (a) Asaph quoq; similia loquitur: *Deus manifestè veniet, Deus noster & non silebit, ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida,* &
Psalm. 69. David consona huic loquitur dicens: *Ignis ante ipsum ardebit & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Post hæc, inquam, tam tremenda Veteris, & Novi Testamenti præconia, quibus heri & hodiè pauca commemoravimus, qua satisfactione iram tanti Judicis evadere possimus, videamus. Domini ac Salvatoris nostri JESU Christi meminisse debemus dicentis: (b) *Qui vult animam suam* Math. 10.
salvam facere, perdet eam: nam qui perdiderit animam suam propter me, inveniet illam. Perdendum ergo est libenter quidquid diligimus præter Christum, pro Christo, vita primum, qua corpus, animę societate, vivificatur, si ita necesse sit, pro Christo martyrizantibus prodatur, aut si talis beatitudinis desit occasio, non tamen voluntatum deerit mortificatio, ut qui vivit, non sibi vivat, sed ei qui pro ipso mortuus est. Vivamus ergo ei, qui cum moritur pro nobis vita est, nosque nobis moriamur, ut Christo vivamus; ei enim vivere non possumus, nisi nobis antè, hoc est, nostris voluntatibus, moriamur. Christi sumus, non nostri; non enim sumus nostri; empti enim sumus pretio magno, 1. Corint. 6.
& verè magno, quando Dominus pro servo, Rex pro ministro, Deus pro homine datur. Quid debemus nos reddere, si Creator universitatis immeritò pro nobis impiis (creaturâ tamen suâ) mortuus est? Putasne non debeas mori peccato? certè debes. Moriamur ergo, moriamur pro vita, quia vita moritur pro mortuis, ut cum Paulo dicere possimus: *Vivo ego, iam non ego, vivit verò in me* Galat. 2.
Christus, ille qui pro me mortuus est; electorum enim est ista vox; nullus autem potest sibimet mori, nisi Christus in illo vivat; si autem Christus in illo sit, sibimet

sibimet vivere non potest. Vive in Christo, ut Christus in te. Sed quæris quomodo sensus vivat in illo, ut te doceat tibimet mori & Christo vivere, vel, ut veriùs dicendum est, tibi vivere: qui enim moritur pro Christo, ipse vivit, & qui sibi vivit, moritur. Mortalis est enim si voluntatibus suis vivit juxta illud Apostoli: *Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini.* Videtis ergo, charissimi, quia in alienis habitamus, dum vel vita nostra non est nostra, & non nobis vivere debemus, & grandis violentia est, per laborem quærere, & per studium habere, quod natura vitiata non servaverit. Sed tamen (c) arbitrii * electionem, amissâ licet beatitudine, non amisit. Inde nunc per vim & violentiam regnum rapimus cœlorum, & illud quodammodo quasi inter medias hostium manus è medio agonis campo, & ceu certaminis sanguineo solo, abstrahimur, dum non solum ab adversariis, sed à nobis ipsis duriùs impugnamur, dum unusquisque malè seipsum diligit, & in eo quo diligit, seipsum nocet: ille enim bene diligit, qui seipsum salubriter odit, hoc est, affligit; qui verò suis adversariis consentit, non rectè se diligere dicitur. Grandis ergo miseria est, qui seipsum nocens non sentit. Cum enim ipse sibi homo contrarius est, non est omnium sic illum pacare, ut verè qui seipsum diligat. Pugnandum ergo hic est & certandum cum vitiis nostris, ut alibi coronemur. Tempus enim hoc, tempus belli est; ideo enim nemo putet securitatem in bello, quia nullus dormit in bello, & nullus securus ingreditur aciem. Acies itaque nobis dirigenda est contra omne vitiosum, voluptuosum, malè blandum. Sufficit autem pugnantibus adversarios vincere.; si (d) teipsum viceris, omnium victor es; si verò tui victor proprius est tibi mortuus, Deo vivus comprobaris; quando autem mortuum audis, quâ audaciâ intraturus ad Judicium Christi suę causæ advocatum & sui desiderii suggestorem, & sui contemptus ultorem, unusquisque pro Christo martyrizans seipsum facit. Si enim verè Christi crucem assumpsisset, nihil ei horum licere animadverteret, quia & Christus in hoc exemplum dedit, ut nullus quod suum est, quærat, dicendo: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis,* &: *descendi non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Se unusquisque consideret, ne liber & vivus in loco servi & crucifixi inveniatur, & unusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat apud Deum, & sicut Apostolus dixit, *sive liber, sive subiectus* sub jugo humilitatis, quasi servi in Christo sint. Contra se ergo unusquisque nostrum, charissimi, veniat: nam si non contra nosmetipsos, sed contra Fratres vivamus, & si loquamur ut libet, non est vera, sed falsa, religio nostra. Nihil itaque liberum in servis Christi esse debet, & nihil altum in Christi esse humilitate oportet. Non simus ergo superbi, non simus protervi, non liberi; sed simus humiles, lenes, affabiles, communes, ut Rex humilis, altus tamen, in nobis Christus regnet. Sed ut hanc salubrem mortem quadam spei suavitate diligamus, finem ejus audiamus; quis enim reverà fœlicior est illo, cujus mors vita est; cujus vita Christus est, & Salvator merces est; cui cœlum humiliatur & paradisus patet, cui terra (e) cœlestis, & infernus clusus est; cui janua aperitur & vita non finitur; cui Deus Pater, & Angelus minister; qui de brevi longum, de misero beatum, de caduco æternum, de tristi lætum, de humili excelsum, de terra cœlum, de mortali Deum, fœlici commercio acquirit. Si itaque præsentia despiciamus & futura solummodò quæramus, hæc omnia supradicta in melius commutamus. Sed si (quod absit) potiora inferioribus postponamus, utraque sine dubio perdemus. Quamobrem si cum Jesu vitam quæramus, * ut mortificationem ejus ante in nobis habeamus; quod nobis Deus Christus præstare dignetur, qui cum Patre semper & Spiritu Sancto est unus Deus in sæcula sæculorum. Amen.

[Margin: Rom. 8. — * male electione. — Math. 26. — Joan. 6. — 1. Corint. 12. — * deest aliquid, vel quid aliud sensũ complens.]

ANNOTATIONES.

(a) Asaph *quoque similia loquitur.* S. Augustinus hunc Psalmum 45. tribuit Asaph sicut cantori tantum, (fuit enim Asaph ex præcipuis cantoribus, ut habetur Paralipom. 1.) Davidi verò, ut authori. Verùm juxta Hieronymum & omnes Hebræos, teste Lyra super hunc Psalmum, ipse Asaph illum composuit, sicut & alios plures; qui non tantum cantor, sed etiam Propheta extitit, & his suffragatur inscriptus titulus.

[Margin: Asaph aliquos Psalmos composuit.]

titulus: *Psalmus Asaph:* tractatur autem in eo de duplici Christi adventu, scilicet in carnem & ad judicium extremum, de quo hic Columbanus, & de virtute Evangelii. Vide Hieronymum, Cassiodorum, Theodoretum, & alios Interpretes.

(b) *Qui vult animam suam salvam facere perdet eam.* Nempe vel corporalis vitæ profusione per passionem martyrii, vel internâ animi mortificatione, per odium sui, secundum quod infra dicit: *Ille bene diligit, qui seipsum saluhbriter odit, hoc est, affligit.* Et hanc expositionem amplexus est Beda illis verbis: *Vel hoc dicit, quia persecutionis tempore ponenda est anima; quovis autem tempore frangenda sunt desideria terrena.* Eundem sensum reddidit Augustinus tr. 51. in Joan. circa med. & alii Patres passim super 10. Mathæi, 8. Marci & Joan. 12. vide Lyranum iisdem locis & recentiores qui latè explicant qua ratione debeamus odio vel amore habere animas nostras in hac vita, ne perdamus in futura.

Quomodo dicitur anima perdi ut salvetur.

(c) *Arbitrii electionem.* Ita lego, nam Codex mendosè habet; *Arbitri electione.*

(d) *Si teipsum viceris, omnium victor eris.* Etenim qui seipsum vincit, amorem proprium, ex quo velut ex radice omnia vitia nascuntur, infringit, adeoque in uno eo extirpato, omnium destructor existit. Ea porrò mala sigillatim his verbis recenset Augustinus lib. 22. de Civit. Dei c. 22. *Quid,* inquit, *amor ipse tot rerum vanarum, atque noxiarum, & ex hoc mordaces curæ, perturbationes, mærores, formidines, insana gaudia, discordiæ, lites, bella, insidiæ, iracundiæ, inimicitiæ, fallacia, adulatio, fraus, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, invidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, sævitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, & contra naturam utriusque sexus tot stupra, atque immunditiæ, quas turpe est, etiam dicere, sacrilegia, hæreses, blasphemiæ, periuria, oppreßiones innocentium, calumniæ, circumventiones, prævaricationes, falsa testimonia, iniqua iudicia, violentiæ, latrocinia, & quidquid talium malorum in mentem non venit, & tamen de vita ista hominum non recedit? Verùm hæc hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris & perversi amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adam nascitur.* Hæc Augustinus. Qui ergo tot pestiferos ramos cupit amputare, securim ponat ad radicem, ex qua illi (quantumvis videantur exscindi) renascuntur. Vide plura huc spectantia apud eundem lib. 14. Civit. c. 28. Basil. reg. brev. cap. 54. Bernard. Sermon. 58. in Cantic. Gregor. Moral. cap. 15.

Mala quæ procedunt ex amore proprio.

(e) *Terra cœlestis, & infernus clusus.* Veris quippe Christi sectatoribus terra cœlestis efficitur, quia plus videntur in cœlo esse Evagelicæ vitæ conversatione, quàm in terra, juxta illud Apostoli: *Conversatio nostra in cœlis est,* & consequenter infernus, qui impiis semper est apertus, ipsis clauditur. Cæterùm ponitur hic pro *clausus, clusus,* quod verbum nunc non est in usu, nisi in compositione, unde & *conclusum, inclusum* & similia usurpamus. Philipp. 3.

INSTRUCTIO

INSTRUCTIO XI.

De dilectione Dei & proximi.

ARGUMENTUM.

Codex Florinensis sequentem Sermonem in duos dividit, quorum prior de disciplina *inscriptus totam primam partem usque ad illa verba,* periculosa habitatio, *complectitur; Posterior autem cum præfixo* de dilectione spirituali *titulo, reliqua quæ sequuntur usque ad finem, comprehendit. Sed nos dispositionem Codicis Bobiensis retinentes utrumque sub uno generali titulo connectimus, & unius duntaxat instructionis formâ. In qua primùm commemorato singulari Dei beneficio, quo suam in nobis expressit imaginem, & gravi eam violantium damnatione, docet Vir sanctus eius puritatem in duobus charitatis præceptis, Dei videlicet & proximi conservari; in quibus duobus tota Lex pendet & Prophetæ: adiiciens fraternam dilectionem perniciosæ detractionis usu plurimùm lædi; ipsumque adeò detrahentem suo mucrone iugulari. Postremò inducit ad amorem ex bonis, quæ secum adfert.*

Genes. 1. MOYSES in Lege scripsit: *Fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Considerate quæso dicti hujus dignitatem. Deus omnipotens, invisibilis, incomprehensibilis, innarrabilis, inæstimabilis, de limo hominem fingens, imaginis suę dignitate nobilitavit. Quid homini ad Deum? Quid * limoso, & spiritui? Deus enim spiritus est. *(a)* Grandis dignatio, quod Deus suæ æternitatis imaginem, & morum suorum similitudinem homini donavit. Magna dignitas homini Dei similitudo si conservetur; sed grandis iterum damnatio, Dei imaginis violatio. Quod enim homo accipit de flatu Dei, si in contrarium depravaverit usum, & beneficium naturæ contaminaverit, tunc Dei similitudinem corrumpit, & quantum in se est delet; si *(b)* autem animæ insitis virtutibus usus fuerit in rectum, tunc Deo erit similis. Quascumque ergo Deus in nobis in prima nostra conditione virtutes seminavit, ipsas ei reddere nos præceptis docuit. Hoc est primum: *Diligere ex toto corde Deum nostrum, quia ipse prior dilexit nos* ab initio & antequam essemus. Dei enim dilectio, imaginis ejus renovatio. Deum autem diligit, qui ejus mandata custodit; dixit enim: *Si diligitis me, mandata mea servate*; hoc est mandatum ejus, dilectio invicem, juxta illud: *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem, sicut & ego dilexi vos.* Dilectio autem vera non in verbo est tantùm, sed opere & veritate. Reddamus itaque Deo nostro, Patri nostro, suam imaginem inviolatam in sanctitate, quia ille sanctus est juxta illud: *Sancti estote, quia ego sanctus sum:* in charitate, quia charitas est juxta illud Joannis: *Deus charitas est:* in pietate & veritate, quia ille pius & verax est, ne simus alienæ imaginis pictores. Tyrannicę enim imaginis pictor est, qui ferus est, qui iracundus est, qui superbus est. Sicut enim falsa scientia legitur, sic falsa etiam imago umbrata deprehenditur. Divisa est enim veritas à falsitate, justitia ab iniquitate, charitas à malignitate, diligentia à securitate, æquitas à pravitate, dilectio à simulatione, & utraque imagines quasdam in nobis pingunt, sibi invicem contrarias. Pietas enim & impietas, pax & discordia contraria sibi sunt. Ne fortè itaque nobis tyrannicas introducamus imagines, Christus in nobis pingat suam imaginem, qui pinxit dicendo: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Sed quid prodest quòd scimus quia pax bona est, si non benè servetur? Solet enim optimum quodque fragilissimum fieri, & pretiosa quęque majori cautelâ & diligentiori custodiâ indigent; nimium enim fragile est, quod levi sermone perditur, & minimâ Fratris læsione deperit. *(c)* Nullum enim lædis, quando ei adularis, & nulli

Marginal notes: * forte *limo.* — Marci 12. — 1. Ioan. 4. — Ioan. 14. — Ioan. 13. — Levitic. 11. — 1. Ioan. 4. — Ioan. 14.

nulli blandiris, quando eum despicis. Dic enim *Fatue*, & pacem violasti, & reus factus es gehennæ. Cavendum est itaque dilectionem fraternam studentibus complere, loqui ut libet, & pro animi motu linguam movere, dum non solum de injuriosis, sed etiam de otiosis sermonibus rationem reddemus. Quapropter studendum est in multis sermonibus non immorari, sed necessaria quæque loqui. Nihil enim suavius hominibus, quàm aliena loqui & aliena curare, & otiosa passim verba proferre, & de absentibus detrahere; & ideò qui non possunt dicere: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut possim sustinere eum, qui lassus est verbo*, taceant, & si quid dicant, pacificum sit. Quamvis enim sapiens, minus paucis offēdit sermonibus, quàm multis; quando enim unusquisque mentitur, maledicit, detrahit, *(d)* seipsum proprio mucrone jugulat; quid autem aliud nobis inimici optassent, nisi ut nostris armis propriis succumberemus? *Noli detrahere*, ait Scriptura, *ne eradiceris*. Vide quid laboratur in operibus impietatis: habitatio & plantatio, quam vix magnis ac divinis laboribus plantamus, uno detractionis verbo eradicatur, & quod longo labore vix queat stabiliri, unius sermonis impetu subruitur. Caveat ergo unusquisque ne sua radix de terra viventium eradicetur pro odii detractione. Nullus enim unquam detrahit ei, quem diligit; *(e)* detractio enim, odii primogenitus est, & ideò talis patris filius meritò eradicandus erit.

Isai. 50.

Iacob. 4.

Periculosa habitatio, Charissimi, in qua ista non vitantur, *Si enim*, ut ait Apostolus, *invicem invidetis & invicem mordetis, invicem detrahitis*, dico *videte ne ab invicem consumamini*. Si enim *qui non diligit, in morte est*, ubi erit qui detrahit? Lachrimis in his opus magis, quàm verbis est. Quid enim diligentius, quidvè abundantiùs Lex Dei mandavit, quàm dilectionem? Et rarò invenis quemquam sic facientem. Quid dicemus pro excusatione? Nunquid possumus dicere: laboriosum est? durum est? *(f)* non est labor dilectio: plus suave est, plus medicale est, plus salubre est cordi dilectio. Si enim vitiis languidum non fuerit cor, ipsius sanitas dilectio est, & quod Deo charum * sit: nihil autem Deo plus charum est, quàm dilectio spiritualis, maximè cum suæ legis & omnium mandatorum suorum summa sit juxta illud Apostoli: *Qui autem diligit proximum, legem implevit*. Qui verò legem implevit studio dilectionis, habet vitam æternam, sicut & Joannes dicit: *Fratres scimus quoniam de morte ad vitam transivimus, quia diligimus fratres: qui* enim *non diligit, in morte est. Si quis autem odit, homicida est. Scitis autem, quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem*. Aut ergo nihil agendum est, nisi dilectio, aut nihil sperandum est nisi pœna; *Plenitudo enim legis* charitas, quam nobis ille pius abundanter inspirare dignetur Dominus noster & Salvator JESUS Christus, qui dignatus est dare, pacis conditor & charitatis Deus, cui gloria in sæcula sæculorum Amen.

Gal. 5.

* forte est.

Rom. 13.

1. Ioan. 3.

Rom. 13.

ANNOTATIONES.

(a) G*Randis dignatio quod Deus suæ æternitatis imaginem & morum suorum similitudinem homini donavit*. Imaginem videlicet unitatis & trinitatis suæ; unitatis quidem in eo quod sicut Deus, ut cum Ambrosio loquar, *Unus semper ubique totus est, omnia vivificans, movens & gubernans, sic anima in suo corpore tota viget, vivificans illud, movens & gubernans; nec enim in maioribus membris maior, nec in minoribus minor; sed in minimis tota & in maximis tota & est hæc imago unitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se. Quis quoq; quandam trinitatis habet imaginem, primò in eo, quia sicut Deus, est, vivit, & sapit: est quoque alia Trinitas in ea quoad imaginem sui conditoris, perfectæ quidem & summæ Trinitatis, quæ ex Patre & Filio & Spiritu Sancto condita est. Et licet unius illa natura, tres tamen in se dignitates habet, intellectum, voluntatem & memoriam; nam sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre Filioq; procedit Spiritus Sanctus; ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus generatur memoria*. Atque hæc ille de imagine Creatoris in anima, qui de similitudine quoque animæ, ad mentem Columbani hæc habet lib. 6. Hexameri c. 8. *Cum dicit, ad similitudinem, anima describitur, plena sapientiæ, plena pietatis atque iustitiæ, quoniam omnis virtus à Deo est, cui dixit Deus: Ecce ego, Hierusalem, pinxi muros tuos: Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam*

Ambrof. lib. de dignit. hom. condit. cap. 2.

Quid sit imago, quid similitudo Dei in anima rationali.

gratiam renidentem. Ex quo colligitur quod vitiosis animi affectionibus & variis peccatorum maculis obnoxius morum Dei similitudinem amittit, & tyrannicas ac alienas in se pingit imagines, ut hic à S. Columbano declaratur, & hac similitudine sublatâ dicitur imago violari, non quod anima Trinitatis imaginem superius explicatam amittat, sed quod suam perfectionem, quæ in ea similitudine consistit, imago perdat, prout docet Rupertus, lib. 2. in Gen. c. 3. *Ad imaginem suam,* inquit, *creavit Deus hominem ut sit rationalis, ad similitudinem; ut sit rectus, sectando iustitiam Dei: horum altero, ut sit rationalis, carere non potest; alterum, id est, divinæ rectitudinis vel iustitiæ similitudinem, nisi per gratiam aßequi non potest.* Vide S. Augustinum lib. de Gen. ad lit. imperfect. cap. 16. Origen. Homil. 1. in Genes. & alios Sanctos Patres, quos adducunt Expositores in 1. Gen. & Scholastici 1. p. q. 93. a. 5. cum D. Thom. vel 1. d. 3. q. 9. cum Doctore Subtili, qui de hac in creatura rationali Dei imagine, latè disputant. Legatur quoque Alens. 1. p. q. 6. m. 1. Bonavent. 2. p. a. 1. q. 1. & a. 2. per totum, & alii.

(b) *Si autem animæ insitis virtutibus usus fuerit in rectum.* Et infra. *Quascumque ergo Deus in nobis in prima nostra conditione virtutes seminavit.* Supponere videtur hoc loco Columbanus, hominibus à natura inditas esse quasdam virtutes, seu virtutum semina, quod etiam multi alii præter ipsum Sancti Patres tradiderunt, ut S. Basilius Homil. 9. in Hexam. & in reg. fus. disput. cap. 2. S. Chrysostomus Homil. 2. in Ep. ad Ephes. *Vides,* inquit, *quod ab ipsa natura habemus indita ad virtutem seminaria; quæ verò malitiæ sunt, præter naturam sunt.* Hieronymus quoque in cap. 1. ad Galath. *Multi,* inquit, *absque fide vel Evangelio Christi vel sapienter faciunt aliqua vel sanctè, ut parentibus obsequantur, ut inopi manum porrigant, non opprimant vicinos, aliena non diripiant, magisquè obnoxii idcirco Dei fiant, quod habentes in se principia virtutum & Dei semina non credunt in eo, sine quo eße non poßunt.* Damascenus etiam l. 3. orthodox. fid. cap. 14. sic loquitur: *Naturales sunt virtutes & naturaliter & æquè in omnibus insunt, & si non omnes æquè operemur ea, quæ sunt naturæ.* Hæc ille. Verùm hi Patres & S. Columbanus hîc non aliud per virtutes naturales, seu virtutum semina intelligunt, quàm naturales animæ facultates ad bene operandum à Deo collatas, videlicet lumen intellectus practici, & inclinationem voluntatis ad bonum sequendum & malum fugiendum, de quo S. Thomas 1. 2. q. 63. Quæ principia rationis practicæ vocat etiam S. Augustinus lib. 2. de lib. arbit. *Principia & lumina virtutum.* Et juxta hæc hic erit sensus verborum S. Columbani loco citato: si homo vires arbitrii ad bonum operandum inditas, in malum & contrarium usum impenderit, mala considerando, & pravis ac vitiosis affectibus indulgendo, tunc Dei similitudinem corrumpit; quod si è contrà iisdem rectè fuerit usus, Deo tunc similis erit, qui præceptis nos docuit præfatas virtutes, ejus obsequiis applicare, ex quibus preceptis primum & præcipuum est dilectio ipsius Dei ex toto corde &c. Ad hæc autem, sciendum, non eodem sensu, quo recitati jam Patres, Cassianum virtutes naturales & virtutum semina in homine posuisse, cùm dixit collat. 13. c. 12. *Dubitari non poße, ineße quidem omni animæ naturaliter virtutum semina.* Nam ipse per hæc intellexit semina veræ pietatis, id est, bonas cogitationes & pia desideria, initia etiam fidei & aliarum virtutum, quibus homo se preparare possit ad gratiam, & quorum intuitu illi gratia conferatur, ut eruditè ex ipso demonstrat ejus commentator Gazæus, qui citatos Patres & alia huc spectantia copiosius adducit, & inter alia, etiam ibidem verba refert Prosperi, erroneam hanc de seminibus virtutum Collatoris sententiam impugnantis.

Quid Sancti Patres per virtutum semina animæ insita intelligant: quid Cassianus.

(c) *Nullum enim lædis cum ei adularis.* Hoc verbo hic Columbanus in bonum utitur, nempe pro eo, quod est alteri blandè & dulciter loqui; quo sensu rectè usurpari potest, cùm nihil sit aliud adulari, quàm favorem alterius quoquo modo, sive nutu, sive gestu venari, desumptâ à canibus metaphorâ, qui dominis suis caudis blandiri vel adulari dicuntur.

(d) *Seipsum proprio mucrone iugulat,* supple qui detrahit. Detractor namque non tam alienam, quàm propriam ferit animam iis sermonibus, quos in alterius profert infamiam; sicut is qui lapidem

Detractor detrahendo propriam lædit animam.

in altum jacit, recidit in caput ejus, aut sicut sagitta contra durum saxum emissa, in ipsum revertitur sagittarium, quo sensu sermones detrahentis dici possunt converti in arcum pravum Psalm. 77. & hoc videtur significari per illud Sap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam*, ipsius utique mentientis, & illud Ecclef. 5. *Lingua imprudentis subversio est ipsius. Itaque sicut elatio sola*, ut inquit Climacus Grad. 10. *absque alio vitio comite, perdere se habentem potest, ita & iudicandi vitium* (supple alienam vitam) *& si solum in nobis fuerit, perfectè nos perdere valebit.*

(e) *Detractio enim odii primogenitus est.* Id insinuare videtur Climacus Grad. 10. ubi dicit: *Detractio est proles odii, tenuis languor, pinguis & oculata & latens sanguisuga, quæ charitatis omnem consumit ac demolitur sanguinem, cordis sordes ac duritiam parans, castitatis exterminatio.* Ad hunc sensum facit illud Psalm. *Sermonibus odii circumdederunt me*, ex quibus detractorius non infimum locum habet. Psalm. 108.

(f) *Non est labor dilectio.* Hoc testatur Augustinus lib. 13. Confes. *Qui amat*, inquit, *non laborat; omnis enim labor non amantibus gravis est: solum amor est, quod nomen difficultatis erubescit.* Et lib. de bono viduitatis: *Nullo modo laboriosi sunt labores amantium, sed ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, piscantium: ineo quod amatur aut non laboratur, aut labor amatur. Cum itaque nihil*, inquit Hieronymus in quodam Sermone, *amantibus durum, nullus labor difficilis, amemus & nos Christum, & facile videbitur omne difficile.* Vide S. Bernard. lib. de dilig. Deo.

Amans laborem non sentit.

INSTRUCTIO XII.

De compunctione & vigilantia qua Judicis adventus expectandus est.

ARGUMENTUM.

Declarat exemplo hominis flammis adiudicati, omnia tentantis, quò se liberare queat, quanto studio & contentione adniti debeat homo Christianus, ut tremendi Judicis horribilem indignationem evadat; proinde ad continuam hortatur vigilantiam in operibus pietatis, devotâ & ipse à Domino prece rogans, ut dignetur eius lucernam sic accendere, ut sibi per charitatem ardeat; proximo verò luceat per exemplum; quibus inhærens fidelis servus Judicis, non timebit à facie iudicantis. Hic Sermo in M S. Codice de Compunctione *inscribitur, cui nos inscriptioni, quæ sequuntur superius verba adiecimus claritatis gratiâ.*

COMPUNCTIONIS necessariæ insinuationem superioribus sermocinationibus utcumque suggerere tentavimus, & quasi soliloquus, proprii licet, omnis * tam Cordis ignaviam suscitare voluimus, sed quia fidei paupertas & carnis voluntas cum mundi cupiditatibus hæc castigationum documenta tepidè audiens contemnit, persæpè eadem iteranda sunt; si enim fides dubia non esset, vel unum de supradictis divini oraculi testimoniis abundè sufficeret. *(a)* Credunt ergo & non credunt, qui audita negligunt; alioquin *(b)* si tibi * hodiè, utare, quidam * diceret, quod Judex sæculi hujus vult te crastino vivum exurere, quid, rogo, tibi solicitudinis, quid timoris immineret? Et his auditis, si esset tibi unius diei spatium liberum, quanta faceres? quomodo acclamares? & per quos discurreres? quàm humilis & quàm lugens & sordidus oberrares? Nonne effunderes omnem pecuniam tuam in eos, quorum intercessione evadere posse te crederes? nonne omnia bona tua faceres redemptionem animæ tuæ & nihil reservares, licet parcus & avarus esses; sed omnia disperderes, omnia donares pro vita tua? Et si aliquis te retar-

* f. tamen.

* f. hac die.

* mendosè dicretur.

te retardare aut impedire * tentaverit, nonne diceres: pereant omnia pro salute mea, nequidquam remaneat, tantùm vivam? Hoc quare faceres? Quia non dubitares * juxta severissimi Judicis sententiam, arderes. Hîc verò dubitas, quod quàm citò futurum sit, ignoras, non nescis tamen futurum, licet negligis. Expergiscendum ergo est, vigilandum est, orandum est, juxta Salvatoris nostri JESU Christi Dei nostri præceptum dicentis: *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra crapulâ & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos dies illa repentina*; tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore, ut digni habeamini effugere ista omnia, quæ futura sunt & stare ante Filium hominis. Si hæc audimus & credimus, fidem nostram vigilantia nostra ostendet, ac discussis squallentibus atque torpentis mortiferi teporis torporibus, sensus nostros Domini Salvatoris sententia vibret, ut omnibus curis mortalibus depositis, parati semper simus; expectantes scilicet ultimi diei adventum, quo aut pœna, aut gloria nos suscipiet, acuatque animorum nostrorum acies supradictus Domini sermo, quo nos vigilantes & orantes jugiter esse docuit, ut non simus quasi credẽtes, & non credentes, & quasi audientes & non audientes, & Dei pii & boni ineffabilem misericordiam de profundo cordis nostri per JESUM Christum Filium suum infatigabiliter deprecemur, rogemus, oremus, ut ita nobis suam dilectionem inspirare dignetur, ut nos ei in æternum conjungat, inseparabiliter conglutinet; humo elevet, cœlo societ interim sensus nostros quamdiu simus in hoc mortis corpore constituti; atque sic ejus adventum sine querela expectemus, quò ei cum apparuerit, cum gaudio & magnâ charitatis fiduciâ placentes occurramus. Quàm beati, quàm fælices *servi illi, quos cum venerit Dominus, inveniet vigilantes*! Beata vigilia, qua ad Deum universitatis authorem, omnia implentem, & omnia excedentem, vigilatur. Utinam me quoque, vilem licet, suum tamen servulum, ita dignaretur de somno inertiæ excitare, ita illo divinæ charitatis igne accendere, quo supra sidera exardesceret suæ charitatis flamma, (c) suæ nimiæ dilectionis desiderium, semperque divinus ignis intra me arderet. Utinam illud lignum haberem, quo ille ignis jugiter * alteretur, pasceretur, succenderetur; & illa flamma nutriretur, quæ extingui nesciret, & augeri non nesciret. Utinam talis essem meriti, ut mea lucerna semper nocte in templo Domini mei arderet, ut omnibus domum Dei mei intrantibus luceret. Domine da mihi, rogo te, in nomine JESU Christi Filii tui, Dei mei, illam quæ nescit cadere charitatem, ut mea lucerna accendi sciat, extingui nesciat; mihi ardeat, aliis luceat. Tu Christe lucernas nostras accendere digneris, dulcissime nobis Salvator noster, quæ perpetuò luceant in templo tuo, ac perenne lumen à te perenni lumine accipiant, ut tenebræ nostræ illuminentur, mundi autem tenebræ à nobis fugiant. Sic lumen tuum meæ largiaris, rogo, JESU mi, lucernæ, ut illius luce illa Sancta Sanctorum mihi appareant, quæ te æternum Pontificem æternorum in (d) antibus magni illius tui templi illic intrantem habeant, quo te jugiter tantummodò videam, aspiciam, desiderem; tantùm te amans conspiciam, desiderem, expectem, ac coram te mea semper lucerna luceat, ardeat. Tuum sit, quæso, te nobis pulsantibus monstrare, amantissime Salvator, ut te intelligentes, tantùm te amemus, te solum amemus, te solum desideremus, te solum meditemur die ac nocte, semper te cogitemus, & in tantum nobis tuum inspirare digneris amorem, quantum te amari Deum decet ac diligi, ut omnia interiora nostra tua occupet dilectio, totosque nos tuus possideat amor, totos nostros sensus tua impleat charitas, ut præter te aliud amare nesciamus, qui sempiternus es, quo tanta charitas aquis multis hujus aëris, & hujus terræ, & hujus maris extingui in nobis nequeat juxta illud; *Et aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Quod in nobis quoque compleri vel ex parte possit, te donante Domino nostro JESU Christo, cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

* f. tentaret.

* deest quin vel quid simile.

Luc. 21.

Luc. 12.

* f. alteretur.

Cantic. 8.

ANNOTATIONES.

(a) *Credunt & non credunt, qui audita negligunt.* Credunt quidem, quia fidem in corde retinẽt & ore confitentur;

fitentur; non credunt, quia quæ fide credunt operibus non exequuntur, sine quibus ex charitate factis fides mortua est in semetipsa, unde non auditores legis, sed factores justificabuntur. Huc spectant illa S. Hieronymi verba in Dialogo contra Luciferianos dicentis: *Ad orationem assisto: non orarem, si non crederem: sed si vere crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem; manibus tunderem pectus, genas lachrimis rigarem, corpore inhorrescerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eosq; fletu perfunderem, crine tergerem.* Hæc ille. Qui ergo sine his orat, credit quidem, alioquin non oraret, & non credit, quia hæc, quæ ad orationem ferventem spectare intelligit, negligit; & sic apparet quo sensu quis dici possit credens & non credens operari.

Tepidè credentes credunt & non credunt.

(b) *Si tibi, hodie utare, quidam diceret.* Hæc clausula nonnihil, ut videtur obscura, construendo verba, ut jacent, hunc sensum reddit: si tibi aliquis diceret (*diceretur* enim ex menda irrepsit) hodiernâ tantùm die utere ad vitam, *quòd*, id est, quia Judex vult te cras flammis vivum addicere, quantam sollicitudinem adhiberes &c. Quod si legatur loco *utare*, citare, seu citaris, supple ad judicium; reliqua quæ sequuntur etiam cum hac lectione eo hærebunt. Prior videtur esse germanus litteræ sensus.

(c) *Sua nimia dilectionis desiderium.* Ex hoc non est intelligendum, posse dilectionem Dei in nobis aliquando esse nimiam, hoc est, excessivam; nam in amando Deo non contingit excessus, sicut in virtutibus moralibus, quæ in medio ab utraque nimietate revocante consistunt; vel etiam in spe, quæ per defectum in desperationem, vel per excessum in præsumptionem, degenerare potest. Sed est modus loquendi, quo magnus & vehemens charitatis ardor exprimitur, etiam Scripturis Sacris usitatus, undè illud Pauli de maxima Christi erga humanum genus dilectione loquentis: *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos & lavit nos in sanguine suo.* Ephes. 2. Sancti quoque illo passim epitheto vel simili utuntur, cum de charitate loquuntur.

(d) *In antibus magni illius tui templi.* Antes dicuntur propriè extremi ordines vinearum, unde antæ antarum pro lateribus valvarum, nomen trahunt. Utitur eo vocabulo Columbanus hic pro primo ingressu templi ad latus ostii, in quo sedens videre queat intrantem Dominum majestatis in templum gloriæ suæ.

INSTRUCTIO XIII.

De fonte vivo Christo Jesu adeundo & potando.

ARGUMENTUM.

Præmissa ratione producti hactenus de materia præsenti Sermonis, verbis Domini vocantis invitat ad Panem Angelorum & Fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam, qui est Christus JESUS, seriò nos monens respondere vocanti, tum ex præstantia & suavitate illius Panis & Fontis; tum ex mira inde sumentium voluptate, qui semper edentes & bibentes, semper esuriunt & sitiunt. Postremò humiliter petit ipse particeps fieri tanti boni.

QUotidianæ experientię ratiocinationibus humanæ vitæ miseriâ collectâ, ac divinis simul territi oraculis temerariè licet, parvitatem ingenioli nostri in superioribus jam diu ostendimus, & licet forte superflua aliis videatur ista nostra loquacitas, à nobis tamen opportunè nobis sermo ortus esse ducitur: non enim tam alienam, quàm propriam excitare conamur ignaviam, ac insuper quamvis minus perfectis sapientibus satisfecerit ista excogitata

tata ex parte sapientia, incipientibus
tamen, ac nostræ mensuræ tepidis ne-
cessaria & satis apta videbitur. Quia
quod nocet abscondi, quod nocet sileri,
non expedit tegere, neque expedit tace-
re; inde enim melius nobis loqui vi-
sum est, quamlibet impolitè, quàm si-
lere: etenim reverà tutius de istis, quàm
aut de frivolis aliis, aut de otiosis ser-
mocinare judicavimus. Itaque adhuc,
Fratres charissimi, dictis nostris aures
præbete, quasi aliquid necessarium audi-
turi, & animi vestri sitim divini fontis
undis, de quo nunc dicere cupimus,
refocillate, sed non extinguite; bibite,
sed non satiamini; jam enim vocat nos
ad se Fons vivus, Fons vitæ, & dicit:
Ioan. 7. *Qui sitit veniat ad me & bibat.* Quid bi-
batis, intelligite. Dicat vobis * Isaias, * f. Ieremias
Ierem. 2. dicat vobis Fons ipse: *Me autem dere-
liquerunt Fontem aquæ vivæ, dicit Dominus.*
Dominus ergo ipse, Deus noster Jesus
* al. incitat. Christus, est Fons vitæ, & ideò * invi-
tat nos ad se Fontem, ut illum bibamus.
Bibit eum qui amat; bibit qui Dei ver-
bo satiatur, qui satis diligit, satis de-
siderat: bibit qui sapientiæ amore fla-
grat. Avidè ergo nos gentes bibamus,
quod Judæi dereliquerunt. *(a)* De no-
bis enim cum gentibus fortè dictum est:
* f. mentis. *Præcidit in stupore * mentis, capita poten-
tium movebuntur, nec adaperientes max-
illas suas, quasi pauper edens in absconso;*
& quasi de nobis quoque cum perfectis
quibusque, de quibus hoc scriptum est,
diceretur: *Aperiamus* (tanquam panem
illum qui de cœlo descendit, edendo)
*interioris hominis nostri maxillas, ut edaci-
ter edamus, & quodammodo velociter, ne
nos quis videat, quasi in absconso come-
damus.* Ut panem ergo edamus, ut fon-
tem bibamus eundem Dominum no-
strum Jesum Christum, qui seipsum,
nobis quasi sumendum, panem dicit vi-
vum, qui dat vitam huic mundo; seque
Ioan. 7. similiter Fontem demonstrans ait: *Qui
sitit, veniat ad me, & bibat.* De quo Fon-
Psalmo 35. te & Propheta dicit: *Quoniam apud te
est Fons vitæ.* Videte unde iste Fons ma-
nat: inde enim unde & panis descendit;
quia idem est qui Panis & Fons, Filius
unicus, Deus noster Christus Dominus,
quem semper esurire debemus; licet
eum edamus amando, devoremus licet
desiderando, adhuc eum, quasi esurien-
tes, desideremus. Simili modo ut Fon-
tem, eum semper dilectionis nimietate,
bibamus; eum semper desiderii pleni-
tudine bibamus, & suavitate quadam
ejus dulcedinis delectemur: dulcis enim
est & suavis Dominus, licet eum eda-
mus, & bibamus, tamen semper esuri-
amus & sitiamus; quia cibus noster &
potus, * non totus unquam sumi potest * deest for-
& bibi, qui licet sumitur, non consu- te &.
mitur, licet bibitur, non adimitur, quia
panis noster æternus est, & Fons noster
perennis est, Fons noster dulcis est; un-
de dicit Propheta: *Qui sititis, ite ad Fon-* Isai. 55.
tem; sitientium enim *(b)* non saturanti-
um iste Fons; & ideò esurientes & siti-
entes, quos alibi beatificavit, ad se vo-
cat, quibus nunquam bibere satis sit,
sed quantò plus hauserint, tantò plus
sitient. Meritò Fratres *Fons sapientiæ* Eccli. 1.
Verbum Dei in excelsis à nobis desideran-
dus, quærendus, semper amandus sit,
in quo sunt, juxta Apostoli dictum,
omnes thesauri sapientiæ & scientiæ ab- Colloss. 2.
sconditi, quos haurire vocat, qui siti-
unt. Si sitis, bibe Fontem vitæ; si esu-
ris, ede Panem vitæ. Beati, qui esuri-
unt hunc panem, & sitiunt hunc Fon-
tem; *(c)* semper enim edentes & biben-
tes, adhuc edere & bibere desiderant.
Dulce enim nimis est, quod semper e-
ditur & bibitur, & semper esuritur &
sititur, semper gustatur & semper desi-
deratur, unde Rex Propheta dicit: *Gu-* Psalm. 33.
*state & videte, quàm dulcis est, quàm
suavis est Dominus.* Propterea Fratres
vocationem hanc sequamur, qua ad vitæ
Fontem vocamur à Vita, qui est Fons,
non solum aquæ vivæ, sed & Fons
æternæ vitæ, Fons lucis, idem & Fons
luminis: ab illo enim hæc omnia sunt,
sapientia, vita, lux æterna; author vi-
tæ, Fons vitæ est, lucis creator, Fons
luminis est; & ideo contemptis his, quæ
videntur, * transcenso in superioribus * f. tran-
cœlorum, Fontem luminis, Fontem vi- scenso.
tæ, Fontem aquæ vivæ, ut rationabi-
les & sagacissimi pisces quæramus, uti
bibamus aquam vivam, & salientem in
vitam æternam. *(d)* Utinam me illuc
dignares adsciscere ad illum Fontem,
Deus misericors, pie Domine, ut ibi &
ego cum sitientibus tuis vivam undam
vivi Fontis aquæ vivæ biberem, cujus
nimiâ dulcedine delectatus sursum sem-
per ei hærerem & dicerem: quàm dulcis
est Fons aquæ vivæ, cujus non deficit
aqua saliens in vitam æternam! ô Do-
mine tu es ipse iste Fons semper & sem-
per desiderandus, semper * licet semper * deest f.
hauriendus. Nobis semper da Domine bibendus.

Christe hanc aquam, ut sit in nobis quoque fons aquæ vivæ & salientis in vitam æternam. Magna quidem posco, quis nesciat? Sed tu Rex gloriæ magna donare nosti & magna promisisti: nihil te majus, & te nobis donasti, te pro nobis dedisti. Unde te rogamus, ut sciamus quod amamus, quia nihil aliud præter te nobis dari postulamus; tu es enim omnia nostra, vita nostra, lux nostra, salus nostra, cibus noster, potus noster, Deus noster. Inspira corda nostra, rogo, Jesu noster, illâ tui Spiritus aurâ, & vulnera * nostras tuâ charitate animas, ut possit uniuscujusque nostrum anima in veritate dicere: *Indica mihi quem dilexit anima mea,* quoniam vulnerata charitate ego sum. Opto illa vulnera in me sint Domine. Beata talis anima, quæ charitate sic vulneratur: talis Fontem quærit, talis bibit, semper tamen sitit bibendo, semper haurit desiderando, quæ semper bibit sitiendo, sic semper quærit amando, quæ sanatur vulnerando; quo salutari vulnere animæ nostræ interiora Deus & Dominus noster Jesu Christus, pius ille salutarisque medicus vulnerare dignetur, cui cum Patre & eum Spiritu Sancto unitas est in sæcula sæculorum. Amen.

* Codex mendosè *nostra.*
Cantic. 1.

ANNOTATIONES.

(a) De nobis enim cum gentibus fortè *dictum est.* Locus hic à Columbano citatus, & obscurius nonnihil applicatus, ita videtur accipiendus, ut priora illa verba; *Præcidit in stupore mentes,* (non mentis ut Codex mendosè) *capita potentium movebuntur, nec adaperientes maxillas suas,* (hoc est, non adaperient maxillas suas) referatur ad Judæos, in lege videlicet divina, potentes, *qui dereliquerunt Fontem vitæ,* & sequentia illa, *quasi pauper edens in abscondo* ad Gentiles conversos ad fidem Christi, & Evangelicæ perfectionis sectatores, qui aperiunt interioris hominis maxillas, & quasi pauper edens in abscondo, ne scilicet videatur, ut explicat Columbanus.

(b) *Non saturantium iste Fons.* Supple *se*; vel intellige (quod magis videtur ad mentem authoris) verbum in passiva significatione prolatum, ut saturantium idem sit, quòd saturorum, seu eorum, qui saturantur.

(c) *Semper edentes, & bibentes, adhuc edere & bibere desiderant.* Ea quippe est inter caducas, & æternas divitias differentia, juxta Sanctum Gregorium, *quòd corporales delitiæ cùm non habentur grave in se desiderium accendunt; cùm verò habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium vertunt: At contrà; spiritales delitiæ cùm non habentur, in fastidio sunt; cum habentur, in desiderio: in illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat; in istis autem saturitatem appetitus, saturitas appetitum parit.* Augent enim spiritales delitiæ desiderium in mente dum satiant, & hoc est quod his & sequentibus verbis insinuatur. Vide S. August. Homil. 3. in Joan.

Homil. 36. in Evang. Differentia inter spirituales & corporalis delitias.

(d) *Utinam me illuc dignares adsciscere.* Vulgatior est usus verbi deponentis *dignareris*, huic etiam Sancto satis usitati, ut in his Sermonibus sæpius notare est, unde credi posset vitio illud transcriptoris hic irrepsisse. Verùm & activè etiam usurpari potest idem verbum, quemadmodum hic accipitur, de quo vide Diomed. lib. 1. & Paccuvium in hæc verba: *Quis deos infernos, quibus cœlestes dignet decorare honoribus.*

INSTRUCTIO XIV.

Varia Spiritualis vitæ documenta.

ARGUMENTUM.

Relatis hactenus Instructionibus in eodem Codice Bobiensi subditur Tractatulus de octo principalibus vitiis infrà opportunius recitandus, quem immediatè sequitur infrascsiptus Sermo sub Exhortationis *titulo. Videtur autem ad instar Epistolæ fuiße directus à Columbano ad quemdam ministrum suum; de qua re infrà. Multa in eo documenta ad vitam rectè laudabiliterq; instituendam traduntur, quorum observantiam admodum fructuosam esse demonstrat; adeoq; seriò prosequendam. In iis annotandis solitò prolixiores erimus, quod res solitò etiam obscurior, & intricatior talem prolixitatem exigat.*

CUM jam de moribus moralibusque disciplinis diu dixerim, iterum rogas, fili imbuende, doceri. Audisti quid scriptum est. *Cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt.* Scripsi tibi anteà de serietate ac pudicitia, cui nimirum, ut * aptè quidam, *etiam tuta timeo.* Sed quia admonitio quibusdam custodia, quibusdam consolatio, quibusdam perfectio efficitur, intellecta scilicet complentibus; ideò frequenter docendi sunt, ac imbuendi filii dulcissimi, ut per quasdam delectiones litterarum, suas vincere possint de intestino amaritudines bello. Bellum igitur & belluinum vince, concupiscentias scilicet, ac (*a*) superciliosum, * (*b*) utilis esto in humilitate, infirmusque in authoritate: simplex in fide, doctus in moribus; (*c*) mordax in alienis, remissus in propriis, (*d*) purus in amicitia, (*e*) callidus in insidiis. (*f*) durus in mollibus, mollis in duris. (*g*) Varius in planis, planus in variis. Jocundus in amaris, tristis in jocundis. (*h*) Discors in necessariis, (*i*) æqualis in veris. Severus in suavibus, dulcis in amaritudinibus. Fortis in tribulationibus, imbecillis in discordiis, tardus ad irascendum, velox ad discendum, tardus quoque ad loquendum, ut Sanctus ait Jacobus, velox similiter ad audiendum. Efficax in profectu, (*k*) hebes in vindicta, cautus in verbo, promptus in opere. (*l*) Amabilis probis, squallidus inhonestis; (*m*) lenis infirmis, (*n*) durus stolidis, (*o*) rectus erectis, humilis dejectis. Sobrius ubique, castus ubique, pudicus semper, (*p*) patiens tenus zelo, cupidus nunquam, (*q*) largus semper, sin ope, vel animo. (*r*) Opportunus in jejuniis, importunus in vigiliis. (*ſ*) Discretus in officiis, (*t*) tenax in studiis, (*u*) constans in fragoribus, lætus in mœroribus. Audax in causa veritatis, timidus in contentionibus, supplex bonis, insuperabilis malis, mitis in liberalitate, infatigabilis in charitate, justus in omnibus, pius dignis, misericors pauperibus. Memor beneficiorum, immemor injuriarum. (*w*) Amator mediocrium, nolus opum, animi depressor, (*x*) cogitationum publicator. Senioribus obediens, junioribus concurrens, coæqualibus coæquans. Perfectis concertans, melioribus non invidens, præcurrentibus non dolens, remorantibus non detrahens, (*y*) provocantibus consentiens, lassus licet non deficiens, flens simul & gaudens, pro fervore ac spe; timens semper pro fine licet proficiens, incerto. (*z*) En tuum ô puer amande, ministerque dulcis monimentum; talis si sis, nimis beatus eris, (*aa*) quia per prospera & adversa, idem eris, paratus ad cuncta, singulis occurrens, temperans gestus, nutriens crescenda, interimens decrescenda, levigans * disperata, exasperans vituperata, semper sollicitus, semper crescens, semper adquirens, semper tendens ad superna, semper currens ad bravium, semper cœlestia desiderans, semper divina sitiens.

Ecce doctrinam, da sequacitatem si potes.

* Codex corruptè à te.

* f. virilis.

Jacob. 1.

* f. aspera.

potes, ut habeas fœlicitatem, & potestatem, cum puerilia desideria fugiens, corpus sic in potestatem spiritus* redigeris, & te vadem pro tuis tradideris peccatis, in brevi militantem pro æternis stipendiis. O te fœlicem! ô te beatum! oquè mirabilem te puerum, si hæc compleveris universa! si enim in his diligenter omnibus fueris sensu & opere occupatus, non vacabis neque vanis, vagisquè, neque turpibus cogitationibus; sed quasi incipiens semper tibi ipsi congregabis, quibus in perpetuum fruiturus eris, unius vir vocandus animi, & singularis emolumenti quęsitor, egregius regni negotiator æterni. Converte igitur te totum in hæc, quia habes in quibus tuam exerceas juventutem, virtutem, efficaciam, strenuitatem, ne si in contrariis hæ fuerint exercitatæ, pereant quæ per vim rapiunt regnum cœlorum.

* fortè redegeris.

ANNOTATIONES.

(a) *Superciliosum.* Hoc est, fastuosum seu superbum, nam supercilium interdum pro fastu accipitur, quo sensu legendum illud Juvenal. satyr. 6. *si cum magnis virtutibus affers grande supercilium, & numeras in dote triumphos.* Itaque concupiscentias videlicet carnis & oculorum, quæ gravem adversus animam excitant pugnam, & superbiam vitæ monet illâ clausulâ fugienda, quibus expeditus facilè quis poterit nudus cum nudo hoste luctari.

(b) *Utilis in humilitate, infirmusque in authoritate.* Legendum existimo *virilis in humilitate.* Ut sensus sit quòd debeat Monachus esse fortis & promptus ad obediendum, seu opera subjectionis & humilitatis exercenda, humilis autem & tardus ad imperandum, seu prælationis & authoritatis actus usurpandos.

(c) *Mordax in alienis,* hoc est, parcus in aliorum bonis distribuendis, & remissus seu liberalis in elargiendis propriis. Sed quia Monacho proprietas in temporalia non competit; fortè magis ad sensum authoris videtur, ut per hæc intelligamus, Monachum debere esse *mordacem* seu constantem *in alienis,* supple, injuriis vindicandis vel defendendis, *remissum* verò seu facilem *in propriis,* hoc est, sibimet illatis, remittendis, vel tolerandis.

(d) *Purus in amicitia.* In qua nimirum colenda sincerus quivis esse debet & simplex, non gerens ad amicum ingenium duplex & tortuosum, quod amicitiæ idoneum non esse declarat Cicero lib. de amicit. neque impuros seu sensuales nutriens affectus, qui jam honestum amorem in domesticum vertunt periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum bono colore depictum, de quo S. Bonav. opusc. de pur. consc. cap. 14. & de profec. religios. tr. 6. c. 15. Purus itaque in amicitia, hoc est, ab omni affectione terrena liber, quæ carnalem & sensualem comitari consuevit amorem.

(e) *Callidus in insidiis.* Hoc est, cautum & circumspectum esse in eis declinãdis.

(f) *Durus in mollibus.* Severum quippe & constantem decet exhiberi animum & vultum ad prospera & blanda quęque, maximè verò mulierum & adulatorum alloquia, quorum sermones molliti sunt sicut oleum, & ipsi sunt jacula, ne fortè oleum peccatoris impinguet caput jam complacentis & transeuntis in affectum cordis illicitum, quemadmodum & è converso mollem oportet esse in duris, id est, ad aspera & adversa mansuetum & dulcem. Et mox inferius hoc ipsum repetit, cum monet debere hominem esse severum in suavibus, & dulcem in amaritudinibus, ac fortem in tribulationibus. In quibus locis animi commendat fortitudinem, à qua hi actus procedunt: nam justi & fortis viri est, juxta Hieronymum in Joelem, *nec adversis frangi, nec prosperis sublevari, sed in utroque esse moderatum*: unde ipsa describitur à Cicerone in Rhet. *esse immobilis inter adversa gloriosa animi claritudo, res arduas pulchrè administrans, quæ nec adversis infestando frangitur, nec prosperis blandiendo elevatur.* Vide eundem lib. 1. de offic. & Ambrosium ad Simplicium, Senec. ep. 66. & 71. Cassian. in Psal. 1.

(g) *Varius in planis, planus in variis.* Hoc documentum congruo satis sensu referri potest ad benignam factorum alienorum interpretationem, ita nimirum ut quis in variis, hoc est, quæ variè seu ambiguè,

ambiguè, rectè vel sinistrè accipi possunt, interpretandis sit planus, id est, sincerus & simplex, benigniorem sensum eliciendo. Econtrà verò in planis seu apertis, iis scil. quæ forinsecus quidem mali speciem habent, exponendis sit *varius*, in adhibenda excusatione, ut juxta consilium S. Bernardi serm. 40. in Cant. si opus ipsum excusari non possit, excusemus intentionem operantis, putemus casum, putemus surreptionem, has & varias similes excusandi vias exquirendo.

(h) *Discors in necessariis.* Debemus quippe à sensualitate dissentire, seu discordare in ministrandis vitę necessariis, nam illa frequenter nobis imponit, & sub obtentu necessitatis obumbrat negotium voluptatis, ut eleganter admodum S. Augustinus l. 10. confess. cap. 31. (cujus verba supra retuli ad instruct. 7.) ostendit.

(i) *Æqualis in veris.* Vera videtur vocare spiritalia bona, in quibus animæ impendendis magnâ utendum est vigilantiâ, magnoque studio laborandum, ut in iis servetur ęqualitas seu æquitas, qua videlicet nihil desit, quod ad spiritum interioris hominis excitandum, promovendum, vel conservandum quoquo modo spectare videatur. Largâ ergo & æquali normâ spiritalis, parcâ verò corporalis vitæ necessaria sunt administranda, quia, ut dictum est, hæc interdum fallunt, illa quantumvis sumantur, nunquam seducunt applicantem, ideoque & vera dicuntur.

(k) *Hebes in vindicta.* Hoc in loco & pluribus sequentibus, sicut & in superiori passu, ad heroicos fortitudinis, & Christianæ magnanimitatis actus invitat, ex quibus non infimus est iste, quem hic suadet, de non quærenda vindicta: *Proprium est* enim *magnanimitatis vera non sentire se percussum*, inquit Seneca, in Epistola quadam. Unde *si magnanimus fueris, nunquam iudicabis tibi contumeliam fieri. De inimico dices: non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit, & cùm illum in potestate tua videris, vindictam putabis, non vindicare potuisse; scito enim magnum & honestum vindictæ genus, ignoscere.* Hæc idem Seneca, sanè pręclarè de 4. virtut.

(l) *Amabilis probis, squallidus inhonestis.* Id est, lenis & benignus erga honestos & probos; rigidus & ferus erga inhonestos & improbos.

(m) *Lenis infirmis.* Hoc ferè idem est cum eo quod mox sequitur; *Humilis dejectis.* Non enim oportet eum, qui intendit lucrari Fratrem suum, contra ejus imperfectionem vel debilitatem, impatientiam ostendere: nam ut rectè S. Gregorius lib. 5. Mor. c. 15. *Qui alienam imperfectionem ferre non valens, patientiam deserit, ipse sibi testis est, quòd perfectè necdum proficit. Unde qui debitæ discretionis ordine infirmum fide assumit* (verba sunt Rhabani in 25. Math.) *& confirmat, qui tribulatione oppresso subvenit, compatiendo, vel consolando veram dilectionem adimplet.* Ordo autem consolationis, juxta memoratum Gregorium est, ut studeamus priùs mœrendo afflicti luctui concordare; dolentem nō potest consolari, qui non concordat dolori, quia eo ipso, quod à mœrentis afflictione discrepat, minus ab illo recipitur, cui mentis qualitate separatur; sed emolliri prius debet animus, ut afflictio congruat, congruens inhæreat, inhęrens trahat; nec ferrum ferro conjungitur, si non utrumque exustione ignis liquetur; durum molli non adhæret, nisi prius ejus duritia mollescat: sic nec jacentem erigimus, nisi à rigore nostri status inclinemur; quia dum rectitudo dantis à jacente discrepat, eum cui condescendere negligit, nequaquam levat. Quomodo adhibenda afflictis consolatio.

(n) *Durus stolidis.* Quippè qui magis severitate, quàm lenitate trahuntur, de cujus genii hominibus S. Bernardi verba sunt intelligenda in quodam Sermone dicentis: *Nonnulli durâ cervice, & attritâ sunt fronte, ut quò magis eis compatimur, tanto magis nostrâ compassione, & patientiâ abutantur.*

(o) *Rectus erectis*, illis videlicet, qui dum valdè de se præsumunt, cæteros contemnendo & aspernando superbiunt, *quos* juxta S. Gregorium p. 3. Pastoral. adm. 9. *tunc melius corrigimus, cùm ea, quæ bene egisse se credunt, malè acta monstramus, ut unde adepta creditur gloria, inde utilis subsequatur confusio.* Et hoc est, quod hic insinuat Columbanus, monens ut quis sit rectus, hoc est, apertus & Qualiter tractandi arrogantes & erecti.

tus & nihil dissimulans cum superbis & arrogantibus, & eorum arrogantiam patenter aperiat; sicut è contrà cum dejectis oportet esse humilem & blandum, eorum afflictioni compatiendo, & defectus patienter sustinendo. Quod consilium Lanfrancus Archiepiscopus Cantuariensis Rotherico Hiberniæ quondam Regi suis litteris suggessit inquiens: *fidei congrua opera in quantum vires suppetunt exhibeatis, superbis austeram, humilibus placabilem vestram Celsitudinem ostendatis.* Ratio autem hujus est, quia erecti, seu elati, facilè ad quæque immoderatè extolluntur, & è contrà pusilli, seu dejecti, facilè deprimuntur; unde convenit illorum deprimi superbiam, & horum erigi dejectionem.

(p) *Patiens tenus zelo.* Præpositio hæc usitatiùs postponitur ablativo, ut dicatur patiens zelo tenus, hoc est, usque ad zelum: omnia enim patienter toleranda sunt præter ea, quæ irreverentiam aut injuriam Deo, aut proximo irrogant; ad quę, cùm incidunt, cohibenda, tanquam jam ad pietatem *animi accedens acrimonia, non impatientiam, sed* (ut pulchrè dixit Basilius orat. 23.) *Zelum parit.* Pro quo notandum ex S. Gregorio l. 5. Mor. c. 20. *Quod alia est ira, quam impatientia excitat; alia quam zelus format; illa ex vitio, hæc ex virtute generatur; si enim nulla ira ex virtute surgeret, divinæ animadversionis impetum Phinees per gladium non pacasset.* Et infra. *Ira per vitium oculum mentis excæcat; ira autem per zelum turbat.* Omnis itaque commotio iræ, quæ ex recti æmulatione non procedit, generat impatientiam, & hæc est, quæ hic à Columbano dissuadetur, cum patientiam zelo tenus, qua hujusmodi passio superatur insinuat.

(q) *Largus semper, sin ope, vel animo.* Hoc est, si non ope, vel facultate, saltem animo, seu bona voluntate. *Si potes dare*, inquit Augustinus in Psalm. 103. *da; si non potes, affabilem te fac: coronat Deus intus bonitatem, ubi non invenit facultatem; nemo dicat; non habeo: charitas de sacculo non erogatur.*

(r) *Opportunus in ieiuniis.* Quia videlicet in eo attendenda est circumstantia loci, temporis, & personarum, quibuscum habitamus, quibus non observantis abstinentia nostra in aliis indignationem, & in nobis ipsis pugnam interdum excitat; quia verò vigilia, habitâ corporalis salutis ratione, nulli gravis, aut onerosa esse potest, idcircò Monachum optat *inopportunum in vigiliis*, hoc est, ubique & in omnibus exercitiis, prȩsertim verò Psalmodiâ & Oratione vigilem; quo spectat illud cap. ult. Regul. *lassus* (supple Monachus) *ad stratum redeat, ambulansq; dormitet.*

(s) *Discretus in officiis.* Ut scilicet præponenda non postponat, vel utiliora minus utilibus, nullo temporis, vel agendorum ordine servato; ut attendat, *quando comedendum, quando abstinendum; quando vigilandum, quando dormiendum, quando orandum, quando flendum, quando aliquando opus faciendum &c.* Vide Albertum Magnum de parad. an. cap. 34. ubi hæc & plura huc spectantia habet. Ad quæ facit illud Apostoli *Omnia ordinatè fiant in vobis*, & ilud vulgare Sapientis. *Omnia tempus habent.* Congruè etiam potest hic locus intelligi de officiis humanitatis & gratitudinis, quȩ discretè juxta obligationem & merita personarum impendenda sunt. Math. 14. Ecclef. 3.

(t) *Tenax in studiis*, id est, diligens & constans in sacrȩ lectionis exercitiis. Quod Cassianus coll. 14. cap. 10. admonuit dicens, *Incessabiliter recensendam sacrarum seriem Scripturarum, & assiduum* ac *iugem se præbere debere* Monachum *sacræ lectioni.* Cui non absimile illud Hieronymi ad Nepot. ep. 2. & 4. *Divinas Scripturas sæpius lege, imò nunquam de manibus tuis deponatur.* Et ad Rusticum: *Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Vide plura huc spectantia apud Gazæum in Notis ad dictam collat.

(u) *Constans in fragoribus.* Hoc est, impavidus & imperturbatus in arduis adversitatibus. Vide quæ dicta sunt ad illa verba; *Durus in mollibus.*

(w) *Amator mediocrium. Magnanimi* quippe est juxta Senecam ep. 37. *magna contemnere, & mediocria malle, quam nimia*, unde hic subditur, ut sit Monachus *nolus opum*, hoc est, contemptor divitiarum.

(x) Cogi-

Antiqui Monachi omnes malas cogitationes confestim aperire soliti.

(x) *Cogitationum publicator.* Promptam & maturam malarum cogitationum ad Seniores delationem, frequenti ferventiq; suasione veteres Patres Monachis inculcabant. *Instituantur*, inquit Cassianus l. 4. instit. c. 9. *nullas penitùs cogitationes prurientes in corde perniciosâ confusione celare, sed confestim, ut exortæ fuerint, eas suo patefacere Seniori, nec super earum judicio quidquam suæ discretioni committere, sed illud credere malum esse vel bonum, quod discusserit ac pronunciaverit Seniorum examen.* Eandem doctrinam repetit coll. 2. c. 10. 11. & 12. quam etiam tradit S. Antonius apud Athanasium. Vide Gazæum ad dictam coll. Hujus porrò consilii fructum idem Cassianus post notata jam verba aperit: *Ita*, inquit, *fit ut in nullo circumvenire Juvenem callidus inimicus, velut inexpertum, ignarumque, prævaleat, nec ullâ fraude decipere, quem prævidet, non sua, sed Seniorum discretione muniri.*

(y) *Provocantibus consentiens.* Hoc est, ad virtutem & pietatem excitantibus, aures & animum exhibeas, promptum; ita tamen, ut *remorantibus*, hoc est, suo tardæ & tepidę conversationis exemplo retrahentibus à profectu, seu minus perfectis vel fervidis, non detrahas.

(z) *En tuum, ô puer amande, ministerq; dulcis, monimentum.* Hinc suspicari forte posset aliquis, hanc instructionem ad quemdam nomine *Amandum* fuisse transmissam, præsertim cum in initio dicatur: *scripsi tibi ante de serietate &c.* quibus verbis indicari videtur hæc epistolari stilo fuisse directa. Verùm his obstat, quòd *amande* in Codice, non cum majusculâ proprii alicujus nominis notâ, sed cum minusculâ, quacum illud verbum *diligendum* sonat, scribatur: unde videtur ista Sanctus Vir cuidam discipulo suo scripsisse, cujus hic nomen reticet, cuique anteà multa de moribus moralibusque disciplinis dictaverat. Idem ergo sonant prædicta verba, *quod dilecte Fili*, vel *charissime puer*, &c.

(aa) *Per propria, & adversa idem eris, paratus ad cuncta. Asperis blandisq; pariter invictus, neutri te fortunæ submittens; supra omnia, quæ contingunt acciduntq; eminens, imperturbatus, quem nulla vis frangit, quem non attollant fortuita, nec deprimunt.* Verba sunt Senecæ Epistol. 66. Talis animi vir juxta Cassianum collat. 6. cap. 10. figuraliter in Scripturis Sanctis *ambidexter* nuncupatur, ut ille *Aoth* in lib. Judicum fuisse describitur cap. 3. qui utrâque manu utebatur pro dextera, *Quam virtutem*, inquit ille, *ita poterimus nos intellectualiter possidere, si ea, quæ prospera sunt, dexteráque censentur, & ea quæ adversa sunt, ac sinistra dicuntur, bono, rectóque usu ad partem fecerimus dexteram pertinere, ut quæcumque fuerint illata, fiant nobis secundum Apostolum, arma Justitiæ à dexteris, & à sinistris.* His admodum similia scribit Hieronymus super Psalm. 90. ubi dicit Justum non habere sinistram, sed duas dexteras. Vidi Gazæum ad dictam Collationem loco citat.

Quis dicatur spiritualiter ambidexter.

INSTRUCTIO XV.

De fervore serviendi Deo.

ARGUMENTUM.

In hac Instructione hortatur Fratres suos, ut memores vocationis suæ, in cœpto semel bono studiosè perseverare laborent, & ad Christi Salvatoris exemplum cum exultatione currentis, Sanctorum præcedentium virtutes intuentes, in odorem unguentorum Domini currant, inanes & futiles cogitationes abigentes, quæ perdunt suavitatem unguenti. Cæterum hunc Sermonem sub hac inscriptione Exhortatoria S. Columbani ad Fratres in conventu *accepi à R. P. Luca Wadingo, sedulo monumentorum gentis & Ordinis nostri collectore; nec eius exemplar in Codicibus Bobiensibus reperiri potui: ex quibus tamen primitùs extractum non dubito, cum inde translata fuerunt alia S. Columbani monumenta. Porrò nos illum, undecumque demum transumptum, prioribus Sermonibus connumerare volentes, communi cum illis* Instructionis *titulo prænotare maluimus.*

IN Ecclesia Dei, Fratres mei, summum locum per Dei misericordiam sumus obtinentes, curare summoperè debemus, ut quod semel proposuimus, sedulâ intentione teneamus, & quod exterius promittimus, per studium boni operis exhibeamus. Qua in re necesse est, ut remotis de cordibus nostris fatuis & ineptis cogitationibus, secundum perfectionis vitæ regulam viam Dei ingrediamur, & gradiendo in ea, quæ ante sunt, obliti posteriorum, id est, temporalium, cum Apostolo nos extendamus, dicentes Conditori nostro: *Trahe nos post te, curremus simul in odorem unguentorum tuorum.* (Cantic. 1.) *(a)* Per nos quidem ad viam veritatis pertingere, vel in ea proficisci non possumus, atque ideò gratiam prævenientem petamus dicentes: *Trahe nos post te*, ut sic curramus ad te: & congruè prius dicitur: *Trahe nos post te*, & deinde sequitur: *Curremus*; quia *(b)* nisi divinâ gratiâ nos præveniente, opus bonum inchoare, & eâdem subsequente, ipsum consummare non valemus; unde dicitur in oratione illa: *Et tua nos Domine gratia præveniat & sequatur.* (Orat. Dom. 16. post Pentecosten) Benè autem congruit, quod dicitur: *Curremus*, nam in via Dei non est nobis lento gradu incedendum, sed cum magna exultatione, vel festinatione currendum. Sed Apostolus admonet dicẽs: *Sic currite ut comprehendatis.* (1. Cor. 9.) Currit verò, qui totis viribus ad Deum proficiscitur: currit qui in bono opere non lassatur, sicut & de Christo dicit Propheta: *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* (Psalm. 18.) * (* f. cucurrit.) Currit quippe Christus viam Dei, quia *in (c) via peccatorum non stetit*, (Psalm. 1.) id est, nulla gravedine peccati est remoratus. Currendum verò nobis est; sed quomodo currendum? Audite quomodo. **Curramus*, *inquam, *in odorem unguentorum tuorum.* (* f Curremus. Cantic. 1. * f. inquit.) Quæ sunt unguenta, in quorum odorem post Christum currimus? Unguenta sunt Sanctorum præcedentium exempla: unguenta de variis simul mixtis floribus vel speciebus fiunt. Diversæ species, diversæ sunt Sanctorum virtutes, quæ quasi redolentia aromata, per virtutem charitatis rediguntur, & nobis in usum mundè componuntur. De tali unguento dicitur: *Muscæ morientes perdunt suavitatem unguenti.* (Eccles. 10.) Muscæ morientes sunt vanæ cogitationes cordi nostro irruentes, quas nimirum per studium orationis, quasi quodam flabello abjicere debemus, ne perdant in nobis suavitatem unguenti. Suavitatem etenim & odorem unguenti muscę morientes perdunt quando vanę cogitationes jucunditatem virtutum, & regulas obsequii divini, quas ab antiquis Patribus didicimus, perimunt. Nos igitur diligentissimè Sanctorum præcedentium exempla intuentes, *festinemus ingredi in illam requiem*; (Hebræor. 4.) Curramus & in cœpto non deficiamus, quatenus cum

Apostolo

2. Timot. 4. Apostolo dicere valeamus: *Bonum certamen certavimus, cursum consummavimus, ut de cætero reposita sit* nobis *corona iustitiæ, quam reddet nobis in illum diem iustus Judex* Christus, qui est super omnia benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATIONES.

(a) P*Er nos quidem ad viam veritatis pertingere, vel in ea proficisci non possumus.* Idem suprà Instruct. 3. tradit cum dicit, quod *impossibile est solum per se unumquemque adipisci quod perdidit in Adam.* Quibus in locis ostendit necessitatem gratiæ post lapsum, quam diffinit Arauf. Can. 17. in hæc verba: *Etiamsi in illa integritate, in qua est condita permaneret,* (supple natura) *nullo modo seipso Creatore suo non adiuvante servaret; unde cum sine gratia Dei salutem non posit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit? Arbitrium igitur voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari &c.* Et Can. 25. subjungitur, quòd *prædicare debemus & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postcà, aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, posit, nisi gratia eum & misericordia divina prævenerit.* De hoc videri potest S. Augustinus de natur. & grat. caput 43. & 61. de prædestin, Sanctor. caput 5. & de grat. Christi cap. 50. Item Prosper Epist. de lib. arbit. ad Ruffinum, & alii passim SS. Patres.

Necessitas gratiæ definita in Arauf. Concil.

(b) *Nisi divinâ gratiâ nos præveniente opus bonum inchoare & eadem subsequente ipsum consummare non valemus.* De vulgari hac gratiæ divisione in prævenientem & subsequentem legi poterunt S. Augustinus cap. 32. Enchyrid. Greg. homil. 9. in Ezechiel. Fulgent. l. 1. ad anonym. c. 9. & alii quamplures antiqui Patres, qui adducuntur & explicantur à Scholasticis in materia de gratia. Colligitur autem hæc veritas ex illo Psal. 58. *misericordia eius præveniet me*, & Psal. 24. *misericordia eius subsequetur me.* Vide Trid. sess. 6. cap. 5. & can 3. item cap. 16. Per hæc quæ hoc loco traduntur clarè constat, S. Columbanum verbis illis, quibus suprà serm. 3. monet, ut quis *Dei gratiam suo advocet conamine*, non voluisse gratiæ concursum excludere, quasi absque ea posset homo solis arbitrii viribus gratiam Dei advocare, cum hic doceat, nequidem inchoari posse bonum opus (quale est advocare Dei gratiam) & multò minus consummari, sine divinæ gratiæ adjutorio. Porrò de effectu & distinctione utriusque gratiæ latè Scholastici.

Divisio gratiæ in prævenientem & subsequentem.

(c) *In via peccatorum non stetit, id est, nulla gravedine peccati est remoratus.* Hoc est, retentus; accipit enim illud verbum in passiva significatione. Psalm. 1. Cæterum hunc Psalmi versiculum Glossa Ordinaria & Moralis ad hunc Columbani sensum exponit; quæ per viam peccatorum, pravam operationem intelligit, quæ via est ad mortem.

INSTRUCTIO XVI.

Quid est, aut quid erit?

ARGUMENTUM.

Titulum hunc præfert hic Sermo in Codice Florinensi, ex quo eum descripsit R. P. Hugo Vardeus, qui in rebus nostræ gentis eruendis & illustrandis cum magno ut speramus patriæ fructu indefessè laborat, à quo eum accepi. Extat etiam in Codice quodam MS. Monasterii Alnensis Cisterciensis Familiæ in Belgio. In eo autem S. Columbanus nos hortatur ex consideratione & comparatione præsentis vitæ, quæ instar rotæ currit ad mortem, & futuræ, quæ in æternum manet, ne pro transitoriis & caducis bonis amittamus vera, & semper mansura, imaginantes vera esse & stabilia, quæ falsa sunt & incerta. Quod si quis fortè per peccatum mortuus bona ea perdidit, monet, ut venditis vitiis suis, comparet sibi virtutes, quibus pervenire possit ad vitam. Omnia ferè quæ hic habetur, declarata fuerunt sparsim in relatis supra Sermonibus eiusdem Argumenti, idcircò Notis non est opus.

COGITA non quid es miser homo, sed quid eris? quia quod es momentũ est, & quod eris * semper. Non sis ergo ipse tibi piger, exerce in brevi quod in æternum possidebis; repellat pigritationem laboris temporalis desiderium præmiorum. Spiritualis esto si piger non es: sed si mundus te irritat, vide quid fugias, quid sequaris, & quod nunquam fugit, cur non sequaris. Quare impatiens es in vilioribus, qui pretiosior poteras esse in melioribus? Noli esse incertus de certis melioribus, & noli esse certus de caducis. Respicis in aliis quod alii in te videbunt. Quid prodest in aquis umbram videre oblectantem? Quid tibi exultare aut gaudere per somnia? Sed tamen hæc somnia, longa licet, unicuique brevia sunt, * ea dî enim totius mundi quasi unius noctis * obscurrimæ est, noctes verò somnia sunt. Expergiscere ergo, ô fili, de nocte, lumen quære ut videaris & videas; accende lucernam & lege, cave ne dormias, ne à somniis seducaris, & falsitate imaginatâ decipiaris, ut credas vera esse, quæ falsa sunt, & surgens posteà deceptum te doleas. Tua vita rota est, quotidiè currit, non te expectat, vade cum ea; igitur hinc præpara tibi sumptus; ex agro alieno secedere juberis; vide ne tuum vendas. Hic nihil habes, ô homo, in terra, de qua nudus natus es, & in qua pulvere dissolvéris; ne vendas cœlum, ubi æterna hæreditas est, tamen si non perdidisti. Alioquin si perdidisti, teipsum vende ut possis recipere. Quid dixi, reipsum vende? vitia tua vende, & eme vitam. Quæris fortè quæ sint? superbiam primum quasi vitium primò ante omnia vende, & eme inde fæliciter humilitatem, qua sis Christo similis dicenti: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Brevio- Math. 11. ri compendio ista ex integro vendita vendentur, & minora cupiditate habendi contemptâ, quia radice excisâ cujuslibet arboris, non magni penduntur rami. Scito quæ vendas ad hujus interitum carnis, ut spiritus salvus sit in diem Domini nostri JESU Christi; I. Corinth. 5. gulam, cupiditatem, fornicationem, iram, tristitiam, accidiam, vanam gloriam, invidiam, quæ melius fuerat si perdidisses, licet si nihil accepisses.

* f. sempiternum.

* f. & dies.

* f. obscurissima.

AD LECTO-

AD LECTOREM.

De authore ſequentis Inſtructionis non adeò conſtat: nam aliqui, ex quibus eſt Coccius Sabellicus, lib. de Monach. eam tribuunt Eucherio Lugdunenſi; alii verò, quibuſcum idem quoque ſui oblitus incedit, inſcribunt Fauſto Rhegienſi, ſub cujus nomine to. 2. Biblioth. SS. Pat. recent. edit. extat excuſa; à quibus diverſa eſt inſcriptio Codicis Auguſtanæ, ex cujus fide hîc ſubjicitur, eundem S. Columbano annotantis, duobus præfatis poſteriori. Si ſtilum reſpiciamus, magis ille Fauſtum refert; & facilè potuit hic Sermo inter Eucherii opera, unà cum Maximi Homiliis, & aliorum quorundam opuſculis, ex errore, ut monet Poſſevinus, eidem inſcriptis, irrepſiſſe. Verùm ne Codici Auguſtano derogare videamur, eundem cum reliquis hic Columbani Sermonibus adjiciemus, & ex illo ſub Fauſti nomine edito, variam lectionem in margine, præmiſſo ipſius Fauſti vocabulo, ponemus, & ſolitas ſubjiciemus Notas, ut, cujuſcumque demum ille ſit, poſſit ſaltem Lector uberiorem fructum percipere, cujus erit, cùm evidentiora aliqua apparuerint indicia, vel argumenta, ſuo germano authori opus reſtituere.

INSTRUCTIO XVII.

Quod per viam humilitatis & obedientiæ Deus quærendus & ſequendus ſit.

ARGUMENTUM.

Sequentis, ſanè facundiſſimi & elegantiſſimi, Sermonis exemplar nobis exhibuit Stephanus Vitus Societ. JESU *S. Theologiæ Doctor & Profeſſor, qui illum ex Codice MS. Cœnobii Auguſtani SS. Afræ & Vlderici, ſimul cum utraque S. Columbani Regula, & quadam Epiſtola, ſeu Inſtructione eius ſupra relatis, tranſumpſit, ubi hæc inſtructio* Sermo S. Columbani ad Monachos *inſcribitur. In ea autem, via monſtratur ad cœleſtis patriæ promiſſa conſequenda, quam illo docet Evangelico tradi conſilio à ſe explicato:* Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis, Math. 7. *declarans inobedientes & protervos, ac primæ converſionis & propoſiti vota rebelli cervice abiicientes, velut non rectè quærentes, aut pulſantes, ab eius recto tramite deviare: è contrà verò obedientiæ perfectæ ſemitis inhærentes, ac Seniorum & Superiorum ſuorum conſiliis per omnia acquieſcentes, ut rectè petentes & pulſantes, in ea ſecurè ambulare. Atque hæc omnia, inobedientiæ malis & detrimentis, obedientiæ verò bonis*

& emolumentis commemoratis & inculcatis ostendit; ex his tandem concludens & monens, ut deficientium, & obedientiæ opera paulatim negligentium (de quibus intelligitur illud : Peccator adjiciet ad peccandum) *vestigia declinantes , iuxta illud* Sanctus sanctificetur adhuc *(quod proprium est obedientium & proficientium) quotidianis profectibus indefesso fervore curramus, præsertim cum habenti & abundanti detur, iuxta illud:* Posui adjutorium super potentem , & gratia gratiis, ac profectus profectibus augeatur, *ut eleganter admonendum ipse loquitur.*

INstruit nos atque hortatur Sermo divinus , qualiter nos accingere debeamus ad inquirenda promissa sua, & obtinenda illa bona , quæ nec visu capi , nec auditu percipi , nec cogitatu comprehendi possunt: *Petite,* inquit, *& * accipietis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis,* id est, ut petamus orando , quæramus laborando , pulsemus * *desiderando , pulsemus proficiendo, pulsemus perseverando,* & in * spe cœlestium * promissorum tanto incitemur studio , tantoque inardescamus affectu, ut cum præmiorum dignitate desideriorum magnitudo concordet. Non vult * Deus noster bona sua nimiâ inveniendi facilitate vilescere ; pretiosa & concupiscibilis * *merces* cupidum amatorem, * & avidum negotiatorem requirit. Ergo ille tantorum munerum*promissor non vult in opere suo tepidum, despicit fastidiosum , recusat coactum * respuit indevotum ; Lentum enim & parum gratum quærere gratiam divini muneris, maxima est injuria remuneratoris. Ergo * totis licet animæ & corporis laboribus desudemus , totis licet obedientiæ viribus exerceamur , nihil tamen *condigno* * merito pro cœlestibus bonis * compensare & offerre valemus. Non valent vitæ * præsentis obsequia æternæ vitæ gaudia. Lassescant licet membra vigiliis , pallescant * *licet* ora jejuniis, non erunt tamen *condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Pulsemus * *igitur ,* charissimi , * quantum possumus, quia non possumus,*quantum debemus; *& futura beatitudo acquiri potest, æstimari non potest ; nisi enim cum aviditate , nisi cum bona voluntate , & cum lætitia, Dei opera egerimus, Deo nos perire noverimus. Putamus charissimi, quòd dignè quærat illa anima, & ita pulset , ut ei aperiatur , quæ ad leve præceptum Senioris respondere præsumit, & dicere : Nunquid servi vestri sumus ? Jam feci vicem meam, & ille faciat suam ? Quomodò hæc dicit, cui præceptum est: *Nolite quærere quæ vestra*

Faustus,
Math. 7.
* *dabitur vobis.*
* *perseverando.*
* *spem.*
* deest *promissorum.*
* *enim.*
* *merx.*
* *atque.*
* *repromissor.*
* *& ingratum.*
* Cod. August. mèdo-sè *situ.*
* *condignum quod.*
* *pensare.*
* *temporalis.*
* *deest.*
* *ergo.*
* *inquantum*
* *inquantum*
* *deest.*
Philippens. 2.

sunt? Et iterum. *Non quæ sua sunt singuli * considerantes,* à quo non * *solum* hoc expetitur, ut mercedem suam impleat, sed ut alienas invadat, præoccupet, rapiat ? Putamus, * *inquam,* quòd ita petat, ut accipiat; ita quærat, ut inveniat ; ita pulset , ut aperiatur * ei ? Qui pro aliqua negligentia correptus, & pro disciplinæ ordine castigatus , non se ad emendationem , non ad satisfactionem confert ; sed magis ad illam proterviam, ut dicat, *(a)* desero, atque * *discedam:* Hoc ego * *facere non patiar, (b)* ingenuus homo sum. Jam primùm , *(c)* qui ante Præpositum vel Abbatem ingenuum se esse * *iactitat,* puto quod adhuc * *receptum* se esse nesciat. Qui Christianæ militiæ * mancipatus , dicere se præsumit ingenuum, penè est ut se neget Christi sanguine comparatum. Quid est * aliud, quàm ipsi Domino clamare: liber sum, * *non* tibi debeo ? De talibus dicebat Apostolus : *Cum enim servi essetis inobedientiæ, liberi fuistis iustitiæ.* Non bene ingenuus * *approbatur,* qui miserâ vitiorum servitute deprimitur; clamat autem in contumelia disciplinæ, in peccato animæ suæ : malo discedere quàm *emendare, quàm satisfacere, quàm implere quod * *præcipitur.* Quid est hoc aliud quàm jugum Christi * *abs se* rebelli cervice discutere ? Isti tales nesciunt quid voverunt, obliti sunt, propter quid * venerunt. Isti tales non benè petunt ,* *sed malè intus* appetuntur; non fide pulsant , sed infidelitate pulsantur. Quid prodest quod discedis, qui undique adstrictus es vinculis passionum ? quem hinc atque inde circumvallant vitia * *tua.* * *Quid inquam, quod discedis, qui quocumque loci vadis, te tecum portas? meritò discederes , si quoquam te fugere posses.* Dignè aliquis discederet, si illò ire posset ,ubi * *eum* diabolus invenire non posset. Nemo se fallat; non * *fugit* adversarium de loco ad locum, * *non nisi* de vitio ad virtutem, de **passionibus* ad emendationem ; * *Nam si eum aliter fugies , sequetur te.* Emenda te & fugiet à te.* *Dicit autem* Apostolus: *resistite*

deest.
deest.
* deest *ei.*
* *discedo.*
* *ferre non patiar.*
* *iactat.*
* *emptum.*
* *mancipatus.*
* *hoc.*
* *nil.*
Rom. 7.
* *appellatur.*
* *emendari.*
* *præcipis.*
* desunt.
* *huc.*
* *si malè vitiis.*
* *sua.*
* deest.
* *illum.*
* *fugiat.*
* *sed.*
* *passione.*
* *si eum fugiat sequitur.*
* *sicut ait.*

resistite diabolo, & fugiet à vobis; non obedire autem, at velle discedere, hoc est dupliciter facere diaboli voluntatem, hoc est voluntariè * *sibi*, etiam in præsenti damnationem * *inferre*. Illis ipsis, qui * gravius apud nos delinquunt nullam tristiorem, nullam acerbiorem possumus invenire sententiam, quàm ut à corpore Congregationis abscissi, sine pace discedant, & * *non* amentiæ genus est * *in hoc quisquis* pro remedio * *expetere*, quod etiam à Præposito, nisi pro summo crimine, non possit inferri? Intelligamus ergo, * *charissimi*, istas indignitates & contradictiones, inimico cooperante ac disponente, provenire; ille enim, quia non potest aliquem absolutè de loco salutis excutere, immittit primùm occasiones & causas, immittit inobedientiæ passionem, quam semper * *socia infælicitas concomitatur*, quæ * *cùm* captivam illaqueaverit mentem, statim intoleranda, atque impossibilia facit, etiam illa quę parva * *ac levia* sunt. Et * *sine dubio*, quod vires inobedientibus divinitùs * *subtrahunt*; & sicut ille, qui non * habebat in se necessariam fidei devotionem, * *etiam* quod habebat, auferetur ab eo; ita in obedientia obdurat animum, quem semel * *cœpit*, ut ad suscipienda præcepta, nec authoritate, nec ratione flectatur; sed, quod pessimum est, sibi soli credat, & pro omni ratione intentiones suas * *sequitur*; & hoc solum * rectum * putat, quod obdurato corde concepit, similis ei effectus, de quo divinus sermo pronunciat: *Itinera insipientium recta in conspectu eorum.* Et iterum: *Sunt viæ, quæ videntur rectæ esse hominibus, novissima autem earum venient in profundum inferni.* Postremo * eveniet ejusmodi animabus, quod domui, quæ supra arenam ædificata est: hæc enim parabola maximè ad inobedientes respicit. Sic enim legimus: *Omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similabitur * stulto viro, qui ædificavit domum suam super arenam: venerunt flumina* * reliqua: id est, cum influxerint stillicidia passionum, cum advenerint flumina & torrentes, atque impetus tribulationum ex multitudine negligentiarum, cum flaverint venti; illi utique, qui *in* * *aëre isto* volitant, parati ad Christi * *aream* ventilandam, sicubi inveniant paleas, quas ad ludibrium suum rapiant, atque dispergant: tunc irruunt in domum illam, quæ

Jacob. 4.
* sibi ipsi.
* inferre peccati.
* graviter.
* nunquid nō
* aut hoc quisquam.
* expetat.
deest.
* infidelitas comitatur.
* dum.
* deest.
* sanè dubium non est.
* subtrahuntur.
* habet.
* &.
Math 13.
* cæperit.
* sequatur.
* preceptum putet.
Proverb. 12. & 16.
* veniet.
Math. 8.
* Mendosè omissum hic in Cod. August. &.
* per istum aërem.
* aream.

* *inobedientiæ* fundamento * *ædificata* est, & * fit ruina illius magna. Sed forsitan dicat aliquis, nunquid statim de hoc loco discedere ruina est dicenda? Dico * *charissimi* (d) grandis spes est, si navis in fluctibus constituta, licet ipsa non pereat, tamen * jacturam maximam de * onere ac *de* mercibus suis faciat, & *ipsa* ad portum vacua, * *atque inanis* perveniat? Sic non grande gaudium est, si aliquis ad sæculi fluctus revertens, nomen atque habitum professionis suæ custodire videatur; anima verò ejus negligentiis tabescat * *& defluit*? Et quid gravius, * *quàm ut subitò tanquam ales repentinus eradiceris* de loco, ad quem te Dominus tuus vocaverat, in quo te primum * *illuminaverat, in quem te* post mala sæculi, quasi ad portum de gravi tempestate induxerat, * *obliviscens* subitò fraternę societatis & consolationis, * *obliviscens* loci illius, in quo primum * *pristinum habitum, & nomen sæcularis exueras*? Aves ipsæ diligunt nidos suos, amant * *fœta loca sua* in quibus nutrita sunt; amant cubicula & pascua sua; * *& quamvis in libertate in pascuis per diversa rapiantur excursibus*, sępius tamen ad chara sibi loca quodam desiderio revertuntur: & tu intellectu præditus, ratione munitus, ita interdum sensu alienus efficeris, ut præferas Dei beneficiis voluntates * *&* intentiones tuas, & * *sequeris proprias cogitationes*, *quæ quamvis* ad duros labores, * *quamvis* ad salutis * naufragium, atque animæ detrimenta te rapiant, totum * *tamen* hoc præ nimia cordis indignitate non sentis. * *Ait hoc & sermo divinus. In tempore etiam discessionis multa promittit inimicus, persuadet sibi illuc, quò tendit, maiorem profectionem,* multam gratiam, atque rerum omnium abundantiam reperturum, ac *se* tanquam Angelum suscipiendum. Et post hæc quando * *siccitate* repletus, & pace nudatus, profectus * sui stadium & sacrum ovile * reliquerit, tunc *animadvertit*, * *&* quasi sedatâ temporis *sui* tempestate, * *tunc videt quid mali de se egerit*, tunc * cognoscit quid periculi * incurrerit cum de loco, ad quem cum gaudio * *venerat*, sine pace & cum * *scandalis discedit*. Tunc serâ pœnitentiâ * *semper* super ruinas suas pœnitet ac deflet, sicut quædam aves, quę prę dolore super eos, quos occiderint, flere dicuntur: & hæc omnia animæ detrimenta ex inobedientiæ malo eveniunt. Obedientes autem

& humiles

* sine obedientia.
* inventa.
* fiet.
* Charissime, non grandis.
* honere.
deest.
deest.
deest.
* ac defluat.
* quando subito tanquam aliquis repentinus eradicatus
deest.
* oblivisci.
* oblivisci.
* dulcissimū immutationis habitum & nomen seculari exueris.
* fera loca in quibus nutrita.
* quamlibet naturali libertate variis partibus rapiantur.
* vel.
* diaboli insinuationes sequeris quæ quamlibet.
* quamlibet.
* naufragia.
* deest tamē
* Tempore enim discessionis multa promittit inimicus, te illic quò tendis, maiorem profectum, multam gratiam atque omniū rerum abundantiam reperturū, ac te
* anxietate.
* tui stadium
* reliqueris.
* animadvertis.
* deest &.
* deest sui.
* inde quid de te male egeris.
* recognoscis
* incurreris.
* veneras.
* cum scandalo discessisti
* deest semper.

& humiles animæ multas tribulationes atque omnes labores prosternunt, atque in compendium mittunt. Sicendum enim est, quod quantò obedientiores & humiliores fuerimus, * *tantò super nos levius & dulcius iugum Christi sentiemus; quantò obedientiores fuerimus Præpositis* & Patribus nostris, in tantùm * *Deus obediet* orationibus nostris. Videamus quàm acceptabilia sunt Domino * *opera &* jejunia eorum, qui suis potius, quàm voluntatibus Seniorum obsequuntur. Clamant * *igitur*; *Quare ieiunavimus &* * *nescisti*, *humiliavimus amans nostras &* * *non aspexisti.* Et ille * *respondet: Ideo quia in diebus* * *ieiuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestræ.* Videmus *per inobedientiam animarum opera non respici, jejunia non audiri, vota non suscipi; unde nos amplius illius mandata sectemur, *qui* * *ad* * *hoc* ad nos è cœlo descendit, * ut non solum nos redimeret mortis pretio, sed etiam, ut vitæ ædificaret exemplo, & cum illo dicamus: *Ego non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem** ejus, *qui misit me Patris.* Ire autem post voluntates proprias * *pernicies summa est. Et hoc Dominus postmodum iam iratus pro dominatione peccati irrogat*, dicens: *Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum.* Quamobrem qui vult * *tuta esse opera sua, vel recta in conspectu Dei, nihil obedientia præferat, sive ille Junior, sive Senior sit; magis quanto Senior est, tantò plus* debet studere ædificationi & perfectioni; nullum sibi faciat finem proficiendi, nullumque terminum constituat acquirendi, cum sibi dici audiat: *Para in exitu opera tua.* Et iterum: *Sapientia in exitu* * *capitur.* Et iterum: *Non verearis usque ad mortem* * *Justitiam.* Quanto ergo plus * proficiamus, tantò plus humiliemur, quia quantò plus humiliati fuerimus, tantò *plus* proficiemus. Nullus *enim* illi senior tam indoctus appareat, ut putet, quod eum non deceat obedientia. *Junioribus* adhuc necessitas, in Senioribus *vero dignitas est. Ille *enim benè proficit; ille benè *consummabit, qui quotidiè sic agit quasi semper incipiat. Quamobrem augmenta meritorum, incitamenta * *debent esse profectuum.* Scriptura verò pronunciat de his, * qui cum * parvas negligentias prætermittunt, in alias atque alias semper incurrunt. Ita ait: *peccator adiicíet ad peccandum.* De *profectu verò

decst.
* *obediet Dominus.*
* *vel opera vel*
* *illi: quia, jejunavimus & non aspexisti.*
* *nescisti.*
* *respondens.*
* *jeiunii vestri inveniuntur voluntates vestræ.*
* *ergo.*
* *quia ad nos*
* *illius.*
* *tam perniciosum est ut hoc Deus iam postmodum iratus, pro dãnatione peccati inobedientibus irroget.*
I Psalm. 50.
* *opera sua esse recta in cõspectu Dei, nihil obedientia, nihil præceptis præponat; sive ille Iunior, sive Senior est, tanto plus.*
Ecclef. 13 & 38.
* *canitur.*
* *justificari.*
* *proficimus.*
* *amplius.*
* decst *enim*
* *qua Deum decuit. Humilitas enim atque obedientia in junioribus*
* *jam.*
* decst *enim*
* *consummat*
* *incitamenta esse perfectorũ Scriptura pronũtiat. De his verò qui cum primas adiicit*
* *perfecto*
Ecclef. 3.

dicitur: *Et Sanctus adhuc sanctificetur.** Videamus primum: *Peccator** *adiiciat ad peccandum*; verbi gratia,* *alicuius libidinis aut ebrietationis passio impugnare me cœpit:* cras tanta mihi hujus vitii **fallacitas* veniet, & quadam, ut sic dixerim, suavitas, ut * *revocari* me ab illo, & continere non possim; ita enim evenit, ut qui primo tempore *noluit incipere*, in sequenti nec velle nec posse: v. g. superbiæ acquiescere cœpi, regulam violavi, Seniorem læsi, juniorem destruxi; si non me statim pœnituit, * *tanquam graviter fuisse* præventum, * *ita* de die in diem libentissimè **rapiet ipsa* violentia consuetudinis, * impetus passionis, ut jam nec me delinquere intelligam, nec peccare * sentiam: obscurat enim, atque obruit intellectum delicti, * *consuetudo* delinquendi. Etenim ita cor **negligentis* obduratur, ut hoc * *ipsum*, si se non * humiliat, si non satisfaciat Præposito suo, * *non credat*; *imò* * *insultet* & dicat: quàm constanter illi restiti? quàm benè non acquievi? quantâ authoritate respondi? putabat quòd me semper* humiliare deberem. Quod qui facit, diabolo se tradidisse * *captivum* constat, qui de hominum vitiis & passionibus & perditione lætatur, & ejusmodi * eveniet illa sententia: *peccator* * *adiiciet ad peccandum.* Quam nos, * *charissimi*, * *illam* refugientes, potius teneamus quæ dicit: *Et Sanctus adhuc sanctificetur*; ut quotidie addamus * *ad* merita, nec de nobis aliquid præsumamus, quia **dicit omne quod possumus.* Sicut itaque, *Fratres*, in opere Dei indeficientes propter æternam * *rutilationem*, & quotidiè ad meliora tendamus; ipsa enim apprehendendi aviditas, ipsa consuetudo proficiendi semper nos ad majora provocet, & ubi viderit Deus devotionem * animi, ardentiorem insinuabit affectum, & quantò nos * *addiderimus* ad studium, tantò ille apponet adjutorium; quantò nos apposuerimus ad diligentiam, tantò ille addet ad gloriam. *Qui habet, dabitur* * *ei*, *& superabundabit*; & in alio loco dicet: *Posui adiutorium super potentem.* Gratia ergo de gratia nascitur, & profectus profectibus serviunt, lucra lucris, & merita meritis locum faciunt, ut quantò * *qui plus* acquirere cœperit, tantò plus conetur *&* * *delectetur inquirere*, *ut acquisitionis lucrum acquirendi appetitum nutriat, & quantò quis de sapientia hominis*

Apocal. 22.
* *videamus prius primum quid est.*
* *adiicit.*
* *cuiuslibet, ut puta abtrectationis* passio si me impugnare cœperit, si non statim me pœnituerit hujus vitii cœperit.
* *facilitas*
* *revocare emendare se nolit, incipiat*
* *graviter me fuisse.*
* *jam*
* *me rapiet*
* *&*
* *me*
* *assiduitas*
* *negligentiis*
* *ipse*
* *humiliet*
* *nocere se credat, insuper & insultet.*
* *illi* deest.
* *anima*
* *adiicit*
* *Quam nos refugientes, illam potiùs* deest.
* *Dei est omne quod sumus.*
* deest *Fratres*
* *retributionẽ*
* *animo*
* *arserimus*
Marci 4.
* *illi*
Luc. 8
* *plus quis.*
* *conetur acquirere ut quanto avidius de Sapientia bonis hauserit.*

hominis hauſerit, tantò plus haurire *deſiderat; ſicut ipſa de ſe Sapientia loquitur: *Qui * edit me, adhuc * eſuriet.* Urgeamus * *itaque, Chariſſimi*, curſum noſtrum, ut creſcat in noviſſimo vita noſtra. Quæramus uſque in finem, unde ſine fine gaudere mereamur. Sed * *iſta* non poſſumus exercere **per* corporis labores. Conferamus nos ad ſpiritualium bonorum deſiderium, ad compunctionis & charitatis augmentum. Si * in cordibus noſtris diſponamus * *aſcenſum*, nulla infirmitate, nulla ætate laſſari * *poſſumus*, ut *his ſpiritualibus* aſcendere mereamur ad promiſſa Domini noſtri Jesu Chriſti. *

* *deſideret.* — Eccli. 24. — * *eſuriet* deeſt. — * *eſto* deeſt. — * *Si quotidiè* — * *aſcenſus.* — * *poſſint mentes ut ſpiritualibus quibuſdam gradibus* — * Cui eſt honor, virtus & gloria, potentia & claritas & magnificentia & imperium & nunc & ſemper & in cuncta ſecula ſeculorum. Amen.

ANNOTATIONES.

(a) DEſero atque diſcedam. Supple à Monaſterio, idem enim ſonat hoc loco *diſcedere*, quod apoſtatare; quo ſenſu illud verbum tam hic, quàm alibi frequenter uſurpat Columbanus præſertim in ſuo Pœnitentiali ubi in princip. Monacho, qui *diſceſſerit & vota fregerit, pœnitentiam aſſignat.* Quò ſpectat illud Regulæ S. Pachomii art. 79. *Qui abſque ordine Fratrum receſſerit, & poſtea actâ pœnitentiâ redierit, non erit in Ordine ſuo abſque Maioris imperio.* Vide notata ad cap. 8. Regul. Cœnobialis.

(b) *Ingenuus homo ſum.* Ingenui dicuntur, qui ex matre libera ſunt nati l. 5. §. ff. de ſtatu homin. Verùm antiquitus vocabantur hoc nomine qui ex legitimo ſuſcepti eſſent matrimonio, qui iidem etiam & Patricii dicebantur. Livius lib. 10. *An Romæ unquam fando audiſtis Patricios primò eſſe factos, non de cœlo dimiſſos, ſed qui patrem ciere poſſent, id eſt, nihil ultra quam ingenuos.* Hæc ille, qui non obſcurè ingenuos opponit his, quos poſterior ætas ſpurios, recentior vulgò conceptos appellavit. l. vulgò 24. ff. de ſtatu homin. *Ingenuus eſt is*, inquit Imperat. *qui ſtatim ut natus eſt, liber eſt; ſive ex duobus liberis matrimonio editus eſt, ſive ex libertinis duobus, ſive ex altero libertino, & altero ingenuo.* De ingen. in prin. Ingenuus hoc loco ſumitur à Columbano generaliter pro libero, ſeu liberæ conditionis homine, qui nulli ſit ſervituti ſubjectus, ut colligitur ex his, quæ citata ſuperiùs verba proximè conſequuntur, in quibus reprehenditur Chriſtianus, liberum ſe aut ingenuum appellans, hoc eſt, à jugo Chriſti & obligatione ipſi ac Prælatis, ejus quodammodo in terris vicem gerentibus, ſerviendi ac obediendi immunem.

Qui dicuntur ingenui.

(c) *Qui ante Præpoſitum vel Abbatem.* Præpoſitus olim dictus qui nunc *Prior*, ut & in Regula S. Benedicti cap 65. & in Regula cœnobiali hujus cap 7. & 8. accipitur, ubi Præpoſitus à Patre monaſterii diſtinguitur. Pro quo advertendum ex S. Hieronymo in Præfatione ad Regulam S. Pachomii, & ex V. Beda in hiſtoria Anglicana, prout ille de Tabennenſibus in Ægypto, hic de Bancorenſibus in Britannia Monachis, ſcriptum reliquit, in populoſis Monachorum cœnobiis varias olim domos diſtingui conſueviſſe, Præpoſitis ſeu Rectoribus ſingulis ſubjectas, qui ſub uno communi patre, ſeu Principe monaſterii, ut vocat Regula Pachomii, vel Archimandrita, ut inſcribunt alii, aut Abbate, ut nos vulgò appellamus, dictas domos ſibi commiſſas ſub regulis & inſtitutis Congregationis vel monaſterii, velut præpoſituras aut præfecturas adminiſtrabant. Et præfecturæ ſeu domus hujuſmodi per ordinem & vices ſuas ſingulæ monaſterii functiones & miniſteria obibant, ut teſtatur S. Hieronymus citatus.

Qui olim Præpoſiti dicebantur.

(d) *Grandis ſpes eſt ſi navis in fluctibus.* Sententiæ hujus intellectum offuſcat verbum hic mendoſè poſitum, *iactatur* pro quo legendum proculdubiò, *iacturam*, ut ſi affirmativè accipiatur, ſit ſenſus: quemadmodum parum reputatur quòd navis aliqua in fluctibus conſtituta, mercium & bonorum omnium jacturam incurrat, modò ipſa periculum ſubmerſionis elapſa, ad portum ſalva perveniat; ita magni faciendum videtur, quòd Monachus pravis jam deſideriis & terrenis affectibus intus abreptus ad ſæculum retrò reſpiciens, adhuc tamen ipſum nomen & habitum profeſſionis retineat. Si verò capiatur, ut capiendam reor, velut locutio ſub interrogandi formulâ negantis, ſenſus

erit, quòd sicut non magnam spem fortunę prosperioris excitat navis integræ, sed bonis omnibus vacuatæ appulsus; ita nullam aut perexiguam spei vel gaudii causam de salute Monachi transfugę ac vitiis obruti suppeditet sola Religiosi nominis & habitus retentio.

SANCTI

SANCTI COLUMBANI ABBATIS HIBERNI, MAGNI MONACHORUM PATRIARCHÆ, MONASTERII LUXOVIENSIS, ET BOBIENSIS, ALIORUMQUE PLURIMORUM FUNDATORIS.

LIBER, SEU TRACTATUS DE MODO, SEU MENSURA PŒNITENTIARUM;

NULLIBI HACTENUS EXCUSUS, NUNC TANDEM EX ANTIQUO CODICE MS. COENOBII BOBIENSIS IN LUCEM EDITUS.

BENEVOLO LECTORI.

HUNC tractatum, Benevole Lector, extraxi ex illo Codice Monasterii Bobiensis, in quo allati hactenus Sancti Viri Sermones, seu Instructiones ferè omnes continentur; sequitur autem in illo Codice Instructionem supra positam ordine quintodecimam, sub hac solum inscriptione: *Incipit de Pœnitentia.* In eo autem assignat Vir sanctus particularibus culpis parti-

 culares

culares pœnitentias, ut culpæ correſpondeat pœna, juxta illud Deuter. 15. *Juxta menſuram delicti erit plagarum modus.* Magno quippe rigore ſemper Eccleſia voluit obſervari menſuram & modum in imponendis pœnitentiis; unde canones condidit, quos pœnitentiales vocant, cuilibet gravi crimini convenientem pœnitentiam continentes, quos à Sacerdote memoriæ firmiter commendari volebat, ut conſtat 38. *diſt.* Cœleſtinus Papa omnibus orthodoxis Epiſcopis: *Nulli Sacerdotum liceat canones ignorare.* Et c. ſeq. Auguſtinus: *Quæ ipſis Sacerdotibus neceſſaria ſunt ad diſcendum*, inter quæ numerantur *canones Pœnitentiales.* Et hinc ortum habuit illa quorundam antiquorum diligentia in colligendis ex ſtatutis Eccleſiæ, & dictis Sanctorum Patrum variis hujuſmodi canonibus, quò ſic uno pœnitentiali libro comprehenſos facilius animo imprimerent, & retinerent Sacerdotes; nonnullos etiam ipſi de ſuo adjungere ſolebant aliis Patrum dictis, ut hîc faciat Columbanus. Hujuſmodi pœnitentialia compoſuerunt Theodorus Epiſcopus, quibuſdam dictus Hibernenſis, citatus 22. *q.* 5. & *extra de furt.* & *extra de ſortileg.* V. Beda relatus de conſec. diſt. 2. quod pœnitentiale Romæ MS. habuit Baronius, ut ipſe teſtatur ad annum Chriſti 51. n. 17. Cumeanus Abbas Hibernus, cujus Pœnitentiale, nuſquam hactenus editum, tranſumpſi ex pervetuſto Codice MS. Bibliothecæ Sant-Gallenſis, in quo etiam habetur vita Georgii Martyris, & plures aliæ. Denique Pœnitentiale Romanum citatur *extra de injuriis.* Ex quo & aliis hic commemoratis in progreſſu nonnulla proferemus ad majorem lucem & confirmationem eorum, quæ hic habet Columbanus. Ex his tamen non eſt intelligendum, pœnitentias non eſſe ex arbitrio pœnitentialis Judicis injungendas; omnes enim ejus arbitrio relinquuntur, ut probat Leo Papa 26. *q.* 7. *Tempora.* Et Nicolaus Papa ibid. *De his vero.* Et Concilium Carthaginenſe cap. *Pœnitentibus.* Hieronymus *de pœnit. diſt.* 1. *Menſuram.* Quam doctrinam confirmat conſuetudo, maximè poſteriorum temporum, quibus ſtatutæ pœnitentiæ tenor vel ex qualitate delicti, vel conditione perſonæ, vel debilitate, vel officio, aliiſvè circumſtantiis juxta prudentis Confeſſarii diſcretionem alleviari, vel aggravari poterit, ut habetur de *pœnit. diſt.* 1. *In actione.* *Et cap. judicet.* quia *apud Deum plus valet mortificatio vitiorum, quàm abſtinentia ciborum*, ut notatur in *præallegato cap. menſuram.*

Pœnitentiale hoc Cumeani habes infra cũ tractatu Aileráni de expoſit. nominum genealogiæ Salvatoris.

suram. Cæterùm hujusmodi circumstantiis cessantibus, Canonum præscripta semper observari solebant, in certis casibus certas pœnitentias statuentium, maximè ubi crimina expianda, notoria erant aut publica. Vide S. Bonavent. in confess. de pœnit. injung. Navarrum ad *cap. falsas. de Pœnitent. dist.* 5. *n.* 18. Reginaldum in sua praxi lib. 7. cap. 5. sec. 3. ubi canones pœnitentiales in Jure taxati secundum ordinem Præceptorum Decalogi & Sacramentorum collecti referuntur.

Dividitur autem præsens Columbani opusculum in duos tractatus. Primus incipit ibi: *Pœnitentia vera est.* Secundus ibi: *Diversitas culparum.* In primo generatim & communibus clausulis traditur, quod in secundo cæsim & sigillatim exprimitur, unde non tam tractatus, quàm procemii formam habere uidetur. In secundo, (cui magis propriè tractatus inscriptio competit) tres partes continentur: quarum prima de pœnis Clericorum & Monachorum delinquentium mixtim pertractat, secunda de pœnis Laicorum tantum, tertia demùm de minutis Monachorum defectibus rigore debito castigandis. In multis autem convenit hic tractatus cum illo de eodem argumento S. Cumeani opusculo: nam eædem, etiam ad verbum, in utroque sententiæ nonnullæ reperiuntur, & primus eorum, qui hîc junguntur sub nomine Columbani, tractatulus, pœnitentiali S. Cumeani præfixus habetur in Codice Sant-Gallensi, quem mox sequitur ipse Cumeani tractatus sub hac ipsius Sancti inscriptione *Præfatio S. Cumeani Abbatis in Scotia orti, super librum Pœnitentiarum.* Unde non ad Cumeanum velut authorem retulisse credendus est dictum S. Columbani tractatulum, ille qui Codicem illum transcripsit, cum Cumeani nomen non ad illum; sed ad ipsum librum pœnitentiarum Cumeani retulerit: sed propter similitudinem, & argumenti affinitatem utrumque conjunxit, interposito S. Cumeani nomine, velut signo distinctivo posterioris à priori illo Columbani, non Cumeani tractatu. Sed nunc ad ipsum Columbani *Pœnitentiale* transeamus.

 LIBER

LIBER
S. COLUMBANI ABBATIS
DE
PŒNITENTIARUM
MENSURA TAXANDA.

1. (a) POENITENTIA vera est, pœnitenda non admittere, sed admissa deflere. Sed quia hanc multorum fragilitas, ut non dicam omnium, rumpit, mensuræ noscendæ sunt pœnitentiæ; (b) quarum sic ordo à Sanctis traditur Patribus, ut juxta magnitudinem culparum etiam longitudo statuatur pœnitentiarum.

2. (c) Si quis igitur per cogitationem peccaverit, id est, concupierit hominem occidere, aut fornicari, aut furari, aut clam comedere, & inebriari; vel certè aliquem percutere, sive (d) discedere, vel alia his facere similia, & paratus ad hæc corde complenda fuerit; majora dimidio anno; minora quadraginta diebus, in pane & aqua pœniteat.

3. Si quis autem peccatis prævalentibus facto peccaverit; si homicidium, aut sodomiticum fecerit peccatum, decem annis pœniteat: si fornicaverit semel tantum, tribus annis Monachus pœniteat; si sæpius, septem annis. Si discesserit & vota fregerit, si citò pœnitens redierit, tribus Quadragesimis: si autem post annos, tribus annis pœniteat.

4. Si quis furatus fuerit, anno pœniteat.

5. Si quis percusserit per rixam Fratrem suum, & sanguinem fuderit, tribus annis pœniteat.

6. Si quis autem inebriaverit se & evomuerit, aut saturatus nimis Sacrificium per hoc evomuerit, quadraginta diebus pœniteat: si verò per infirmitatem Sacrificium vomere cogatur, septem diebus pœniteat. Si ipsum Sacrificium quis perdiderit, anno pœniteat.

7. Si (e) quis seipsum coinquinaverit, anno pœniteat, si junior sit.

Si quis falsum testimonium testificatus fuerit sciens, duobus annis pœniteat cum illius rei perditione, vel redintegratione. 8.

Hæc de causis casualibus; cæterùm de minutis morum inconditorum.

Qui facit per se aliquid sine interrogatione; vel qui contradicit & dicit: *Non facio*, vel qui murmurat; si grande sit, tribus superpositionibus; si parvum, uno anno pœniteat: verbum verò contra verbum simpliciter promptum, quinquaginta plagis vindicandum: vel si ex (f) intentione silentii, superpositione; nam si rixâ, septimanâ pœniteat. 9.

(g) Qui autem detrahit, aut libenter audit detrahentem, tribus superpositionibus pœniteat: si de eo, qui præest, septimanâ pœniteat. 10.

Qui autem per superbiam suum Præpositum despexerit, aut Regulam blasphemaverit, foras repellendus est, nisi confestim dixerit: *Pœnitet me quod dixi.* Si autem se non bene humiliaverit, quadraginta diebus pœniteat, quia superbiæ morbo detinetur. 11.

Verbosus verò taciturnitate damnandus est, inquietus mansuetudine, gulosus jejunio, somnolentus vigiliâ, superbus carcere, destitutor repulsione, unusquisque juxta quod meretur, quò æqualia sentiat, ut justus justè vivat. 12.

Diversitas culparum diversitatem facit pœnitentiarum, nam & corporum Medici diversis medicamenta generibus componunt: aliter enim vulnera, aliter morbos, aliter tumores, aliter livores, aliter putredines, aliter caligines, aliter confractiones, aliter combustiones curant. Ita igitur etiam spirituales Medici diver-

ci diversis curationum generibus animarum vulnera, morbos, culpas, dolores, ægritudines, infirmitates, sanare debent. Sed quia hæc paucorum sunt, ad pura scilicet cuncta cognoscere, curare ad integrum salutis statum, debilia revocare; vel pauca *(h)* juxta Seniorum traditiones, & juxta nostram ex parte intelligentiam (*ex parte namque prophetamus, & ex parte cognoscimus*) aliqua proponamus. De capitalibus primùm criminibus, quæ etiam legis animadversione plectuntur sanciendum est.

13. *(i)* Si quis Clericus homicidium fecerit, & proximum suum occiderit, decem annis exul pœniteat. Post hos recipiatur in patriam, si benè egerit pœnitentiam in pane & aqua, testimonio comprobatus Episcopi vel Sacerdotis, cum quo pœnituit, & cui commissus fuit, ut satisfaciat parentibus ejus, quem occidit, vicem filii reddens, & dicens; quæcumque vultis, faciam vobis: Si autem non satisfecerit parentibus illius, nunquam recipiatur in patriam, sed more Cain vagus & profugus sit super terram.

Hic potissimùm incipit prima hujus Pœnitentialis pars, in qua de Clericis & Monachis mixtim agitur.

14. *(k)* Si quis ruinâ maximâ ceciderit, & filium genuerit, septem annis peregrinus, in pane & aqua pœniteat: tunc primùm Sacerdotis judicio jungatur altario.

15. Si *(l)* quis autem fornicaverit sicut Sodomitæ fecerunt, decem annis pœniteat; tribus primis cum pane & aqua; septem verò aliis abstineat se à vino & carne; & non maneat cum alio in æternum.

16. Si *(m)* quis verò fornicaverit quidem cum mulieribus, sed non filium generaverit, & in notitiam hominum non venerit; si Clericus, tribus annis: si Monachus, vel Diaconus, quinque annis; si Sacerdos, septem; si Episcopus, duodecim annis.

17. Si *(n)* quis perjuraverit, septem annis pœniteat, & nunquam juret posteà.

18. Si *(o)* quis maleficio suo aliquem perdiderit, tribus annis pœniteat cum pane & aqua per mensuram, & tribus aliis annis abstineat se à vino & carnibus; & tunc demum in septimo anno recipitur in communionem. Si autem pro amore quis maleficus sit, & neminem perdiderit, annum integrum cum pane & aqua, Clericus ille pœniteat, Laicus dimidium, Diaconus duos, Sacerdos tres, maximè si per hoc mulieris partum quisquam deceperit: Ideo sex quadragesimas unusquisque insuper augeat, ne homicidii reus sit.

Si *(p)* quis Clericus furtum fecerit, 19. id est, bovem, aut equum, aut ovem, aut aliquod animal proximi sui furatus fuerit, si semel, aut bis fecit, reddat proximo suo primum, & anno integro in pane & aqua pœniteat: si hoc consuevit, & reddere non potuerit, tribus annis pœniteat cum pane & aqua.

Si *(q)* quis autem Clericus, aut Di- 20. aconus, vel alicujus gradus, qui Laicus fuit in sæculo cum filiis & filiabus, post conversionem suam, iterum suam cognoverit * clientelam, & filium iterum de ea genuerit, sciat se adulterium perpetrasse, & non minus peccasse, quàm si ab juventute suâ Clericus fuisset, & cum puella aliena peccasset, quia post votum suum peccavit, postquam se Domino consecravit, & votum suum irritum fecit; idcircò similiter septem annis in pane & aqua pœniteat.

* fortè clientulam.

Si *(r)* quis Clericus per rixam proxi- 21. mum suum percusserit, & sanguinem fuderit, annum integrum pœniteat: si Laicus, quadraginta diebus.

Si *(s)* quis per seipsum fornicaverit, 22. aut cum jumento, duobus annis pœniteat, si gradum non habet: si autem gradum aut votum, tribus annis pœniteat, si ætas non defendit.

Si *(t)* quis concupiscit mulierem, & 23. non potest facere; id est, non suscipit eum mulier, dimidium anni in pane & aqua pœniteat, & toto se abstineat anno à vino & carnibus, & communione altaris.

(v) Si quis Sacrificium perdiderit, 24. anno pœniteat: si *(w)* per ebrietatem, aut voracitatem illud evomuerit, & negligenter illud dimiserit, tribus Quadragesimis in pane & aqua pœniteat: si verò per infirmitatem, septem diebus pœniteat.

Sed hæc de Clericis & Monachis mixtim dicta sint. Cæterum de Laicis.

(x) Quicumque fecerit homicidium, 25. id est, proximum suum occiderit, tribus annis inermis exul, in pane & aqua pœniteat, & post tres annos revertatur in sua, reddens vicem parentibus occisi, pietatis, & officii; & sic post satisfactionem judicio Sacerdotis jungatur altario.

Incipit hic secunda pars, in qua de solis agitur Laicis.

(y) Si quis Laicus de alterius uxore 25. filium

filium genuerit, id est, adulterium commiserit, thoro proximi violato, tribus annis pœniteat, abstinens se à cibis succulentioribus, & (z) à propria uxore; dans insuper pretium pudicitiæ marito uxoris violatæ; & sic culpa illius per Sacerdotem abstergatur.

27. Si (aa) quis verò Laicus fornicaverit Sodomitico ritu, id est, cum masculo, coitu femineo peccaverit, septem annis pœniteat: tribus primis cum pane & aqua & sale & fructibus horti siccis: quatuor reliquis abstineat se à vino & carnibus, & ita dimittatur illi sua culpa, & Sacerdos oret pro illo, & sic jungatur altario.

28. (bb) Si quis autem fornicaverit de Laicis cum mulieribus à conjugio liberis, id est, viduis, vel puellis: si cum vidua, uno anno: si cum puella duobus annis (reddito tamen humiliationis ejus pretio parentibus ejus) pœniteat. Si autem uxorem non habuit, sed virgo virgini conjunctus est: si volunt parentes ejus, ipsa sit uxor ejus, ita tamen, ut anno ante pœniteant ambo; & ita sint conjugales.

29. (cc) Si quis autem Laicus cum jumento fornicaverit, anno pœniteat, si uxorem habuit: si autem non habuit, dimidio anno: sic & qui uxorem habens propriis membris seipsum violaverit, pœniteat.

30. (dd) Si quis Laicus infantem suum oppresserit, vel mulier, anno integro in pane & aqua pœniteant, & duobus aliis abstineant se à vino & carnibus: & ita primùm altario Sacerdotis judicio jungantur, & suum thorum tunc licitò maritus ille cognoscat. Sciendum est enim Laicis, quod tempore pœnitentiæ illis traditæ à Sacerdotibus, non illis liceat suas cognoscere uxores, nisi post pœnitentiam transactam; de * media namque pœnitentia.

* f. dimidiat namque pœnitentiam.

31. (ee) Si quis Laicus furtum fecerit, id est, bovem, aut equum, aut ovem, aut aliquod animal proximi sui furatus fuerit: si semel, aut bis fecit, reddat primùm proximo suo damnum quod fecit, & tribus Quadragesimis in pane & aqua pœniteat. Si autem sepè furtum facere consuevit, & reddere non potuerit, anno & tribus Quadragesimis pœniteat, & deinceps nequaquam facere promittat; & sic in Pascha alterius anni communicet, id est, post duos annos (datâ tamen antè pauperibus de suo labore eleëmosynâ, & Sacerdoti pœnitentiam judicanti epulâ) & ita abremittatur illi malæ consuetudinis culpa.

32. (ff) Si quis Laicus perjuraverit; si per cupiditatem hoc fecerit, totas res suas vendat, & donet pauperibus, & convertatur ex integro ad Dominum, & tundatur omni dimisso sæculo, & usque ad mortem serviat Deo in Monasterio: Si autem non per cupiditatem, sed mortis timore hoc fecit, tribus annis inermis exul pœniteat in pane & aqua; & duobus adhuc abstineat se à vino & carnibus; & ita animam pro se reddens, id est, servum aut ancillam de servitutis jugo absolvens, & eleëmosynas multas faciens per duos annos (in quibus illi licito uti facile cibis est cunctis, excepta carne) post septimum communicet annum.

33. (gg) Si quis Laicorum per scandalum sanguinem fuderit, aut proximum suum vulneraverit, aut debilitaverit; quantum nocuit, tantum reddere cogatur: Si autem non habet unde solvat, opera proximi sui primùm agat, quamdiu ille infirmus est, Medicumque quærat, & post sanitatem ejus quadraginta dies in pane & aqua pœniteat.

34. Si (hh) quis Laicus inebriaverit se, aut usque ad vomitum manducaverit, aut biberit, septimana in pane & aqua pœniteat.

35. (ii) Si quis Laicus adulterare voluerit, aut fornicare cum sponsa, & concupierit mulierem proximi sui, & non fecerit, id est, non potuerit, quia mulier eum non suscepit, tamen ille paratus fuit ad fornicandum, confiteatur culpam suam Sacerdoti, & ita quadraginta diebus in pane & aqua pœniteat.

36. (kk) Si quis autem Laicus manducaverit, aut biberit juxta fana; si per ignorantiam fecerit, promittat deinceps, quod nunquam reiteret, & quadraginta diebus in pane & aqua pœniteat: si verò per contemptum hoc fecerit, id est, postquam Sacerdos illi prædicavit, quod sacrilegium hoc erat, & postea mensæ dæmoniorum communicaverit; si gulæ tantum vitio hoc fecerit aut repetierit, tribus Quadragesimis in pane & aqua pœniteat: si verò pro cultu dæmonum, aut honore simulachrorum hoc fecerit, tribus annis pœniteat.

37. (ll) Si quis Laicus per ignorantiam cum (mm) Bonosiacis aut cæteris hæreticis com-

ticis communicaverit, stet inter catechumenos, id est, ab aliis separatus Christianis 40. diebus, & duabus aliis quadragesimis in extremo Christianorum ordine, id est, inter pœnitentes, insanæ communionis culpam diluat: si verò per contemptum hoc fecerit, id est, postquã denunciatum illi fuerat à Sacerdote, ac prohibitum, ne se communione sinistræ partis macularet, anno integro pœniteat, & tribus Quadragesimis & duobus aliis annis abstineat se à vino & carnibus, & ita post manus impositionem Catholici Episcopi, altario jungatur.

Hic incipit tertia pars, in qua de solis agitur Monachis.

Postremò de minutis Monachorum agendum est sanctionibus.

38. Si quis vallum apertum in nocte dimiserit, superpositione pœniteat: si verò in die, 24. percussionibus, si non aliis supervenientibus apertum dimiserit: si quis hunc ipsum absolutè præcesserit, superpositione pœniteat.

39. Si quis *(nn)* jumentum petens solus *absolutè lavaverit, superpositione pœniteat: si quis verò lavans licitò coram Fratribus stando hoc fecerit, si non necessitate luti largius abstergendi, *(oo)* 24. plagis emendetur.

* lege *absconsè*.

40. Si quis verò etiam sedendo in jumento genua, aut brachia discooperuerit absque necessitate luti lavandi, sex diebus non lavet; id est, usque ad alteram diem Dominicam inhonestus ille lavator pedes non lavet. Soli autem Monacho secretè stando pedes lavare licet: seniori verò, etiam publicè, sed altero pedes suos lavante licet stando lavari.

41. *(pp)* Ante prædicationem verò die Dominica toti, exceptis certis necessitatibus, simul sint conglobati, ut nullus desit numero præceptum audientium, excepto coco ac portario; qui & ipsi, si possint, satis agant, *ut* adsint quando tonitruum Evangelii auditur.

42. *(qq)* Confessiones autem dari diligentius præcipitur, maximè de commotionibus animi, antequam ad Missam eatur, ne forte quis accedat indignus ad altare, id est, si cor mundum non habuerit; melius est enim expectare, donec cor sanum fuerit, & alienum à scandalo ac invidiâ fuerit, quàm accedere audacter ad judicium tribunalis; tribunal enim Christi, altare: & corpus suum inibi cum sanguine judicat indignos accedentes. Sicuti ergo à peccatis capitalibus & carnalibus cavendum est, antequam communicandum sit, ita etiam ab incertioribus vitiis, & morbis languentis animæ abstinendum est, ac abstergendum ante veræ pacis conjunctionem, & æternę salutis compaginem.

ANNOTATIONES.

(a) POEnitentia vera est, pœnitenda non admittere, sed admissa deflere.* Plures alii Patres eodem modo pœnitentiam describunt. S. Gregorius hom. 34. super Evangelia: *Pœnitere*, inquit, *est anteacta peccata flere, & flenda non committere.* Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 16. *Isaias de peccatoribus dicti: Lavamini, mundi estote: lavatur & mundus est, qui & præterita plangit, & flenda iterum non committit.* S. Augustinus Serm. 7. de tempore: *Ista est vera pœnitentia, quando sic convertitur quis, ut non revertatur: quando sic pœnitet, ut non repetat.* Quæ & similes Patrum locutiones ut rectè intelligantur, sciendum (ut pulchrè adnotavit S. Bonaventura, inter alios à Gazæo citatus ad collat. 20 Cassiani cap. 5.) pœnitentiam dupliciter dici veram. Uno modo quia in ea reperitur vera ratio pœnitentiæ, & sic accepta opponitur falsæ & simulatæ, sicut verum aurum adulterino. Alio modo dicitur vera, hoc est, perfecta pœnitentia, quæ perducit ad finem ultimum, nempe vitam ęternam: Et de hac intelligendi sunt adducti Patres: vel certè intelligunt pœnitentiam esse cessationẽ à peccatis in voto, & proposito pœnitentis quando dicunt pœnitentiam veram esse pœnitenda, vel flenda non admittere, quemadmodum & Concil. Tridentini Patres sess. 14. c. 4. docent contritionem (quæ est primus pœnitentiæ actus) esse animi dolorem, & detestationem de peccato cõmisso cum proposito non peccandi de cętero. Vide plura huc spectantia apud Cassianum collat. 20. c. 5. & Lactantium l. 6. instit. c. 24. ad eandem Collationẽ, à Gazæo cum aliis Patribus adductum. Sed ut magis ad Columbani sensũ accedamus, videtur mihi potissimùm ibi loqui de pœnitentia inquantum est satisfactoria pro commissis per opera pœnalia & afflictiva, quorum in præsenti ipse tractatu pro peccati qualitate mensuram expendit. Et hoc mihi videor colligere ex iis quæ allatis supra verbis Sanctus immediatè subjungit, cum ait: *Sed quia hanc* (supple pœnitentiam) *multorum fragilitas, ut non dicam*

Quo sensu peccata deflere & deflenda non committere dicatur vera pœnitentia.

4. Sent. dist. 14.

BAYERISCHE STAATS- BIBLIOTHEK MUENCHEN

omnium rumpit, mensuræ noscendæ sunt pœnitentiæ, quarum sic ordo &c. Quorum verborum videtur sensus esse. Quia multi non observant rigorem debitum pœnitentiæ & peccato convenientem; mensuræ noscendæ sunt pœnitentiæ, & satisfactionis pro peccato debitæ, quæ sic à SS. Patribus taxantur &c.

(b) *Quarum sic ordo à Sanctis traditur Patribus, ut iuxta magnitudinem culparum longitudo statuatur pœnitentiarum.* Imo S. Gregorius dicit de pœnit. dist. 3. *Quod prolixior debet esse pœnitentia, quàm fuerit culpa*; cui consonant Augustini, vel alterius cujuscumque ejus Operis authoris, verba in lib. de vera & falsa pœnitentia, quæ habentur de pœnit. dist. 3. c. 4. *Continuò dolendum est de peccato; quod declarat etiam ipsa dictionis virtus; pœnitere enim est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo quod commisit peccando. Ille pœnam tenet, qui semper vindicat, quod commisisse se dolet; ubi dolor finitur, deficit pœnitentia.* Sed hæc intelligenda sunt de pœnitentia interiori, quæ est salutaris tristitia de commissis; quamvis etiam & de exterioris hominis afflictione aliquando in Ecclesia fuerint usurpata, quando nimirùm pro uno mortali peccato statuta erat pœnitentia trium, quinque, septem & aliorum plurium annorum; in quibus pœnitentes à conviviis, balneis, theatris, spectaculis, & aliis id genus recreationibus prohibiti, in jejuniis & orationibus se exercebant; quorum rigidissimam austeritatem describit Tertullianus lib. de pœnit. & Climacus Grad. 5. qui carcerem ingressus pœnitentium, tam aspera ibi vidit sua peccata lugentium exercitia, ut concludat in hæc verba: *Vidi, & feliciores existimavi, qui post lapsum ita lugent, quàm qui nunquam lapsi sunt, & seipsos non sic deflent.*

Prolixitas & rigor antiquorum in pœnitentia pro peccatis adimplenda

(c) *Si quis igitur per cogitationem peccaverit.* Hic assignat Columbanus pœnitentiam peccato cordis; qua in re videri posset illi opinioni favere, quæ tenet Ecclesiam posse in actus purè internos, eos prohibendo & puniendo, quam sequuntur multi & graves Doctores relati à Corduba lib. 4. quæst. theolog. q. 13. qui plurium Conciliorum loca ad ejus confirmationem producit & explicat. Sed quidquid sit de hujus opinionis veritate, non habet ipsa locum in proposito: nam Columbanus agit de sacramentali pœnitentia, quæ virtute clavium imponitur, & confessionem præsupponit occulta cordis exterius explicantem; atque adeò non in actum purè internum profertur; taxatæ igitur hic pœnæ contritis jam & confessis præscriptæ esse noscuntur.

An Ecclesia possit punire actus purè internos.

(d) *Sive discedere.* Hoc est, apostatare vel à Fide, vel à Monasterio. Ultimo hoc sensu idem vocabulum inferiùs usurpatur, ubi pœnitentia assignatur ei qui discedit & vota frangit, & suprà Sermone seu Instruct. 17. Item in Regula S. Pachomii art. 79.

(e) *Si quis seipsum coinquinaverit.* Hoc est, per seminis effusionem polluerit, vel ut infrà habetur, *propriis manibus seipsum violaverit.* Qua de re ita Cumeanus cap. de fornic. & immund. pollut. *Vir semetipsum coinquinans, in primo centum dies pœniteat, & iterans, annum unum: si cum gradu est, addatur pœnitentia. Puer quindecim annorum quadraginta dies pœniteat.*

Pœnitentia seipsum sponte polluentis.

(f) *Vel si ex intentione silentii.* Qui reddit verbum pro verbo, non animo rixandi, vel jurgia protrahendi, sed ex intentione silentii, hoc est, violandi, contra leges & statuta Cœnobii, in præsenti canone punitur; unde colligas Lector quàm vigiles fuerint hi Monachi super custodiâ oris, qui nullum asperum verbum aut otiosum transire sinebant impune.

(g) *Qui detrahit, aut libenter audit detrahentem, &c.* Cumeanus cap. de ira & maledicto, de detrahente sic loquitur: *Qui causa invidiæ detrahit, vel libenter audit detrahentem, tribus diebus in pane & aqua separetur: si vero de eo, qui præest, septem sic pœniteat, & serviat ei libenter de cætero.* Vide supra notata ad cap. 7. Reg. Cœnob.

Pœnitentia detrahentis, vel audientis detrahẽtem.

(h) *Vel pauca iuxta Seniorum traditiones.* Ita & Cumeanus in præfatione ad suum Pœnitentiale: *De remediis,* inquit, *vulnerum secundum priorum Patrum definitionem dicturi.* Et S. Gregorius de pœnit. dist. 5. *falsas pœnitentias dicimus, quæ non secundum authoritatem Sanctorum Patrum pro qualitate criminis imponuntur.* Quæ vera sunt, nisi justa ex causa consideratis

Pœnitentiæ ex præscripto SS. Patrũ imponendæ.

consideratis circumstantiis, de quibus anteà, pœna videatur temperanda, sicut nunc dierum rationabilis Ecclesiæ consuetudo fecit, quæ primævum antiquorum rigorem in pœnitentiis imponendis relaxavit.

(i) *Si quis Clericus homicidium fecerit.* De hac re Cumeanus cap. de homicid. sequentia: *Si quis homicidium fecerit: Laici, 4. Clerici, 5. Subdiaconi 6. Diaconi 7. Presbyteri 10. Episcopus duodecim annis pœniteat.* Et ex cap. *Si quis homicidium*, dist. 50. habetur ut Episcopus homicida sit pœnitens annis 15. & deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ peregrinetur. Presbyter annis 12. Diaconus decem: tres in pane & aqua. Clericus & Laicus septem: tres in pane & aqua; ubi Clericus vocatur, qui majoribus nondum Ordinibus est initiatus. Clerici autem nomine Columbanus hoc loco solum intellexit Sacerdotem seu Presbyterum, ut ex pœna hic ab ipso in Clericum homicidā taxatâ, nempe, decem annorum, colligitur; quæ apud Cumeanum est pœnitentia Presbyteri homicidæ; cuique in citata dist. duo adhuc anni adduntur. Vide pœnam occidentis dominum vel uxorem *cap. quicumque, & cap. admonere* 33. *q.* 2. Item matrem interficientis *cap. latorem.* eadem quęst. Clericum vel Monachum, *cap. qui occiderit* 17. *q.* 4. Pœna denique occidentis Presbyterum taxatur *cap.* 2. *de pœnit. & remiss.* De quibus & aliis multis circumstantiis distinctè per ordinem agit Cumeanus cap. de homicid. & sanguin. effusion.

Pœnitentia Clerici homicidæ.

(k) *Si quis ruinâ maximâ ceciderit.* Hic assignatur pœna septem annorum in pane & aqua Clerico vel Monacho prolem ex fornicatione suscipienti. De Clericis autem absque prole susceptâ fornicantibus secundum diversos eorum in Ecclesia gradus infrà per ordinem. Quos omnes Cumeanus in cap. de fornic. docet esse deponendos, & Innocentius Papa 82. *dist. Exuperio* Episcopo scribens, omni ecclesiastico honore privandos decernit. Ex Concilio Gangrensi, fortè rectius *Hibernensi* eadem *dist. cap. Presbyter.* taxatur pœna Presbyteri fornicarii 10. annorum: quorum priores septem in pane & aqua transigendi præscribuntur; quibus expletis, judicio Episcopi pristino restitu-

Monachus vel Clericus fornicarius.

etur honori; sic tamen quod reliquis tribus, qualibet sextâ feriâ ad hujusmodi abstinentiam remaneat obligatus. Variæ aliæ in Canone circumstantiæ præscribuntur, pœnitentiæ tempore observandæ, quas hic omitto.

(l) *Si quis autem fornicaverit sicut Sodomitæ fecerunt.* Apud Latinos usitatius *fornicare* activè dicitur, sicut hic habet Columbanus, pro meretricari, quàm *fornicari*, cujus vocis usum Ecclesiastici primùm invexerunt. Sed quod ad rem spectat, Clerici huic crimini obnoxii *extra. de excess. Prælat.* ex Concilio Lateran. dejiciuntur à Clero & ad agendam pœnitentiam detruduntur in Monasterium. Cumeanus cap. de fornic. Episcopis 14. Presbyteris 12. Diaconis 9. Subdiaconis 8. Clericis 7. Laicis autem 5. annorum pœnitentiam constituit adjiciens, ut *nunquam cum alio dormiant*: Quo sensu videntur accipienda verba Columbani hic præscribentis ne Sodomita *maneat cum alio in æternum.*

Pœnitentia Sodomitæ.

(m) *Si quis verò fornicaverit, sed non filium generaverit.* Simplici fornicationi tres annos pœnitentiæ determinat Cumeanus cap. de fornic. pro Diacono, & Presbytero præmisso Monachi voto. Pro Episcopo verò septem, vel duodecim cum degradatione. 30. *q.* 1. *Si quis Sacerdos*, & cap. *Non debet*, Sacerdoti pro fornicatione cum filia spirituali imponitur pœna 12. annorum, & Episcopo 15. Pro simplici autem fornicatione, Presbytero 10. annorum pœnitentia statuitur, ut suprà notavi ex cap. *Presbyter* dist 82.

Fornicatoris simplicis.

(n) *Si quis perjuraverit, septem annis pæniteat, & nunquam iuret posteà.* Eandem ferè pœnam assignat perjurio voluntario Fabianus Papa cap. *Quicumque* q. 1. statuens ut perjurus *quadraginta dies in pane & aqua, & septem sequentes annos pœniteat, & nunquam sit sine pœnitentia, & nunquam in testimonium recipiatur.* Quorum hoc ultimum videtur illis verbis indicasse Columbanus, *& nunquam iuret amplius*, hoc est. testimonium ferendo. De hoc ita Cumeanus cap. de perjur. *Si quis periurium fecerit: Laici tribus annis pœniteant, Clerici quinque, Subdiaconi sex, Diaconi septem, Presbyteri decem, Episcopi duodecim.* Deinde

Perjuri.

N 2 fusè

fusè prosequitur secundum varias circumstantias, quas prolixum esset hic sigillatim referre. De perjuro compulso vide cap. *Qui compulsus.* 22. *q.* 5. & pejerante in manu Episcopi cap. *Qui peierat. eadem quæst.* Item de inducente alios ad perjurium, cap. *Si quis peieraverit.* ibid.

Malefici.

(o) *Si quis maleficio suo aliquem perdiderit.* Illa quæ hic habet Columbanus paucis mutatis leguntur apud Cumeanum cap. de malefic. Ita enim habet: *Si quis maleficio suo aliquem perdiderit, septem annis pœniteat: tribus ex his in pane & aqua. Si quis per amorem veneficus sit, & neminem perdiderit: si Laicus est unum annum pœniteat in pane & aqua: si Subdiaconus duos, Diaconus tres, unum ex his in pane & aqua. Et Laici dimidium annum pœniteant; maximè si per hoc mulieris partum quisquam deceperit, tres annos unusquisque superaugeat in pane & aqua, ne homicidii reus sit.* Vide copiosè de maleficiis, incantationibus, & sortilegiis 16. *q.* 5. cap. *Qui divinationes.* ex Concilio Ancyrano, etiam à Cumeano citato, in quo hujusmodi criminibus quinquennii pœna statuitur.

Clerici qui furtum fecit

(p) *Si quis Clericus furtum fecerit.* Clerico furi septem annorum pœnitentia imponitur cap. *Si quis Clericus* 17. *q.* 4. Vide *extra. de furt.* ex pœnitentiali Theodori, quem citat S. Bonaventura in suo Confessionali De his Cumeanus copiosè cap. de furt.

Aut post solemne castitatis votum ad uxorem, quam ante habuerit rediit.

(q) *Si quis autem Clericus &c. suam cognoverit clientelam.* Hic taxatur pœna Clerico cujusvis gradus aut Monacho, qui post obtentam ab uxore, quam ante clericatum, vel monachatum habuerat, licentiam, & assumptum clericatum, aut solemne Monachi votum emissum, denuò ad uxorem revertitur, & suam iterum cognoscit clientelam. Qua de re clarius nonnihil Cumeanus cap. de adulterio in hęc verba: *Clericus vel superioris gradus, qui uxorem habuit, & præter * confessionem suam, vel honorem Clericatus, iteratus eam cognoverit, sciat se sibi adulterium commisisse*; unde, ut ipse statim infert. *Sicut superiori sententia* (quam scilicet in adulteros protulerat) *unusquisque iuxta ordinem suum pœniteat.* 27. *dist. cap. Si vir.* Ex pœnitentiali Theodori taxatur pœna trium annorum contrahenti post votum simplex, quod non invalidat matrimonium pòst contractum, sicut solemne de quo hic est sermo. Et tales debent separari, & ad pœnitentiam compelli, ut habetur eadem *dist. cap. Presbyteris.* ex Calixto II.

* *f. professionem.*

(r) *Si quis Clericus per rixam.* Diacono per rixam sanguinem effundenti Cumeanus 5. tantum menses; Presbytero verò annum pro pœnitentia constituit.

Aut per rixam alterum lædit.

(s) *Si quis per seipsum fornicaverit, aut cum iumento.* Pro coitu cum brutis, sicut & pro quolibet alio enormi crimine statuitur septennis pœnitentia 33. *q.* 2. *cap. Hoc ipsum.* & *in cap. Clerici. de excess. Prælat.*

Coientis cum jumento.

(t) *Si quis concupiscit mulierem &c.* Fornicationi mentali Cumeanus annum pro pœnitentia assignat.

Mulierem concupiscentis.

(v) *Si quis Sacrificium perdiderit.* Hoc est, Eucharistiæ Sacramentum ex incuria vel negligentia in terram labi, vel stillari permiserit. Contra quod pœnitentiæ modus præscribitur. cap. *Si per negligentiam. de consecr. dist.* 2. ubi Sacerdoti, qui per negligentiam aliquid de sanguine Domini effundi in terram vel stillari permiserit quadraginta dierum pœnitentia imponitur. Qua de re copiosè Cumeanus cap. de minist. Ecclesiæ.

Sacramentum Eucharistiæ perdentis.

(w) *Si per ebrietatem, aut voracitatem illud evomuerit &c.* Cap. *Si quis per ebrietatem.* citata dist. Laico hoc modo Eucharistiam evomenti, 40; Clerico & Monacho, 70; Episcopo verò, 90. dierum pœna statuitur. Si autem per infirmitatem id contigit, 7. dumtaxat dies assignantur. Similia habet Cumeanus cap. de minist. Eccles.

Evomentis.

(x) *Quicumque fecerit homicidium.* Hic incipit secunda pars hujus tractatus, ubi de solis agit Laicis, quibus primo loco pro homicidio pœna statuitur: qua de re vide *cap. Si quis homicidium. dist.* 50. ubi Clerico & Laico homicidæ pro pœnitentia septem anni taxantur, quorum tres in pane & aqua transigi præscribitur. Casuale verò homicidium & non voluntarium, quinque annorum pœnitentia punitur ibid. Et additur, ut

Pœna Laici homicidæ.

communionem

Communionem in exitu vitæ suæ suscipiat, nempe is qui occidit. Cui determinationi conformis est pœna taxata apud Cumeanum cap. de homicid.

Adulterii.

(y) *Si quis Laicus de alterius uxore filium genuerit.* Nunc tres, nunc septem annos Cumeanus assignat pro adulterio. Verùm Jure Canonico communi tam vir, quàm mulier adultera, excommunicationis censuram incurrunt. *Cap. intelleximus de adult.* & in monasterium detruduntur. *Cap. gaudemus de adult.*

(z) *Abstinens se à propriâ uxore.* Adulter namque ob adulterium amittit jus petendi debitum conjugale, ita quod ei petenti non teneatur conjux reddere. De quo Navarr. cap. 22. Enchyrid. n. 25 quod confirmatur tum ex *cap. dixit Dominus* 32. *q.* 1. tum ex eo, quod *frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Cap. *Pervenit.* 2. *de iureiur.* Vide Reginaldum in sua praxi lib. 31. n. 287.

Sodomitæ.

(aa) *Si quis Laicus fornicaverit Sodomitico ritu, septem annis pœniteat.* Cumeanus quinque dumtaxat annos huic peccato assignat. *Extra. de excess. Prælat. cap. Clerici.* Laici huic crimini obnoxii excommunicantur, & à cœtu fidelium alienantur.

Rei fornicationis, stupri.

(bb) *Si quis autem fornicaverit cum mulieribus à coniugio liberis.* Hîc pœna assignatur pro fornicante cum vidua vel virgine. Cumeanus pro stupro triennis pœnitentiæ tempus imponit, & S. Gregorius de quodam Felice qui virginem stupraverat. *Extra. de adult.* loquens: *Disponimus*, inquit, *ut aut quam stupravit, uxorem habeat: aut si renuendum putaverit, corporaliter castigatus, excommunicatusq; in monasterio, in quo agat pœnitentiam, retrudatur, de quo nulla sit ei egrediendi sine præceptione licentia.*

Bestialitatis

(cc) *Si quis autem Laicus cum iumento.* De hoc ita Cumeanus: *Si quis cum pecoribus, duodecim annis pœniteat.* In *cap. Hoc ipsum* 33. *q.* 2. & *in cap. Clerici de excess. Prælat.* pro hujusmodi coitu, sicut & pro incestu septennis pœnitentia statuitur, & insuper talis criminis reus præcipitur deponi, si est Clericus, vel excommunicari si Laicus.

Oppressæ prolis.

(dd) *Si Laicus infantem suum oppresserit.* Eandem hujusmodi crimini pœnitentiam, & iisdem penè verbis injungit Cumeanus *cap. de homicid.* ubi sic habet: *Si Laici infantem suum oppresserint, anno uno in pane & aqua pœniteant, & duos à vino & carne abstineant se.* De his in hunc modum Alexander III. *extra. de iis qui fil. occid. De infantibus autem, qui mortui reperiuntur cum patre & matre, & non apparet, utrum à patre vel matre oppressus sit ipse, vel suffocatus, vel propria morte defunctus, non debent inde securi esse parentes.* Et infrà: *Si autem non latet ipsos interfectores esse, scire debent se graviter deliquisse: Quidam autem* (inter quos est S. Columbanus hîc) *pœnitentiam trium annorum iudicant imponi debere, quorum unum peragat in pane & aqua.* Hæc canon.

Furti.

(ee) *Si quis Laicus furtum fecerit.* Sententia hujus canonis pro majori parte habetur apud Cumeanum. Et furtum ex inopiæ necessitate patratum in hæc verba punit Theodorus *extra. de furtis*; *Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres, & si reddiderit non cogatur ieiunare. Si quis Laicus periuraverit.* Vide quæ supra notata sunt circa hoc.

Effusi sanguinis.

(ff) *Si quis Laicorum per scandalum sanguinem fuderit.* Canon iste ad verbum legitur apud Cumeanum *cap. de homicid.* In eo autem Vir sanctus obligationem insinuat, qua tenetur alieni sanguinis injustus effusor, qui *operas eius & impensas in Medicos restituet*, ut habetur Exodi 21. & refertur *extra. de iniuriis & damno dato cap.* 1. estque communis opinio, de qua Navarrus Enchirid. cap. 15. Adrianus IV. de restit. q. ult. Azorius to. 3. l. 5 cap. 4. qui illorum etiam refert sententiam, qui ultra obligationem ad impensas curationis, & lucrum cessans ac damnum secutum compensandum, affirmant insuper obligari percussorem ad omnia illa lucra, & operas in integrum solvenda, quæ obventura fuissent, si alius non fuisset vulneratus. Quam opinionem tradunt Covarruvias l. 2. variar. resol. n. 7. Sotus l. 4 de just. q. 6 a. 3. ad 2. Ledesma in 4. p. q. 18. a. 2. ab Azorio citati, qui etiam ibi disputat, an aliquid sit restituendum vulnerato pro injuria illata.

Ebrietatis.

(gg) *Si quis Laicus inebriaverit se.* Clericus & Laicus ebrietati obnoxius communione privatur juxta Canones Apost. *Can.* 42. & 43. & habetur 35. *dist. cap. Episcopus.* Infligitur à Cumeano Laico per ebrietatem vomenti pœnitentia 15. dierum.

Adulterii.

(hh) *Si quis adulterare voluerit.* Hoc verbum tam activè, ut hic Columbanus, quàm deponenter in eodem sensu à Latinis usurpatur. Priori modo illud accipit Gellius lib. 10. c. 23. & Sueton. in Aug. c. 67. Posteriori verò modo sumit Cicero 1. de Offic. & Ecclesiastici ut plurimum.

Sacrilegi cultus.

(ii) *Si quis autem Laicus manducaverit iuxta fana.* Hic damnatur & punitur sacrilegus cultus qui simulachris dæmonum à paganis olim exhiberi solebat. Pro quo Cumeanus *capit. de malefic.* his verbis pœnitentiam assignat: *Si quis ad fanum communicaverit, quadraginta diebus in pane & aqua; & si iterum serviendo per cultum hoc fecerit, tribus annis pœniteat.* 26. *q.* 2. *cap. Si de area.* Redarguuntur Christiani, qui cum possent impedire, permittunt aliquid de area, vel torculari tolli ad sacrificia dæmonum.

Communicationis cum hæreticis.

(kk) *Si quis Laicus per ignorantiam cum Bonosiacis aut cæteris hæreticis communicaverit.* Dist. 50. cap. *De eo autem.* Fidelis qui cum hæretico, antequam Ecclesiæ reconcilietur, communicaverit, communione privatur, & 24. q. 1. cap. *Si quis dederit.* dantis vel accipientis communionem de manu hæretici, pœna præscribitur decem, aut septem, aut quinque annorum.

(ll) Verùm non tam de hac communicatione, quæ ex dato vel accepto corpore Christi ab hæretico sequitur, quàm de priori, quæ vel ex conversationis, vel mensæ &c. participatione descendit, videtur intelligendus Columbanus, tanquam si clarius communionem cum excommunicato prohibuisset, quem non tantum in Sacramentorum administratione, sed in illismet etiam bonis convictus humani declinare oportet.

(mm) *Cum Bonosiacis aut cæteris hæreticis.* Bonosiaci, teste Philastrio, à Bonosio quodam Episcopo exorti traduntur tempore Constantii Imperatoris & Liberii Papæ circa annum Domini 358. Alii tamen non Bonosiacos, sed Monosiacos, seu Monosolitas à Monoso quodam hæresis earum authore, quemadmodum Altexanus lib. 4. tit. 5. asserit, vocant. Cæterùm hi hæretici Christum Dei Filium adoptivum, non autem naturalem & proprium dicebant; quod Joan. 14. reprobatur illis verbis: *Philippe qui videt me, videt & Patrem meum.* Exprimitur eorum error 24. q. 3. cap. *Quidam autem.* Ex Isidoro lib. 8. etymol. cap. 5. & de consecr. dist. 4. c. *Hi vero hæretici.* quibus in locis Bonosiani vocantur. Horum autem hæresim amplexi sunt Circumcelliones, de quibus 24. q. 3. cit. cap. sic habetur: *Circumcelliones dicuntur eò quòd agrestes sint: quos Scotopicticos vocant, supradictæ hæresis* (nempe Bonosianæ, de qua sermo anteà erat) *habentes doctrinam. Hi amore martyrii semetipsos perimunt, ut violenter de hac vita discedentes, martyres nominentur.* Vide Hieronymum Torrensem elench. hæres. v. *Bonosiaci.*

Bonosiaci hæretici qui & unde dicti.

Postremò de minutis Monachorum. Hæc est tertia pars hujus Pœnitentialis, quæ ad Monachorum duntaxat defectus corrigendos ordinatur, de quibus in præfatione sua, sicut & de aliis jam notatis aliquid prælibavit.

(nn) *Si quis iumentum petens solus absolutè lavaverit.* Existimo per mendam irrepsisse *absolutè*, pro *absque luto*, hoc est, sine necessitate luti abstergendi, ut in simili mox subdit; volebat quippe ad excludendos fortè quosdam abusus tunc in ascensu equorum exerceri solitos, vel periculum, quod diabolus injicere poterat Monacho sese ante conscensum equum, sine teste denudanti, aut aliud quid simile inhibere, ne quis sine necessitate luti eluendi, sese solus ante ascensum jumenti lavaret. Ne verò etiam in jumento sedens genua discooperiat, impositâ statim pœnitentiâ cavet.

(oo) *Vigintiquatuor plagis emendatur.* Plagarum, quas delinquentes Monachi ab altero ictus imprimente, extensâ & apertâ manu excipiebant, mentio reperitur in antiquis libris Hibernicis. Et supra in Regula S. Columbani Cœnobiali

Plagarum & verberum antiquus apud Monachos usus.

biali percussionum frequens recurrit memoria. Necnon & apud Monachos Ægypti Pachomianos plagarum, seu verberum olim viguit observantia; sed modus & ordo fortasse non iste qui Hibernis erat in usu. Qua de re videndus Cassianus in Regula S. Pachomii, in qua artic. 87. & 121. Monachus in furto deprehensus, 39. verberibus excipi jubetur, & foris extra Monasterium separato in pane tantum & aqua ministrari praecipitur.

Collecta generalis in festis antiquis Monachis usitata.

(pp) *Ante praedicationem vero die Dominica.* Loquitur hic de communi illâ collectâ seu Synaxi, ad quam omnes unà convenire solebant in Ecclesia diebus Dominicis, sacrum Christi corpus, & Evangelicae praedicationis obsequium, quod hic *praecepti* nomine intelligitur, percepturi. Cujus quidem antiquę Monachorum consuetudinis Cassianus lib. 3. instit. cap. 11. & collat. 23. cap. 21. & alibi saepius meminit. Regula Pachomii art. 5. sic habet: *In die Dominica in Collecta, in qua offerenda est oblatio &c.* Et art. 6. *De collecta in qua offerenda est oblatio, qui sine praecepto majoris exierit, statim increpabitur.* Item apud Palladium: *Accessit aliquando die Dominica Abbas Helles ad quosdam Monachos, & interrogavit eos, cur hodiè non egistis Synaxim? Ii autem responderunt: eo quod non venerit Presbyter &c.* Vide Sozomenum lib. 3. cap. 13. Nicepho.. lib. 9. cap. 14. qui hujus rei meminerunt. Clemens V. in Concilio Viennens. sanxit quod Monachi semel in mense confiterentur & communicarent. Quod Decretum posteà Benedictus XII. confirmavit, monens, ut si non saepius, saltem semel in septimana Monachi confiteantur.

Confessio sacramentalis antiquitus, etiam sacrae Communioni praemitti solita.

(qq) *Confessiones autem dari diligenter praecipitur.* Loquitur de confessione sacramentali & congruâ praeparatione, quae sacram communionem praecedere debet, de qua intelligendus Apostolus cum dixit: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Et mox rationem subdit, quam ex ipso quoque deducit Columbanus: *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat, non diiudicans Corpus Domini.* Unde S. Augustinus lib. de Eccles. dog. hortatur hominem fidelem, *Ut prius pœnitentiâ satisfaciat, si vult non ad iudicium, seu ad condemnationem sui Eucharistiam percipere.* Cujus rei plura tradunt documenta Sancti Patres in praefatum Apostoli locum.

INSTRUCTIO

INSTRUCTIO S. COLUMBANI ABBATIS DE OCTO VITIIS PRINCIPALIBUS.

ARGUMENTUM.

Sequens Tractatulus in præfato Codice Bobiensi sequitur Sermonem supra positum ordine decimumtertium sub illa, quam præfixi, De octo vitiis principalibus *inscriptione: Quem Sermonem idcirco ab illis instructionibus separavi, quod alterius ab illis scopi & stili tractatum videatur efficere, non secus ac canones illi Pœnitentiales supra relati, qui hunc ipsum Tractatulum in dicto Codice cum Instructione decimaquarta præmissa consequuntur. In eo autem Vir Sanctus octo capitalia peccata recenset, & S. Scripturæ testimoniis demonstrat, sua singulis opponens remedia, de quibus Spirituales & Morales libri copiosè, ubi de Vitiis & Virtutibus loquuntur.*

(a) OCTO sunt vitia principalia, quæ mergunt hominem in interitum, gula, fornicatio, cupiditas, ira, tristitia, acedia, vana gloria, superbia. De gula castiganda dicitur :
Isa. 23. *Nolite duci in saturitate ventris.* De for-
Heb. 13. nicatione: *Fornicatores autem & adulteros Deus iudicabit.* De cupiditate autem
2. Tim. 6. legitur : *Radix omnium malorum cupi-*
Math. 5. *ditas est.* De ira: *Qui irascitur fratri suo, reus erit gehennæ ignis.* De tristitia : *Tri-*
2. Cor. 7. *stitia autem sæculi mortem operatur.* De
Eccl. 33. acedia : *Multa mala docuit ociositas.* De
Ioel. 2. vana gloria : *Ascendet fœtor illius, qui*
Iacob. 4. *magnificat opera sua.* De superbia : *Su-*
Math. 23. *perbis Deus adversatur. Et qui se exaltaverit, humiliabitur.* *(b)* Hæc igitur omnium origines, & causæ sunt malorum; quæ sic sunt sananda per contraria. *(c)* Gula triplex vincenda est per abstinentiam jejunii de *(d)* hora nona in horam nonam, & parcitatem, cibique vilitatem. Fornicatio autem & omnis im-
Ephes. 5. munditia nec nominanda in vobis sint, sicut decet Sanctos, per castitatem & continentiam solicitam, & semper timentem. Cupiditas verò nihil habendo proprium vincitur, & omnia communia possidendo. *(e)* Ira patientiâ & mansuetâ lenitate superanda est. *(f)* Tristitia verò lętitiâ spirituali & spe futurę beatitudinis vincenda est. Instabilitas autem acediæ, mansuetudine stabili, & unius loci habitatione corrigenda est per sobrietatem, Scripturâ dicente : *Si spiritus potestatem habentis ascenderit su-* Eccle. 10.
per te, locum tuum ne demiseris. *(g)* Vana gloria quoque & elatio immunda, atque superbia, verâ humilitate, & cordis contritione per Dei timoren vincuntur.

ANNOTATIONES.

(a) OCto *sunt vitia principalia..* Licet Sermone, seu Instructione secundâ, S. Columbanus septem duntaxat capitalia vitia numerârit; ex hoc tamen loco, ubi magis ex instituto vi- Ponetes octo capitalia vitia.
detur de vitiorum tractare divisione, & ex Monasticis, ubi eundem numerum insinuat, satis constat ex ejus intentione, octo debere numerari. Quem numerum, præter ipsum tradidit Cassianus coll. 5. de oct. princip. vit. c. 1 & l. 5. instit. c. 1. Climacus grad. 13. Theodulphus Aurelianen. epist. ad Clerum. Beda

Beda in suis collect. tom. 3. & Alcuinus tract. de octo princip. vit. Necnon & Nicolaus Dinkelspule, qui ante ducentos & amplius annos librum de hac vitiorum divisione composuit. Et Cassianus quidem, quod dicta coll. cap. 16. septem dumtaxat, in septem gentibus præfigurata vitia posuerit, ad Monachos tantummòdo referendum declarat, quibus à mundo perfectè conversis, gulâ nimirum superatâ, non nisi septem expugnanda supersunt: quo sensu facilè sibi etiam concordari possunt S. Columbanus & Beda nunc septem, nunc octo capitalia recensentes. Atque hæc quidem horum Sanctorum de numero vitiorum sententia. Verùm S. Gregorius l. 31. Mor. cap. 17. citatus à Magist. 2. sent. dist. 42. & Scholasticis ibidem, septem tantummodò statuit principalia vitia. Quia nimirum superbiam noluit eis adnumerari, sed velut reginam & communem omnium matrem haberi; *Quæ* (inquit) *cum devictum planè cor cœperit, mox illud septem principalibus vitiis, quasi quibusdam suis ducibus, devastandum tradit.* Describit exinde duces singulos cum suis exercitibus, sub illa imperatrice militantes. Sed & in ordine istorum inter se assignando ipse ab adductis Patribus dissidet, quia hoc ipse ordine illa refert: Inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Illi verò in hunc modum: Gastrimargia, fornicatio, phylargyria, ira, tristitia, acedia, cenodoxia, superbia. Cujus quidem ordinis causam assignat Cassianus lib. 5. & coll. 5. cap. 2. & 10. his verbis: *Hæc octo vitia, licet diversos ortus, ac dissimiles efficientias habeant, sex tamen priora, id est, gastrimargia, fornicatio, phylargyria, ira, tristitia, acedia, quadam inter se cognatione, &, ut ita dixerim, concatenatione, connexa sunt, ita ut prioris exuberantia sequentis efficiatur exordium: nam de abundantia gastrimargiæ fornicationem, de fornicatione phylargyriam, de phylargyria iram, de ira tristitiam, de tristitia acediam necesse est pululare.* Et infrà: *Quamobrem, ut acedia vincatur, antè tristitia superanda est; ut tristitia propellatur, ira prius extrudenda est; ut extinguatur ira, phylargyria conculcanda est; ut evellatur phylargyria, fornicatio compescenda est; ut fornicatio subruatur, gastrimargia vitium est castigandum. Et hàc ratione ut superbia possit excludi, cenodoxia est præfocanda.* Quæ sanè connexio, si ulla ordinis inter ea vitia sit habenda ratio, taxatam dispositionem suadet esse servandam. Plura huc spectantia videri possunt apud Alensem 2 p. q. 152. m. 1. & 2. D. Thom. 1. 2. q. 84. a. 4. cum suis, S. Bonav. 2. dist. 42. dub. 3. circa lit. Scotum cum suis in 2. dist. 6. q. 2. & d. 42. q. 5. Richard. circa litteram. Durand. ibid. q. 5. Estium dist. eâdem & alios recentiores.

Ponentes tantum septem.

Ordo istorum inter se variè assignatur.

(b) *Hæc igitur omnium origines & causæ sunt malorum.* Circa positam hîc à Columbano principalium vitiorum divisionem meritò quis posset inquirere, cur omissa fuerit invidia, quæ inter capitalia vitia à S. Gregorio l. 31. Mor. c. 17. & aliis passim Doctoribus computari solet. Rationem nonnullam hujus ex D. Thoma 2. 2. q. 37. artic. 4. colligo, ubi sic loquitur: *Forte propter hoc quòd invidia manifestè ex inani gloriâ nascitur; non ponitur vitium capitale neque ab Isidoro in lib. de sum. bono; neque à Cassiano in lib. de institut. Cœnob.* (addo & ego, neque à Columbano in tractatu de octo vitiis principalibus) *Videbatur enim primâ fronte incongruum, ut diceretur vitium capitale, cùm inter filias inanis gloriæ vitii capitalis censeatur.* Quam rationem ibi solvit D. Thomas pro adnumerantibus invidiam reliquis capitalibus. Cæterum licet Gregorius supra invidiam ab inani gloria distinguens, ipsam inter inanis gloriæ filias non expresserit, infrà tamen statim in eodem capite id facit, cùm capitalium vitiorum inter se concatenationem explicat. *Prima,* inquit, *superbiæ soboles inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corrumpit, mox invidiam gignit; quia dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat, tabescit.* His similia tradit Climacus grad. 22. odium & invidiam inter stirpes superbiæ & inanis gloriæ recensens. Itaque S. Columbanus invidiam, velut jam sub inani gloria sufficienter comprehensam, prætermittendam putavit, nec inter capitalia exprimendam, eâ ratione inductus, quâ ad idem faciendum impulsos opinatur D. Thomas, Isidorum & Cassianum. Sciendum autem ulterius, illam divisionem vitiorum capitalium septenariam Gregorii & aliorum, vel octonariam Cassiani, Columbani, & reliquorum, non esse in rigore suffici-

Cur inter capitalia ab aliquibus non numeratur invidia.

entem, ita quòd omnia peccatorum genera compleĉtatur, & malos actus; sed ideò dici septem illa capitalia duntaxat, quia sunt multùm communia ad alia peccata, sicut occasiones peccandi, ut tradit Doctor Subtilis cum suis in 2. dist. 6. q. 2. n. 16. & dist. 42. q. 5. putans convenientius accipi posse distinctionem peccatorum capitalium vel ex carentia, vel ex obliquitate præceptorum Decalogi, quàm aliunde, & sic juxta numerum Præceptorum decem capitalia debere numerari. Qua de re plura videri possunt apud Alensem 2. p. q. 152. m. 1. & 2. D. Thom. 1. 2. q. 84. a. 4. cum suis, S. Bonavent. præfata dist. dub. 3. circa lit. & Rich. circa lit. fin. Durand. ead. dist. q. 5. & Sanctos Patres supra citatos.

An divisio septenaria, vel octonaria vitiorum capitalium sit sufficiens.

(c) *Gula triplex vincenda est per abstinentiam ieiunii &c.* Hanc gulæ partitionem tradunt Cassianus lib. 5. instit. & Hugo l. 1. de claustro animæ c. 6. quæ attendi debet secundum tria, quæ in cibo considerari possunt, nempe quid, quando, & quantum, hoc est, cibi speciem, horâ, & mensurâ, *Ne illicitum* (inquit Hugo) *aut extra horam, aut ultra mensuram aliquid sumamus.* Verùm istam horum Sanctorum gulæ divisionem alii superfluam, ut Abbas Dorotheus doctrinâ 15. qui duo tantum membra constituit, ingurgitationem videlicet nimiam, contrariam mensuræ servandæ, & immodicam delectationem circa gustum, cibi qualitati convenienti oppositam. Alii verò diminutam existimant, ut Isidorus lib. 2. sent. c. 42. qui quatuor recenset, quid, quando, quantum, & quomodo cibus appetatur, & S. Gregorius 30. moral. cap. 27. quinque numerat, quorum in ipso cibo tria considerantur, lautities, præparatio exquisita & superflua, ac demùm rei quantitas; reliqua autem in sumptione, quæ sunt tempus & modus. Et hanc hujus vitii distinctionem ampleĉtitur D. Thomas 2. 2. q. 148. art. 4. Quamquam propter hæc videatur posse gulæ plures quàm tres gradus assignari, certum tamen est, illas tres à Cassiano, & Columbano positas, præcipuas ac manifestiores esse gastrimargiæ species; de quibus ipsi, minutiori perscrutatione missâ, duntaxat agere voluerunt. Vide plura huc spectantia apud Cassianum lib. 5. Basil. serm. de abdicat. rer. post. med. Chrysost. hom. 44. in Joan. & serm. contra luxur. & crap. Gregor. 30. Mor. c. 13. Hieronym. 2. contra Jovin. & alios.

Quot sint gulæ gradus

(d) *De hora nona in horam nonam.* Hoc est intelligendum de quartâ & sextâ feriâ, & temporibus jejuniorum, quibus solebant in primitiva Ecclesia Christiani ab hora nona, hoc est, tertia pomeridiana, in horam nonam jejunium protrahere. De qua consuetudine plura notavi ad cap. 3. primæ Regulæ & 13. secundæ.

Consuetudo jejunandi ab hora nona in horam nonam.

(e) *Ira patientiâ, & mansuetâ lenitate superanda est.* Advertendum ex S. Gregorio lib. 5. Mor. c. 30. *Quod alia est ira, quam impatientia excitat, alia quam zelus iustitiæ format; illa ex vitio, hac ex virtute generatur:* De hac ira per Psalmistam dicitur: *Irascimini & nolite peccare.* De prima verò irâ, de qua hic est sermo, eodem Sancto testante l. 31. Mor. cap. 31. rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemiæ, proferuntur: quos iræ effectus luculenter explicat S. Thomas 2. 2. q. 158. a. 7. Vide Greg. l. 5. Mor. c. 31. Basilium hom. de ira, Cassianum l. 8. instit. per totum, & Climac. grad. 8. qui etiam de remedio hujus infirmitatis dulci mansuetudine sermonem facit.

Ira duplex.

Psalm. 4.

(f) *Tristitia verò lætitiâ spirituali.* Tristitiæ nomine solet interdum invidia designari, quæ nihil est aliud, quàm tristitia de bono proximi; solet & acedia comprehendi; unde S. Gregorius lib. 1. in 1. Regum cap. 14. utrumque pro eodem accipit. Verùm S. Columbanus hîc, & Cassianus lib. 9. & 10. instit. tristitiam, ut ab acediâ distinctam, sextum inter vitia capitalia numerantes, alio planè sensu tristitiam usurpant. Ad quem sensum eruendum notanda sunt verba Damasceni lib. 2. orthodoxę fidei cap. 14. quibus tristitiæ quatuor enumerat species, videlicet acediam, molestiam, invidiam, misericordiam. *Acedia,* inquit, *tristitia est taciturnitatem, defectionemq; vocis inducens; molestia, tristitia est aggravans, pondusq; afferens; invidia tristitia est ex alienis bonis proveniens; misericordia verò, in alienis malis tristitia.* Ex quibus quatuor, de sola secunda videntur intelligi posse Cassianus & Columbanus, tanquam

Tristitiæ variæ acceptiones.

Quo sensu inter capitalia numeretur, & quem inter ea servet locum.

tanquam de sexto peccato capitali ab acedia & invidia distincto. Cujus vitii duo genera explicat idem Cassianus coll. 5. cap. 11. ubi ait: *Tristitiæ genera duo sunt: unum quod vel iracundiâ desinente, vel de illato damno ac desiderio præpedito cassatoq; generatur: aliud, quod de irrationabili mentis anxietate, seu desperatione descendit.* Porrò hæc tristitia juxta D. Thom. 1. 2. q. 37. art. 2. gravare & absorbere hominem dicitur, quando sic totaliter vis contristantis mali afficit animum, ut omnem spem evasionis excludat, & sic etiam eodem modo aggravat & absorbet: & propter hæc vocat eam Damascenus *molestiam aggravantem.* Et ex hac tristitia testatur Isidorus lib. de sum. bon. oriri rancorem, pusillanimitatem, amaritudinem, desperationem; quibus aptum opposuit remedium Columbanus, spirituale gaudium ex spe futuræ beatitudinis proveniens, qua de re Cassianus lib. 9. per totum.

(g) *Vana gloria, superbiâ.* Vana gloria à Cassiano & aliis Græcam sequentibus nomenclaturam cenodoxia appellatur: diffinitur esse inordinatus gloriæ appetitus: superbia verò dicitur propriæ excellentiæ, sive celsitudinis appetitus; unde patet vanæ gloriæ à superbia distinctio, quòd hæc excellentiam, illa excellentiæ manifestationem respiciat. Porrò vana gloria differt ab ambitione, sicut honor à gloria. Quot autem modis dicatur vana gloria pulchrè explicat D. Thomas 2. 2. q. 32. a. 1. Cæterum ex vana gloria juxta S. Gregorium lib. 31. mor. c. 17. procedunt inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordia, novitatum præsumptiones. Quorum omnium rationem assignat D. Thomas 2. 2. q. 132. a. 5. Ex quibus apparet congruè à Columbano, Cassiano & aliis, vanam gloriam tot malorum matrem, vitiis capitalibus adnumeratam fuisse. Vide plura huc spectantia apud S. Augustinum lib. 10. Confess. c. 37. Basilium constit. Monast. c. 10. Cassianum lib. 11. per totum. Climacus grad. 22. Aristotelem l. 4. Ethic. c. 3. ubi de cenodoxia agit.

Vanæ gloriæ natura & mala.

De superbia verò, quæ à Cassiano & Columbano hic extremo loco inter capitalia numeratur, videndus S. Gregorius lib. 34. mor. cap. 18. & lib. 31. cap. 17. ubi propter generalem ejus in omnia vitia influentiam, eam reginam vitiorum appellat, & à classe vitiorum capitalium separat, licet Cassianus, Columbanus & alii ipsam, ut quoddam speciale peccatum efficit, illis septem accensuerint. Priori loco explicatur duplex superbiæ genus, unus quo subditi, alterum quo Prælati impugnantur. Item quomodo quosdam ex sæcularibus, alios ex spiritualibus impetat rebus. Plura huc spectantia legi poterunt apud Climacum grad. 22. qui præclarè superbiæ naturam explicat, Isidorum lib. de sum. bono cap. 38. S. Bernardum Sermone de David & Goliath, Prosperum 3. de vit. contemplat cap. 8.

Superbia duplex.

SANCTI COLUMBANI ABBATIS HIBERNI, MAGNI MONACHORUM PATRIARCHÆ, COENOBII LUXOVIENSIS IN GALLIA, ET BOBIENSIS IN ITALIA, *ALIORUMQUE PLURIMORUM* FUNDATORIS ET PATRONI.

EPISTOLÆ ALIQUOT AD DIVERSOS, EXTRACTÆ EX MS. CODICE MONASTERII BOBIENSIS, *NUNQUAM HACTENUS EXCUSAE.*

BENEVOLO LECTORI.

QUÆ sequuntur, Benigne Lector, S. COLUMBANI Epistolæ, partim ad Bonifacium Papam, ejus, ut arbitror, nominis quartum, partim ad Patres Synodi cujusdam Gallicanæ super quæstione Paschæ potissimùm congregatæ, partim denique ad Attalam, & alios Monachos Luxovienses exaratæ, ex pervetusto, sed mendoso satis Bibliothecæ Bobiensis Codice transumptæ

transſumptæ ſunt, cujus mendas abſtergere nos prohibet correctiorum exemplarium penuria. Unde non eſt, quòd quempiam movere debeat, ſicubi in his loca aliqua offenderit nonnihil ſcabroſa, obſcura, impervia, & ſenſu ambigua, quæ rudium librariorum illius temporis invexit imperitia vel incuria: quæque facilè poterunt emendatiorum codicum, quos alibi extare credimus, collatione cum tempore corrigi, & ſuo nitori reſtitui. Non ſunt propter hæc abjicienda, aut utilitati publicæ tanti viri monumenta ſubtrahenda, cujus eruditio & facundia notior eſt, quàm ut ullo ejuſmodi nævo queat obſcurari: quod vel ſuprâſcriptos ejus ſermones attentius pervolventi clariùs apparebit, in quibus cum ubertate ac varietate rerum, ſermonis concertat elegantia: vel etiam infraſcriptas ipſas Epiſtolas attentiùs expendenti, quas perſpicax & eruditus Lector ſuo authore dignas judicabit, eluceſcet. Porrò præter jam memoratas, & hic ſubjectas Epiſtolas extant aliæ plures ejuſdem Sancti tum ad Gregorium Magnum, tum ad præfatum Bonifacium tranſmiſſæ; quarum omnium non eſt adhuc nobis facta copia.

EPISTOLA I.

AD BONIFACIUM IV.

ARGUMENTUM.

Quia litteræ ipsius Sancto Gregorio transmissæ, sathanæ insidiis aliquoties impeditæ, redditæ non fuerunt, nunc aliquas ex ipsis (illas scilicet, quibus de Pascha quæstione disserebat) Bonifacio examinandas transmittit, ipsum per Deum Trinum & Unum humiliter rogans ut dignetur facultatem sibi facere Pascha sicut accepit à Senioribus suis celebrandi, ad quod inducit exemplum Aniceti & Policarpi, & Decretum Concilii Constantinopolitani.

Domino Sancto & in Christo (a) Apostolico Patri Papæ Columba peccator in Christo Salutem.

IAM diu omnes Sedi Apostolicæ præsidentes, dulcissimos omnibus Præsules fidelibus, ac merito Apostolici honoris Reverendissimos Patres visitare spiritu & (b) consolare cupiens, nunc usque votis pro diversis hujus ævi fragoribus, & tumultuosis gentium seditionibus interjacentium, ac si marina trabe interclusus, satisfacere non potui, insuavi scilicet, intransmeabilique, non tam (c) thetis visibilis, quàm intelligibilis dorso, quod optimè nostis, nobis opposito. Idcircò semel & bis sathanas impedivit portitores nostrorum ad bonæ memorię Papam conscriptorum Gregorium olim apicum in subjectis positorum, qui tibi quoque offerendi, discutiendique à (d) nostrâ transmittuntur vilitate, non tam superbâ, ut per verba demõstratur, diabolicâ præsumptione, quàm nostræ regionis ritus *observantiæ, quæ calcarent verę computationis necessariâ probatione, dum non eosdem terminos scandunt libri nostræ Provinciæ, & istorum liber Gallorum, qui à nostris viris non recipitur per duo loca magistris, sicut in Epistolis nostræ parvitatis, quantum potuimus, ad supradictum Beatum Papam, licet præsumptuosè indicare pro viribus studuimus. Itaque ne si eadem iterarem, ad te quoque scribendo fastidium potius generarem, quàm ingenium probare utrorumque authorum tibi, ut decet, reservarem, cum salutationum condignis officiis preces tantum ad te per Dominum nostrum JESUM Christum & Spiritum Sanctum, & per unitatem fidei nostræ, quæ invicem est, qua unum Patrem nostrum qui est in cœlis, ex quo omnia, & unum Redemptorem nostrum Filium Dei, per quem omnia, & unum Spiritum Sanctum in quo omnia, corde credimus, & ore confitemur, unum Dominum esse in Trinitate, & Trinitatem in Unitate, unamquamque scilicet personam plenum Dominum, & totas tres personas unum Dominum (e) fundimus, ut nobis peregrinis laborantibus tuæ piæ sententiæ præstes solatium, quò, si non (f) contra fidem est, nostrorum traditionem robores Seniorum, quo ritum Paschæ, sicut accepimus à majoribus, observare per tuum possimus judicium in nostra peregrinatione. Constat enim nos in nostrâ esse patriâ dum nullas istorum suscipimus regulas Gallorum, sed in desertis sedentes, nulli molesti, cum nostrorum regulis manemus Seniorum, pro quibus defendendis, sive ad vos, ut dixi, Apostolicos Patres; sive ad istos nostros vicinos Fratres, nostros in Christo Patres scripsimus istas, quas hæc chartula tibi commendat epistolas, * ut * quia * dum (g) meritis satisfacere non potuimus, utpote tumultuantibus potiùs, quàm ratiocinantibus vestræ * mata punctum authoritatis postulamus, cum judicio inter justos possimus vivere cum Ecclesiasticæ pace unitatis, sicut (h) Sancti

* f. observantia.

* * * al. & quando quidem.

* l. maturæ.

Sancti *(h)* Patres, Polycarpus scilicet & Papa Anicetus sine scandalo fidei, imò cum integra charitate separantes, unusquisque quod * accipit servans, & in quo vocatus est, permanens, docuerunt. Vale dulcissime in Christo Papa, memor nostri in sanctis Orationibus juxta Sanctorum cineres, & in *(i)* piissimis sanctionibus juxta Constantinopolitanæ Synodi centum quinquaginta authores, Ecclesias Dei in barbaris gentibus constitutas, suis vivere legibus sicut edoctas à Patribus judicantes.

* leg. accepit.

ANNOTATIONES.

(a) A *Postolico Patri Papæ.* Hîc non exprimitur nomen Pontificis, cui directa fuit epistola hæc; sed ex temporum circumstantiis colligo fuisse Bonifacium quartum Sabiniani Papæ successorem. Cum enim ab obitu S. Gregorii cujus hic fit mentio, usque ad mortem S. Columbani, quæ anno primo Deusdedit Papæ contigit, duo duntaxat Romani Pontifices intercessisse legantur, Sabinianus, & Bonifacius quartus, & Sabinianus quinque solum mensibus & 19. diebus juxta Baronium ad annum Christi 604. in Pontificatu vixerit; quo permodici temporis intervallo vix bene ad Columbanum in remotissima eremo cum suis segregatum novi Pontificis fama perferri poterat, superest ut credamus hanc ab ipso epistolam ad præfatum Bonifacium Sabiniani successorem fuisse transmissam, cum inter ipsum Sanctum adhuc Luxovii commemorantem, & Gallicanos Episcopos illa de ritu celebrandi Pascha controversia verteretur, de qua antea ad Gregorium se scripsisse testatur, transmissis quos ea de re elaboraverat libris, quos nunc quoque unà cum præsenti epistola præfato Bonifacio examinandos committit, ut ex principio & fine hujus epistolæ colligitur.

Cui Pontifici præsentem scripserit epistolã Columbanus

(b) *Consolare cupiens.* Usurpatur quippe & in activa significatione hoc verbum apud Var. in Oedipe Thyestæ, & Ciceron. 3. Tuscul.

(c) *Non tam thetis visibilis.* (Non tuthis, ut corruptè MS.) *quam invisibilis dorso &c. nobis opposito &c.* Per *thetim visibilem* intelligit manifestas gentium seditiones & Principum bella: Per *invisibilem* occulta dæmonum cum homine prœlia, asserens illud mare non esse sibi tam intransmeabile, quàm hoc invisibile, in quo procellarum ac tempestatum excitator regnat sathanas, qui etiam semel atque iterum impedivit portitores litterarum Sancti Viri ad Gregorium. Cum quibus etiam transmiserat compositum à se de Paschæ controversia tractatum, de quo etiam meminit inferius in epistola ad Gallicanos.

(d) *A nostrâ transmittuntur vilitate, non tam superba &c.* Intricatus hic passus, longè obscurissimus est propter inspersas librariorum incuriâ mendas. Ego arbitror sequentia verba parenthesi claudenda, *Diabolica præsumptione quam nostræ regionis ritus observat,* non *observantiæ.* Quæ verba velut ab aliis contra se dicta commemorat, & juxta hanc dispositionem periodi sensus videtur talis. Hæc tibi à nostra diriguntur vilitate, non tam superbâ, ut illa verba (diabolica præsumptione &c.) in me meosque concives ab adversariis prolata inclamitant. Quæ verba facilè calcarent & confutarent *Libri nostræ Provinciæ,* videlicet Hiberniæ, *dum non eosdem terminos scandunt,* vel principia calculandi sequuntur, quę *istorum liber Gallorum* nobis adversantium, qui apud nostros magistros nullam obtinuit authoritatem vel fidem, sicut ante B. Papæ Gregorio *indicare pro viribus studuimus,* adhibita videlicet quorumdam articulorum illius libri Gallorum improbatione, & refutatione, quam nunc ad Bonifacium ait se nolle mittere, ut ipsi judicium in causa totum relinquat, sicut decet, & fastidium tollat.

(e) *Fundimus.* Hoc verbum valdè distat à nomine cum quo construi debet, nempe *preces* in periodi principio posito; unde sic construe: *Preces tantum ad te fundimus per JESUM Christum &c.* quò tollatur intricatio.

(f) *Si non contra fidem est.* Ex hoc loco ostendit Vir Sanctus se paratum fuisse in omnibus, illam quæstionem de Paschate spectantibus, Sedis Apostolicæ determinationi stare, quamprimùm ipsi constaret de ea; proinde ipsum tam tenaciter traditioni patriæ ideò adhæsisse, quòd

se, quòd non crederet oppositum eo rigore à Sede Apostolica impositum, quòd non vellet ex causa, contrarii ritus observantiam in aliquibus partibus tolerare; nec compertum haberet, receptam à Gallis traditionem veriorem esse quàm suam. Neque etiam videret ritum illum, quem impugnabat celebrandi Pascha, apud omnes Provincias usu receptum. Quæ omnia si credidisset, minimè restitisset veritatis cultor eximius, & Pontificiæ authoritatis zelantissimus observator.

(g) *Ut quia dum meritis &c.* Sequens clausula nonnihil videtur obscura, quæ clarior fiet si legamus *&* pro *ut* in hunc sensum. Et quia per nos satisfacere non potuimus, vestræ maturæ (non *mata*, vel *mota* ut habet mendosus Codex) punctum authoritatis postulamus, ut cum judicio vestro, inter justos cum pace vivere possimus &c. Vel (quod magis credo verisimile) legendum pro ut quia dum *& quandoquidem.*

(h) *Sicuti Sancti Patres Polycarpus & Anicetus.* Ad hoc intelligendum notandum ex Eusebio lib 4. cap. 14. citato à Baronio ad annum Christi 167. Polycarpum Romam propter dissidia quędam de hoc ipso negotio Paschatis oborta componenda venisse, & de eo & aliis controversiis egisse cum Aniceto Papa, qui magnâ ipsum veneratione & honore excepit, quòd cum Apostolis versatus fuisset; indeque magnam sibi existimationem consecutus fuisset. Cæterùm quid inter hos Sanctos tunc Romæ de hujusmodi controversiis transactum sit, idem Eusebius lib. 5. cap. 24. refert ex Irenæo in hæc verba: *Cum B. Polycarpus, Aniceto Episcopatum administrante, Romam adventaret; cumq; ille & Anicetus de aliis rebus, de quibus inter se discrepabant, pauca contulissent, confestim pax inter eos fuit conciliata, quin pro hoc festo* (nempe Paschtis) *observando, quòd controversiæ caput videbatur, charitatis vincula nequaquam ruperunt. Neque tamen Anicetus Polycarpo poterat persuadere, ut suum observandi morem deponeret: Neque contra Polycarpus Aniceto persuasit, ut consuetudinem Asiaticam* (quippe *qui morem Presbyterorum, qui illum erant antegressi, debere sedulò retineri assereret*) *ullo modo observaret. Quæ cum ita essent constituta, communicabant inter se mutuò, & in Ecclesia Anicetus ritus, qui in Eucharistia agi solent, Polycarpo, ob reverentiam videlicet, quam erga illum habebat, obeundi potestatem concessit, atque tandem cum pace alter discessit ab altero, & omnes Ecclesiæ, tum eorum, quæ decimaquarta die festum Paschatis observabant, tum eorum qui secùs, placidâ pace & tranquillâ inter se fruebatur. Asiatici autem Pascha festum decimaquarta luna celebrabant, quocumque ea die incidisset.* De qua re alibi fusius. Atque hac horum Sanctorum pacificâ compositione conatur Columbanus Bonifacium inducere, ut sibi juxta traditionem à majoribus acceptam ambulare permittat; sicut Anicetus pacis gratiâ, in eâdem causâ concessit Polycarpo, prȩter quem alios complures, in Asia maximè, Judaizantes Christianos jam tum sustinebat Ecclesia, ne in primis statim initiis cum violentiâ Judaicas traditiones, veluti insufficientes, supprimere videretur. Quamquam jam olim Pascha die Dominico celebrandum, & similia exclusis Judaicis ritibus Apostoli statuissent, saltem Romæ.

Quid Romæ inter Anicetum & Polycarpum de Festo Paschatis sit transactum.

(i) *In piissimis sanctionibus iuxta Constantinopolitanæ Synodi centum quinquaginta authores.* Hoc est illud Oecumenicum & universale Concilium, quod anno Domini 381. Eucherio & Syagrio consulibus, authoritate Damasi Papæ, & Theodosii Junioris favore, congregatum fuit ad Macedonianam hæresim condemnandam, fideique Nicenæ Symbolum confirmandum; quorum utrumque ibi prȩstitum fuit. Confirmatum à Damaso hoc Concilium tradit Photius lib. de 7 Synod. Sed hoc solum intelligi debet (Sancto Gregorio id attestante) de iis duntaxat, quæ Macedonianam & Eunomianam hæresim, & fidei Nicenæ confirmationem spectant: alioquin reliqua hujus Synodi Acta Romana Ecclesia minimè recepit, ut palam his verbis idem Gregorius testatur epist. 125. *Canones quidem Constantinopolitani Concilii Eudoxianos damnant, sed qui fuerit eorum author Eudoxius, minimè dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem canones, vel gesta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit. In hoc autem eandem Synodum accepit, quòd est per eam contra Macedonium definitum. Reliquas verò hæreses, quæ illic numeratæ sunt, ab aliis iam Patribus* (supple Nicæni Concilii) *damnatas reprobat.* Hæc ille.

Quænam Concilii Constantinopolitani acta ab Ecclesiâ Romanâ recepta, quæ non

ille. Extat hoc Concilium juxta diversas translationes tom. 1. Concil. p. 510. de cujus authoritate seu firmitate plura legi possunt apud Baronium ad annum Christi 381.

Cæterùm Sanctio, seu Decretum illud hujus Concilii hic à Columbano allegatum refertur ibid. cap. 2. in hæc verba: *Ecclesias autem Dei in barbaricis nationibus constitutas administrari oportet secundum eam, quæ obtinuit, & in usu habetur, consuetudinem Patrum.* Juxta quod decretum permitti sibi rogabat Columbanus in accepta semel à Majoribus traditione persistere. Sed illud Decretum cum non sit majoris authoritatis quam ipsum Concilium (quod jam diximus ex Gregorio non esse quoad omnia ab Ecclesia receptum) fortè non ita urgebat pro causa Columbani.

Postremò quod de centum quinquaginta Patribus orthodoxis commemorat, attestantur Socrates lib. 5. c. 8. Concil. Calcedon. act. 11. & libellus Synodic. constit. qui partim inter acta Concilii Ephesini extat. Ipsorum quoque Patrum seu Episcoporum subscriptiones habentur ad calcem ipsius Concilii. Centum quinquaginta Patres Concilii Constantinopolitani.

EPISTOLA II.

AD PATRES SYNODI CUJUSDAM GALLICANÆ SUPER QUÆSTIONE PASCHÆ CONGREGATÆ.

ARGUMENTUM.

Scripsit hanc Epistolam elegantem sanè & eruditam S. Columbanus ad Patres cujusdam Concilii in Gallia (ut ex progressu colligitur) super controversia de Paschate congregati. Cujus Concilii acta videntur excidisse, quòd nulla ejusmodi apud Scriptores Synodi mentio reperiatur. Gratulatur autem primùm suâ causâ collectos in unum tot Sanctos; quos hortatur, ut non de Paschate tantùm, sed & de aliis etiam Ecclesiæ ritibus discernendis & probandis consilium capiant. Deinde ut pro fidelis Christi discipuli & boni Pastoris officio (quod eleganter ipse describit) noxiam traditionum varietatem tollant, verioremq; de Paschate diligenter examinent; qua in re ipse quod sentit & Ecclesiæ simul Occidentis, quarum ritum sequebatur, exponit. Quod si utraque traditio, tam Gallorum scilicet, quàm Occidentalis Ecclesiæ bona videatur, monet ut quisque retineat quod accepit. In fine demùm Epistolæ hortatur eos, ut Monachos solitariè viventes, ipsum cum suis in pace & charitate vivere sinant in eremo, ut & ipsimet sic mereantur in regnum cœlorum introire; ad cujus ingressum conditiones parvuli, quas ex Hieronymo & Basilio explicat, necessarias declarat. Postremò ipsorum se precibus commendans, ad mutuam omnes pacem & charitatem exhortatur.

(a) *Dominis Sanctis, & in Christo Patribus, vel Fratribus Episcopis, Presbyteris, cæterisque Sanctæ Ecclesiæ Ordinibus Columba peccator Salutem in Christo præmitto.*

GRATIAS ago Deo meo quod mei causâ in unum tanti congregati sunt Sancti de fidei & bonorum operum veritate tractaturi, & ut tales decet, per exercitatos sensus ad discretionem boni ac mali, de discutiendis justo judicio judicaturi. Utinam sæpius hoc ageretis: & licet (b) juxta Canones semel aut bis in anno pro tumultuosis hujus ævi dissentionibus semper sic servare vos non vacat, vel quàm celerrimè, quamvis rarius, potissimùm hoc debuit vobis inesse studium, quò negligentes quique timorem haberent, & studi-

& studiosi ad majorem provocarentur profectum. Ecce, inquam, Deo gratias, quòd vel pro me de Paschate discutiendo occasio vobis sanctæ effecta est Synodus. Dominus noster Jesus Christus, ille Princeps Pastorum præstet, ut ad suæ Ecclesiæ utilitatem vestrum proficit consilium; & ipse Deus,

Psalm. 81.

qui stare solet *in Synagoga Deorum*, præsens inspiret corda suorum, ad suam ex integro voluntatem sequendam ex virtute mandatorum; ut non de solo Paschæ negotio (quod jam diu ventilatum, ac diu variè à diversis authoribus judicatum est) tractetis; sed etiam de universis necessariis observationibus canonicis, quæ à multis (quod gravius est) corruptæ sunt: & dum dies judicii propior nunc est, quàm tunc, aliquid adhuc districtius Evangelicæ religionis & Apostolicæ traditionis consilium iniretis: si enim Evangelica mandata diligenter inquiratis, non miror quòd in eis aliquantorum moribus contraria inveniantur. Sed sufficiat significasse unumquemque ad sui Redemptoris exemplum, ac veri Pastoris formam fore informandum; qui (c) humilitatem primùm prædicans, septemque beatitudines primæ * paupertatis spiritus jungens intantùm docuit hominem sua sequi vestigia, ut ad veram octavi diei circumcisionem, justitiam sequendo perveniret; quia beatitudo (d) octava martyrio terminatur, eò quòd non solùm agendo justus, sed etiam pro justitia sustinendo martyr, regni nimirum cœlestis cupidus, aut * non (e) similiter certantibus coronatur. Dum ergo sicut

* f. paupertati.

* eum,

1. Ioan. 2.

scriptum est, *Qui dicit se in Christo credere debet & ipse ambulare, sicut & Christus ambulavit*, id est, & pauper, & humilis, & veritatem semper cum persecutione hominum prædicans. Et iterum: *Qui volunt in Christo piè vivere persecutionem patientur*. Et quia *Fides sine operibus mortua est in semetipsa*, & Dominus fatuis solâ fide contentis respondet: *Quia non novi vos*: & (f) bene credentibus, & *Domine, Domine* dicentibus promisit, quod non intrabunt in regnum cœlorum. Et dum non possunt, vel sui esse discipuli, vel digni se, qui non renunciaverint omnibus, quæ possident, unusquisque se consideret, & si hæc fixè complevit aut sustinuit, ne alienus sit à Discipulis Domini nostri Jesu Christi, quia non debet degener esse Filius, & Discipulus Magistro non debet contraria prædicare. *Qui enim non intrat per Januam in ovile ovium, ille fur est & latro.* Et qui fugit castigandi, & vitiosis resistendi laborem, mercenarius est, non filius semper in Ecclesia mansurus. Hæc idcircò breviter tetigi, ut si volueritis, nos quasi inferiores, vos Patres docere, hanc vocem veri Pastoris & in opere, & in ore habeatis, quam suæ agnoscunt oves: non *enim audiunt vocem alienorum, sed fugiunt ab eo*, cujus vocem non agnoscunt; quæ nisi (g) actualis sit, voci viri non concordat pastoris. Nec poterit sermo efficaciter penetrare animos disciplinatorum ab ore prolatus mercenarii, hoc signum habens, quòd ipse primus non audit quod ab eo non auditur. Et quod prior actibus contempsit Magister, nudo non potest tradere verbo ad conservandi exemplum. Simul ergo omnes, sive Clerici, sive Monachi illos primùm Canones veros ac singulares Domini nostri Jesu Christi similiter complectamur, & sic posteà tumore superbiæ deposito, unum in reliquis scribere Si omnes humiles simus & pauperes pro Christo voluntarii, qui *pro nobis pauper factus est cum dives esset*; postea per humilitatem de terra vitiorum, ac per voluntariam Evangelicæ admonitionis paupertatem diversis cupiditatibus depositis, curisque mortalibus detrusis, velut amputatis diversitatis ac discordiæ causis, omnes Filii Dei veram pacem & integram charitatem per morum similitudinem, & unius voluntatis æqualitatem inter se invicem habebunt. Multum namque nocuit nocetque Ecclesiasticę paci morum diversitas, & varietas traditionum; sed tamen si, ut dixi (h) venena superbiæ & invidiæ, vanæ * gloriæque per Salvatoris nostri præceptum ad exemplum dicentis: *Discite à me quia mitis sum & humilis corde* & reliqua, humilitatis veræ exercitiis curare primùm festinemus, sine ullo deinceps scandalo, omnes perfecti, odio deleto, sicut Discipuli Domini nostri Jesu Cgristi, nos invicem ex toto corde diligemus. Et si aliqua sit traditionum diversitas, sicut & de Paschate, dum non possunt humiles contendere, *neq; talem consuetudinem habet Ecclesia*; dum citò veriora cognoscent qui eodem proposito, eodemque desiderio veritatis agnoscendæ similiter quærunt

2. Timoth. 3.
Iacob. 2.
Math. 25.
Math. 7.
Ioan. 10.
Ioan. 10.
2. Cor. 8.
* in Codicè per mendã. gloria qua.
Math. 11.
1. Cor. 11.

quærunt quod rectius sequantur, quando nemo vincitur nisi error, & quando nullus in se, sed in Domino gloriatur. quæramus itaque simul quæso vos, ô amantissimi Patres ac Fratres, & videamus qualis verior sit traditio, vestra, an Fratrum vestrorum in Occidente. *(i)* Omnes enim Ecclesiæ totius Occidentis (sicut in tomo responsionis meę, quem vobis nunc misi, licet ante triennium scriptum, indicavi) non respiciunt fieri debere Resurrectionem ante Passionem, id est, ante æquinoctium Pascha; & vigesimam lunam non excedunt, ne sine authoritate veteris Testamenti sacramentum novi Testamenti agant. Sed hæc aliàs, alioquin quid quidem illi sentiunt de Pascha * sive Papę per tres tomos *(k)* innotui, & adhuc Sancto Fratri vestro *(l)* Arigio brevi libello hoc idem scribere præsumpsi. Unum itaque deposco à vestra Sanctitate, ut cum pace & charitate meam comportetis insipientiam, ac superbam, ut ajunt quidam, scribendi præsumptionem, quam necessitas extorsit, non vanitas, ut ipsa probat vilitas; & quia hujus diversitatis author non sim, ac pro Christo Salvatore communi Domino, ac Deo nostro in has terras peregrinus processerim, deprecor vos per communem Dominum, & per eum, qui judicaturus est vivos ac mortuos adjuro, si mereamini ab eo agnosci, qui multis dicet: *Amen dico vobis, quia nunquam novi vos*, ut mihi liceat cum vestra pace & charitate in his *(m)* silvis silere & vivere juxta ossa nostrorum Fratrum decem & septem defunctorum, sicut usque nunc licuit nobis inter vos vixisse duodecim annis, ut pro vobis, sicut usque nunc fecimus, oremus ut debemus. *(n)* Capiat nos simul, oro, Gallia, quos capiet regnum cœlorum, si boni simus meriti. Unum enim regnum habemus promissum, & unam spem vocationis in Christo, cum quo conregnabimus, si tamen prius hîc cum eo patiamur, ut & simul cum eo glorificemur. Ego scio quòd multis superflua videbitur hæc mea loquacitas; sed melius judicavi, ut & vos sciretis quæ & nos hic tractamus & cogitamus inter nos; hi sunt enim nostri canones, Dominica & Apostolica mandata; in his fides nostra est: hæc arma, *(o)* scutum & gladium; hæc apologia: hæc nos moverunt de patria: hæc & hîc servare contendimus, licet tepidè; in his usque ad mortem perseverare, & oramus, & optamus, sicut & Seniores nostros facere conspeximus. Vos verò Patres Sancti videte quid faciatis ad istos veteranos pauperes & peregrinos Senes: ut ego arbitror, melius vobis erit illos confortare, quàm conturbare. Ego autem ad vos ire non ausus sum, ne forte contenderem præsens contra Apostoli dictum dicentis: *Noli verbis contendere*, & iterum: *Si quis contentiosus est, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.* Sed confiteor conscientiæ meæ secreta, quòd plus credo traditioni patriæ meæ *(p)* juxta Do..... & calculum LXXXIV. annorum, & *(q)* Anatolium ab Eusebio Ecclesiasticæ historiæ authore Episcopo, & Sancto catalogi scriptore Hieronymo laudatum, Pascha celebrare, quàm *(r)* juxta Victorium nuper dubiè scribentem, & ubi necesse erat, nihil definientem, ut ipse in suo testatus est prologo: qui post tempora D. Martini, & D. Hieronymi, & Papæ Damasi, post centum & tres annos sub Hilaro scripsit. Vos vero eligite ipsi quem sequi malletis, & cui melius credatis juxta illud Apostoli: *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Absit ut ego contra vos contendam congrediendum, ut gaudeant inimici nostri de nostra Christianorum contentione, Judæi scilicet, aut hæretici sive pagani gentiles. Absit sanè, absit; *(s)* alioquin aliter * nos potest convenire, ut aut unusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat apud Dominum, si utraque bona est traditio: aut cum pace & humilitate sine ulla contentione libri legantur utrique; & quæ plus veteri & novo Testamento concordant sine ullius invidiâ serventur. Nam si ex Deo est, ut me hinc de loco deserti, quem pro Domino meo JESU Christo de transmare expetivi propellatis, meum erit illud propheticum dicere: *Si propter me hæc tempestas est super vos, tollite me, & mittite me in mare, ut commotio hæc quiescat à vobis.* Vestrum tamen prius sit more illorum nautarum naufragum conari eripere visceribus pietatis, & ad terram navem trahere, sicut illi, licet Etnici, fecerunt Scripturâ narrante: *Et conabantur viri redire*, inquit, *ad terram, & non poterant quia mare ibat, & exurgebat magis fluctus.* Postremò in calce dicti, licet præsumptuosè suggero, ut quia in via

Marginalia: * f. Sancto. — 2. Timot. 4. — Math. 7. — 2. Timot. 2. — 2. Ad Timoth. 2. — 1. Cor. 11. — 2. Thess. 5. — * l. inter. — Ionæ. 1. — Ibid.

in via hujus sæculi spatiosâ & latâ multi ambulantes currunt ad * computa arcta, si aliqui pauci inveniuntur, qui per angustam portam & arctam, quę ducit ad vitam, juxta præceptum Domini gradiantur, potius à vobis ad vitam transmittantur, quàm prohibeantur; ne forte & vos cum Pharisæis sermo Domini sugillet dicentis: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, quia clauditis regnum cœlorum ante homines, & nec vos intratis, nec sinitis introeuntes intrare.* Sed dicet aliquis: Nunquid nos non intramus in regnum cœlorum? Quare non potestis juxta gratiam Domini, si (t) efficiamini sicut parvuli, humiles scilicet & casti; simplices & innocentes in malo, prudentes tamen in bono, placabiles & iram in corde non tenentes. Sed complere hæc omnia mulieres sæpe videntes, & circa mundi facultates sępius rixantes & irascentes difficillimè possunt. Idcircò nostri semel mundo renunciantes, & causas vitiorum, ac fomites jurgiorum imprimis amputantes, faciliùs nudos, quàm divites sermonem Domini posse complere arbitrantur. Ante istas etenim quatuor res regnum cœlorum non intratur, sicut sanctus Hieronymus trium testis est & quarti Basilius, qui juxta Evangelici vim dicti mores exponunt infantium. Infans enim humilis est, non læsus meminit, non mulierem videns concupiscit; non aliud ore, aliud corde habet. Quæ, sicut dixi, meliùs servabit vacans, & videns quod Deus ipse sit Dominus, quam diversa videns & audiens. (v) Nullus detrahat silentii bonis; nisi (w) enim tepescant, secreti melius vivunt, quàm publici, exceptâ austeriore adhuc vitâ, quæ (x) majorem licet mercedem. Ubi enim durior pugna, ibi gloriosior invenitur corona. Ipsi ergo non credunt bonis secretis (ut Sanctus ait Gregorius) qui publica mala non devitant. Inde Sanctus Hieronymus hæc sciens jussit Episcopos imitari Apostolos; Monachos verò docuit sequi Patres perfectos. Alia enim sunt & alia Clericorum & Monachorum documenta, & longè ab invicem separata. Unusquisque quod arripuit, servet, sed (z) toti Evangelium & utrique, ac si unius corporis membra unâ consonantiâ Christum omnium caput sequantur per sua propria mandata, quæ sunt ab eo ostensa in pace & charitate perfecta esse. Quæ duo perfici perfectè non possunt, nisi à veris humilibus, & ab unanimiter spiritualibus Christi mandata complentibus, Domino ipso testante: *Si diligitis me mandata mea servate.* * *Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem, sicut & ego dilexi vos.* * *In hoc enim scient omnes quia mei discipuli estis, si vos invicem diligatis.* Tunc ergo potest certa esse unio animorum, & pax & charitas per Spiritum Sanctum diffusa visceribus credentium, quando similiter mandata Divina complere omnes desiderant; nam (aa) quanta sit dissimilitudinis in actualibus studiis mensura, tanta erit pacis & charitatis inter imperfectos fictura. Ut ergo in charitate non ficta nos invicem amemus, Domini nostri JESU Christi præcepta diligenter consideremus, & intellecta complere festinemus, ut per suam doctrinam uno impetu fervoris nimii tota ad cœlestia festinet Ecclesia. Præstet hoc nobis suâ gratuitâ gratiâ, ut omnes mundum * horremus, & illum solum amemus, illumque cum Patre & Spiritu Sancto desideremus, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen. De cætero Patres orate pro nobis, sicut & nos facimus, viles licet, pro nobis; & nolite nos à vobis alienos reputare; unius enim sumus corporis cummembra, sive Galli, sive Britanni, sive (bb) Iberi, sive quæque gentes. Ideò gaudeamus omnes gentes in cognitione fidei, & agnitione Filii Dei; & festinemus omnes *occurrere in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis JESU Christi*; in quo nos invicem amemus, invicem laudemus, invicem emendemus, invicem visitemus, invicem oremus, ut cum eo regnemus invicem, & exultemus. Date quæso veniam meæ loquacitati ac procacitati supra vires laboranti patientissimi atque Sanctissimi Patres quique & Fratres.

Marginalia: * rectiùs compita. Math. 7. — Math. 23. — Math. 18. — Psalm. 45. — Ioan. 14. — * Ioan. 15. — * Ioan. 13. — * al. horreamus. — Ephes. 4.

ANNOTATIONES.

(a) **D**ominis Sanctis, & in Christo Patribus. Familiare erat priscis Ecclesię Sanctis, hujusmodi inscriptionis universalis epistolas exarare, non tantum ad particulares congregationes & concilia, ut hic fecit Columbanus (qui Patribus duntaxat concilii Gallicani, quod tunc agebatur, hanc cum affixâ universali illâ inscriptione direxit

Marginalia: Mos antiquorum universales inscriptiones exarandi.

direxit epistolam) verùm etiam ad omnes generaliter Christi fideles transmittere. Cujus rei exemplum videre licet in quædam epistola Pannutii Abbatis, quæ in quodam M S. Codice Bibliot. nostræ Aracœlitanæ inter alias ejusdem epistolas asservatur, quæ hanc præfert inscriptionem. *Pannutius humilis servus vestræ sanctitatis omnibus Dei famulis, atque universis Fidelibus in fide Christi constitutis, salutem, &c.* Vide plura hujus rei exempla in epistolis S. Bonifacii Angli, & in epistola prima S. Patris nostri Francisci apud R. P. Lucam Wadingum tom. 1. opuscul. S. Francisci ubi plura huc spectantia.

Antiquitus sæpius in anno concilia cogi solita.

(b) *Juxta Canones semel aut bis in anno.* Hæc consuetudo statuta primùm in Canonibus Apostolorum, inter quos canon. 38. extat talis: *Bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur, ut inter se invicem dogmata pietatis explorent, & emergentes Ecclesiasticas contentiones amoveant: semel quidem quartâ septimanâ Pentecostes; secundò verò 12. die mensis Hyperberetæi,* hoc est, Novembris. Huc spectant illa Anacleti verba in epist. 1. *Ubi fuerit summorum* (supple Episcoporum) *congregatio, quæ per singulos annos fieri solet ac debet.* Illa enim Antiochenæ Synodi can. 20. *Rectè habet quòd in singulis Provinciis bis quolibet anno concilia habeant.* Idem & iisdem penè verbis habet Concilium Nicænum can. 5.

Quid per primam beatitudinem intelligatur.

(c) *Qui humilitatem primùm prædicans.* Hîc per primam beatitudinem Math. 5. illis verbis expressam: *Beati pauperes spiritu &c.* intelligit humilitatem: quo sensu eundem locum plerique Sanctorum Patrum interpretati sunt. Chrysost. homil. in Math. 15. Author imperfect. hom. 9. Ambros. l. 5. in Luc. August. lib. 1. de serm. Domini. in monte. Gregorius Nissen. l. de beatitud. Epiphan. hæres. 66. Leo hom. de omnibus Sanct. S. Greg. l. 36. in Job. c. 20. Alii verò *pauperes spiritu* intelligunt eos qui, sive divitiæ affluant; sive non, cor iis non apponunt; sed affigunt illud ubi servatur thesaurus illorum cœlestis: quem etiam intellectum frequenter insinuat Augustinus. Vide Maldonatum & alios Expositores in 5. Math. Psalm. 61.

(d) *Beatitudo octava martyrio terminatur.* Octava siquidem dicitur, qua quis persecutionem patitur propter justitiam; quod tunc demum perfectissimè completur, quando vita pro Domino martyrium sustinendo funditur, juxta illud: *Maiorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Porrò martyrium est quod hîc per mysticam octavi diei circumcisionem intelligit. Octava beatitudo. Ioan. 15.

(e) *Aut non similiter certantibus coronatur.* Ni fallor, hic legendum: *Et cum,* pro *aut non.* Ut sensus sit: *Non solum agendo iustus, sed etiam pro iustitia sustinendo martyr & cum similiter certantibus coronatur.* Quę constructio clarum reddit hujus sententiæ intellectum, quem prorsus invertit illud *non* mendosè insertum; nisi fortè sic malit quis construere, intermedia sub parenthesi concludendo: Non solum agendo justus, sed etiam pro justitia sustinendo martyr, aut pro non similiter certantibus, supple, sustinendo coronatur, ita quod illud *Pro* utrumque ablativum regat.

(f) *Benè credentibus, & Domine, Domine, dicentibus promisit.* Quanquam in his fides omninò mortua sit; quia informis, hoc est, charitate & fructu bonorum operum vacua, quibus fides credentium perficitur & vivificatur. Dicuntur tamen hoc sensu benè credere, quod adhuc remaneat in eis fides quoad substantiam, hoc est, habitus supernaturalis inclinans ad assentiendum firmiter credibilibus revelatis. Quam fidem esse veram, & in peccatore sine charitate posse remanere satis patet ex locis hic à Columbano citatis, & definitur in Concilio Trident. contra Lutherum sess. 6. cap. 15. & 16. can. 28. his verbis: *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti aut fidem quæ remanet, non esse veram fidem licet non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* Cui veritati subscribunt omnes antiqui Patres Cyrill. l. 9. in Joan. c. 43. Chrysost. hom. 54. in Math. Aug. tr. 6. in Joan. Hier. l. 2. contra Jovin. & reliqui passim, quos copiosè citant Scholastici in 3. dist. 23. cum Magistro, vel in 2. 2. cum D. Thoma.

(g) *Quæ nisi actualis sit.* Hoc est, nisi vox seu doctrina prædicatoris, actibus quoque ac vitæ confirmetur exemplo, voci

voci non concordat veri Pastoris; quia, ut eleganter mox subjungitur, *quod prior actibus contempsit magister, nudo non potest tradere verbo ad conservandi exemplum.* Quo spectat illud Augustini in Psal. 63. dicentis quod *parum erat Dominum hortari martyres verbo, nisi firmaret exemplo.* In quam rem etiam præclara habet S. Gregorius 2. part. Pastoral. c. 3. ex quibus hæc pauca: *Qui loci sui necessitate exigitur summa dicere hac eadem necessitate compellitur summa monstrare; Illa vox namque libentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat; quia dum quod loquendo imperat, ostendendo adiuvat ut fiat.*

(h) *Si venena superbiæ humilitatis veræ exercitiis curare primùm festinemus, sine ullo deinceps scandalo &c. nos invicem diligemus.* Hujus periodi satis intricatæ videtur hæc esse sententia, & constructio. Si verè humiles fuerimus & mansueti, nos invicem perfecta charitate complectemur, licet aliqua interim traditionum diversitas intercedat: Diligemus inquam; *Dum non possunt,* hoc est, quandoquidem nequeunt humiles contendere, quo fraterna charitas lædi posset; Nec talem consuetudinem habet Ecclesia. Quandoquidem etiam citius veritatem agnoscent, qui eodem desiderio illam quærunt. Cum denique *nullus vincitur, nisi error; & quando nullus in se, sed in Domino gloriatur.*

De variis circa Festi Paschalis observantiam antiquorum, maximè Hibernorum, ritibus eorumque ratione.

(i) OMNES *Ecclesiæ totius Occidentis non respiciunt fieri debere ante æquinoctium Pascha, & lunam vigesimam nō excedunt.* Quia hæc & alia ejusdem argumenti tam in hac, quàm in aliis hujus Sancti Viri epistolis contenta, propter ipsius rei obscuritatem, paucis explicari non possunt, dignabitur studiosus Lector, quam ad ea declaranda prolixiorem solito digressionem instituimus, benigniùs ferre, & sermonis prolixitatem ex materiæ difficultate metiri; in qua declarandâ primò Veteris Legis, deinde Evangelicæ in celebratione Paschæ ritum exponam. Posteà exortos contra Romanum morem errores, maximè nostrorum attingam; ac deinde an his retinendis Columbanus vel alii ejusdem cum ipso observantiæ aliquam scismaticæ dissentionis vel gravioris censuræ notam incurrerit. Atque ut à primò incipiamus, sciendum hoc potissimùm in Lege Veteri circa debitum celebrandi Paschatis tempus fuisse statutum, nimirum, ut primo anni mense, idque in tertia ejusdem mensis hebdomada, hoc est, à luna XIV. ad vesperam, usque ad lunam XXI. continuis septem diebus Paschalis festi solemnitas ageretur. Ita enim habetur Levit. 23. *Mense primo, quartadecimâ die mensis ad vesperam Phase Domini: & quintadecimâ die mensis huius solemnitas Azimorum Domini est. Septem diebus azima comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus,* seu ut Exodi 12. *Dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies septima eâdem festivitate venerabilis.* Circa quæ observandum 14. diem, de qua ibi fit mentio, non esse computandam inter illos septem, qui Paschali solemnitati assignantur; sed quia adveniente jam vesperâ incipiebat luna 15. à qua tertia septimana sumebat initium, qua nocte percussis Ægyptiis Israël est à longa servitute redemptus, & proinde Phase Domini est, in quo Agnus immolari debebat, ut in Exodo legitur. Unde quod dicitur suprà, *dies primus erit vobis celeberrimus,* referendum est ad diem 15. ut patet ex verbis immediatè sequentibus; *Decimaquinta die mensis huius solemnitas azimorum Domini est;* & ulterius infertur ex eo, quod ibi mox subditur: *Septem diebus azima comedetis,* nam si 14. dies adnumeretur, jam non septem, sed octo dies invenientur. Quod manifestius adhuc ex his verbis in Exodo c. 12. confirmatur: *Primo mense quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azima usque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris;* ubi clarum est, diem XIV. ita computari, quòd ad ejus vesperam nox XV. diei, qui est primus solemnis, oriatur, & non quòd ipse dies XIV. cum reliquis usque ad XXI. debeat accenseri, qui, eo connumerato, octo dierum computum plene conficiunt. His accedit, quòd primus & solemnis ille dies azimorum agebatur in anniversario

Ratio festi Paschalis juxta Veteris Legis præscripta.

Explicatur.

anniversario illius diei, quo eductus est Israël de Ægypto, ut patet ex Sacro textu; sed xv. die sunt educti ex Ægypto, sicut in libro Num. c. 33. v. 3. apertissimè scribitur: *Profecti igitur de Ramesse mense primo, quintadecimâ die mẽsis primi, alterâ die Phase, filii Israel in manu excelsâ, videntibus cunctis Ægyptiis* &c. Ergo non à xiv. sicut multi in hoc errantes dixerunt, sed à xv. inclusivè, computari debet solemnitas azimorum. Tempus itaque præfixum in lege Moysaica solemnitati Paschali, erat tota tertia septimana primi mensis, computanda semper à die xv. inclusive, usque ad xxi. completum, totis septem diebus & totidem noctibus sacræ festivitati consecratis. Quam temporis rationem suo Christus exemplo confirmavit, qui à vespera lunæ xiv. incidentis tunc in feriam quintam, Paschalis festi solemnitatem incipiens, in ipsa xv. velut primo die azimorum, suam sacratissimam pro mundi redemptione passionem, in exitu illo populi quondam liberati de Ægypto, qui xv. die contigit, prẹsignatam exhibuit, ut disertè testatur Mathæus, c. 26. Marcus c. 14. & Lucas 12. cum quibus etiam concordat Joannes, ut latè ac doctè demonstrat Baronius ad an. 34. n. 24. & seqq. contra quorumdam Græculorum deliria impiè asserentium Joannem in assignando Paschatis à Christo celebrati tẽpore reliquos tres Evangelistas lapsos correxisse. Ubi & illorum pariter Grẹcorum errorem convellit, qui putabant ex illis verbis Joannis *Ante diem festum Pascha,* Christum luna 13. ad vesperam Pascha cum Discipulis celebrasse; cujus sententiæ extitit Epiphanius hæres. 51. & Euthymius cap. 16. in Math. & alii hos secuti.

Tempus ejus signatur.

At verò postquam Agnus immaculatus pro salute omnium in cruce immolatus diem Dominicum suâ sacratissimâ Resurrectione consecravit, in memoriam tantæ solemnitatis Apostolica tradito per B. Petrum Romæ primùm prædicata, & per Marcum Evangelistam ejus interpretem Alexandriæ posteà confirmata, decrevit, ita primum mensem, lunamque ejus xiv. ad vesperam juxta præscripta Legis in celebratione Paschatis expectari debere, ut tamen festum ipsum Paschale semper in Dominica die, quæ apud antiquos *una,* vel *prima Sabbathi* dicebatur, solemniter ageretur. Et quia dies septimanæ non eodem cum luna tramite procurrit, insuper ordinavit, ut adveniente xiv. die mensis primi ad vesperam, expectaretur Dominica proximè occurrens in aliquo sequentium dierum usque ad 21. in qua Dominicẹ Resurrectionis Pascha deberet celebrari; quo fit, ut Paschatis nostri solemnitas vel totam tertiam hebdomadam primi mensis, hoc est, septem legalium azimorum dies, vel partem ejus, quando nimirum non in xv. luna, sed in aliqua sequentium occurrit Dominica, comprehendat. Ex quo sequitur, quòd si semper in ipsam xv. lunam primi mensis Dominica posset incidere, idem esset Evangelici & legalis Paschatis tempus.

Pascha semper die Dominica celebrandum. S. Victor Papa epist. ad Dionysium Viennẽsem Episcopum.

Porrò non ante vernale æquinoctium, hoc est, xii. Kalend, Aprilis celebrari debere festum Dominicæ resurrectionis nos docet canonum Apostolorum canon octavus: *Si quis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus Sanctum Pascha diem ante vernale æquinoctium cum Judæis celebraverit, abiiciatur.* Qua de re plura Ceolfridus apud Bedam lib. 5. c. 22. qui & rationem cur incipiendum sit à plenilunio sequente æquinoctium doctè pariter & eleganter assignat.

In celebratione Paschatis expectandum æquinoctium vernale.

Cæterùm horum omnium rationabilem in Ecclesia probat observantiam Constantinus Imperator in epistola ad omnes Ecclesias, primò, quià non decet Christianos communicare cum Judæis, Christi interfectoribus. Deinde, quia à primis illis Apostolorum temporibus, omnes Christi fideles, quà latè per orbem diffusi, ritu conformi Pascha die Dominico, tanquam specialiter à Domino huic solemnitati suâ Resurrectione consecrato, celebrabant, exceptis paucis Orientalibus, de quibus infrà, Judæos sequentibus; quorum paucitatem æquum erat, toti reliquæ multitudini conformari. Tertiò denique quia vicissitudine prorsus absurdâ, non observantibus vernale æquinoctium bis interdum, eodem anno Pascha recurrebat, & aliquando nec semel quidem. Nam celebrabant quandoque festum post æquinoctium, & sequenti post anno ante æquinoctium, ac proinde bis eodem anno; luna siquidem prẹcedens æquinoctium ad prẹcedentis anni pertinet complementum, sicut illud subsequens ad sequentis exordium. Et eadem ratione ante æquinoctium celebrata solem-

ta solemnitas, denuò celebranda redibat post æquinoctium anni sequentis; atque adeò annus interlabens sine Paschali celebritate transibat.

Ad quorum omnium pleniorem intelligentiam sciendum, quòd principium anni Judæorum, quos in hoc Ecclesia Catholica imitatur, sit semper quando sunt virentes spicæ, & quasi maturæ, quæ offerri possunt in manipulum; unde & *mensis novorum*, seu *novarum frugum* appellatur Deut. 16. quo tempore egressi sunt Filii Israel de Ægypto; hoc autem principium debet semper contingere circa æquinoctium vernale, quod in Martio solet in aliquibus regionibus, & signanter Ægypto quotannis evenire quo tempore in eis fruges incipiunt maturescere. Quia verò ipsi non computant annum per menses solares, sed lunares tantùm, & luna non adæquat solem in motu; nam annus lunaris communis, quo utuntur Judæi exceditur à solari XI. diebus; & propter talem recessum lunæ variatur singulis annis principium lunaris anni; ad quod in tanta mutatione stabiliter inveniendum, adinvenerunt Judæi artem Embolismorum per quam faciunt quosdam annos duodecim lunationum, quos vocant communes, & alios tredecim lunationum, qui dicuntur Embolismales, seu superexcrescentes, quia additur in eis unus mensis ad annos communes. Secundum hanc artem nunquam ponuntur tres anni communes simul, sed duo tantum, & post eos tertius Embolismalis, & aliquando post unum communem sequitur unus Embolismalis, & aliquando etiam (quod rarò contingit) ponuntur duo Embolismales simul. Quæ omnia clarè apparent in cyclo Paschali XCV. annorum, in quo ostenditur, quando debeat esse annus communis, & quando Embolismalis, quem cyclum observant Judæi ut possint habere principia annorum suorum fixa, & nos, ut inveniamus tempus congruum festo Paschali.

[Margin: Principium anni apud Judæos.]

[Margin: Anni communes & Embolismales.]

Cæterùm sive annus sit communis, sive Embolismalis, principium primi mensis Judæorum juxta communem regulam, licet aliquando fallat (ut demonstrat Tostatus in cap. 23. Levit. q. 19.) desumi debet à lunatione magis conjuncta æquinoctio verno, quod secundum Ægyptios cæteris in hoc peritiores, contingere solet XI. Kal. Aprilis, & XIV. luna sequens æquinoctium, ab illa prima, quæ mensi dat initium, computata, censetur XIV. luna primi mensis, & principium tertiæ hebdomadæ in qua Phase Domini observari mandatum erat, & XV. luna solemnitas azimorum, & hoc fixè.

[Margin: Principium primi mensis unde sumendum.]

Porrò terminos in ætate lunæ quærendâ servādos explicat V. Beda de rat. cycl. fin. & de rat. temp. c. 49. docens initium primi mensis novorum ab octava Idus Martii, hoc est, ab octavo Martii usque ad Nonas Aprilis seu quintum diem Aprilis; lunam verò decimamquartā Paschæ à XII. Kal. April. usq; ad XIV. Kal. Maii, hoc est, XVIII. Aprilis. Porrò diem Paschæ Dominicum ab XI. Kal. Aprilis, seu XXII. Martii, usq; ad VII. Kal. Maii, id est, XXV. Aprilis, & hoc in luna XV. esse quærendum. Ex quibus apparet, quòd initium primi mensis semper incidat, vel in Martium, vel in principium Aprilis, & luna XIV. Paschalis cum Dominica Paschæ, vel in finem Martii, vel in Aprilem, ordine exposito.

[Margin: Termini in ætate lunæ tenendi.]

Explicata ergo veteris simul & novæ Legis in observantia Paschali consuetudine nunc breviter recensendi sunt præcipui (quantum ad nostrum spectat propositum) circa hoc errores post Apostolorum tempora suborti.

[Margin: Tertull. lib. de præscrip. contra hæres. Epiphan. hæres. 50. Castro l. 11.]

Inter hos, ut alios brevitatis gratiâ prætermittam, perniciosissimus ille fuit, quem invexit Blastus quidam Romanus Presbyter *qui latenter Judaismum volens introducere*, teste Tertulliano l. de Præscript. cap. 46. *Pascha non aliter custodiendum esse, nisi secundum Legem Moysi, luna decima quarta mensis*, sive ea Dominica esset, sive non pertinaciter contendebat, ortus autem hic error tempore Aniceti Papæ, multos Orientales infecit, qui à luna XIV. *Tessarescæ decatitæ*, hoc est, *quartadecimani*, sunt dicti, & perduravit usque ad tempora Victoris Papæ hujus nominis primi, qui Orientales Romanæ consuetudini contrarios excommunicavit, aut certè excommunicasset, nisi suâ id S. Irenæus epistolâ impediisset, quam refert Eusebius lib. 5. c. 14. uti & aliam Synodicam epistolam Polycratis Episcopi Ephesini, Asiæ Primatis qui asserebat omnes suos prædecessores (inter quos & Polycarpus numeratur, qui hac de re cum Aniceto Romæ tractabat, ut notavi superius) usque ad Joannem Evangelistam, semper XIV. luna Pascha celebrare consuevisse.

[Margin: Hæresis & origo Quartadecimanorum.]

[Margin: A variis Conciliis damnata.]

consuevisse. Sub hoc Pontifice plurimis in locis coacta Concilia communi consensu decreverunt Pascha celebrandum juxta relatam superius Apostolicam traditionem; quod post Victorem, renascente denuò eodem errore, edito super hoc novo decreto (quod videri potest in 2. lib. Hist. tripart. c. 12. Concilium Nicænum confirmavit, ut testatur Epiphanius citatus. Vide Castro l. 12. fol. 233. & Bellarminum de Sanct. lib. 3. cap. 12. qui plures refert circa hoc errores, quos non est hujus loci discutere.

Ab Oriente porrò ad Occidentem transivisse hanc hæresim, & aliquos in Hibernia circa Honorii Papæ tempora infecisse, quispiam fortasse colliget ex epistola Joannis Papæ missâ ad Hibernos post Honorium & relatâ apud Bedam l. 2. c. 19. Cujus hoc principium: *Dilectissimis & Sanctissimis Thomiano, Columbano, Cronano, Dimano, & Bathano Episcopis; Cronano, Hermanóque, Laustrano,* (rectius *Lasreano*) *Stellano, & Segiano Presbyteris; Sarano, cæterisque Doctoribus, seu Abbatibus Scotis, Hilarius Archipresbyter, & servans locum Sanctæ Sedis Apostolicæ, & Joannes Diaconus & in Dei nomine electus. Item Joannes Primicerius & servans locum S. Sedis Apostolicæ, & Joannes servus Dei, Consiliarius ejusdem Sedis.* Et infra: *Reperimus quosdam Provinciæ vestræ contra orthodoxam fidem, novam ex veteri hæresim renovare conantes, Pascha nostrum, in quo immolatus est Christus, nebulosâ caligine refutantes, & quartadecimâ lunâ cum Hebræis celebrare nitentes &c.* Ad quæ verba subinfert ibidem Beda sequentia: *Quo epistolæ principio manifestè declaratur, & nuperrime temporibus illis hanc apud eos hæresim exortam, & non totam eorum gentem, sed quosdam ex eis hac fuisse implicitos.* His consonat Florentius Vigorniensis ad an. 628. loquens in hæc verba: *Eo tempore errorem Quartadecimanorum in observatione Paschatis apud Scotos exortum Honorius Papa redarguit.*

Verùm, quod advertere debuit anonymus author Anglicus de tripl. Angliæ conversione (Part. 1. cap. 3) (cujus in hoc vel major consideratio vel peritia desideratur) longè diversus ab hac hæresi fuit error nostris Hibernis, etiam Sanctis, cum Britonibus & Pictis per multa tempora communis; quem circa Paschæ observantiam diu retinuerunt, & tribus tomis editis explicuit, ac defendere conatus est S. Columbanus. Nam ipse Beda lib. 3. c. 4 asseverat, quòd præcipui hujus observantiæ sectatores, nempe Hienses Monachi, diem festum Paschæ *non semper in luna quartadecima cùm Judæis, ut quidam rebantur, sed in die quidem Dominicâ, aliâ tamen, quàm decebat, hebdomadâ, celebrabant. Sciebant enim ut Christiani resurrectionem Dominicam, quæ primâ Sabbathi facta est, primâ Sabbathi semper esse celebrandam; sed quando eadem prima Sabbathi, quæ nunc Dominica dies cognominatur, veniret, minimè dedicerant.* Hæc ibi; sed expressiùs l. 2. cap. 4. ubi refert fragmentum epistolæ à Laurentio & Sociis ad Scotiæ veteris Clerum transmissæ ad dissuadendum Ecclesiasticorum rituum dissonantiam, *maximè,* inquit, *quod Paschæ solemnitatem non suo tempore celebrarent, sed, ut supra docuimus, à decima quarta luna usque ad vigesimam Dominicæ Resurrectionis diem observandum esse putarent.* Et iterum de S. Aidano Episcopo loquens lib. 3. c. 17. *Hanc,* nempe Paschæ solemnitatem, *non ut quidam falsò opinantur, quartadecimâ lunâ in qualibet feria cum Judæis, sed die Dominica semper agebat, à luna quartadecima usque ad vigesimam.* Quæ ulterius ex eodem confirmantur lib. 3. c. 14. asserente, eundem Aidanum pridiè Kal. Septembris de *sæculo sublatum perpetua laborum suorum à Domino præmia recepisse*; quod de nullo in hæresi Quartadecimanorum defuncto dicere licuit; quos, sicut & cæteros hæreticos, constat à beatitudine exclusos esse.

Sed explicatâ breviter tam ipsius Aidani, quàm reliquorum Hibernorum, tunc idem cum ipso sentientium, circa festi Paschalis observantiam traditione, res clarior evadet; quæ scilicet præscribebat Dominicis Paschalibus inveniendis lunam XIV primi mensis & sequentes adusque vicesimam inclusivè; non autem necessariò lunâ XIII. ad vesperam Pascha incipiendum, & XIV solemniter celebrandum, sicut Quartadecimani credebant; sed tunc solum quando in eam lunam XIV incidebat Dominica, ut jam supra dictum est ex Beda. Igitur quocumque die ex illis septem, qui à luna XIV inclusivè usque ad XX numerantur, Dominica occurrisset, illo primùm die nostrates Dominicæ Resurrectionis festum so-

Diversa est à communi & antiquâ Hibernorū de Paschate traditione.

Paucis hic explicatâ.

stum solemne celebrabant, ad vesperam diei præcedentis solemnitatem inchoantes, ita quòd si luna xiv esset dies Dominica, inciperetur Paschalis solemnitas ad vesperam lunæ xiii, & nunquam seriùs lunâ vicesimâ. Unde si non decimaquartâ, sed decimâ quintâ lunâ, Dominica contingeret, festum ageretur lunâ xv, incipiendo à vespera lunę xiv; & sic de reliquis septem diebus, usque vigesimam.

Inter hunc autem ritum & Quartadecimanorum hęresim, quis non videat magnam esse differentiam? Nam Quartadecimani credebant Pascha necessariò celebrandum esse xiv. lunâ, quocumque die illa occurrisset, quod hæreticum est; quoniam cæremonialium vim & observantiam, quale est determinatio temporis Paschalis, constat ad solemnem Evangelii promulgationem penitùs exspirasse, sic ut illicitè prorsus & perniciosa reddatur, ut Theologi communiter tradunt ex illo Apostoli: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* De quo videndus Castro lib. 9. tit. *Lex*, fol. 194. Et ex hoc errore consequenter fiebat, ut nihil de Dominica, in qua Catholici semper festum Paschale celebrabant, expectandâ curarent; at verò nostri Hiberni & illis adhærentes Picti & Britones, ut veri Catholici, Legem cum Evangelio currere, adeoque Pascha xiv. lunâ quocumque die hæc incidisset, minimè credentes celebrandum, pro festo Paschatis diem Dominicum semper expectabant, illum scilicet, qui in aliquo septem dierum inclusivè à lunâ xiv ad vigesimam currentium incideret; qua in re Catholico ritu vivebant, licet in ætate lunę & mensis primi inventione fallerentur, dubiis quibusdam circulis, & calculationibus falsis seducti, ut iis seculis alii quamplures Latinorum. Ex quibus intelligitur, memorata superius Pontificum decreta contra eos nequaquam processisse, quę contra Quartadecimanos duntaxat noscuntur esse statuta. Imò quamvis xiv lunâ cum Quartadecimanis & Judęis, quacumq; die incidisset, Pascha semper egissent, licet malè id actum esset, hæretici tamen censendi non fuissent, nisi ita esse necessariò faciendum credidissent, ut advertit Castro lib. 12 fol. 234. & colligitur ex dictis.

Gal. 5.

Quæ quamvis minimè hæretica.

Dimissâ ergò Quartadecimanorum hæresi, quâ nunquam Hiberni nostri erant infecti, de communi illâ apud eos receptâ, diuque servatâ traditione, erroneâ quidem, sed nequaquam hæreticâ, ut jam satis ostensum est, loqui pergamus: in qua quidem licet illi se Joannis Evangelistæ, & Anatolii patrocinio fulciri crederent; non solùm tamen his, sed & Legi & Evangelio, Christo & Petro parum concordasse ostendit Wilfridus apud Bedam l. 3. c. 25. Nam S. Joannes, Judaizante adhuc in multis Ecclesiâ, volens sepelire Synagogam cum honore, ne scandalum fieret eis, qui inter gentes erant, Judæis, lunâ xiv secundum Moysaicæ Legis præscripta, Pascha semper celebrabat, sive illa in diem Dominicam incidisset, sive non; Illi verò, ut Catholici, cessantibus jam ubique legalibus, diem Dominicam expectabant, & sic non imitabantur ex toto, sicuti nec eo tempore debebant, Joannem. Anatolio quoque (siquidem Wilfrido credimus) contrarii erant: nam ille (ut idem censet) juxta morem Ægyptiorum, diem sequentem à vespera diei præcedentis inchoantium, ita diem Paschæ luna xiv celebrandum præscripsit, quòd ad vesperam illius lunam xv inchoatam agnosceret: & similiter vigesimam lunam festo Paschali annotavit, ut eandem, declinatâ jam die, vigesimam primam computaret; atque ita à luna xv usque ad xxi. sicut Romana Ecclesia, Pascha servandum docuit, secus ac illi, qui à xiv lunâ ad vigesimam Pascha numerabant. A Christo quoque & Lege discordabant; nam ille ad præscriptum Legis xiv lunâ ad vesperam vetus Pascha celebravit, & S. Petrus ipsum secutus idem Ecclesiis tradidit Latinis observandum, à xiv usq; ad xxi Paschalis solemnitatis terminos pręscribens. Hiberni verò lunam vigesimam non excedebant, & interdum (quando nimirum dies Dominica lunâ xiv incidebat) à vespera lunæ xiii Paschæ solemnitatem inchoabant; cujus tamen lunæ nulla reperitur ad hoc in Lege mentio; ubi semper luna xiv tantùm hujus festi principio consignatur, ut in dictis suprà ostensum fuit; ex quibus clarè colligitur hujus ritus à legali discrepantia. Vide hæc & alia contra hanc traditionem à Wilfrido adducta apud Ven. Bedam loc. cit.

Fuit tamen praxi Ecclesiæ difformis.

Ex quo nobis ulterius innotescit per quos & quando fuerint ab hoc errore correcti; nam per litteras primùm

Laurentii

Laurentii Episcopi, & Sociorum, quos unà cum S. Augustino, S. Gregorius miserat, & dein Romanorum Pontificum, Honorii ac Joannis memoratas, non solum illi, quos litteræ Pontificiæ potissimùm perstringebant, hęresi Pelagiana circa ipsa Honorii tempora exortâ infecti; sed & Australis Hiberniæ pars utramque complectens Momoniam, & magnam partem Lageniæ & Connaciæ, à vulgari illo errore non hæretico, illis pariter litteris reprehenso, conversi fuerunt. Exinde verò qui supererant, exceptis Hiensibus, S. Egberto reservatis, prædicante S. Adomnano anno Domini 703. ritum Romanum amplexi sunt ex eodem Beda lib. 5. cap. 16. Cui posteà superveniens Egbertus anno Domini DCCXVI. opus pro majori parte perfectum, ex toto complevit, Hiensibus ad Canonicum ritum, jam ab aliis susceptum, reductis. Ex quibus facilè declarantur verba Columbani hoc loco dicentis, *quod omnes Ecclesiæ totius Occidentis* Pascha computarent à luna decimaquarta usq; ad vigesimam; loquitur namque de Ecclesiis Hiberniæ, quam potissimùm nomine totius Occidentis intelligit, quòd sit omnium occidentalium insularum ultima; quæque eo tempore, quo S. Columbanus præsentem exaravit epistolam, hoc est, circa annum Christi, ut arbitror DXCII. tota pręposteros Paschæ ritus servabat; quò etiam spectat quod in MS. quodam Codice vitæ S. Patritii & alio S. Finniani inferius citandis legimus de secundo gradu Sanctorum Hiberniæ, qui ad hæc circiter tempora pervenit; nempe quòd Sancti in eo florentes, omnes luna XIV. Pascha celebrarent, modo anteà explicato, *licet* postmodùm successu temporis per litteras præfatorum Præsulum multi ex eis fuerint ad Romanos ritus conversi; unde & in iisdem Codicibus dicitur de Sanctis tertii gradus in Hibernia, qui floruerunt usque ad annum 669. vel 656. quod *diversas Regulas & varios celebrandi ritus habebant, & diversam etiam tonsuram; aliqui enim habebant coronam,* more scilicet Romano integram, *aliqui cæsariem,* hoc est, semicoronam, ab ancipite seu anteriori parte, ab aure duntaxat ad aurem protractam; *Et hi diversam solemnitatem Paschalem habebant; alii enim decimaquartâ lunâ cum Romanis*, scilicet à luna XIV. ad vesperam Pascha inchoantes, *alii decimâ tertiâ celebrabant*, juxta ritum Hibernicum, de quo suprà, pręscribentem, quòd dies Paschæ Dominicus à luna decima tertia ad vesperam usque ad vigesimam debeat computari.

Ideoque demum rejecta & emẽdata.

Quo sensu Hibernia nomine totius Occidentis intelligitur.

Successio & modus observantiæ Paschalis & coronæ apud Hibernos secundum diversa tempora.

Porrò quis fuerit primus hujus apud Hibernos introducti erroris author, incertum est. Aliqui putant à Britannis, quibuscum crebra tunc erant Hibernis commercia; alii ab aliquibus de Hibernia qui in peregrinis nationibus, eo forsan infectis, instituti fuerant, illatum existimant. Sed quicquid sit de his & similibus conjecturis, id pro certo & indubitato tenendum, non intrasse cum primis ibi fidei Prædicatoribus, vel gentis Apostolo Patritio. Nam hi omnes Romano ritu vivebant, & Sancti Hibernienses ab illis in eodem instructi similiter, ut clarè expressit fragmen præfatum vitæ S. Patritii, & Finniani de primo gradu Sanctorum Hiberniæ loquens his verbis: *Primus ordo Sanctorum erat in tempore Patritii, & tunc erant Episcopi omnes clari & sancti, & Spiritu Sancto pleni* 350. *numero, Ecclesiarum fundatores, unum caput Christum colentes, & unum Ducem Patritium sequentes, unam tonsuram habentes, & unam celebrationem Missæ, & unum Pascha, scilicet post æquinoctium vernale celebrabant.* Hæc ibi. Deinde hoc idem apertè deducitur ex Beda, lib. 3. cap. 4. asserente hunc errorem apud Hibernos incœpisse anno primùm DLXVI. & durasse per spatium centum quinquaginta annorum usque ad annum Domini DCCXVI. multis post obitum S. Patritii annis, plantatamque in Hibernia Catholicam fidem, quę usque ad illum errorem exortum, Romanum Pascha servabat, ut dixi. Ex quibus & aliis multis, quæ huc adduci possent, quorumdam Angliæ Novatorum, & Magdeburgensium repellitur mendacium, præfatum errorem ad primos in insulis Britannicis fidei præcones referentium, indeque inferentium, ipsos ex Asiatica Ecclesia, & non à Romana Sede ad illarum gentium conversionem missos venisse. Ita his exosum Romanæ dignitatis & authoritatis nomen.

Incertus author introducti apud eos erroris.

Non fuit S. Patritius, aut primi gentis prædicatores.

Vide de tripl. convers. Angl. part. 1. cap. 3.

Cęterùm horum errorem his verbis censurat Wilfridus apud Bedam l. 3. c. 25. *Neque illis*, inquit, nempe S. Columbæ & sequacibus, *multum obesse Paschalem talem reor observantiam, quamdiu nullus*

Quinã circa ritum præposterũ Paschæ excusandi, & qui non.

nullus advenerat, qui eis instituti perfectioris Decreta, quæ sequerentur, ostenderet; quos utique credo, si quis tunc ad eos Catholicus calculator adveniret, sic eius monita fuisse secuturos, quomodò ea quæ noverant, ac didicerant, Dei mandata probantur fuisse secuti. Hæc ibi. Quibus consonant ea, quæ adfert idem Beda ibid. c. 4. ad eorumdem excusationem, & ex ipso posteà Baronius in Annalibus ac in Notis ad Martyrologium Roman. 9. Junii. De iis autem, qui agnitam Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, Apostolicis Decretis præscriptam, non receperunt, idem Wilfridus Colmanum compellans ita prosequitur: *Tu autem & Socii tui, si audita Decreta Sedis Apostolicæ, imò universalis Ecclesiæ & hæc litteris sacris confirmata, sequi contemnitis, absque ullâ dubitatione peccatis.* Ubi perstringit Apostolicorum Decretorum contemptores, eisque pertinaciter resistentes; quales nequaquam censendi sunt extitisse Colmanus & alii nostræ gentis sancti, tunc Romanam consuetudinem etiam agnitam non recipientes; quippe qui plurimis, & ut ipsi credebant, gravissimis rationibus inducti, minimè sese obligatos agnoscebant, traditionem suam, magnorum Hiberniæ Sanctorum authoritate & exemplo primitùs introductam, & firmiter stabilitam abjicere, quousque per æqualis, ipsorum opinione, sanctitatis & meriti Viros, fuisset eis oppositum prędicatum.

Controversia de Paschate, quà Hibernos respicit, erat tantum res rituum.

Imprimis namque res ipsa, de qua erat controversia, non erat res fidei, quæ minimè dissimulari potuisset; sed rituum duntaxat, qui non sunt ubique in Ecclesia uniformes, ut multorum locorum praxis ostendit, in quibus plurimi ritus & inter se, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine diversi, practicantur; quod etiam adhuc hodiè in nostris partibus, aliisque plurimis de ipso Paschalis Festi tempore, pro diversitate veteris & novi Kalendarii, videmus observari, ubi Kalendarium vetus sequentibus eo die Dominica Palmarum aut Passionis, aut anterior celebratur, quo apud Romanos & alios reformatum amplexos, Dominicæ Resurrectionis Festum agitur: quæ discrepantia, veluti in ritibus tantum constituta, ab Ecclesia toleratur, & à fidelibus absque ullo peccati periculo exercetur; quo modo poterant nostri antiquam de Paschate consuetudinem retinere, maximè cùm idem corde & ore, quantum ad mysterii substantiam tenerent, ut de S. Aidano tradidit Ven. Beda, & de aliis consequenter ejusdem cum ipso observationis: *In quo*, inquit, nempe Aidano, *hoc approbo, quia in celebratione sui Paschæ non aliud corde tenebat, venerabatur, & prædicabat, quàm quod nos, id est, redemptionem generis humani per Passionem, Resurrectionem, Ascensionem in cælos Mediatoris Dei & hominum hominis* JESU *Christi.* Et posteà subdit, ipsum die Dominica semper Festum Paschatis celebrasse. Ex quibus apparet, dissonantiam inter illos & Romanos, non nisi penes ritualia quædam extitisse, ut suprà dixi, eaque in Mathematicæ peritiâ fundata, & pro tanto ad Ecclesiæ determinationem aut examen minus pertinuisse; quæ proinde id facilè tolerare poterat.

Difficultas abstrahendi Hibernos à suis de Paschate ritibus explicatur.

Alia ad idem subesse poterat ratio non minoris efficaciæ, nempe difficultas maxima abolendi consuetudinem illam, jam ubique in Hibernia communi consensu, ususque receptam, multorum annorum exercitio, & Sanctissimorum ac Doctissimorum pariter Virorum exemplis firmatam; quorum apud Hibernos authoritas tantùm prævalebat, ut non, nisi evidentissimis in oppositum convicti argumentis, sibi crederent, ab illo quod illi docuissent & tradidissent, recedendum. Cujus rei habemus exemplum in Hiensibus, qui primò S. Columbæ authoritate & exemplo fulfulti, magnâ contentione S. Adomnano ipsorum Abbati circa hoc restiterunt; & in S. Columbano in Gallia, qui in hac & aliis multis epistolis, & maximè in tribus illis tomis, quos de hac quæstione conscripsit, omni conatu pristinam suam à majoribus acceptam de Paschate traditionem probare ac retinere laboravit; nunc ipsorum traditionem Gallicanæ præferens, ut hîc; nunc antiquorum suorum magistrorum Hibernicorum authoritatem allegans, & calculandi peritiam, ut in quadam ad S. Gregorium Papam epistolâ; nunc denique rogans, ut in primâ ad Bonifacium, ut Pontifex Romanus *suorum roboret traditionem Seniorum.* Ex quibus & aliis multis intelligere licet, quantum hac in parte detulerint Sancti illi suis instructoribus, ac proinde quàm difficile fuerit, eos ab illorum doctrinâ & consuetudine revocare; quæ difficultas

cultas rationabiliter inducere poterat Romanos Pontifices ad dissimulandum cum illis (licet optarent, & litteris etiam hortarentur eos, ut Ecclesiæ universalis consuetudini sese conformarent) ut in acceptâ semel à majoribus observantiâ remanerent.

Decreta cōtra errantes in festo Paschali præcipuè respiciunt Quartadecimanos.

Præterea Decreta Concilii Niceni & aliorum, contra Quartadecimanorū potissimùm hæresim procedebant, & non contra eos, qui diverso tantùm à Romanis ritu Pascha celebrabant, ut patet ex ipsorum Canonum tenore, in quibus semper additur clausula *cum Judæis*, quâ damnantur celebrantes Pascha Judæorum XIV. luna, quocumque ea die incidisset, sicut consueverant *Quartadecimani*; atque ita fortè rationabiliter interpretari poterant, non fuisse mentem Conciliorum aut Pontificum tanto rigore prohibere ritus, in observatione Paschæ, Romanæ Ecclesię consuetudini contrarios, quin paterentur eos in locis, in quibus jam longo usu, sicut in Hibernia, invaluissent, observari; & hoc eò majori sibi persuadere poterant probabilitate, quò videbant litteras ad ipsos à variis Pontificibus Romanis directas, commonitorias tantùm fuisse, & suasivas; non coactivas, seu S. Sedis præceptum continentes; cui illi, præmissâ sufficienti informatione, imposito, minimè restitissent, utpotè Romanæ Ecclesiæ obsequentissimi semper filii.

His accedit quòd in vita *S. Columbæ Hiensis*, vernaculâ nostratum linguâ inscriptâ, (quod etiam in Latinâ subindicat Adamnanus) traditur, hanc ei quæstionem, atq; obortas postmodùm circa eam difficultates & controversias in Hibernico, BritannicoqueClero, revelatas fuisse, idque posteaquàm maximam apud universum populum, Clerum, & Reges, authoritatem fidemque in Hibernia obtinuisset, ut ad ejus penè unius nutum & consilium pleraq; fierent; nihilominùs consultò mutationem invalescentis nimiùm observantiæ illius, à summis viris acceptę, distulisse ad opportunum tempus, & personas divinâ providentiâ ad eam præordinatas, quanquam fortassis potuisset ipse eam perficere, si incommoda tunc subsecutura non prævidisset. Quod totum aliis consodalibus sanctis retulisse ibidem dicitur, quorum tempore illa incommoda non contigerunt, quæ in violentâ recenter exortæ traditionis suppressione contigissent.

Vnde crederent Hiberni suam de Paschate traditionem fuisse veriorem.

Postremò firmissimè sibi omnes persuasum habebant, traditionem illam fuisse magis veritati conformem, quàm Romanam aut Gallicanam, ad id inducti exemplo S. Joannis Evangelistæ, & authoritate *Anatolii*, ab Hieronymo tātoperè laudati quos pro se stare indubitatâ fide tenebant; necnon & variis temporum & calculandi ratione deductis argumentis, quibus judicio ipsorum, ad plenum pars adversa satisfacere non videbatur, ut de se *S. Columbanus* in quadam ad *Gregorium Papam epistola* testatur, asserens sibi post tot & tantos, quos de hac ipsâ controversiâ legerat, libros, non esse satisfactum à Gallis: & certum est, ipsum omnes, quæ à contraria parte adduci solebant, attentè considerasse, & in tribus illis de hoc argumento à se conscriptis tomis, unà cum aliis ipsam controversiam spectantibus, accuratè annotasse. Sanè in mentibus ipsorum tantam hæc doctrina de Paschate fidem obtinuit, quòd nonnulli ex eis igne vel aqua ipsam probare parati essent, quod subjecto *S. Munnæ*, seu *Fintani*, licebit exemplo cognoscere, cùm in celeberrimo quodam complurium Sanctorum Concilio super hac eadem controversiâ in Hibernia coacto, cum *S. Laisreano* Abbate tractaret. (Ex MS. cod. Armac. vel Dubliness.) *Quodam tempore*, inquit author vitæ MS. S. Fintani, *erat magnum Concilium populorum Hiberniæ in Campo albo, inter quos erat contentio circa ordinem Paschæ; Laisreanus enim Abbas monasterii Leithghlinnensis, cui suberant mille quingenti Monachi, novum ordinem defendebat, qui nuper de Româ venit. Alii verò veterem defendebant. Sanctus autem Munnu ad hoc Concilium statim non pervenit, & omnes expectabant eum: ipse jam veterem defendebat ordinem.* Et relato ejus ad Concilium accessu, à Sanctis cum honore susceptі, ejus cum Laisreano congressum in hæc verba prosequitur: *Posteà S. Munnu Laisreano Abbati coram omnibus populis dixit: nunc tempus est, ut hoc Concilium finiatur, ut unusquisque ad suum locum redeat. Contendentes de ordine Paschæ, dixit S. Munnu, breviter disputemus; sed in nomine Domini agamus judicium. Tres optiones dantur tibi Laisreane; id est, duo libri in ignem mittantur, liber veteris ordinis & novi, ut videamus quis eorum de igne liberabitur. Vel duo Monachi, unus meus*

Concilium in Hibernia circa quæstionem Paschę coactū.

Mira à S. Munnu proposita concertatio.

meus, alter tuus, in unam domum recludantur, & domus comburatur, & videbimus quis ex eis evadet intactus igne. Aut eamus ad sepulchrum justi mortui Monachi, & resuscitemus eum, & indicet nobis, quo ordine debemus hoc anno Pascha celebrare. Cui S. Laisreanus ait: non ibimus ad judicium tuum, quoniam scimus, quod præ magnitudine laboris tui & sanctitatis, si diceres, ut mons Marge commutaretur in locum Campi albi, & Campus albus in locum montis Marge, hoc propter te Deus statim faceret; erant enim illi tunc in Campo albo, cui imminet mons Marge. Posteà consentientes populi cum Sanctis, ad sua reversi sunt. Hæc ibi de Concilio illo ad annum Domini, ut credo, sexcentesimum tricesimum celebrato; in quo quis non videat, illo facto magnum fuisse positum obstaculum conversioni gentis ad ritum Romanum; cùm viderent omnes promptiorem fuisse *S. Munnu* seu Munnam ad defensionem suæ consuetudinis, quàm *Laisreanum* ad tuendum ritum Romanum, in quo fuerat instructus; qui sanctitate Sancti *Munnæ*, & virtutum magnitudine victus, cessisse videtur, & suâ dissimulatione tunc præsentes omnes in pristino errore confirmasse. Eâdem tenacitate, quâ hic *Munna* ritum illum tuebatur, vix dubium esse potest, quin reliqui Sancti ejusdem observantiæ, si occasio fuisset oblata, restitissent.

Ritus Romanus circa Pascha non obligavit Hibernos quamdiu apud ipsos ob iustam causam receptus non erat

Propter has ergò, aliasque fortassis urgentiores rationes, Hiberni Romanos Paschatis celebrandi ritus, diuturnæ consuetudini majorum suorum, ex se non malæ, à Deo pro statu Legis gratiæ permissæ, à quamplurimis Sanctissimis ac illuminatissimis Præsulibus longissimi temporis decursu observatæ contrarios, non recipientes, excusandi magis erant à Scriptoribus, quàm damnandi ob id erroris aut delicti; cùm communis sententia & Theologorum & Juristarum videnda apud Suar. de leg. b. lib. 4. cap. 16. Rodriguez Qq. Regul. tom. 1. q. 6. art. 10. Lessium lib. 2. de Just. cap. 22. num. 98. Ioan. Salas de legib. disp. 13. sect. 1. Bonac. to. 2. disp. 1. q. 1. puncto 4. sit, leges non modò Civiles, verumetiam Canonicas & Papales, non obligare quamdiu ob rationabilem causam, tolerante præsertim Legislatore, ut in præsenti casu evenerat, non acceptantur. Hâc enim ratione etiam hodiè Gallicanæ Ecclesiæ, aliæque per orbem plurimæ, ritualia S. Concilii Tridentini Decreta, aliasque Apostolicas Constitutiones in aliis regnis receptas, non observantes excusantur, dissimulante vel tolerante Pontifice.

Quomodo integrum fuerit Columbano suam in Gallia Paschalem traditionem retinere.

Quòd verò S. Columbanus, de quo in præsenti, adhuc inter Gallos positus, se illis conformare noluerit, tantaque contentione restiterit; hoc ita egit, ut interiùs in resignatione animi paratus semper esset Sedis Apostolicæ, sæpiùs à se circa hoc consultę, determinationi stare. Nam in Epistola ad Bonifacium ita loquitur: *Preces ad te fundimus, ut nobis peregrinis laborantibus, tua sententia præstes solatium, quâ, si non contra fidem est, meorum traditionem robores Seniorum, quò ritum Pascha, sicut accepimus à Majoribus, observare per tuum possimus judicium in nostrâ peregrinatione.* Hæc ille. Quibus cùm ipsius velut judicis sententiam implorat, simulque authoritatem, quâ possit pristinam in sua peregrinatione retinere traditionem, proculdubiò eo ipso animum exhibet paratum ad suscipiendam judicis censuram & sequendā voluntatem. Quin & ipsorum, ad quos præsentem exaravit Epistolam, Galliæ Patrum judicio, ex maturo traditionum utriusque partis examine, lato, se velle aquiescere declarat his verbis: *Alioquin aliter inter nos potest convenire, ut aut unusquisque in quo vocatus est, in eo permaneat apud Dominum, si utraque bona est traditio,* (nempe de Paschate) *aut cum pace & humilitate sine ulla contentione libri legantur utrique* (utriusque videlicet traditionis) *& quæ plus veteri & Novo Testamento concordant, sine ullius invidiâ serventur.* Quibus clarè ostendit se non ex pertinacia aliqua, aut contendendi animo, sed ex mero veritatis studio, voluisse acceptam in Hibernia traditionem, velut suo judicio veriorem, in Gallia retinere; quam, si Sacris litteris minus consonam, ipsi ejusque Monachis omninò abolendam judicassent Concilii Patres, sese statim illis conformasset; unde quòd post hoc Concilium reliquæ suæ peregrinationis tempore in Gallia servaverit, (sicut ipsum servasse ex Epistola ad Monachos Luxovienses constat) dubium esse non potest, tum Romani Pontificis, tum illorum Patrum, urgentissimis sanctissimi Viri precibus inductorum, authoritate & assensu fuisse permissum. Neque enim apparet ullâ ratione probabile, illum

Non sine permissione Sedis Apostolicæ & Gallorum illam retinuit.

illum, totâ Gallicanâ Eccleſiâ contradicente, in priſtinis ritibus perſeverare potuiſſe, aut ipſius regni Clerum paſſum fuiſſe, ut ille cum ſuis Monachis intra Galliæ fines, cum tali diſſonantiâ perſiſteret; unde credendum eſt, quòd reliquum erat ſui inter illos incolatus, in pacificâ conſuetudinis patriæ poſſeſſione traduxiſſe.

Præthereà quòd S. Columbanus ita fortiter ſeſe oppoſuerit, non tam ad Romanum ritum, quàm ad alium erroneum, referendum eſt, protrahentem terminos feſti Paſchalis uſq; ad lunam XXII; quem ritum etiam tunc uſitatum, æquè Columbanus in epiſtola ad Gregorium impugnat; ut intelligas ipſum, non tam veritati, quàm illi errori ſeſe oppoſuiſſe.

Hibernorũ in retinendâ præpoſterâ Paſchatis obſervantiâ non potuit eſſe plus quàm culpa venialis.

Ex quibus omnibus concluditur, errorem ſi quis erat, Columbani, Colmani, & aliorum Sanctorũ noſtratium, cõtra Decreta Sedis Apoſtolicæ, ſuæ traditioni tam tenaciter inhærentium, non fuiſſe malitiæ vel pertinaciæ ſchiſmaticæ, aut inobedientiæ formalis, ſed zeli modum excedentis, bonæ mentis deluſæ boni ſpecie; quam veniâ dignam reddidêre horum Sanctorum pia mens, veritatis zelus, licet non ſecundum ſcientiam, vehementiſſima perſuaſio non omninò vera, quòd S. Joannes, Hieronymus, Anatolius à parte ipſorum ſtarent, quodq; Orientalis Eccleſia aliquãdo contra eumdẽ Romanum ritum reclamâſſit; denique quòd videretur Deus approbare morem ritus ipſorum, tanto tempore obſervatum ab ſanctiſſimis & miraculorum gloriâ clariſſimis Columba, Comgallo, Brandano, aliiſq; celeberrimis in Hibernia Monachorum Patriarchis, in Chriſti gratia à primæ converſionis tempore, ut piè credere licet, confirmatis. Sed de hac re ſatis.

(k) *Innotui.* Hoc verbum activè præter S. Columbanum, pro notum facere, vel ſignificare, uſurpat S. Gregorius Homil. 50. in Evang. & B. Iſidorus epiſtol. 72. inter epiſtolas Bonifacii Moguntini, in quibus ſæpè idem verbum in eadem ſignificatione recurrit, ut in ep. 79. 118. 125. 142. Legitur quoque apud S. Bernardum de præcep. & diſpenſ. c. 12.

(l) *Sancto Fratri veſtro Arigio.* Claudius Robertus Presbyter Lingonenſis in ſua Gallia Chriſtiana, & alius quidam author, qui catalogum texuit Epiſcoporum Galliæ, de hoc Sancto Viro ſequentia habent. *S. Arigius, vel Aregius S. Aré, gallicè, frater S. Auſtregiſili Archiepiſcopi Bituricenſis 30. Avarici Biturigum natus illuſtri gente. Ei ſcribit S. Gregorius c. In ea. diſt. 100. quæ eſt ex epiſtola 111. l. 7. & epiſtola 51. & 62. l. 9. Jacet Deſizæ, quod eſt oppidum in Inſula Ligeris ſupra Nivernum; eiuſq; feſtum agitur 16. Auguſti.* Aliud præthereà nihil de eo reperire potui.

S. Arigius Epiſcopus. Nivernenſis 12. Fortaſſe Columbanus hîc agit de Arigio Lugdunenſ. Archiepiſ. aut de Arigio Vapicenſi Epiſcopo.

(m) *In his ſilvis ſilere,* eremi videlicet Voſagi, in qua circa hæc tempora morabatur Columbanus, ut colligitur ex iis quæ ſubdit de ſuo in iiſdem ſilvis duodecim annorum incolatu; conſtat enim nullo alio in loco ipſum tot annos tranſegiſſe extra Hiberniam, niſi in illa eremo, cùm non niſi quatuor vel circiter annis poſt ejus ex Cœnobio Luxovienſi egreſſum ſupervixerit, & modico in Britannia tempore ante ſuum in Gallias adventum hæſerit, ut plenius deducitur in Notis ad cap. 3. vitæ ipſius Sancti.

(n) *Capiat nos ſimul, oro, Gallia.* Ex hoc loco confirmantur ea quæ ſtatim notavimus de incolatu S. Columbani in Voſago, & inſuper colligitur hanc ad quam ſcribit Synodum, in Gallia & ex Gallis congregatam, proindeque Provincialem vel Nationalem fuiſſe. De quibus videtur Sanctus intelligendus cum in epiſtola prima ad Bonifacium ait: *Dum non eoſdem terminos ſcandunt libri noſtræ regionis, & iſtorum liber Gallorum.* Et in hac ipſa epiſtola in fine ad hujus Concilii Patres converſus: *Unius,* inquit, *ſumus corporis commembra; ſive Galli, ſive Britanni, ſive Iberi, ſive quæque gentes.* Ubi ſe & ſuos cum Patribus Concilii, ſeu Gallis, ſub uno corpore membra connumerat.

(o) *Scutum & gladium.* Hic gladium neutraliter ſumit; quod & priſcis in uſu fuiſſe probat Varro hac Lucilii authoritate: *Hærebat gladium mucrone in pectore totum.*

(p) *Juxta Do. & calculum LXXXIIII. annorum.* Abraſus eſt hic locus in Codice, ut ſciri nequeat quid hic legendum. Non improbabilis fortè

cuipiam

cupiam conjectura videri posset hoc loco Columbanum ad Dionysium Exiguum Scytham respexisse, Romę quondam Abbatem, à Cassiodoro de divi. lect. c. 25. & V. Beda tantoperè laudatum, qui Romæ circa annum Domini 525. primus omnium Christianorum ab Incarnatbone Domini computum ducere cœpit, & teste Trithemio lib. 2. de vir. illust. cap. 4. de ratione Paschæ librum edidit, & cyclum magnum quingentorum triginta duorum annorum: quem fortè cyclum, seu calculum hic à Columbano notatum quis crederet, licet aliud indicet numerus in codice signatus, notans LXXXIV pro DXXXII qui error librarii vitio facilè tribui posset. Verum his obstat, quod ille cyclus Dionysii ad Romanum Paschatis ritum & observantiam fuerit accomodatus, & Scotorum Hiberniæ calculationi contrarius, qui proindè à Columbano teneri non potuit, Romanum computum respuente. Unde planè mihi persuadeo S. Columbanum hoc loco ad primum illius traditionis apud Hibernos authorem, & traditum ab eo calculum respexisse: quem, ex hoc ipso loco & infrà Dissertat. de Monachatu S. Columbani adducendo *Fragmento de triplici Ordine Sanctorum Hiberniæ*, existimo fuisse S. Docum Britonem, anno 474, juxta Annales Ultonienses, defunctum; vel potius S. Docum etiam Britonem, qui sæculo sexto Magister erat S. Cainnechi Abbatis, ut in hujus Vita habetur, qui Cyclum LXXXIV annorum, quem sequebantur Hiberni, & hîc præfert Columbanus Victoriano, fortasse castigârit aut primus Hiberniæ invexit.

Dionysius Exiguus librum de Paschate & cyclum 532. annorum edidit.

(q) *Et Anatolium.* Hic est ille Anatolius, cujus patrocinio & authoritate se tueri credebant Scoti nostri, illam quam sequebantur, Paschalis observantiæ rationem. Verùm quàm id immeritò, ex eo colligitur, quòd circulum decennovenalem ab ipso ad verum Paschæ tempus, hoc est, primi mensis lunam XIV explorandam traditum, non recipiebant; ut ostendit Wilfridus apud Ven. Bedam contra S. Colmanum Hibernum in celebri illâ de Paschate habitâ dissertatione, in Anglicano quodam solemni ac regio consessu, ad quam Lectorem remittimus. Quodque insuper alieno forte sensu Anatolii de vernali æquinoctio dicta accipiebant. Quæ quidem V. Beda, speciali hac de re edito tractatu, quem habes in fine tomi I. Operum ejus, ad germanam authoris mentem explicavit. Multa de laudibus Anatolii mentio apud Eusebium c. ult. l. 7. hist. Eccles. ubi nonnulla ejus de Paschate dicta recitat; ad quem locum proculdubiò se refert Columbanus hîc de Eusebio Anatolii laudatore loquens. Item V. Beda l. 3. hist. Angl. c. 25. & cit. tract. de æquinoctio verno meminit Anatolii. Necnon & S. Hieronymus, quem hîc & in epistola ad Gregorium, hic Sanctus ad laudem inducit Anatolii, de eo quæ sequuntur, scripta reliquit: *Anatolius Alexandrinus Laodiceæ Syriæ Episcopus sub Probo & Caro Imperat.* (nempe anno Christi 283.) *floruit: miræ doctrinæ Vir fuit in Arithmetica, Geometria, Astronomia, Grammatica, Rhetorica, Dialectica: cujus ingenii magnitudinem de volumine, quòd super Pascha composuit, & decem libris de Arithmeticæ institutionibus intelligere possumus.* Hæc S. Hieronymus in catalogo suo de Script. Eccles. Plures hujus nominis exhibet Possevinus in Appar. Sacro. fol. 71.

Anatolius circuli decennovenalis author.

Scripta Anatolii.

(r) *Quam iuxta Victorium.* Victorinum aliqui, alii Victorium, nonnulli etiam Victorem scribunt; de cujus diversitate appellationis videatur Suffridus ad Gennad. cap. 88. de Vir. illust. Qui Gennadius etiam de eo hæc habet: *Fuit natione Aquitanus, calculator Scripturarum, invitatus a S. Hilaro* (quem infrà nominat Columbanus) *Urbis Romæ Episcopo, composuit Paschalem cursum* (de quo hîc & in epistola ad Gregorium fit mentio) *indagatione cautissimâ, post quatuor priores Hippolytum, Eusebium, Theophilum, & Prosperum; & protendit annorum seriem usque ad 532, ita ut 533 anno Paschalis reincipiat solemnitas, eodem mense & die; eadem & lunâ, quâ primùm Passio, & Resurrectio Domini facta est.* Sigebertus, & Baronius ad annum Christi 463 testantur ejus calculationem à Victore Capuano redargutam, & S. Columbanus in epistola ad Gregorium refert à suis Hibernicis, & antiquis Philosophis non fuisse receptam. Illam quoque reprehendit & refutat V. Beda de ratione temporum, magis Victori tribuens. Vivebat, teste Possevino, anno 480; qui & alios ejusdem nominis recenset.

Victorius composuit sub Hilario Papa cursum Paschalem.

Ejus calculatio à multis reprehensa.

(t) *Si efficia-*

(s) *Alioquin aliter nos potest conveni-re.* Post *aliter* sequi debet unum *inter*, ex imperiti librarii errore omissum, qui ex vocabuli contractione deceptus, duo illa *al'-iter* separata & antiquorum more contracta conjunxit in unum, cùm sensus & sententiæ inversione; quę sic clarè legenda est: *Aliter inter nos potest convenire,* hoc est, esse concordia: sumitur namque ibi verbum in significatione passivâ.

(t) *Si efficiamini sicut parvuli.* Hic aliquas parvulorum conditiones exponit, quas induere oportet eos, qui volunt introire in regnum cœlorum, pro quibus citat Hieronymum & Basilium, *qui* inquit, *iuxta Evangelici vim dicti mores exponunt infantium.* Hieronymus quidem in hunc modum in cap. 18. Matth. *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis* &c. *Non præcipitur Apostolis ut ætatem habeant parvulorum, sed ut innocentiam.* Et infra: *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus &c. sicut iste parvulus cuius vobis exemplum tribuo, non perseverat in iracundia, non læsus meminit, non videns pulchram mulierem delectatur, non aliud cogitat, & aliud loquitur: sic & vos, nisi talem habueritis innocentiam & animi puritatem, non poteritis regna cœlorum intrare.* In quibus hîc pro majori parte à Columbano citatis tres conditiones ex quatuor supra positis exprimuntur, nempè castitas, simplicitas, & patientia seu mansuetudo. Quarta verò, demissio videlicet animi, quæ, in prompta subjectione & obedientia maximè resplendet, à Basilio exprimitur, qui pro quarto hîc citatur (licet & ipse Hieronymus eam non tacuerit) reg. brev. interrog. 217. *Quomodo regnum Dei accipiemus ut parvuli? nempe si ad doctrinam Domini tales nos præbuerimus, qualis est parvus in percipiendu disciplinis, qui non contradicit; neque se disputans adversus magistros defendit; sed tradita sibi præcepta cum fide atque obedientiâ suscipit,* Vide Chrysostomum in hoc caput. & Homil. 59. in Matth.

Nisi efficiamini sicut parvuli &c. Math. 18. exponitur.

(v) *Nullus detrahat silentii bonis.* Hoc est, solitariæ vitæ, seu monasticæ conversationis instituto, quam multi olim hæretici impugnarunt, ut Vigilantius, contra quem Hieronymus; Petilianus, contra quem Augustinus, Theophilus Imperator in suis constitut. Arnoldus Brixianus, teste Gunthero lib. 3. & his omnibus antiquior Lucius Arrianorum Episcopus, de quo Ruffin. lib. 2. cap. 3. & Socrat. lib. 2. cap. 17. Quibus adnumerari potest Valens Imperator, qui crudeles edidit contra Monachos leges, ut testatur Hieronymus in Chronicis; & posteriorum temporum hæretici, ut Joannes Wicleff Anglus art. 21. Constantiæ damnatus, Lutherus de votis Monast. & in cap. 7. prioris ad Corinthios epistolæ, Melanchon. Apol. confess. August. art. de vot. Monast. Calvin. lib. 4. instit. cap. 13. Magdeburgen. cent. 10. c. 4. quos omnes latè recenset & refutat Coccius tom. 2. controvers. l. 4. de instit. Monast. a. 2. qui ex Sacris litteris, Patribus Græcis & Latinis Monasticam adstruit observantiam.

Monachis-mi impugnatores antiqui & moderni.

(w) *Nisi enim tepescant, secreti meliùs vivunt, quàm publici.* Seu, ut paulò antè dixerat de mandatis; *quæ melius servabit vacans, & videns quod Deus ipse sit Dominus, quàm diversa videns & audiens:* Quod non est aliud, quàm quod in Evangelio Dominus dixit ad Martham: *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima; porrò unum est necessarium,* nempe quòd Dominus ipse est Deus. *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* In quo loco Augustinus & alii Patres in Maria considerant theoricam, seu contemplativam: in Martha activam vitam, cui illa præfertur ipsius Domini testimonio, quo hîc S. Columbanus nititur, publicos secretis seu solitariis postponens, velut multò excellentioris conditionis, modò tamen hi non tepescant, ut cum Columbano testatur Petrus Damianus ep. 3. c. 11. cum ait: *Profectò Monachus si ad proferendos fructus boni operis sit intentus & fervidus, nihil inter homines potest esse præstantius; alioquin si frigidus & infæcundus arescat, ac dormiens stertat, iure tanquam vilis alga despicitur, & ipsis quoque sæcularibus non æquatur.*

Lucæ 10.

(x) *Maiorem licet mercedem.* Verbum *licet* priscis usitatum, nunc absoletum, sub voce neutrâ passivam habens significationem, idem quod appretiari, seu pretium pro re aliqua dare. Mart. l. 6. *parvo cum pretio diu liceret.* Eo utitur Cicero ad Attic. lib 12. Plaut. apud Fest. in sub corona. Horat. 1. sermon. Ab hoc verbo dicitur *licitari.* Vult ergo Columbanus quod austeritas mona-

ſtica majori conſtat, ſeu æſtimatur mercede, quàm publica; vel uſitatius, quòd majorem meretur coronam &c.

(y) *Alia ſunt & alia Clericorum, & Monachorum documenta.* Eorum explicat differentiam S. Ambroſius ep. 82. ad Eccleſ. Vercellen. *Hæc duo,* inquiens, *in attentiore Chriſtianorum devotione eſſe præſtantiora quis ambigat, Clericorum officia & Monachorum inſtituta? Iſta ad comitatem & moralitatem diſciplina, illa ad abſtinentiam aſſuefacta atque patientiam: Hæc velut in quodam theatro; illa in ſecreto; ſpectatur iſta, illa abſconditur: hæc ergo vita in ſtadio, illa in ſpelunca: Hæc adverſum confuſionem ſæculi, illa adverſus carnis appetentiam: hæc ſubiiciens, illa refugiens corporis voluptates. Hæc gratior, illa tutior: hæc ſeipſam regens, illa ſeipſam coercens.* Hæc Ambroſius, qui illud etiam, quod hic addit Columbanus de utriuſque inſtituti uno eodemque ſcopo, nempe Evangelii obſervantiâ & Chriſti ſequelâ ſubjicit, dicens: *Utraque tamen* (vita) *ſe abnegans, ut fiat Chriſti.*

Monachalis & Clericalis inſtituti differentia.

(z) *Sed toti Evangelium. Totum* differt ab *omne* quòd illud ad quantitatem, hoc ad numerum deſignandum referri ſoleat, ita quòd illud partium, hoc numeri notet plenitudinem. Columbanus tamen hanc vocem ad numerum transfert, ad exemplum videlicet antiquorum Poëtarum, qui utrumque confundunt; ac imprimis Ovidii Triſt. lib. 5. eleg. 2. *Totos tolle libellos,* id eſt, omnes.

(aa) *Nam quanta ſit diſsimilitudinis.* Hujus clauſulæ ſatis obſcuræ videtur eſſe ſenſus, quòd quanta fuerit actualium ſtudiorum & morum diſparitas & diſſimilitudo, tanta erit inter imperfectos charitatis ſimulatio, & mutuæ dilectionis neglectus; ita quòd ex unanimi & uniformi mandatorum obſervantiâ unio ſequatur animorum & pacis concordia: & hunc eſſe ſenſum à Columbano intentum, hæc quæ præcedunt ejus verba indicare videntur: *Tunc ergo poteſt certa eſſe unio animorum & pax & charitas per Spiritum Sanctum diffuſa viſceribus credentium, quando ſimiliter mandata divina complere omnes deſiderant,* ubi notandum eſt, quod dixit *ſimiliter.* Et poſt immediatè ſubdit: *Nam quanta ſit diſsimilitudinis &c.* quaſi per hoc innuens, quòd quò fuerint in cultu & modo vivendi diſpares & diſſimiles, eò erunt (ſaltem imperfecti) in delectione mutuâ frigidiores.

(bb) *Sive Iberi, ſive quæque gentes.* Vel, ut in ſecunda ad Bonifacium epiſtolâ habet, *Heberi,* hoc eſt, *Hiberni,* ab Ibero flumine Hiſpaniæ, unde primùm Inſulæ noſtræ incolæ proceſſerunt, non ab Ebero Mileſii filio, ut aliqui falſo exiſtimant, ſic appellati; unde & his conforme patriæ nomen inditum quæ primùm *Iberia,* deinde *Ibernia* dici cœpit; vel, ut nunc communiùs ſcribunt, *Hibernia.* Vide hac de re plura ad cap. 1. Vitæ S. Columbani.

EPISTOLA

EPISTOLA III.

S. COLUMBANI AD DISCIPULOS ET MONACHOS SUOS.

ARGUMENTUM.

Hanc Epistolam in exilio suo positus, ad Monachos Congregationis suæ Luxoviensis, de eius violenta expulsione plurimum contristatos, consolatoriam pius Pater scribit; in qua ipsos paternâ cohortatione ad patientiam & mutuam concordiam, Attala ipsis in Patrem Præposito, excitat: Deinde ad ipsum Attalam conversus, quædam circa Fratrum administrationem documenta depromit; & post, omnes ad perseverantiam in cruce Christi ferendâ hortatur, monens donum tam pretiosum non propriis meritis, sed Dei gratiâ & misericordiâ, humili ac devotâ supplicatione impetrandâ, conquiri. Postremò refert adigi se ad repetendum natale solum, & suam erga ipsos solicitudinem paterno affectu insinuans, eorum se devotioni commendat.

Dulcissimis suis Filiis, discentibusque charissimis, Fratribus frugalibus, cunctis simul Monachis suis, Columba peccator in Christo Salutem mittit.

PAX vobis, sicut Dominus optans dixit discipulis suis, sit & salus, & sempiterna charitas. Hæc tria (a) tribuat vobis Trinitas cum *eo, & inter vos custodiat cum voto meo. Studii mei magnitudinem erga salutis vestræ intuitû solus novit qui dedit, & desiderium meum erga doctrinæ vestræ profectum; sed quia juxta sermonem Domini orta est tribulatio & persecutio propter verbum, nulla nunc alia admonitio vobis congruit, nisi ut caveatis, ne sitis terra illa petrosa, quæ semina non potest, sui tenuitate cespitis, accepta nutrire; ne & de vobis dicat Dominus: *Orta autem tribulatione & persecutione propter verbum, continuò scandalizantur.* Nos ipsi scimus, quòd cum gaudio & fervore * suscepimus verbum Domini, caveamus nunc, ne (b) simus temporales. Patientia nobis necessaria est, *ut probatio fidei nostræ*, sicut scriptum est, *sit pretiosior auro.* Scitote quòd * (c) circa caduca contentio est, circa regnum cœlorum est: non est novum * pugna sit & contentio circa regnum. Neque speretis quòd homines per se vos persequantur: dæmones sunt in his, qui invident bonis vestris; contra quos arma Dei arripite, quæ demonstrat Apostolus, & viam facite in cœlum, jugulatis illis orationum ferventium ac si quibusdam sagittis. Quidquid enim cum fide & unanimitate oraveritis, dabitur vobis: sed videte, ut unum cor & anima una scitis, ut mercede præsenti accipiatis quidquid salutiferum petieritis à Patre Domini nostri JESU Christi, nostroque communi omnium Patre, juxta promissum Domini nostri dicentis: *Si convenerint duo ex vobis super terram de omni re quamcumque petierint, fiet eis à Patre meo, qui in cœlis est.* Alioquin si non unum velle & unum nolle habetis, melius est, ut non simul habitetis. Ideò mando ego vobis, ut omnes qui mihi ex corde volunt consentire, & sensum agnoscunt meum & amant, sint cum vero sequace (d) meo *Attala*, qui * aut sit ibi, * aut post me velit venire, suæ sit electionis; suo (e) enim sensui animarum vestrarum periculum, vos illi obedite. Sed si ille venire voluerit, (f) *Valdolenus* sit Præpositus, quia citò Deo auxiliante poterit intelligere certum. Sed interim, (g) cavete, ne sit inter vos, qui unum votum habeat inter vos, quicumque ille fuerit;

[Marginal notes: * forte eò. — Mat. 13. v. 21. — * MS. suscipimus. — 1. Pet. 1. — * non. — * et. — Math. 18. — *f an. *f an.]

plus enim nobis nocuerunt, qui apud nos unanimes non fuerunt. Tu scis, amantissime *Attala*, qui sensui tuo onerosi sint; depone continuò, tantum cum pace deponas, & cum Regulæ unitate, (*h*) tantùm *Libranum* honora, & semper (*i*) *Valdelenum* tene, si illic sit cum Congregatione; benè illi Deus faciat, humilis fiat, & meum illi da osculum, * quod tunc festinans non habuit. Tu verò indolis imbuendæ scis diu votum meum: si videris illic profectum animarum, sta ibi; si videris pericula, veni inde: pericula autem dico, discordiæ pericula; timeo (*k*) enim ne & illic propter Pascha sit discordia, ne fortè, Diabolo insidiante, vos alienare velint, si cum eis pacem non teneatis: infirmius enim nunc sine me ibi stare videmini. Idcircò cauti estote, considerantes tempus, quo sanam non sustinent doctrinam. Vos ipsos docete, & qui velint audire, tantùm inter vos non sit qui unum non sit. Paci (*l*) enim maximè provide, sollicitus semper *servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Quid enim prodest habere corpus, & non habere cor? Fractus sum, fateor, hac causâ, dum (*m*) volui totos adjuvare, qui *cum loquebar illis, impugnabant me gratis*: & dum omnibus credidi, penè factus sum stultus. Ideò tu prudentior esto: nolo subeas tantum onus, sub quo ego sudavi; scis jam guttulæ, seu meæ scientiæ parvitatem; didicisti non omnia omnibus convenire monita; quia mores diversi sunt, & qualitates hominum longè distant inter se. Sed quid facio? Jam te ad laborem illum immensum provocabo: (*n*) quod ego fugio ipse, si aperuero doctrinæ diversitatem, temperabo. Ergo diversus esto, & multiplex ad curam eorum, qui tibi obedierint cum fide & amore; sed tu & ipsum eorum time amorem, quia tibi periculosus erit. Sed angustiæ undique sunt, charissime; periculum si oderint, periculum, si amaverint. Scito utraque vera esse; inde vel odire, vel amare: in odio pax, in amore integritas perit. Tene igitur te ad unius desiderii impetum, quo meum scis cor desiderare. Scis me amare multorum salutem, & secretum mihimetipsi; unum pro profectu Domini, id est, Ecclesiæ ejus, alterum pro ipsius desiderio: sed hæc *vota sunt potiùs in me, quàm * acta; in te verò sint perfecta oro, quia me absente, utraque potes vel ex parte cognoscere: non jubens tamen scribo. Scito igitur meum ad totos jussum, ut quia diversa sensi multorum vota ad firmitatem Regulæ retinendam, ad (*o*) radicem ramos ligavi, qui sui fragilitate à meâ parvâ * declinaverint firmitate, id est, à doctrinæ recesserunt veritate. Qui enim sensum meum servaverint, sic Deo serviant, eligentes semper sibi sapientiores & religiosiores, si tamen humiles sint & misericordes. (*p*) Quicumque sint rebelles, foras exeant: quicumque sint obedientes, ipsi fiant hæredes. Hæc tu observa, & quicumque mei sunt, ex integro, & propter unitatem & humilitatem, quamvis multi, Christo vos dilatante & multiplicante, sitis, ad eum qui juxta (*q*) altare, quod *S. Aidus* Episcopus benedixit, Deo servierit, omnes aspiciant; (*r*) idcirco & * tu, si me istorum * persecutio. Hæc scripsi propter incertos exitus rerum. Mei voti fuit, gentes visitare, & Evangelium eis à nobis prædicari, sed (*s*) fel modo referente eorum teporem, penè meum tulit inde animum. Lachrymosam tibi volui scribere epistolam; * quia scio cor tuum, idcirco necessariis tantùm allegatis, duris & ipsis, arduisque, altero stylo usus sum, malens obturare, quàm provocare lachrymas: foris itaque actus est sermo mitis, intus inclusus est dolor. En * promunt lachrymæ, sed melius est obturare fontem; non enim fortis militis est in bello plorare. Non est hoc novum quod nobis contigit, hoc maximè quotidiè prædicebamus. (*t*) Quidam Philosophus olim, sapientior cæteris, eò quòd contra omnium opinionem unum Deum esse dixerit, in carcerem trusus est. Evangelia plena sunt de hac causa, & inde sunt maximè conscripta: hæc est enim veritas Evangelii, ut verè Christi crucifixi Discipuli eum sequantur cum cruce; Grande exemplum ostensum est, grande sacramentum declaratum est: Dei Filius voluntarius (*oblatus est* enim, *quia ipse voluit*) crucem ascendit ut reus, *relinquens nobis* (ut scriptum est) *exemplum, ut sequamur vestigia eius.* Beatus igitur est, qui hujus passionis & istius confusionis sit particeps. Inest enim aliquid admirabile celatum; *Quod* enim *stultum Dei est, sapientius hominibus; & quod infirmum Dei est, fortius hominibus est.* Mirum in modum cernitur in stultitia sapientia

Marginal notes: * mendosè quem. — 2. Ad Timoth. 3. — Ad Ephes. 4 — Psalm. 119. — * f. voto. — * f. acta — * al. declinaverunt. — * suppletur hæc sententia intra in Notis. — * l. sed quia — * f. promanant. — Isaiæ 53. — 1. Petr. 2.

pientia innumerabilis, & in infirmitate fortitudo incomparabilis. Ergo ibi absconsa sunt omnia desiderabilia refrigeria, salutis mysteria; sed dura sunt, ut pretiosa sint; obscura sunt, ut paucis sint digna; paucis verò digna, quia nimis mira sunt. Itaque patienter sustineamus omnia adversa pro veritate, ut
2. Ad Timoth. 2. simus participes Domini passionum: *Si enim compatiamur conregnabimus.* Quid his adjiciendum est, nisi perseverantia?
Math. 10. *Qui* enim *perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* In fine enim judicium consistit, & in exitu laus canitur. Sed ut sit perseverans oret jugiter quisque auxilium Dei cum omni mentis humi-
Rom. 9. litate; *Non enim,* inquit, *volentis, neque currentis, sed Dei miserantis est; quia* ma-
Psalm. 62. jor & *melior est Dei misericordia super vitâ* quamvis bonâ hominis; non enim digni sunt misericordiâ nisi qui se miseros confitentur coram Deo, & indignos se sentiunt salute per se, nisi solâ Domini misericordiâ de tantis periculis eripiantur. Qui licet bonorum conscii sibi sint operum, tamen Dei judicia timentes, & multa perpetrasse injusta gementes, in Dei solius pietatem humiliter confidunt: quorum timor perfectus plus placet, quò plus humilitati studet:
Psalm. 146. *Beneplacitum enim Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.* Nullum itaque salvabit dextera sua, juxta verbum Domini ad Job (quo justificationem illius quibusdam potentiæ experimentis quodammodò
Job 40. derisit, dicens: *Et tunc confitebor quod salvare te poterit dextera tua*) nisi qui humiliter suam possibilitatem, & ipsam datam exercuerit cum timore & tremore, in voluntate Dei orans frequen-
Psalm. 50. ter: *Ne proiicias me à facie tua, & ne repellas me à mandatis tuis*, quia *sæpe*, ut ait quidam, *magnitudo virtutis quibusdam fuit occasio perditionis*; qui nimirum ex quo pulchriores sunt virtutibus, ab humilitatis gradu descendunt; inde
Ezech. 32. scriptum est: *Quo pulchrior es, descende, surge, & dormi cum incircumcisis*, ac si aliis verbis animæ diceret superbę: quia tua sanctitate te elevasti in superbiam, descende inde modò, & esto inter peccatores computanda, quia nihil apud me est quod cum superbia efficitur. Angusta, vides, porta est, & paucis degressa perfectionis via, quæ à læva vitia; à dextera vanitatis & superbiæ mala declinat. Gradiendum igitur est viâ regiâ ad civitatem Dei viventis, per afflictionem carnis, & contritionem cordis; per corporis laborem, & spiritus humiliationem; per (v) studium nostrum, officii rem legitimi, non meriti dignitatem, &, quod his majus est, per Christi gratiam, fidem, spem, & charitatem. Multa cerne pericula, cognosce causam belli, glorię magnitudinem, fortem non nescias hostem, & (w) libertatem in medio arbitrii, portam intellige hostibus apertam ab Aquilone; ideo & Hierusalem ab Aquilone aperitur; inde illâ parte observat in Aquilone inimicus habitans. Inde scriptum est; *ab A-* Jerem. 1.
quilone exardescunt mala super omnem terram. (x) Si tollis hostem, tollis & pugnam; si tollis pugnam, tollis & coronam; si hæc sint, ubi fuerint, virtus, vigilantia, fervor, patientia, fidelitas, sapientia, stabilitas, prudentia sint necesse est; si non, strages. Et ut inferam; Si tollis (y) libertatem, tollis dignitatem. Ecce quibus circumdamur diversitatibus, & quibus circumluimur, ac si
* vortigum fragoribus, charissime Di- * al. verticum.
scens, exceptis quæ intrinsecus latent, & intra nosmetipsos quotidie militãt contra nos. Ideò in tantis periculis (z) velle & currere, licet tuum, non est tuum: non enim sufficit infirmitas humana inter tantas contrarietates pervenire ad quod vult, nisi (aa) misericordia Domini & velle faciat vota gaudentis compleri, & currere, prosperitate, lapsus, & offendicula, casusque contrarios evadente, cursus inoffensè finiri. Quapropter mentis humilitas (bb) meriti est causa; sine auxilio enim non potest adjuvari; non meretur superbus, induratur derelictus; ingratus non orans, indevotus est servus. Piger flagellatur in vita, contemnitur famulatio; (cc) desperatus etiam fastidio, dignus viris esse minimè reputatur. Quid ergo dicemus ad hęc ô nos miseri, qui antequam malis carere * meremur, bonis nobis blan- * corruptè
dimur, & ante vitiorum depositionem, mereremur.
perfectionem habere speramus. Totum scire cupimus, totum facere quod scimus piget, sperantes dicta pro factis rependere posse. Forsan hoc hîc, nam illic (dd) non posse manifestum est ante Dominum; quia ibi non qui dixerit,
sed qui fecerit, saluus erit. Nunc mihi Math. 7.
scribenti nuncius (ee) supervenit, narrans mihi navem parari, qua invitus vehar in meam regionem; sed si fugero,

 nullus

nullus vetat custos: nam hoc videntur velle, ut ego fugiam. Si in mare projiciar more Jonæ, qui & ipse in Hebræo *Columba* dicitur, orate ut vice ceti sit quisdam fœlici revocans remigio (*ff*) tutus celator, qui Jonam vestrum terræ reddat optatæ. Sed jam nunc finem epistola * pergaminæ sumere cogitur, licet materię magnitudine protendi longius * compellitur: amor non tenet ordinem; inde missa confusa est. Totum dicere volui in brevi, totum non potui. Quæ volui scribere, nolui pro diversitate voluntatum. Voluntas mea fortè lenocinio non caret; fiat voluntas Dei per omnia; ille si voluerit, votum scit meum. Vos videte conscientias vestras, si puriores & sanctiores sunt me absente; nolite me quærere per amorem, sed per necessitatem tantùm. Non sitis occasione hac destitutores, neque hac separatione libertatem quæratis, quę vos in servitutem vitiorum redigat. Meus est, qui amat unitatem, non est meus qui separat: *Qui* enim *non congregat*, ait Dominus * meus, *dispergit*. Alioquin si videatis perfectionem à vobis plus elongari, quàm antè, & me sors à vobis separaverit, & non sufficiat Attala ad gubernationem vestram, quia Fratres vestri hîc in vicinia Brittonum sunt; vos totos insimul adunate in una parte, quæ melior sit, quò faciliùs contra vitia, & insidias diaboli dimicetis, & (*gg*) quem toti elegeritis, interim vobis præsit; quia si mihi liberum sit, Deo volente, pertinebit mihi de vobis. Si verò vobis placent loca; & Deus illic vobiscum ædificat; crescite ibi cum benedictione in mille millia. Orate pro me viscera mea, ut Deo vivam.

*pergamena.

* al. compellatur.

Lucæ 11.

* al. mecum.

Genes. 24.

ANNOTATIONES.

(a) TRibuat vobis Trinitas cum eo. Fortè cum ea, id est, cum seipsa quasi diceret: det vobis ista Deus, & tandem seipsum.

(b) *Ne simus temporales*, hoc est, inconstantes, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Et hi sunt, qui radices non habent Luc. 8. licet cum gaudio suscipiant verbum.

(c) *Scitote quod circa caduca contentio est*. Videtur hic deesse unum *non*, ante verbum *est*, quo posito constructio est clara; sed illo etiam dempto satis cohæret: nam sensus est: *Scitote quod circa caduca contentio est*, nempe inter amatores sæculi, & etiam circa Regnum cœlorum est (apud mundi contemptores) pro quo, velut incorruptibili & immarcessibili hęreditate pugnare, non est novum aut mirum.

(d) *Sint cum vero sequace meo Attala*. Vide notata ad caput primum Vitæ S. Columbani.

(e) *Suo enim sensui animarum vestrarum periculum*. Videtur hic deesse *commisi*, aut verbum aliquod simile.

(f) *Valdlenus*, seu Waldolenus, *sit Præpositus*. Fuit hic collega S. Walerici Abbatis in monasterio Luxoviensi, & unà cum ipso, annuente S. Columbano, ad Clotharium Regem perrexit, à quo impetratis monasterio ædificando opportunis subsidiis, in territorio Ambianensi cœnobium construxerunt, ut latius in Vita S. Walerici continetur apud Surium 1 April. ubi sequentia de missione Waldoleni ad prædicandum. *Quidam ex Fratribus, Waldolenus nomine, quodam desiderio inflammatus, petiit à B. Columbano copiam apud gentiles Christum prædicandi, sociumq; sibi in eo opere, fovendæ religionis causa, venerabilem Virum Walericum adsciscendi; cui B. Pater sic fertur respondisse: Tu quidem bono zelo duci videris, sed noveris Walericum magnum esse apud omnipotentem Deum; cave igitur ne molestus ei sis, ne quam scandali materiam excites. Permisit ergo illi, ut eum sibi adiungeret, sed postea ut Vir sanctus prædixerat, evenit*, Deo scil. per S. Walericum multa magnalia operante.

S. Waldolenus & Walericus mittuntur ad prædicandum.

(g) *Cavete ne sit inter vos, qui unum votum habeat inter vos*, nempè diversum, vel contrarium aliis: Supra enim hortatus fuerat eos, ut unum velle & nolle haberent, juxta illud Act. 4. *credentium in Domino erat cor unum & anima una*, & consequenter nunc admonet, ne quis inter eos permittatur, qui non sit unius animi & voti cum reliquis. Et rationem subdit ab experientia: *plus enim nobis nocuerunt, qui apud nos unanimes non fuerunt*.

Actor. 4.

(h) *Tantum Librarium honora*. Alium hujus

hujus nominis virum Sanctissimum reperio in correctiori historiâ vitæ S. Columbæ Hiensis per Adomnanum lib. 2. cap. 40, quam extractam ex MS. Codice monasterii S. Magni ad pedem pontis Ratisbonæ habui à R. P. Stephano Vito Soc. JESUS. Theologiæ Doctore & Professore. Qui Libranus *Arundineti* cognominatus, quòd multis annis arundines colligeret, ex Connacia in Hibernia oriundus, post expletam septem annorum in monasterio *Longicampi* pœnitentiam, sibi à S. Columba pro homicidio impositam, liberatus per merita ejusdem Sancti à servitute, cui erat adstrictus, ad S. Columbam, qui eum proinde *Libranum* apellavit, reversus est, & post emissum monasticæ professionis votum, ad Monasterium *Longicampi* à S. Columba denuò remittitur, & inter ejus Monachos in Hibernia meritis & ætate grandævus, prout ipsi S. Columba discedenti prædixerat, vitam præsentem fœliciter finivit. Quæ omnia minimè quadrant in nostrum *Libranum*, Luxoviensis Columbani, non Columbæ Hiensis, Monachum, quem non in Hibernia, sed Luxovii, vel alibi inter Columbani Monachos obiisse verisimile est.

(i) *Tene Valdelenum si illic sit cum Congregatione.* In MS. legitur mendosè *sis*, pro quo substituimus *sit*, ut sermo referatur ad Valdelenum, de cujus discessu erat adhuc dubius, non ad Attalam, quem credebat Columbanus cum aliis Fratribus in Burgundia tunc fuisse.

(k) *Timeo ne & illic propter Pascha sit discordia.* Ex epistola secunda suprà positâ variis in locis constat non levem inter ipsum Sanctum, & Episcopos Gallicanos de hac controversia quæstionem intercessisse; qua de re alibi. Timet autem hîc Columbanus, ne aliqui ex suis Monachis, abjectâ suâ (quam veriorem ipse credebat) traditione, aliam sequerentur.

(l) *Paci enim maximè provide.* Hoc ad Attalam ipsum refertur, quem hic alloquitur, ei Fratrum curam ad tempus committens.

(m) *Dum volui totos adiuvare. Totos* pro *omnes.* Quo sensu eandem vocem sæpe usurpat Vir Sanctus; in qua significatione apud alios quoque legitur, ut notavi ad calcem epistolæ 2.

(n) *Quod ego fugio ipse.* Hoc referri potest ad antecedentia verba, vel ad subsequentia: si ad illa referatur; talis erit constructio: *Jam te ad laborem illum immensum provocabo, quem ego fugio ipse.* Si verò ad posteriora, erit hic sensus: illud quod ego *fugio ipse, temperabo, si aperuero doctrinæ diversitatem.* Et hoc posterius videtur habere germanus litteræ sensus ut colligitur ex contextu, & illo relativo neutraliter posito, quod non potest ad illud quod ibi præcedit, nempe *laborem*, congruè referri, sed ad sequentia modo prædicto.

(o) *Ad radicem ramos ligavi.* Hoc est, (ut arbitror) juniores & adhuc in religione immaturos senioribus & provectioribus, tanquam jam in observantiâ regulari radicatis, hoc est, perfectis, conjunxi, ut sub illorum curâ ac disciplinâ viventes, crescant *in viros perfectos in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

(p) *Quicumque sunt rebelles, foras exeant.* Ex hoc loco habemus, etiam apud antiquos usu receptum fuisse, ut contumaces è monasteriis expellerentur; quod colligitur ulterius ex Regula S. Augustini, ad hoc facultatem & jus tribuente, ac decernente, *ut si quis emendatoriam subire vindictam recusaverit, de societate proiiciatur.* Item ex S. Benedicti Regula cap. 19. manifestè statuente, Monachum, qui sæpè admonitus sese non emendaverit, *ferro abscisionis eiiciendum.* Deinde utitur vocabulo *proiectionis è Monasterio*, ex quibus & aliis Monachorum Regulis & statutis in hoc juri etiam Canonico consonis, communis est opinio Doctorum, posse incorrigibiles è Religionibus expelli, pro qua D. Thomam, S. Bonaventuram, Humbertum, Turrecrematam, Silvestrum, & alios ab Azorio relatos invenies lib. 12. inst. moral. c. 16. qui non solùm pro contumacia, sed pro aliis etiam criminibus eandem pœnam infligi posse sustinet probabilius.

Contumaces è Monasteriis ejici posse.

(q) *Altare quod S. Aidus Episcopus benedixit.* An sermo sit in hoc loco de S. *Aido* Hiberno magnæ sanctitatis Viro, cujus Acta describit *Capgravius* in Legenda trium regnorum, compertum nõ habeo.

habeo. Tempora quidem consentiunt; nam hic *Aidus* supervixit S. Columbæ Hiensi, cujus gloriosæ ad cœlum translationi inter choros adstitit Angelorum, ut in ejus Vita memoratur, fuitque S. Columbano coævus; ac sic ex Britannia, in qua frequenter versabatur, potuit ad ipsum visitandum in Burgundiam commigrasse, ibique altare illud consecrasse. Verùm his obstat quòd iste *Aidus* suprà non Episcopus, sed Abbas fuisse scribatur: nisi dicamus ideò vocari Abbatem, quòd relicto forsan Episcopatu monasterium intrârit & rexerit. Hoc enim Hibernis olim erat consuetum; nam de *S. Forannano* Episcopo legitur quòd post administratum in Hibernia Episcopatum, Valciodoren. Cœnobium Diœcesis Namurcensis in Belgio usque ad mortem rexerit. Simile traditur de *S. Cumeano* & *Marco* Hibernis itidem Episcopis; quorum ille in monasterio Bobiensi, ut infrà ad cap. ult. Vitæ S. Columb. plenius dicetur; hic verò Roma rediens, renunciato Episcopatu suo, quem in Hibernia administrabat, reliquum vitæ tempus in monasterio San-Gallensi transegisse legitur cum Nepote suo *Marcello* seu *Moengal*, San-Gallensium Scholarum primo Rectore. Habitantem ergo juxta altare ab hoc *Aido*, vel alio aliquo ejusdem nominis, sive in Gallia, sive in Hibernia, aut Britannia Episcopo consecratum, ex speciali aliquo titulo jubet ab omnibus specialem honorem & reverentiam exhiberi. Adhæc non improbabilis forte conjectura videri posset, hoc loco legendum pro *Aidus*, *Arigius* Episcopus, cui suas de Paschate lucubrationes transmiserat Columbanus, & à quo, velut Galliarum tunc Episcopo, memorati altaris benedictionem seu consecrationem facilè potuit impetrare. Cæterùm ubi situm fuerit illud altare, vel Ecclesia hactenus scire non potui.

(r) *Idcirco & tu, si me istorum persecutio.* Hic sensus est imperfectus, forsan hâc aut aliâ simili clausulâ supplendus: *ad vos denuò redire prohibuerit, me sequi poteris.* Quod Attalam fecisse ad cap. 1. Vitæ S. Columbani notatum invenies.

(ſ) *Sed fel modo referente eorum teporem pene meum tulit inde animum.* An forsan hujus clausulæ sensus iste? Fellis commotio ex cognito eorum (quibus prædicare decreveram) tepore, in me excitata, penè meum animum à proposito abstraxit prædicandi gentibus.

(t) *Quidam Philosophus olim sapientior cæteris.* Nempe Socrates, qui teste Laertio lib. 2. de Vit. Philos. propterea quòd negaret plures deos, damnatus est judicum ducentis octoginta & unâ sententiis, & posteà aliis septuaginta prolatis in vincula conjectus est.

(v) *Per studium nostrum officii rem legitimi, non meriti dignitatem.* Id est, per seriam operis executionem, & non per vanam de meritis nostris vel eorum dignitate præsumptionem.

(w) *Libertatem in medio arbitrii portam intellige hostibus apertam ab Aquilone.* Libertas arbitrii dicitur porta hostibus aperta ab Aquilone, quatenus ipsa per electionem & consensionem in malum, animæ hostes intromittit. *Cur*, inquit S. Basilius serm. de lib. arbit. *anima ad malum suscipiendum apta fuit? Propter liberum arbitrium, quod maximè rationalem naturam decet*; utique quod sibimetipsi, vel mortem, vel salutem appetere potest juxta illud Ecclef. 15. *Deus reliquit hominem in manu consilii sui &c.* Et infrà: *Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Cum bono relicto malum eligit, portam aperit hostibus ab Aquilone. *Si quis pietati studet, Dei homo est: si impiè agat, diaboli est, non id factus per naturam, sed per animi arbitrium,* inquit Irenæus ep. 100. ad Magnes. Libertas nostra quomodo porta hostibus aperta ab Aquilone.

(x) *Si hæc sint, ubi fuerint virtus, vigilantia &c. Si non, strages.* Clarior fit sensus si legatur *ibi* pro *ubi*, & post *strages* subintelligatur, *erunt* vel quid simile; erit enim constructio talis: *si hæc sint* (hostes scilicet & pugna &c.) *ibi fuerint virtus, vigilantia, &c. sint necesse est*; *si non, strages*, id est. Si non fuerint istæ virtutes, erunt strages. Possunt etiam hæc posteriora verba salvo sensu conjunctim sumi, & rectè cum prioribus construi illo etiam adverbio *ubi* retento sic: *Si hæc sint, ubi fuerint, sint necesse est virtus, vigilantia, &c. si non, strages.* Et hæc posterior videtur germana hujus sententiæ constructio.

(y) *Si tollis*

(y) *Si tollis libertatem, tollis dignitatem.* Nam per eam divinæ maximè naturæ ſimiles efficimur. Unde Tertullian. lib. 2. adverſ. Marcion. c. 5. *Liberum & ſui arbitrii & ſuæ poteſtatis invenio hominem à Deo inſtitutum, nullam magis imaginem & ſimilitudinem Dei in illo animadvertens, quàm ejuſmodi ſtatus formam. Neque enim facie & corporalibus lineis, tam variis in genere humano, ad uniformem Deum expreſſus eſt, ſed in ea ſubſtantia, quam ab ipſo Deo traxit, id eſt, animæ ad formam Dei ſpondentis, & arbitrii ſui libertate & poteſtate ſignatus eſt.* Si itaque tollis libertatem, tollis hanc dignitatem, quâ ſublatâ comparatur homo jumentis inſipientibus & ſimilis efficitur illis, jam non arbitrâ voluntate, ſed ſervili neceſſitate ad obediendum inclinatus. Vide contra Hæreticos libertatem negantes Bellarmin. de grat. & lib. arb. l. 3. & 4. c. 9. & 5. c. 18. & ſeqq. Coccium tom. 2. controv. lib. 1. de nat. hominis art 5. qui multa S. Scripturæ & Sanctorum Patrum loca pro hac veritate adducunt.

Quomodo in libertate conſiſtat hominis dignitas.

(z) *Velle & currere licet tuum, non eſt tuum; ſed Dei miſerentis. Bonum quippe quod agimus* (inquit S. Gregorius lib. 33. in Job c. 10.) *& Dei eſt, & noſtrum: Dei per prævenientem gratiam; noſtrum per obſequentem liberam voluntatem: ſi enim Dei non eſt, unde ei gratias in æternum agimus. Rurſum, ſi noſtrum non eſt, unde nobis retribui præmia ſperamus? Quia ergo non immeritò gratias agimus, ſcimus quod ejus munere prævenimur: & rurſus quia non immeritò retributionem quærimus, ſcimus quod ſubſequente arbitrio bona eligimus quæ ageremus.*

(aa) *Niſi miſericordia Domini & velle faciat vota gaudentis compleri; & currere, proſperitate lapſus & offendicula caſuſque contrarios evadere, curſus inoffensè finiri.* Hæc clauſula nonnihil intricatior, videtur ſic conſtruenda: Niſi miſericordia Domini & vota gaudentis compleri, hoc eſt, perfici, faciat *velle*, ſeu *bene deſiderare*, & etiam *currere* (ſupple, faciat) in offenſè finiri, proſperitate curſus evadente lapſus & offendicula, caſuſque contrarios. Ubi vult quod gratia Dei ſit quæ dat velle & poſſe: & per hoc dictæ clauſulæ ſenſus eſſe videtur, quod niſi miſericordia divina faciat, hoc eſt, det vel concedat, *velle gaudentis* &c. ſeu bonam voluntatem, quæ competit homini inquantum gaudet ſua vota compleri, hoc eſt, uno verbo, niſi det bonam inſpirationem & deſiderium per gratiam prævenientem, & *currere*, inoffensè finiri, id eſt, niſi det perficere & conſummare per gratiam ſubſequentem ſeu concomitantem, lapſus & offendicula excludentem, non perveniet ad intentum &c. Quam ſententiam alibi clarius expreſſit, cùm ait quòd *niſi divinâ gratiâ nos præveniente, opus bonum inchoare, & eâdem ſubſequente, ipſum conſummare non valemus.* Aliter tamen breviùs, & fortaſſe magis ad mentem S. Columbani, totam iſtam phraſim ſic interpretabimur: *niſi miſericordia Domini & velle*, ſeu voluntas Domini, *faciat vota gaudentis* in ejus ſervitio *compleri*; & *currere* ſeu cooperatio Domini faciat, *proſperitate, lapſus & offendicula, caſuſq; contrarios evadente, curſus inoffensè finiri* &c.

(bb) *Humilitas meriti eſt cauſa.* Pro quanto videlicet ipſa gratiam, & charitatem per quam meremur facilè impetrat juxta illud: *Ad quem reſpiciam* (nempe per gratiam) *niſi ad humilem & quietum, & trementem ſermones meos:* & illud: *humilibus interſum cogitationibus.* Et hinc S. Bernardus in Cantica dicit: *cum te humiliatum videris, habeto illud ſignum in bonum animæ argumentum gratiæ propinquantis.* Et iterum in epiſtolis: *fode in te fundamentum humilitatis, & pervenies ad faſtigium charitatis. Vis capere celſitudinem Dei? cape prius humilitatem Chriſti. Sola eſt virtus humilitatis, reparatio læſæ charitatis.* Quia ergo humilitas Deum facilè ad miſericordiam & gratiam præſtandam flectit, cauſa meriti dici poteſt, licet in rigore & de condigno ſola charitas & actus ex ea eliciti, vel imperati mereri poſſint.

Quomodo humilitas meriti cauſa.

(cc) *Deſperatus etiam faſtidio, dignus viris eſſe minime reputatur.* Poſui *minimè*, loco alicujus vocabuli ſimilis, ita mendoſè exarati, ut legi aut intelligi facilè nequeat. Porrò ſententiæ ſenſus eſt, quod deſperatus præ faſtidio, non reputatur dignus viris, hoc eſt, conſortio virorum.

(dd) *Illic non poſſe manifeſtum eſt.* Scilicet in ſupremo judicio.

(ee) *Supervenit narrans mihi navem parari, qua invitus vehar in meam regionem.*

nem. Hinc colligitur ex Nannetensi civitate hanc epistolã fuisse transmissam, ubi moram trahebat vir Sanctus cùm Sophronius loci Episcopus cum Theobaldo Comite navem quæri jussisset, qua in Hiberniam ipse cum suis juxta Regis præceptum veheretur, ut constat ex Jona cap. 22. vitę ipsius.

(ff) *Tutus celator*, occultator, seu protector, qui ipsum instar ceti, intra se occultet, seu celet, & à fluctibus defendat.

(gg) *Quem toti elegeritis, interim vobis præsit.* Non obstantibus iis, quæ suprà de Attalæ, vel Valdoleni in Præpositum ordinatione dixerat, hîc propter incertos rerum eventus, liberum suis Monachis communi suffragio sibi Superiorem eligere permittit; unde supra dixit: *Si non sufficiat Attala ad gubernationem vestram.* &c. nempe vel propter multitudinem nimiam, aut dispersionem Fratrum per dissita loca. *Interim* inquit, *vobis præsit*, quousque videlicet aliud ipse de ipsorum administratione disponeret; quod & posteà fecit, transmisso ipsis in Abbatem ex montanis Germaniæ *S. Eustasio*, qui proximus ejus in Luxoviensi cœnobio successor extitit.

EPISTOLA IV.

AD BONIFACIUM PAPAM.

ARGUMENTUM.

Hæc est altera ad Bonifacium Papam Epistola, in qua Vir Sanctus præmissâ huius tam liberæ scriptionis necessitate, confidenter ipsum admonet Pastoralis officii, magnam exortam suggerens tempestatem, quam filiali fiducià fretus audet exponere. Monet ergo Bonifacium, ut ovibus suis, luporum undique morsibus expositis, quorum multi, tum in Italia, ubi hæc scripta sunt, catuli, pro dignitate honoris Apostolici & oneris, quod suscepit, ratione invigilet: Quia forte, *inquit*, non benè vigilavit Vigilius, quem caput scandali isti clamant. *Et proinde ipsum ad vigilantiam adhortatur; primùm in fide; deinde in operibus, & religione, licentiosam & luxuriosam vivendi rationem exponens fidelium regionis unde hæc scripsit, quorum spiritualem deplorat ipse desidiam, ortam ex quodam Schismate, quod causam doloris peperit etiam ipsi Regi Longobardorum Agilulfo, cuius rogatu hæc Epistola exarata fuit. Ad quod tollendum; simulquè sinistram suspicionem de ipso Pontifice, tanquam de hæreticorum receptore subortam, diluendam, hortatur ipsum,. ut cogat* Concilium, *in quo longas componat discordias, & seipsum purget, ne* Caput Ecclesiarum *(à quo suos fatetur* Columbanus *fidem accepisse) detrimentum incurrat, & authoritas Successoris Petri apud subditos vilescat. Suggerit deinde hæreticum illum, qui duas in Christo substantias negabat, expellendum ab Ecclesia, sicut & alios omnes, qui contraria fidei orthodoxæ dogmatizant. Postremò veniam petit tam liberæ scriptionis; quippè quam non ex aliqua præsumptione, sed ex necessitate susceperit, Regis videlicet præfati suasione, qui ad scribendum impulit, & Epistolæ cuiusdam, qui ipsum Bonifacium, tanquam Nestorianæ sectæ fautorem, cavendum esse Columbano scripserat, interpellatione compulsus.*

Pulcherrimo (a) *omnium totius Europæ, Ecclesiarum Capiti, Papæ prædulci, præcelso* (b) *Præsuli, Pastorum Pastori, Reverendissimo speculatori; humillimus celsissimo, minimus maximo, agrestis urbano, micrologus eloquentissimo, extremus primo, pere-*

mo, peregrinus indigenæ, pauperculus præpotenti, (mirum dictu! nova res) rara avis, scribere audet Bonifacio Patri (c) *Palumbus.*

QUIS poterit *(d)* glaber audire? quis non statim dicat? Quis est iste garrulus, præsumptuosus, qui non rogatus talia scribere audet? Quis talionis incentor non confestim in illud antiquum probrosum erumpat elogium, quo Moysi Hebræus ille, qui faciebat injuriam fratri suo, respondit:
Exodi 2. 14. *Quis te constituit Principem, aut Judicem super nos?* Cui ego prior respondeo, non esse præsumptionem, ubi constat esse necessitatem ad Ecclesię ædificationem: &, si in persona cavillatur, non quis dico, sed quid dico, consideret. Quid enim tacebit peregrinus Christianus quod jam diu declamat vicinus Arianus?
Prov. 27. 6. *Meliora* namque *sunt vulnera amici, quàm fraudulenta oscula inimici.* Alii detrahunt læti in secreto, ego tristis ac dolens arguam in publico; sed Schismatis noxii mala, non impiorum pacificorum bona. Non igitur pro vanitate aut procacitate scribere vilissimæ qualitatis homunculus tam præcelsis viris præsumo: dolor enim potiùs me, quàm elatio compellit vobis indicare, humillimâ, ut decet, suggestione, quòd nomen Dei *(e)* per vos contendentes utrinque, blasphematur inter gentes. Doleo enim, fateor, de infamia Cathedræ S. Petri: scio tamen super me esse negotium, & quòd primâ fronte sub prunas, ut dicitur, faciem ponam; sed quid mihi facies coram hominibus, ubi *zelus fidei prodi necesse est? Coram Deo & Angelis non confundar; laus est pro Deo coram hominibus confundi; si exaudiar, commune lucrum erit: si despiciar, mea merces erit. Ego enim, ut amicus, ut discipulus, ut pedisequus vester, non ut alienus loquar; ideò liberè eloquar nostris utpotè magistris, ac spiritualis navis Gubernatoribus, ac mysticis Proretis dicens: Vigilate, quia mare procellosum est, & flagris exasperatur feralibus, quia *(f)* non à solâ minax undâ, quæ etiam permota pontum *semper cautis spumosis concavę vorticibus, hyperbolicè licet de longè turgescens extollitur, & ante se calabra sulcatis octo millibus trudit; sed tempestas totiùs elementi, nimirùm undique consurgentis, & undique commoti, mysticæ navis naufragium intentat; ideò addo timidus nauta clamare: Vigilate, quia aqua jam intravit in Ecclęsiæ navem, & navis periclitatur. Nos enim SS. Petri & Pauli & omnium discipulorum, divinum canonem * Spiritu Sancto scribentium, discipuli sumus, *(g)* toti Heberi, ultimi habitatores mundi, nihil extra Evangelicam & Apostolicam doctrinam recipientes: Nullus hæreticus, nullus Judæus, nullus schismaticus fuit; sed fides Catholica, sicut à vobis primùm, Sanctorum scilicet Apostolorum Successoribus, tradita est, inconcussa tenetur. Quâ fiduciâ roboratus ausus sum, ac si stimulatus, suscitare vos contra eos, qui blasphemant tuos, *(h)* & hæreticorum receptores clamant ac schismaticos vocant, ut gloriatio mea, quâ pro vobis fidus illis respondens locutus sum, non sit inanis, & illi confundantur, non nos. Ego enim pro vobis promisi, quòd nullum hęreticum Ecclesia Romana defendat contra Catholicam fidem, sicut discipulos ita decet sentire de magistro. Idcircò libenti animo, & piis auribus necessariæ insinuationē præsumptionis meæ suscipite: quidquid enim dixero aut utile, aut orthodoxum, vobis reputabitur; Proverb. 10.
laus enim magistri in discipulorum suorum doctrina est; ideò si sapienter locutus fuerit filius, lætificabitur pater, & vestra laus erit, quia à vobis, ut dixi, processit; non enim rivo puritas, sed fonti reputanda est. Si verò aliqua, tanquam zeli modum excedentis, verba, aut in hac, aut in alterâ contra *Agripp....* qui me movit ad scribendum epistolâ inveneritis incondita, meæ indiscretioni, non elationi deputetis. Vigilate itaque pro Ecclesię pace, subvenite ovibus vestris, jam tanquam luporum terroribus, pavidis; quæ vos ipsos insuper, nimio utpote pavore *(i)* in alternantem circumactæ, convertibulum timent. Ideò dubitantes partim venientes, partim verò recedentes, sicut veniunt, sic revertuntur, & semper in pavore sunt. Quamobrem, utere veri, ô Papa, Pastoris sibilis, nota-

* f. zelum.

* f. super.

* deest dictante aut quid simile.

 lis, nota-

lis, notaque voce, & sta inter illas & lupos, ut deposito pavore, tunc primùm te ex integro cognoscant Pastorem. Populus enim quem video, dum multos sustinet hæreticos, zelosus est, & citò tanquam grex pavidus turbatur, & inde non citò securus est, quia tantos Italia lupos habuit, quorum catuli vix possunt toti elidi; dum nimirùm inter antra tanti nutriti sunt. (k) Antra deleat Deus, * tale semen, & nutriat * grege suo: teque compungat, vigilanter insistas officio tuo pastorali, stans super custodiam tuam die ac nocte, (l) ut videas baculum illum nuceum, quem uncinum posteà videre merearis tempore fructus colligendi veros. Ut ergo honore Apostolico non careas, conserva fidem Apostolicam, confirma testimonio, robora scripto, muni Synodo, ut nullus tibi jure resistat. Noli despicere consiliolum alienigenæ, tanquam doctor illius zelantis pro te. Mundus jam declinat, Princeps Pastorum appropinquat, cave ne te negligentem inveniat, & conservos pugnis mali exempli percutientem, manducantemque cum Hebræis, & bibentem, (m) ne contingat sequentia securitati: *Qui enim ignorat, ignorabitur.* Non sufficit tibi quòd pro te ipso sollicitus sis, qui multorum curam suscepisti: cui enim plus creditur, plus ab eo exigitur. Vigila itaque quæso Papa, vigila; & iterum dico: vigila: quia (n) fortè non benè vigilavit *Vigilius*, quem caput scandali isti clamant, qui vobis culpam injiciunt. Vigila primò pro fide, deinde pro operibus fidei jubendis, vitiisque calcandis, quia tua vigilantia multorum erit salus, sicut è contrario tua securitas multorum erit vastatio. Mittat te Isaias in montem, *qui evangelizas Sion*; imò per Isaiam Deus, (o) juxta tui nominis interpretationem, in speculam veræ contemplationis ponat; in qua, quasi cunctis mortalibus altior positus, vicinusque cœlestium effectus, *exaltans quasi tuba vocem tuam annuncies populo* Domini tui, tibi ab eo commisso, *peccata eorum, & domui Jacob iniquitates eorum.* Noli timere culpam mendacii; habes enim quod annunciare debeas; multi enim, quod gravius est, per securitatem Pastorum in his regionibus dejecti sunt, & multi per prosperitatem infœlicissimæ abundantiæ decepti sunt. Inde quia juxta minas Domini, sanguis Sanctorum de manibus requirendus erit Pastorum, vigilandum est diligenter, id est, prædicandum est frequenter verbum Domini, à Pastoribus scilicet Ecclesiæ, speculatoribus, & magistris, ut nullus pereat per ignorantiam. Si enim per socordiam perierit, suus sanguis in suum caput reputabitur. Sed cur hæc mordaciùs diu omnibus nota commemoraverim, in subjectis subnectam. Faciunt enim & hæc ad proposita suggestionis primæ genera; ligata namque sunt simul utraque: ex his enim pendent illa; & ideò ista primùm amputanda sunt; non enim curat de errore, qui non curat de religione; hîc namque totus consistit agon, hîc tota stat causa; hic ille *gladius* bis acutus *pertingens usque ad divisionem carnis & animæ, compagum, medullarum, qui est discretor cordis, & cogitationum,* usque ad os debet secare nervos. Hinc sale divino sermo noster *conditus est (omne nempe sacrificium sale aspergi præceptum est:) (p) hinc scintillæ de igne illo divino, quem Dominus in terram mittere venit, descendentes comburant lignum, fœnum, stipulam, quæ malè superædificantur à multis super fundamentum. Hoc admirandum cur toties superædificamur Christiani, præter quod *nemo aliud potest ponere, præter id quod positum est, quod est* JESUS *Christus?* Heu quanta gehennæ fomenta ubique præparantur de his infœlicibus ædificiis, super quæ comburenda sermo ille scintillans Domini descendens de incendii illius semper vivi immensitate cecidit dicendo: *Attendite vobis, ne forte aggraventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos dies illa repentina;* tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem universæ terræ. Vides quo terrore Dominus nostrum soporem, ac noxium teporem ad vigilantiam suscitat, ne imparati inveniamur. Ideò ego dixi: Papa vigila; tempus est de somno surgere, Dominus appropinquat, & propè jam in fine consistimus inter tempora periculosa. Ecce conturbantur gentes, inclinantur regna; ideò citò dabit vocem suam Altissimus, & movebitur terra. Ego quasi timidus, dum non sim fortis bellator, quia hostem adversariorum circumdedisse nos video, te licet importunis clamoribus, tanquam Ducum Principem suscitare conor;

Margin notes: * &. * l. grege suo. — Amos 8. — 1. Cor. 14. — Isaiæ 40. — Isaiæ 58. — Apocal. 4. Hebræor. 4. — * f. condiendus. — 1. Cor. 3. — Lucæ 21.

conor; ad te namque totius exercitus Domini, in campo potiùs torpentis; quàm pugnantis; & partim (quod lachrimabilius est) adversariis potiùs manus dantis, quàm resistentis, periculum pertinet. Te totum expectat, qui potestatem habens omnia ordinandi, bellum instituendi, duces excitandi, arma corripi jubendi, aciem construendi, (q) tubas undiq; sonandi, certamen demùm, te in fronte gradiente, ineundi. Quia væ, diu, ut apparet, in hac regione, in hoc spirituali bello victi sumus, etiam Christiani; vitiis primùm carnalibus, ac pomposâ conversatione; deinde fidei vacillantis tepore, quâ infirmatâ, inimicis nostris, dum non sensimus, circumdati sumus, triplicibus; qui dati sunt nobis ad vindictam nostræ luxuriosæ securitatis. Omnium enim malorum causa est cæcæ prosperitatis securitas. Miror, fateor, talem securitatem; & unde hic lethalis sopor totos penè cooperit; nescio quę corda, quæ aures, qui sensus, quos nequaquam ignita ipsius Domini verba suscitaverunt ad vigilantiam zeli jugiter ferventis, ad contemptum mundi, ad paupertatem Christi, (r) sicut multas gentes ita asseruerunt. Ego enim de extremo mundo veniens, ubi bella Domini prœliari spirituales duces conspexi, & sperans in antea videre fortiores, peritioresque hujus sancti conflictus duces; & ita inveniens, ac si quidam campi bellici (s) ruscidus cadaverum, ac madidus post pugnam contemplator, stupeo, & dolens ac timens, ad teque tantùm, qui unica spes de principibus es, per honorem potens Petri Apostoli Sancti, respiciens plango tanti exercitus stragem.

Lucæ 5. Sed quia fragilis ingenii cymba, non tàm in altum, juxta verbum Domini ducta est, quàm adhuc in uno hęreat loco, (non enim charta totum comprehendere potest, quod animus variantibus causis, epistolæ angustiis concludere voluit, dum à Rege rogor, ut singillatim suggeram tuis piis auribus sui negotium doloris: dolor namque suus est schisma populi pro regina, pro filio, forte & pro seipso; fertur enim dixisse, si certum sciret, & ipse crederet) (t) redeamus ad librum, quem juxta ripam dimisimus. Ne igitur hoc fune erroris longissimo liget latro antiquus homines, causa schismatis incidatur, quæso, confestim à te cultello quodâmodo S. Petri, id est, verâ in Synodo fidei confessione, & hæreticorum omnium abominatione, ac anathematizatione, ut mundes cathedram Petri (v) ab omni errore, * horrore, si qui est, ut ajunt, intromissus; si non, puritas agnoscatur ab omnibus. Dolendum enim ac deflendum est si in sede Apostolica fides catholica non tenetur. Sed ut totum dicam (ne adulari ultra fas, etiam vobis videar (dolendum quoque est, quòd non vos priores pro zelo fidei, ut decebat, diu (w) parte à vobis recedente, (utpote qui potestatem legitimam habuistis) continuò, ostensâ prius vestrę fidei puritate condemnastis, nec excommunicastis, * (x) quare vel infamare auderet *fidei orthodoxæ sedem principalem.* (y) Scitis enim quàm sævâ animadversione à Patribus in synodo Nicænâ Sanctâ damnati sunt innocentium criminatores. Sed hæc dicens, non nesciens multas esse causas in multitudine clamosâ & acutâ, tumultuosâ, quę non permittunt hæc ad purum usque investigari, non quia crederem, sed quia nunc fieri debeant, dixi. (z) Si qui sunt rebelles contra veritatem vestri comprovinciales, tantùm culpa includat hos; non enim ignem flare potest os farinâ, aut aliquâ materiâ plenum: omnis enim res læditur vicinâ contrarietate. Idcircò precor vos pro Christo, subvenite famæ vestræ, quæ laceratur inter gentes, ne perfidiæ vestræ reputetur ab æmulis, si amplius taceatis. Nolite itaque amplius dissimulare, nolite tacere; sed potiùs emittite vocem veri Pastoris, quam agnoscunt suæ oves, quæ alienorum vocem non audiunt, sed fugiunt ab eo. Joan. 10. Ego instigo vos, meos Patres ac proprios patronos, ad depellendam confusionem de facie filiorum vestrorum ac discipulorum, qui pro vobis confunduntur, & quod his majus est, ut caligo suspicionis tollatur de Cathedra S. Petri. Inde conventum coge, ut ea, quæ vobis objiciuntur, purgetis; (aa) non enim lusus currus vobis objicitur. (bb) Hæreticorum enim receptio, ut audio, vobis reputatur, quod absit credi verum fuisse, esse, vel fore. Dicunt enim Eutychen, Nestorium, Dioscorum, antiquos, ut scimus, hæreticos, à Vigilio in Synodo, nescio * quam, in quintâ receptos fuisse. Ecce causam totius, ut ajunt, scandali; si & vos sic recipitis, ut dicitur, aut si & ipsum Vigilium

* horrore videtur mendo irrepsisse

* quia vel quod non quare.

* f. quâ

ſcitis ſic infectum defunctum fuiſſe, quare illum contra conſcientiam recitatis? *Omne* enim, *quod non ex fide, peccatum eſt.* (Rom. 14. 23.) Jam veſtra culpa eſt, *(cc)* ſi vos deviaſtis de vera fiducia, & primam fidem irritam feciſtis: *(dd)* meritò veſtri juniores vobis reſiſtunt, & meritò vobiſcum non communicant, donec perditorum memoria deleatur, & oblivioni tradatur. Si enim hæc certa magis, quàm fabuloſa ſunt, verſâ vice filii veſtri in caput converſi ſunt, vos verò in caudam, quod etiam dici dolor eſt; ideò & veſtri erunt judices qui ſemper orthodoxam fidem ſervaverunt, quicumque illi fuerint, etiamſi juniores veſtri videantur. *(ee)* Ipſi autem orthodoxi & veri Catholici, qui neque hæreticos, neque ſuſpectos aliquos aliquando receperunt, neque defenderunt, ſed in zelo veræ fidei permanſerunt. Si igitur & iſti non tales ſint, ut Seniores ordine, culpâ tamen majores juſtè judicent, certatim invicem veniam pro tam longâ diſcordiâ poſtulantes, & utrique nullum contra rationem defendentes, nec vos hæreticos, nec illi ſuſpectos, quò utrique culpabiles celeriùs concordate. Sed indulgete mihi talia confragoſa loca tractanti, ſi qua foriſecùs verba aures pias offenderunt, quia * conſequentiæ (* conſequentis.) ratio hiſtoriæ nihil me de quæſtione præterire permittit, & libertas paternæ conſuetudinis, ut ita dicam, me audere ex parte facit. Non enim apud nos perſona, ſed ratio valet; amor autem pacis Evangelicæ totum me dicere cogit, *(ff)* ut vobis ſit ſtupor ambobus, qui unus chorus eſſe debuiſtis, * (* &.) magnitudo ſollicitudinis meæ pro concordiâ, * (* &.) pace veſtrâ, *Si enim patitur unum membrum,* (1. Cor. 12.) * *compatimur* (* compatiuntur.) *omnia membra.* Nos enim, ut ante dixi, devincti ſumus Cathedræ S. Petri: *(gg)* licet enim Roma magna eſt & vulgata; per iſtam Cathedram tantùm apud nos eſt magna & clara. Quanquam enim Auſonici decoris, ac ſi auguſtiſſimum quoddam, ac ætheris procul ſejunctum climatibus promiſcuis, urbis quondam conditæ nomen, nimio favore omnium propè gentium, totis per orbem, uſque in occidua tranſmundialis limitis loca, triundalibus ſaltuatim, licet hyperbolicè pelagi vorticibus undiq; conſurgentibus, (mirum dictu!) non prohibentibus longè lateque vulgatum eſt; *(hh)* ex eo tamen tempore, quo Deus & Dei Filius eſſe dignatus eſt, ac in duobus illis ferventiſſimis Dei Spiritûs equis, Petro ſcilicet & Paulo Apoſtolis, (quorum chara pignora vos fœlices fecerũt) per mare gentium equitans, turbavit aquas multas, & innumerabilium populorum millibus multiplicavit quadrigas, ſupremus ipſe auriga currus illius, qui eſt Chriſtus, Pater verus, agitator Iſraël, *(ii)* trans Euriporum rheuma, trans Delphinûm dorſa, trans turgeſcentem dodrantem, ad nos uſque pervenit. Ex tunc vos magni eſtis & clari, & Roma ipſa nobilior & clarior eſt; & ſi dici poteſt, propter Chriſti geminos Apoſtolos (dico ipſos cœlos à Spiritu Sancto dictos, Dei gloriam enarrantes, de quibus infertur: *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines* (Pſalm. 18.) *orbis terræ verba illorum)* vos propè cœleſtes eſtis, & Roma orbis terrarum caput eſt Eccleſiarum, ſalvâ loci Dominicæ reſurrectionis ſingulari prærogativâ. Et ideo ſicut magnus honor veſter eſt pro dignitate Cathedræ, ita magna cura vobis neceſſaria eſt, ut non perdatis veſtram dignitatem propter aliquam perverſitatem. *(kk)* Tamdiu enim poteſtas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanſerit; ille enim certus regni cœlorum clavicularius eſt, qui dignis per veram ſcientiam aperit, & indignis claudit. Alioquin ſi contraria fecerit, nec aperire, nec claudere poterit. *(ll)* Cum hæc igitur vera ſint, & ſine ulla contradictione ab omnibus vera ſapientibus recepta ſint (licet omnibus notum eſt, & nemo * qui neſciat (* ſit.) qualiter Salvator noſter S. Petro regni cœlorum contulit claves) & vos per hoc fortè ſuperciliosum neſcio quid, præ cæteris vobis majoris authoritatis, ac in divinis rebus poteſtatis vindicatis, noveritis minorem fore poteſtatem veſtram apud Dominum, ſi vel cogitatis hoc in cordibus veſtris; quia unitas fidei in toto orbe unitatē fecit poteſtatis, & prærogativæ, ita ut libertas veritati ubique ab omnibus detur, & aditus errori ab omnibus ſimiliter abnegatur; quia confeſſio recta etiam Sancto privilegium dedit claviculario, *(mm)* communi omnium Nonno, liceat etiam junioribus veſtris ſollicitare vos pro zelo fidei, pro amore pacis, pro Eccleſiæ unitate communis matris, quæ nimirum intra viſcera more Rebeccæ diſcerpitur materna, & dolet pro rixa, ac inteſtino

intestino bello filiorum suorum, & mœsta luget divisionem viscerum suorum. Lachrimis in his opus est magis, quàm verbis. Quomodo prævaluit inimicus Christiani nominis post Filii Dei viva verba, post Evangeliorum plenitudinem, post Apostolicam doctrinam, post neotericam orthodoxorum authorum Scripturam, qui de novo ac veteri Sacramenta fidei diverso sermone aperuerunt, Corpus Christi dividere, & membra separare, & ipsius Filii Dei Salvatoris mundi tunicam scindere, quę est unitas? Tuum est hoc artificium diabole, quem Christus *pax nostra, qui fecit utraque unum*, vincat. Ideò citò charissimi concordate, & convenite in unum, & nolite contendere pro antiquis litibus; sed magis tacete, & æterno silentio ac oblivioni eas tradite, & si qua dubia sunt, divino judicio reservate. Quæ autem manifesta sunt, de quibus homines judicare possunt, justè sine personarum acceptione judicate; sitque judicium pacificum in portis vestris, & agnoscite vos invicem, ut sit gaudium in cœlo, & in terra pro pace & conjunctione vestra. Quid vobis aliud defendere prȩter fidem Catholicam, si veri Christiani estis utrique? Non enim ego possum scire, unde Christianus contra Christianum de fide possit contendere; sed quidquid dixerit orthodoxus Christianus, qui rectè Dominum glorificat, respondebit alter *Amen*, quia & ille similiter amat & credit. Unum itaque omnes dicite, & unum sentite, ut utrique unum sitis toti Christiani. Nam si, ut audivi, aliqui in Christo duas substantias non credunt, hæretici potius, quàm Christiani credendi sunt; Christus enim Salvator noster verus Deus, æternus sine tempore, & verus homo absque peccato ex tempore est, qui juxta divinitatem coæternus est Patri, & juxta humanitatem junior est matre. Qui natus in carne, nequaquam deerat cœlo; manens in Trinitate, vixit in mundo. Et *(nn)* ideo si scriptum est in V. Synodo, ut quidam mihi dixit, quod qui duas substantias adorat, orationem suam divisam habeat; ille divisus est à Sanctis, & separatus est à Deo, qui scripsit. Nam nos pro unitate Personæ, in qua complacuit plenitudinem divinitatis inhabitare corporaliter, unum Christum credimus, divinitatem ejus & humanitatem, quia *qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia.* Si quis aliter de Incarnatione Domini senserit, hostis est fidei, & abominandus est omnibus Christianis, ac anathematizandus, cujuscumque ordinis, aut status, aut gradus fuerit; nullus enim ad injuriam Dei hominem honorare debet. Ideò quæso vos pro Christo, nulli parcite, qui vos à Christo separare tentaverit; sed potiùs ei in faciem resistite, si quis nolens rectè credere, vos à fide Catholica revocare voluerit. Date quæso veniam mihi nimis injurioso, asperoque cuidam loquaci, qui de tali causa aliter scribere non potui. Dum enim veritati per omnia placere volui, azima cum amaritudine non nesciens comedenda, soli Deo servivi, qui est benedictus in sæcula. Ego germanitatem meam probavi, & zelum fidei meæ, dum malui reprehensoribus locum dare, quàm in tali causâ os, quamvis ineruditum, non aperire. *(oo)* Idcirco quamvis trisulcus arcuato vulnere scorpius insurgat, in his, de quibus scriptum est, extendere linguam suam, sicut arcum mendacii; qui nova quæque, licet epicroca, judicant, copes nimirum effecti, hyperbolicè; quique oliginosis *(pp)* celotes *(qq)* palearibus, scriptis quibusque non lepidis, invidæ refragationis semper opponunt pellaces. *(rr)* Sed quando Rex gentilis peregrinum scribere Longobardus *(ss)* Scotum hebetem rogat, quando unda torrentis antiqui retrò redundat, quis non mirabitur potiùs quàm calumniabitur? Ego tamen non trepidabo, nequê in causa Dei linguas hominum formidabo, quæ frequentiùs mentiuntur, quàm vera loquuntur; cùm potiùs verecundiæ resistendum, quàm ignaviæ subjiciendum sit, ubi necessitas cogat. Igitur, ut ad id loci regrediar, unde digressus sum, rogo vos, quia *(tt)* multi dubitant de fidei vestræ puritate, ut citò tollatis hunc nævum de Sanctæ Cathedræ claritate; non enim decet Romanæ Ecclesiæ gravitatem hæc instantis levitatis fama, ut qualibet vi possit moveri à soliditate veræ fidei, pro qua tot Martyres sui suum sanguinem fuderunt, malentes mori, quàm convelli. Nunquid enim *(uu)* si in nostris temporibus persecutio venerit ultima squammæ illius invisæ, cujus corium vix universæ naves poterunt por-

Ephes. 2.

Collos. 2.

Ephes. 4.

runt portare, non usque ad sanguinem resistemus adversus peccatum repugnando, sicut Patres nostri fecerunt, Apostolos dico, & tot Martyres? Si gravis fuit persecutio in initio fidei, quantò magis in fine, de quo Dominus

Lucæ 18. dicit: *Putasne veniens Filius hominis inve-*

Matth. 24. *niat fidem in terra?* Et iterum: *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret omnis caro salva.* Fœlix quem mors ante tollat, quàm infirmus neget. Dicit tamen electos ibi futuros; de quibus ni-

Matth. 28. mirum prædixit discipulis suis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Cum itaque electi futuri in diebus illis periculosioribus

* al. *etiam.* cæteris, (ww) ante * etenim ac retrò incomparabilibus, sustinebunt, Domino roborante, majora, cur nos in tutioribus adhuc ac securioribus, vel pro fi-

ab de nostra, qua * Ethnicis, ac Judæis, ac hæreticis differimus, non sustinebimus, Domino adjuvante, minora? Sed talia suadenti, utpotè torpenti actu, ac dicenti potius, quàm facienti mihi, *Jonæ* Hebraicè, *Peristeræ* Græcè, *Columbæ*

* al. *tamen.* Latinè, (xx) potiùs * tantum vestræ i-

* al. *nuncupato.* diomate linguæ * nancto, licet prisco

* al. *nitar.* * inter Hebræo nomine, cujus & penè subivi naufragium, veniam quæso, sicut sæpe rogavi, date; quia necessitate magis, quàm cenodoxiâ scribere coactus sum, dum quidam litteris suis, quibus me primo penè ingressu in (yy) hujus regionis terminos arripuit, vos mihi cavendos, tanquam (zz) in Nestorii sectam decidentes, significavit. Cui attonitus respondi in brevi, ut potui, non credens suæ allegationi: sed ne ullo modo veritati essem contrarius, juxta suam epistolam, & juxta meam bonam de vobis æstimationem (ego enim (aaa) credo semper columnam Ecclesiæ firmam esse in ramo) responsum variavi, quod vobis direxi relegendum, ac concertandum, sicubi contra veritatem venit; non enim me inter irreprehensibiles profiteri audeo. Post hanc autem scribendi occasionem, insuper (bbb) Re-

* MS. mendosè *Agust.* gis insistit jussio * *Agilulfi*, cujus postulatio me in stuporem, ac in sollicitudinem posuit multiplicem: quippe quia non sine miraculo reor esse quod video. Reges namque (ccc) Arrianam hanc labem in hac diu regione, calcando fidem Catholicam, firmarunt; nunc nostram rogant roborari fidem. (ddd) For-

* f. *oculo.* tè Christus pio *nos nunc respicit, cujus favore omne nascitur bonum. Nos valdè miseri sumus, si nostra de parte (eee) scalon amplius fiat. Rogat itaque Rex, rogatque Regina, rogant te toti, ut quàm celerrimè possit fieri, fiant omnia unum, (fff) fiat ut patria pax, pax fiat mox fidei, ut toti deinceps, grex unus fiat Christi, (ggg) Rex regum, tu Petrum, te tota sequatur Italia. Quid suavius pace * per bella? Quid dulcius * f. *post.*

conjunctione fratrum diu separatorum? Quàm alacer post annos supervenit Pater * post multos? Quàm suave diu expe- * redundat *post.*

ctanti matri narratur adventus? Ita Deo Patri pax filiorum, gaudium erit in ævum sæculorum, & lætitia Ecclesiæ matris, tripudium fiet sempiternitatis. De cætero S. Papa & Fratres orate pro me vilissimo peccatore, & meis comperegrinis, juxta loca Sancta & Sanctorum cineres; & præcipuè juxta Petrum & Paulum, viros similiter & magnos magni Regis Duces, ac fortissimos campi fœlicissimi bellatores, Dominum crucifixum cum cruore sequentes; ut mereamur Christo hærere, placere, gratias agere, eumq; cum Patre & Spiritu Sancto sine fine laudare vobiscum * omnibus Sanctis hîc & in æter- * & *cum.*

na sæcula sæculorum. Amen.

ANNOTATIONES.

(a) PUlcherrimo omnium totius Europæ, Ecclesiarum Capiti Papæ &c.* Posterior hujus sententiæ clausula: *Ecclesiarum Capiti Papæ*, non debet indistinctè construi cum priori, ut interpositum comma demonstrat, & similis huic ad Gregorium Papam epistolæ inscriptio, in qua ipsum intitulat *totius Europæ flaccentis augustissimum &c.* Quod si etiam priori modo, sublato commate, verba construantur, accipienda erunt juxta antiquum Ecclesiæ morem, quo solebat Episcopus Urbis, *Occidentis Patriarcha* nominari. Pro quo notandum, quòd sicut habetur *cap. antiquæ. de privil. c. Sacrosancta, cap. renovantes, cap. definimus dist.* 22. præter Romanum Pontificem primum Patriarcham, quatuor alii numerabantur, qui sunt Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus; & sicut quilibet ex his multas subjectas habebat Provincias & Regna, quæ distinguit & distribuit Azorius Instit. mor. p. 2. l. 3. c.

p. 2. l. 3. c. 35. & 36; ita similiter Romanus Pontifex Occidentis regiones & insulas, inquantum Patriarcha regebat, licet ut Christi Vicarius & Successor Petri, supremâ in omnes mundi Ecclesias authoritate fulgeret. Atque per hanc distinctionem explicari debet canon ille sextus Concilii Nicæni, ubi sic habetur: *Mos antiquus perdurat in Ægypto, Lybia, & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum habeat potestatem: quoniam quidem & Episcopo Romano paris mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasq; Provincias honos suus unicuique serventur Ecclesiæ.* In quo quidem canone (licet nonnullis videantur illa verba, quæ de Romano Pontifice inseruntur, omninò de textu non esse, sed loco illorum verborum *paris est mos* legendum esse: idem est moris, & pro *Episcopo Romano*, subsituendum *Metropolitano Episcopo*, ad hujusmodi interpretationem inductis, ne videatur Canon contra Primatum Romanæ Sedis procedere; tamen germanior ejus loci interpretatio est, solùm ibi Patriarchalem Papæ potestatem attendi; quare rectè Theodoretus Canonem illum explicavit, cum dixit: *Sicut Episcopus Romanus omnium Ecclesiarum suburbanarum potestatem habet.* Ubi suburbanas vocat Ecclesias, non eas tantùm, quæ Romanæ civitati vicinæ, sed omnes, quę per Occidentem Patriarchali Sedi Romanæ subjectę erant. Quo sensu eundem Canonem ex Theodoro Balsamone alii intelligunt cùm dicunt: *Sicut Episcopus Romanus in Ecclesiis Occidentis parem potestatem habet*, videlicet Patriarchalem. Ex quibus satis apparet, nihil derogari Romano Pontifici, qui ut Patriarcha tantùm, parem dicitur cum Alexandrino & Antiocheno potestatem habere, licet, ut supremum Ecclesiæ Caput, non parem, sed majorem habeat, ut dictum est. Vide Azor. loco cit. c. 36. & Bellarmin. lib. 2. de Sum. Pont. c. 13. qui aliam hujus Canonis interpretationem tradit. Huc spectant epistolæ trium Græcorum in Concilio Calcedonensis ad Leonem missę hujus inscriptionis: *Sanctissimo & Beatissimo universali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni.* Ex quibus & aliis multis, quæ huc adduci possent, satis colligitur, Romanum Pontificem apud antiquos *Patriarcham* nominari consuevisse, idque in præsenti epistola intendisse Columbanum, qui cum hoc ejus super omnes Episcopos Primatum devotâ sæpius confessione deprædicat, & in hac ipsa epistola maximè, ubi *Romam orbis terrarum Caput Ecclesiarum*, & iterum *fidei orthodoxæ sedem principalem* disertè vocat, Cathedram S. Petri multis præconiis extollens. Cæterùm hujusmodi prolixas inscriptiones Sancti olim viri solebant Pontificibus velut amoris, & observantiæ signa transmittere, ut videre licet in epistolis Bonifacii Moguntini epist. 135. 141. & 91. quæ Romanis Pontificibus diriguntur, & in plurimis aliis epistolis aliis Sanctis Viris transmissis, in quibus eundem stylum observat.

(b) *Præsuli Pastorum, Bonifacio Patri.* De variis titulis quos, antiqui in suis litteris Pontifici Romano tribuebant legendus Bellarminus de Rom. Pont. l. 2. c. 31. per totum. Bonifacius ille fuit hujus nominis quartus Romanus Pontifex, cui fortè priorem illam, quam superiùs habes, epistolam transmisit, ut ibi notatum est.

(c) *Palumbibus.* legitur & Palumba, licet Palumbes magis sit in usu. Porrò palumbum reperies apud Suetonium in Claud. c. 21. *Palumbum postulare in ludis.* Et apud Martial. lib. 1 *Inguina torquati tardant hebetantque Palumbi.* Est autem Palumbes Columba silvestris, in arboribus, sapibusque nidificans. Quo se nomine ex humilitatis veræ devotione mitis & mansuetus noster Columba indigitat, qui, licet elegerit in Condensis silvarum collocare nidum suum, potius quàm habitare cum habitantibus Cedar vel sedere cum Senatoribus terræ, nihil tamen de silvestri feritate contraxit.

(d) *Glaber.* Idem sonat hoc verbum quod homo sine pilis, seu calvus. Quo autem sensu hic capiatur, non satis apparet, nisi fortassis comprehendi velit author eo vocabulo viros graves, & calvitie insigni venerandos, qui potiori præ aliis jure, velut jam judicio, & ætate maturi, hujusmodi in Columbano scriptionem, tanquam præsumptuosam reprehendere potuissent.

(e) *Per vos contendentes utrimque.* Hic insinuat fuisse per hæc tempora discordiam

ſcordiam aliquam, & controverſiam inter Romanum Pontificem, & alios Italiæ Epiſcopos, de qua expreſſius infra fit mentio in illis verbis, quibus pax & unio animorum commendatur. *Agnoſcite vos invicem, ut ſit gaudium in cœlo & in terra pro pace & coniunctione veſtra.* Et mox concludendo ſubjicitur: *Unum itaque omnes dicite, & unum ſentite, ut utrique unum ſitis, toti Chriſtiani,* &c.

(f) *Quia non à ſolâ minax unda*, ſupple mare, &c. Paſſum hunc nonnihil intricatum ita intellige. Mare procelloſum eſt, quia non unda ſolùm, quæ longè turgeſcens concavę cautis ſpumoſis vorticibus navim octo millibus, hoc eſt, (ut arbitror) paſſibus, uno propellit impulſu, ſed etiam tempeſtas elementi, undequaque commoti, myſticæ navis intentat naufragium. Hic per omnia metaphoricè loquitur, ab uſuali ad myſticam Eccleſiæ navim traductâ ſimilitudine; per *flagra*, ut exiſtimo, *feralia*, occultas dæmonum inſidias, quibus variæ tentationes & Schiſmata, velut undæ ſeu fluctus tumentes, in Eccleſia excitantur, intelligens. Per tempeſtatem verò elementi undique commoti, inter ipſa Eccleſiæ membra ſubortas diſſenſiones & diſcordias comprehendens.

(g) *Toti Heberi*, hoc eſt, *Hiberni*, ut in priori epiſtola adnotavi, ubi hujus origo appellationis explicatur. Vocat autem Hibernos ultimos habitatores mundi, quia Hiberniam, omnium regionum Occidentis extremam Coſmographi conſtituunt, ut alibi dixi. Ex his quæ hic ſubjiciuntur, colligitur fervor fidei, quæ apud Hibernos in aureis illis plantatæ religionis Chriſtianæ primordiis viguerat.

(h) *Qui blaſphemant tuos.* Videtur legendum *vos*, ut ex ſequentibus apparet, quæ videntur ad perſonam Pontificis referenda, ut illa verba videntur indicare: *Ego enim pro vobis promiſi, quòd nullum hæreticum Eccleſia Romana defendat* &c.

(i) *In alternantem circumactæ, convertibulum timent.* Conſtrue hoc ordine. *Quæ*, ſcilicet oves, in vos ipſos inſuper nimio pavore alternantes, hoc eſt, nutantes, circumactæ, convertibulum, ſeu diſperſionem timent.

(k) *Antra deleat Deus, & tale ſemen, & nutriat greges ſuos.* Non *grege ſuo*, ut corruptè habet codex. Videtur *antra* hoc loco per mendam irrepſiſſe; ac proinde ſimul conſtruenda illa membra, quę illo vocabulo poſito, ſeparantur, in hunc ſenſum: *Deleat Deus tale ſemen*, nullo interpoſito commate. Quod ſi legatur idem verbum, talis erit ſententia: *Antra*, ſeu receptacula hæreticorum *deleat Deus*; & inſuper *tale ſemen*, ſupple *deleat*, *& nutriat greges ſuos*, hoc eſt, fideles.

(l) *Ut videas baculum illum nuceum, quem uncinum poſteà videre merearis tempore fructus colligendi veros.* Hic per metaphoram loquitur, optans ut Pontifex videat, hoc eſt, diligenter obſervet & foveat baculum illum Paſtoralem, cujus ipſe miniſter eſt, quò ſic in tempore retributionis, præteritæ vigilantiæ fructibus onuſtum, hoc eſt, uncinum, ſeu ad meſſem jam incurvatum, videre mereatur. Ad exemplum videlicet prudentis hortulani, qui novas plantas continuis irrigationibus fovet, ut eas poſteà in autumno, fructuum ubertate fœcundas inveniat, ac per hoc tranſacti laboris emolumenta percipiat.

(m) *Ne contingat ſequentia ſecuritati.* Legendum potius *contingant. Securitati*, hoc eſt, incuriæ: Alludit enim ad vocis originem, & ethymologiam, qua qui ſine cura *ſecurus* dicitur. Quo ſenſu paſſim hanc vocem uſurpat.

(n) *Fortè non benè vigilavit Vigilius.* Ut hic locus, & ea, quæ inferiùs Vigilio objiciuntur meliùs intelligantur, advertendum temporibus hujus Pontificis ortum illud Schiſma, Romanæ Eccleſiæ, ſi quod aliud unquam, pernicioſiſſimum, circa condemnationem Trium Capitulorum; videlicet *Theodori Mopſueſteni*, epiſtolæ *Ibæ* Epiſcopi Edeſſeni, & Scriptorum *Theodoreti* Epiſcopi Cyri contra 12. capitula *Cyrilli* Alexandrini, quod plurimorum annorum diſſenſiones ac diſcordias fovit, non abſque gravi Eccleſiaſticæ unitatis & pacis incommodo, quo tam in Occidente, quàm in Oriente, multùm hac tempeſtate quaſſata fuit. Porrò ſeminarium hoc tot zizaniorum & contentionum

ædificationem, non ad deſtructionem tentionum primus ſeminavit *Theodorus* Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, ex damnatione *Origenis* ad id incitatus. Cùm enim ipſe ſectâ eſſet *Acephalus*, & acerrimus Origenis defenſor, erroreſque ejus cerneret à *Pelagio* Apoſtolicæ Sedis Apocryſario, Conſtantinopoli tunc agente, publicâ ſententiâ condemnatos, vindictæ zelo incenſus hanc ulciſcendi rationem inivit, ut tria illa Capitula, quæ in Concilio Chalcedonenſi habentur, perſuâderet Imperatori *Juſtiniano* condemnanda. Ipſum proinde adit, & variis propoſitis, ad id perficiendum ſeriò hortatur, ex hoc pollicitus fore, ut omnes *Acephali*, Concilii Chalcedonenſis adverſarii, illud mox ſuſcepturi eſſent. Cui ſuggeſtioni conſentiens Imperator, captatâ *Pelagii* abſentiâ, qui tunc Romam profectus fuerat, ejuſmodi damnationi plurimùm contrarii, edictum à *Theodoro* conſcriptum, ſuo nomine per univerſum ſibi ſubjectum promulgavit Imperium. Verùm cum probè intelligeret hujuſmodi de rebus Eccleſiaſticis decreta firma eſſe non poſſe, niſi ab Epiſcoporum authoritate, probationeque robur acciperent, *Stephanum* Apocryſarium, Pelagii ſucceſſorem, & *Dacium* Mediolanenſem Epiſcopum, tunc Conſtantinopoli agentes, ad id ſolicitatos, adverſarios invenit. Orientales verò non ita; qui pro majori parte vel blanditiis, vel terroribus compulſi ceſſerunt; ita tamen ut ſubſcribentes faterentur hæc ad deſtructionem Concilii Chalcedonenſis machinata, ſeque vi adactos proteſtarentur; de qua vi, ac proteſtatione libellos *Vigilio* mittendos, Apocriſario dedêre. Inter hæc cernens Imperator primarum Sedium Orientalium Epiſcoporum, præcipuè verò *Mennæ* Conſtantinopolitani Epiſcopi, ad *Vigilii* Papæ arbitrium, ſuſpenſam eſſe ſententiam, ipſum *Vigilium* Conſtantinopolim evocandum cenſuit; quod & fecit anno Domini 546. Vocatus *Vigilius* aſſenſit, & Conſtantinopolim anno ſequenti pervenit (in quo non benè vigilavit, ut rei probavit eventus) ubi medium ſe interponens arbitrum contentionum, quæ circa Tria Capitula ortæ fuerant, coacto triginta Epiſcoporum conventu, mandavit, ut quam quiſque ſententiam teneret, & rationes quibus moveretur, ſcripto proferret: quas ſententias poſtmodùm collectas parti Tria Capitula damnanti tradidit conſervandas: quare in ſuſpicionem venit defendentibus Tria Capitula quòd adverſariis adhæreret in præjudicium Concilii Chalcedonenſis. Quam ſuſpicionem non modicum auxit, quòd *Vigilius* tacendum eſſe putârit, tolerandamque alteram partem cum patientiâ, uſque ad proximè cogendam Synodum generalem, ne Eccleſia ſcinderetur. Quam dilationem multi non rectè ferentes, in ipſum, velut prævaricatorem, exarſêre, & Concilii Chalcedonenſis adverſariis communicantem. In hoc quoque à multis conclamatum eſt, non benè vigilaſſe *Vigilium*: nam *Ruſticus & Sebaſtianus* Romanæ Eccleſiæ Diaconi cum *Vigilii* Subdiaconis, defenſoribus, atque Notariis, ab Africanis maximè Epiſcopis, Trium Capitulorum acerrimis propugnatoribus impulſi, adverſus Pontificem ad diverſas Provincias litteras dedêre, quaſi fautor acceſſerit impugnantibus ipſam Sacram Synodum Chalcedonenſem; atque hinc crudele Schiſma conflatum latè ſerpebat, multis ſe à Romani Pontificis communione ſubtrahētibus, aliis acri in eum ſtylo pro Trium Capitulorum defenſione ſcribentibus (inter quos præcipui fuêre *Liberatus* Carthaginenſis Diaconus, *Facundus* Epiſcopus Hermianenſis in lib. pro Trib. Cap. & in lib. contra *Mocianum*, *Victor* Epiſcopus Tumuenſis; necnon & *Ruſticus* Diaconus diſput. de tribus cap.) aliis denique maturiori conſilio ſcribentibus ad *Vigilium*, & quærentibus an verum eſſet, aliquid ab ipſo adverſus Chalcedonenſe Concilium fuiſſe tentatum; quibus ipſe ſuam erga Sacrum Concilium venerationem conteſtatus, pro ſui purgatione reſcripſit, monens ne hujuſmodi calumniis præberent aſſenſum. Conclamatum igitur contra *Vigilium* ab omnibus Trium Capitulorum defenſoribus, prætenſo Concilii Chalcedonenſis defendendi zelo, ſed non ſecundum ſcientiam, cùm prudenter proceſſerit *Vigilius*. Quid enim ille communi omnium Orientalium Patriarcharum, ſubjectorumque ſibi penè omnium Epiſcoporum, contra Tria Capitula, conſpectâ ſubſcriptione, moliri tentaſſet, contra damnantes illa Capitula cum ingentis periculo Schiſmatis? Durum planè fuiſſet Apoſtolica authoritate, quam ad *Vigilius* ſibi ſciſſet eſſe conceſſam, veluti

uno gladii ictu Orientem ab Occidente discindere, maximè cùm constaret omnibus, non de fide esse quæstionem, quæ dissimulari minimè potuisset, sed de personis trium videlicet Capitulorum authoribus. Cæterùm *Vigilius* in suos interim Clericos rebelles *Rusticum* & *Sebastianum*, collectis in unum Episcopis, qui tunc ex Italia Constantinopoli aderant, excommunicationis sententiam promulgavit.

Nec tamen ex hoc conflatum schisma sedatum fuit, quin potiùs obfirmatum, utrâque nimirum parte jam in Vigilium commotâ; defensoribus quidem trium Capitulorum, ob toleratam eorum ab Imperatore factam damnationem, & non condemnatos authores, & consentientes: ab adversariis autem ob indictum silentium, factamque dilationem usque ad generale cogendum Concilium. Cujus quidem dilationis *Justinianus* impatiens, instigante Theodoro malorum omnium authore, occulto hæretico, & aperto schismatico, contra datam fidem & factam de servando usque ad generale Concilium silentio sponsionem, adversus tria Capitula publicum appendi mandavit edictum, & in contradicentem, obsistentemque *Vigilium* (si aliter res componi non posset) à suis satellitibus violentas injici manus; quod periculum fugâ initâ *Vigilius* declinavit, prolatâ interim in Theodorum tanti sceleris authorem, ejusque complices excommunicationis, & depositionis in tredecim Latinorum consessu sententiâ.

Post hæc Imperator ad saniorem mentem reversus, missis ad Vigilium in *S. Euphemiæ* basilica apud Chalcedonem exulantem legatis, ejus se per omnia voluntati submittit, ac depositis illis edictis contra tria Capitula, Synodum generalem ex Pontificis desiderio, & stabilito anteà condicto, convocari fecit; ad quod tamen solos Orientis Episcopos invitavit, quos vel acerrimos Theodori Mopsuesteni impugnatores noverat, vel quos sibi beneficiis devinxerat. Vigilius id indignè ferens, & Schimatis, nisi Itali & Africani pariter vocarentur, imminentis veritus pericula, omninò effecit, ut Occidentales etiam Episcopi convocarentur. Qui dum expectantur, transmittit *Vigilio* Imperator decretum illud à se anteà contra tria Capitula promulgatum, petens, ut de illis Capitulis quæ sua esset sententia scripto proferret. Qua occasione *Vigilius* viginti dierum spatio suum de his edidit Constitutum; quod misit ad Imperatorem eo tempore, quo quinta collatio, seu sessio Synodi celebrabatur In quo quidem Constituto ipse, ne in suspicionem veniret defensionis errorum Nestorii, ob indemnatum Theodorum, ipsius Nestorii magistrum, errores omnes in tribus illis Capitulis contentos condemnavit; authores verò eorum, quos scilicet ex interlocutionibus Apostolicæ Sedis Legatorum in Concilio Chalcedonensi, in Catholica communione defunctos, minimè voluit condemnare, imò potius defendere satagit. Accepto *Vigilii* Constituto Imperator, id ejus consilium mali consulens, epistolas omnes, quas anteà *Vigilius* de tribus Capitulis ad varios miserat, publicè legi jussit; quò sic argui posset inconstantiæ, & prævaricationis, quasi anteà tria Capitula condemnasset, quæ tunc illo Constituto defendisset. Qua in re nihil *Vigilio* deferentes Episcopi, in Synodo congregati, contra ejus Decreta, & Constitutum, damnationis sententiam in trium Capitulorum authores collatione ultimâ protulerunt. Cui definitioni resistentes omnes, ipsumque adeò *Vigilium*, gravi persecutione excitatâ, in exilium mittit Imperator; ex quo denuò revocatus, ad uniendum Ecclesiæ Romanæ Orientem Schismate divisum, absens priori Constituto abrogato, V. Synodum approbavit, quam & successor ejus Pelagius de novo confirmavit, aliique plures Romani Pontifices, & hinc OEcumenicæ cœpit habere dignitatem. Cujus approbatione Concilii dum in Oriente Schisma dissolvitur, in Occidente firmatur, & ita latè sparsum, ut *Pelagius* jam *Papa* creatus Romæ reperire nequiverit Episcopos, qui ipsum consecrarent, & proinde oportuerit inusitato spectaculo Presbyterum Ostiensem illud Episcopi munus obire. Hoc Schisma multis post *Vigilium* annis in variis Occidentis partibus perduravit, & proculdubiò eo fuerunt infecti illi, qui hic *Vigilium* caput scandali inclamasse referuntur, quique Bonifacium hæreticorum receptorem calumniabantur, ad quam calumniam tollendam tota præsens epistola videtur esse directa. Cæterum antequam hinc ad alia progrediar, monitum volo Lectorem,

volo Lectorem, ne quid mali de *Vigilio* suspicetur, si novis emergentibus causis, & periculis Schismatis, nunc ex una parte, nunc ex alia, sententiam sæpè mutârit: & si quæ per Constitutum statuerat, eadem denuò, ad reducendos Orientales Schismaticos, V. Synodi approbatione revocavit. Cum enim V. hæc Synodus, teste *S. Gregorio* ad *Constantium* Mediolanensem Episcopum, nihil contra quatuor Sanctissimas Synodos constituerit vel senserit: quippe quia in ea de personis tantummodò, non autem de fide aliquid gestum est; & de his personis, de quibus in Chalcedonensi Concilio nihil continetur: (quæ enim de controversiis Episcoporum ibi habētur post fidei definitionem statuta, appendicis potius rationem habere videntur) cum, inquam, hæc synodus nihil cōtra Chalcedonensem decreverit, rectè potuit Vigilius pro remedio tot malorum eam contra suum antea Constitutum approbare, ac proinde excusandus omninò videtur à calumniis Novatorum. Hanc perniciosissimæ hujus altercationis historiam hîc tam prolixè deduxi, quòd ex ejus notitiâ peti videatur primarium epistolæ hujus argumentum. Qui plura eò spectantia scire desiderat, legat Baronium ad annum Christi 546. & seqq. usque ad annum 557. Bellarm. l. 1. de Concil. c. 5. & 19. Severin. Binium in Notis ad V. Synod. & alios.

Regest. l. 3. epistol. 37.

(o) *Juxta tui nominis interpretationem in speculam veræ contemplationis ponat.* Alludit ad vocabulum *Bonifacius*, quod erat Pontifici nomen, & idem sonat ac *bona facies*, quam libenter intuentur & contemplantur homines; & proinde rogat, ut ipsum Deus in specula ponat veræ contemplationis.

(p) *Hinc scintillæ de igne illo &c.* Codex MS. mendosè hoc loco ponit *sentire*, pro *scintillæ*. Constat enim ex sequentibus legi debere *scintillæ*, ubi repetitur idem modus loquendi his verbis: *Super quæ comburenda sermo ille scintillans Domini descendens &c.* Ex ipsa item constructione verborum, nam sequitur: *Descendentes*, quod ad aliud referri non potest, nisi ad *scintillæ*. Cæterùm *sermo descendens de immensitate vivi incendii*, hîc idem est, quod sermo dictatus à Spiritu Sancto, qui ignis in Scriptura nominatur.

(q) *Tubas undique sonandi.* Hoc verbo etiam Virgilius activè utitur lib. 1. Æneid. *Nec vox hominem sonat.* Et Ovid. Trist. lib. 2. Eleg. 1. *Bella sonant alii telis instructa cruentis.*

(r) *Sicut multas gentes ita asseruerunt.* Non *userueruns*, ut mendosus codex. Sensus est. Sicut eadem flammantia Domini verba (de quibus anteà erat sermo) multas gentes asseruerunt, id est, complantârunt, seu conjunxerunt. *Assero* namque hîc idem est, quod *simul sero*, seu *planto.*

(s) *Ruscidus*, id est, (ut opinor) conspersus seu rubricatus sanguine cæsorum, ut videntur sequentia verba indicare: *Ac madidus post pugnam contemplator stupeo.* &c.

(t) *Dolor namque suus est schisma populi pro Regina, pro filio. &c.* Hic locus proculdubio intelligitur de Schismate illorum, qui V. Synodum, à Vigilio & successoribus probatam, impugnare pergebant, idque Reginæ Longobardorum, ipsique Regi, ac Filio, agendum suggerebant. Ad quorum calumnias repellendas S. Gregorius *Theodolindæ* Reginæ litteras cum Legatis transmisit, quibus hortabatur, ne imperitorum, & malevolorum hominum, contra V. Synodi authoritatem, imposturis aures præbeat, contestans nihil in ea contra Chalcedonensis Concilii fidem, vel *Leonis* scripta decretum, in cujus rei majorem fidem ipsi & filio *Adulvaldo* germana V. Synodi exemplaria transmisit, ut ipsemet lib 12. ep. 7. testatur. Videri potest hac de re Baronius ad annum 553. & 593. Hujus ergo factionis reliquias usque ad Bonifacii tempora mansisse verisimile est, eaque nonnihil regios animos fuisse suspensos, quod omninò illis Columbani verbis insinuari existimo: *Fertur enim* (Rex) *dixisse, si certum sciret, & ipse crederet.* Ubi notatur ejus hæsitatio, ad quam tollendam Sanctum Virum rogavit, ut singula Pontifici suggereret, prout hîc satis clarè indicatur.

(v) *Redeamus ad librum, quem iuxta ripam dimisimus.* Adagium est antiquum,

idemque sonat quod ad propositum, seu ad id, de quo anteà sermo erat, redire.

(w) *Ab omni errore, horrore; si qui est, ut aiunt, intromissus.* Subintelligenda hic conjunctio copulativa sic: Ab omni errore, & horrore. Vel (quod planè congruentius existimo) amputandum illud *horrore*, tanquam superfluum & ab aliquo transcriptore insertum: forsan enim prioris vocabuli ex incuria scriptoris oborta repetitio est, licet aliter scribatur.

(x) *Parte à vobis recedente.* Nempè fidelium, & maximè ipsius Bonifacii comprovincialium, id est, Italorum, ratione Schismatis suprà explicati.

(y) *Quare vel infamare auderet. Quare* hîc irrepsit pro *quia*, aut hujus sensu accipitur.

(z) *Scitis quàm sæva animadversione à Patribus in Synodo Nicæna sancta damnati sunt innocentium criminatores.* Credo si quod tale in Concilio Nicæno de hujusmodi calumniatoribus decretum extitit, cum aliis multis ejusdem Concilii canonibus, vel Arrianorum fraudibus, vel temporum injuriâ sublatis, intercidisse: nam in præambulis ipsius Concilii circa finem notatur, multos ipsi canones deesse. Cæterum can. 9. inter 24. canones epistolæ 2. Julii Papæ prohibentur recipi testes, qui non sunt idonei, & omnes qui adversus Patres armantur, infames esse decernitur. Item can. 11. deneganda fides veritatis, fidem ignorantibus, quoniam tales facilè rectè viventes criminantur.

(aa) *Si qui sunt rebelles* &c. *tantum culpa includat hos. Non enim ignem flare potest os farinâ plenum &c.* Sensus quem hîc intendit videtur iste: Si desideratis veritatem persuadere fidelibus, vel ovibus vestris, purgate vos ipsos primùm ab omni suspicione erroris: nam sicut non potest os farinâ plenum flare, aut ignem excitare, ita nequit erroris aliquâ suspicione infectus efficaciter veritatem auditorum animis imprimere. Quapropter curate, ut illi tantùm implicentur, qui verè culpabiles sunt, & contra veritatem rebelles.

(bb) *Non enim lusus currus.* Per hoc intelligere debemus ludum aliquem illis temporibus usitatum, & communem, quasi diceret: Non ludi, aut joci, aut aliquid parvi momenti vobis objicitur, sed aliquid grave & magni momenti, nempe hæreticorum receptio.

(cc) *Hæreticorum receptio, ut audeo, vobis reputatur.* Quia enim Bonifacius quintam Synodum, prædecessores suos secutus acceperat pro OEcumenica, illi qui Vigilium (à quo primùm fuit approbata, ut suprà notavi) hæreticorum receptorem, & fautorem calumniabantur, etiam Bonifacium, ejusdem cùm Vigilio sententiæ, pari contumeliâ nitebantur involvere. Porò quòd hac ratione Bonifacium receptorem hæreticorum dixerint, quòd vel ipsum Vigilium, vel Synodum quintam ab illo approbatam reciperet, consequentia mox verba demonstrant: *Dicunt enim Eutychem, Nestorium, Dioscorum, antiquos, ut scimus, hæreticos, à Vigilio in Synodo (nescio quam) in quinta receptos fuisse: Ecce causam totius, ut aiunt, scandali.* Verùm hoc malevolorum hominum, & hæreticorum, ad Sedis Apostolicæ dignitatem maculandam, quis nesciat excogitatum esse commentum? Si enim ad Vigilii Constitutum respiciamus pro Trium Capitulorum defensione conscriptum, nequaquam inde Nestorii vel Eutychetis receptor vel fautor argui poterit: quippè qui omnes tam ipsorum, quàm aliorum hæreticorum in illis Capitulis contentos errores disertè condemnârit, authores dumtaxat illorum relinquens indemnes. Si verò ad ipsum Concilium ab ipso tandem Vigilio, Constituto abrogato, approbatum, multo minus potest ipsi hujusmodi nota suspicionis inuri; nam in collatione ultima hujus Concilii duodecim extant anathematismi contra Eutychem & Nestorium, atque adeò Dioscorum, eâdem cum Eutychete infectum hæresi. Quod si ita est quo colore dici poterit horum ille receptor vel fautor, qui Synodum eos tot canonibus condemnantem approbavit, quique nihil in toto decursu in eorum profert favorem. Superest itaque à quibusdam Schismaticis, vel hæreticis hanc credere confictam esse calumniam. Vel certe (quod non levis est conjectura, ut ex hujus etiam epistolæ con-

læ contextu infra ostendam) aliqua in ejusdem Concilii Actis, cujuspiam Eutychiani, vel Nestoriani fraudibus, inserta fuisse illius calumniæ de Vigilio seminaria, quibus plura exemplaria depravata, tunc inter multos dispersa facile commentum illud evulgarunt. Constat enim Acta hujus V. Synodi variis in locis olim ab *Origenistis* (quorum magna pars illi interfuit) & *Monothelitis* fuisse corrupta. Nam imprimis leges illæ *Theodosii* contra *Nestorium* coll. 5. recitatæ in codice Theodosiano, & Actis Concilii Ephesini longè aliter se habent. Item coll. 6. varia de epistola *Ibæ* mendacia, Chalcedonensi Concilio planè contraria, leguntur; illaque verba: *Qui est Dominus noster* JESUS *Christus unus de S. Trinitate* textui Chalcedonensi superaddita reperiuntur. Illa quoque epistola sub nomine *Theodoreti* ad *Joannem* Antiochenum de obitu *Cyrilli* transcripta, alicujus Eutychiani nebulonis commentum est: nam ex chronicis Nicephori constat Joannem Antiochenum ante Cyrillum obiisse. Sed & plura fraudulenter huic Concilio detracta ab iisdem *Originistis* Acta. VII. Synodi Actione 1. & Niceph. lib 17. c. 27. indicant, cùm in hac Synodo testantur *Origenem* cum sectariis *Didymo* & *Evagrio* fuisse damnatos; cum tamen nulla ejus condemnationis vel levis mentio reperiatur. Ex quibus, & aliis hujus Concilii corruptelis (quas Binius in Notis ad V. Synodum prolixiùs deducit) colligitur per aliqua verba fraudulenter ab aliquo Eutychiano, vel Nestoriano Actis Concilii hujus inserta, illam de *Vigilio* memoratam à Columbano, excitari potuisse calumniam, quæ correctiorum exemplarium collatione postmodùm fuerit deprehensa. Quorum apud Columbanum videtur fuisse penuria, qui hoc loco ex aliorum duntaxat relatione se ostendit esse locutum: *Hæreticorum enim receptio, ut audio*, inquit. Et iterum: *à Vigilio in Synodo (nescio quam) in quinta* &c. Huc item spectant illa verba ejus ad Bonifacium hic: *Si & vos sic recepistis, ut dicitur.* Necnon & illa: *Si hæc certa magis, quàm fabulosa sunt* &c. Quæ & alia ejus in præsenti epistolâ verba satis indicant ipsum non fuisse benè de causa Vigilii & Actis Quintæ Synodi informatum. Quod ipse Sanctus prudenter advertens, ubique conditionatè ac dubitativè, ut in locis jam allegatis conspicitur.

(dd) *Si vos deviastis de vera fiducia, & primam fidem irritam fecistis.* Veram fiduciam vocat hoc loco fidem catholicam & orthodoxam, ut ex sequentibus constat, ubi habetur: *Ideo & vestri erunt iudices qui semper orthodoxam fidem servaverunt, quicumque illi fuerint*, etiam si *iuniores vestri videantur*. Supposito quippe quòd vos ab orthodoxa fide defeceritis, ut de vobis spargitur, hoc enim toto hoc passu intendit, ut clarè patebit textum expendenti. Quod autem hîc, & variis hujus epistolæ locis videtur supponere, nempe Romanum Pontificem in quantum particularis homo, vel doctor, labi posse in hæresim, quæ est sententia plurimorum Theologorum & Canonistarum; & probari potest multis testimoniis antiquorum & exemplis. Primo ex cap. si Papa dist. 40. ubi dicitur, *Papam in solo casu hæresis iudicandum esse*; ergo supponitur posse esse hæreticus. Idipsum tradit Innocentius 3. serm. de consec. Pontif. de seipso loquens: *In tantum fides necessaria est, ut cum de cæteris peccatis Deum habeam Judicem, propter solum peccatum, quod in fide committitur possim ab Ecclesia iudicari.* Ubi clarè supponit posse se in fide peccare. Exempla quibus hęc opinio confirmatur, plura reperiuntur. Nam testatur *Hieronymus* in Chronicis *Liberium* Papam hæresi subscripsisse, & *Honorium* hæreticum fuisse plurimi testantur. Psellus in Carm. de VII. Synod. *Barasius* ad Sum. Sacerdot. Antiochiæ, Alexandriæ, & S. Urbis Actione 3. septimę Synodi, *Theodorus* cum sua Synod. Hierosolymit. In confess. fid. Act. 3. *Adrianus* Papa Act. 5. Synod. VIII. Et licet hunc & alios multi excusent, ut Baronius ad annum 645. *Theodori* Papæ IV. *Bannes* 2. 2. q. 10 dub. 2. concl. 1. *Turrecrem.* 2. c. 112; non tamen negant in hæresim incidere potuisse; & certè nisi casus ille possibilis fuisset, Patres, & Concilia statim repulissent accusantes Honorium de hæresi. Denique ex *Gersone* Serm. de Paschate, *Adriano* q. 6. de confirm. fin. aliisque refertur *Joannes* secundus censuisse animas carne solutas, divinam essentiam ante diem judicii non visuras; quod cùm diffinire voluisset, Dei providentiâ sublatus est. Ex quibus colligitur indefectibilitatis Petri in fide, in quantum privilegium personale erat Lucæ 22. *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*, hæredem non remanere Roma-

nere Romanum Pontificem; quia privilegium hujusmodi moritur cum persona; licet succedat Petro in eodem privilegio, quatenus ad publicam Ecclesiæ transit utilitatem; in quo nimirùm infallibilitas successorum Petri in diffiniendis controversiis fidei, & morum continetur. Duo itaque in illo loco Christus privilegia Petro contulit, primum quòd non deficeret fides privata ejus, ipsi soli proprium; secundum, quòd nec ipsius, nec successorum ejus deficeret in his quæ definienda essent de fide & moribus; quòd privilegium ipsi cum illis erat commune. Vide hac de re Chrysostomum Homil 83. in Matth. Theophilact. in 22. Luc. Prosper. lib. 1. de vocat. gent. cap. ult. Leon. Serm. de assumptione sua. Agathon epist. ad Constantin. in VI. Synod. Act. 7. Nicolaum I. epist. ad Michaëlem Imper. Bernard epist. 180. Plura Patrum dicta huc spectantia videri possunt apud Canum lib. 6. c. 5. quibus duo illa privilegia Petro concessa adstruuntur, & explicantur sicut jam suprà sunt exposita.

(ee) *Meritò vestri Juniores vobis resistunt, & meritò vobiscum non communicant.* Possunt enim subditi resistere Papæ publicè in hæresim lapso, ut habetur in V. Synodo Rom. 218. Episcoporum his verbis: *Oves Pastorem reprehendere, nisi à fide exorbitaverit, non præsumant.* Adrianus Papa Act. 5. Synodi VIII. *Licet*, inquit, *Honorio anathema sit dictum ab Orientalibus, sciendum tamen quòd de hæresi fuerat accusatus, propter quam solam licet minoribus maiorum suorum motibus resistere.* Et ratio hujus est, quia Papa manifestè jam hæreticus, ab ipso Deo depositus censetur ab officio, & omnem in subditos jurisdictionem amittit; unde in hac epistola inferius dicitur: *Tamdiu potestas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanserit*, veræ scilicet fidei orthodoxæ & Catholicæ, ut ex contextu colligitur. Quę sententia est communis veterum Theologorum & multorum recentiorum. Palud. tract. de potest. Papæ. Turrecr. lib. 4. p. 2. c. 20. Castro. 2. de hæres. pun. 24. Jacobatii lib. 8. ar. 1. & 2. Silvest. verbo Papa q. 4. Armil. ibid. n. 12. Bellarm. l. 2. de Rom. Pontif. cap. 30. apud quos multæ leguntur rationes pro hac sententia, ex quibus hic notare sufficit quòd Patres docent, nempe, hæreticum nihil habere juris vel potestatis. Ita Cyprian. lib. 1. c. 6. Optat. cont. Parmens. Ambros. 1. de pœnit. Augustin. Enchyrid. 65. Hieronymus contra Lucifer. Cœlestin. epist. ad Joan. Antiochen. Concilium Ephes. tom. 1. c. 19. Quo spectantes multi Canones habentur apud Turrecrem. l. 4. p. 2. c. 18. Prætereà negari non potest, hæreticum esse membrum putridum, à reliquo Christi corpore, quod est Ecclesia, præcisum. Item & lupum ex numero eorum, de quibus Apostolus: *Intrabunt post discessionem meam lupi rapaces, non parcentes gregi &c.* Quomodo autem aut membrum sic præcisum influere potest in corpus, aut lupus curam ovium administrare? Cæterùm quòd Bonifacius publicæ esset insimulatus hæreseos (de qua secundum veriorem sententiam ista, quæ diximus, solùm habent locum) varia hujus epistolæ loca indicant. Nam supra dixit Columbanus ipsum alloquens: *Hæreticorum enim receptio, ut audio, vobis reputatur.* Et infrà: *Multi dubitant de fidei vestræ puritate.* Et quidem hoc manifestè, ostendit, cùm plures postea subjungit ab ejus communione abstinuisse; quod certè propter mentalem tantum, aut occultam hæresim fieri minimè licuisset. Inferiùs deinde ad calcem epistolæ refert se monitum à quodam, ut ipsum tanquam Nestorianâ infectum hæresi, declinaret. Ex quibus satis apparet falsam illam de Bonifacio suspicionem, jam tum apud multos fuisse vulgatã, & inter alios apud ipsum forsan Regem Longobardorum Agilulphum, qui Sanctum Virum ad hæc scribenda induxerat. Quæ suspicio si fundamentum habuisset, meritò ipsi restitissent subditi, ab ejusque se communione subtraxissent, ut hic habet Columbanus, qui summâ prudentiâ & consilio fidem adhibere noluit hujusmodi de Romano Pontifice confictis calumniis, quę ab aliquibus Arianis, vel V. Synodi adversariis concinnatę fuisse noscuntur. Mirum sanè si tali labe infectus fuisset Bonifacius, omnes ejus temporis Historicos latere potuisse, qui ne verbum habent de ejus in fide Catholicâ hæsitatione, & multò minùs ad hæreticorum partes defectione. Quin imò ejus in regimine Pastorali vigilantiam multa commonstrant indicia: nam Romæ anno salutis

510. teste

510, teste V. Beda l. 2. hist. Ang. c. 4. *Coëgit Synodum Episcoporum Italiæ, de vita Monachorum & quiete ordinaturus:* cujus Concilii Acta si extarent, facilè sparsas illas de ipso calumnias explodement. Eodem præterea anno celebratum fuit in Hispania sub Gundemaro Rege de Ecclesiasticis controversiis Concilium Toletanum. Bonifacii quoque erga fidem Catholicam, & sacra devotionem, satis testatam facit Pantheon illud Romæ ab ipso, expulsis falsorum deorum simulachris, purgatum, & Gloriosæ Virginis MARIAE, ac SS. Martyrum cultui consecratum: quod etiam inter alias ejus laudes sepulchralis inscriptio commemorat, quæ sic se habet:

Gregorio quartus iacet hic Bonifacius almus,
Huius qui Sedis fuit æquus rector & ædis;
Tempore qui Phocæ cernens templum fore Romæ
Delubra cunctorum fuerant quæ dæmomoniorum,
Hoc expurgavit,

In alio quoque ejus sepulchro insculpto Epitaphio sequens inter alia in ejus commendationem versus legitur:

Gregorii semper monita, atque exempla magistri
Vitâ, opere, ac dignis moribus, iste sequens.

Quæ & alia multa Bonifacio debita encomia, in hæreticum, aut hæreticorum receptorem minimè quadrare potuissent. Ex quibus satis apparet, nulla veritate fuciri suggestas illas Columbano de Bonifacio calumnias, quas non nisi pro talibus semper habuit ipse Vir Sanctus, ut multa hujus epistolæ loca declarant. Nam in principio ostendit se constanter restitisse iis, qui Bonifacium, vel suos, hęreticorum receptores clamabant, cum ait: *Ego enim pro vobis promisi, quod nullum hæreticum Ecclesia Romana defendat contra Catholicam fidem, sicut discipulos ita decet sentire de magistro.* Item posteà alio in loco: *Dolendum,* inquit, *est quod non vos priores pro zelo fidei, ut decebat, diu parte à vobis recedente (utpote qui potestatem legitimam habuistis) continuò ostensâ prius vestræ fidei puritate condemnastis, nec excommunicastis, quare vel infamare auderet fidei orthodoxæ sedem principalem.* Ubi videtur reprehendere Pontificem, quòd non represserit & coërcuerit schismaticos illos vel hæreticos, qui ipsum & quidem innocentem injustè calumniabantur, unde subdit: *Scitis enim quàm sævâ animadversione à Patribus in Synodo Nicænâ Sanctâ damnati sunt innocentium criminatores.* Non multò pôst in eâdem sententiam habet hæc verba: *Hæreticorum receptio, ut audio, vobis reputatur; quod absit credi verum fuisse, esse, vel fore.* Ubi non tantùm indicat, se nullam illi commento fidem adhibuisse, sed neque ab alio ullatenùs adhiberi debere contendit. Nec his obstat quòd infrà dicit ad Bonifacium: *Si & vos sic recepistis, ut dicitur, aut si & ipsum Vigilium scitis sic infectum defunctum fuisse, quare illum contra conscientiam recitatis!* Loquitur namque in casu, quo ista vera fuissent, non quod ipse pro tunc ita contigisse crediderit, ut colligitur ex particula conditionali additâ, & his quę mox infrà subdit inquiens: *Si enim hæc certa magis quàm fabulosa sunt &c.* Denique in calce epistolæ expressiùs hoc quod diximus indicat cùm ait; *Quidam litteris suis, quibus me primo penè ingressu in huius regionis terminos arripuit, vos mihi cavendos, tanquam in Nestorii sectam decidentes, significavit: cui attonitus respondi in brevi, ut potui, non credens suæ allegationi.* Ecce clarè fatetur se calumniis illis non præbuisse assensum. Sed quia alii nonnulli præsertim schismatici, non ita benè de Bonifacio sentiebant, falsis hęreticorum criminationibus seducti, Vir Sanctus in hac epistola, zelo fidei commotus, conatur inducere ipsum ad cogendam Synodum, seque purgandum de suscitatâ per æmulos sinistrâ suspicione: qua in re fidelis filii partes exequitur.

(ff) *Ipsi autem orthodoxi* (subintellige, sunt) *& veri Catholici, qui neque* &c.

(gg) *Ut vobis sit stupor ambobus, qui unus chorus esse debuistis, magnitudo sollicitudinis meæ pro concordia, pace vestrâ.* Hoc est, ut utraque pars, nempe Vigilius, & qui ab ipso recesserant, mirentur sollicitudinem meam pro concordia & pace vestra: nam videtur ibi intelligenda conjunctio.

(hh) *Licet enim Roma magna est & vulgata &c.* Tota sequens periodus obscurioris

scurioris nonnihil constructionis hunc reddit sensum: licet Roma sui nominis claritate per universum orbem usque ad occidui solis limites longè lateque diffusa, celeberrima habeatur; ex eo tamen tempore, quo Dei Filius Christus Dominus per Apostolos suos Petrum & Paulum eam visitavit, & ad longè dissitas nationes Evangelicâ prædicatione distendit, clarior & nobilior esse cœpit, & in majori apud nos veneratione haberi. Et hoc ipsum est quod Leo Papa Serm. I. in Natali Apostol. dicit ad Romanam civitatem conversus: *Quamvis enim multis aucta victoriis jus imperii tui terrâ mariq; protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quàm quod pax Christiana subjecit.* &c.

(hh) *Ex eo tamen tempore, quo Deus, & Dei Filius esse dignatus est,* scilicet Romæ, hoc est, ex quo Romæ Deus & Dei Filius coli cœpit.

(ii) *Trans Euriporum rheuma, trans Delfinum dorsa, trans turgescentem dodrantem.* Euripus ex Mela fretum est angustum inter Bœotiæ portum, & Eubœam insulam, quod unius diei ac noctis spatio recurrit eo impetu, ut navigia repugnantibus ventis plena secum rapiat. Hîc sumitur generaliter pro quolibet tempestuoso mari. Trans ergo Euriporum, hoc est, violentorum & turbulentorum marium rheuma, seu fluctus, & Delfinum inibi natantium dorsa, trans turgescentium aquarum dodrãtem seu molem, *ad nos usque pervenit* &c. Quæ omnia hîc metaphoricè accipit Columbanus, non de alio, quàm de mari magno & spatioso hujus sæculi, ubi sunt reptilia, quorum non est numerus, aëreæ videlicet potestates, & rectores tenebrarum, qui continuas ibi tempestates excitant ad Evangelii propagationem impediendam, quibus omnibus superatis, Dei Spiritus in duobus illis ferventissimis equis, Petro scilicet & Paulo, Delfinum, hoc est, dæmonum adversantium, dorsa transgressus, ad nos usque pervenit. &c.

(kk) *Tamdiu enim potestas apud vos erit, quamdiu recta ratio permanserit.* Rectæ nimirùm fidei Christianæ Catholicæ. Neque enim voluit Columbanus potestatem Papalem hoc ipso amitti, quo Papa deviat à recta ratione quacumque, sed à recta ratione restrictâ ad rem fidei Catholicæ, vel articulos ejusdem, ut colligitur ex probatione quam adjungit: *Ille enim certus,* inquit, *regni cælorum Clavicularius est, qui dignis per veram scientiam aperit, & indignis claudit.* Ubi sermo est de scientia veræ fidei, sine qua stare nequit potestas ligandi, vel solvendi. Item ex aliis ibidem verbis mox sequentibus idipsum ostenditur, quibus ait, *quod unitas fidei in toto orbe unitatem fecit potestatis, & prærogativæ.* Et rationem subinfert; *Quia,* inquit, *confessio recta etiam Sancto privilegium dedit Claviculario, communi omnium Nonno.* In quibus iste sensus intenditur, quod, ut Papa super fideles & orthodoxos potestatem habeat, fidem ipse Catholicam & orthodoxam servare & profiteri debeat.

(ll) *Cum hæc igitur vera sint. &c.* Hæc clausula sic debet intelligi, cùm certum sit neminen posse aperire, vel claudere nisi per veram scientiam, & nemo ignoret, S. Petro collatas esse claves, propter quod vos, tanquam Petri successores, sublimius aliquid & majoris authoritatis meritò vobis vendicatis, noveritis tamen minorem apud Deum vestram potestatem fore, si vel corde tantùm rectæ fidei & scientiæ contraria senseritis &c. Itaque primis illis verbis: *Cum hæc igitur vera sint*, &c. correspondent illa: *Noveritis minorem fore potestatem vestram apud Dominum, si vel cogitatis hoc in cordibus vestris*, id est, si vel corde tenus dogmata malè sana tenueritis. Cujus rationem immediatè subjungit, dicens: *Quia unitas fidei in toto orbe unitatem fecit potestatis & prærogativæ.*

(mm) *Communi omnium Nonno.* Forsan hoc loco per mendam irrepsit *nonno* pro *nomine,* quamvis etiam illo verbo retento sensus cohæreat. Pro quo notandum ex Rodignio l. 5. c. 12. apud Ægyptios *Nonnos* vocari Monachos, & moniales *Nonnas.* Unde Hieronymus ad Eustoch. de custod. Virg. *Castæ,* inquit, *vocantur & Nonnæ.* Et Bonifacius Mogunt. epistolâ 19. *Spiritus luxuriæ fornicantem, & per monasteria Nonnarum sacras Virgines stuprantem & furentem agitavit.* Communis ergo *Nonnus* apud Monachos Abbatem vel Monachorum

nachorum Patrem significat; atque ita Columbanus translatâ significatione S. Petrum communem fidelium Patrem, & Pastorem dixit.

(nn) *Ideo si scriptum est in V. Synodo, ut quidam mihi dixit, quod qui duas substantias adorat, orationem suam divisam habeat.* Per hæc verba satis confirmantur ea, quæ superiùs de corruptelis hujus Synodi notavimus; nam illa ab Eutychiano quopiam Actis Synodi fraudulenter adjecta, indeque varia exemplaria depravata, vel ex eo manifestum est, quod error iste de unâ tantùm in Christo naturâ & substantiâ, ejusque assertor Eutyches, non semel in V. Synodo condemnatus reperiatur, maximè verò in anathematismo octavo, & undecimo ante finem; quorum prior errorem; posterior verò authores cum aliis multis hæreticis anathematizat. Meritò itaq; Vir Sanctus hîc asseruit eum, qui scripsit illa verba, divisum esse à Sanctis, & separatum à Deo, in unitate personæ divinam humanamque Christi naturam devotè professus.

(oo) *Idcircò quamvis trisulcus arcuato vulnere &c.* Passus hic obscurissimus, quantum capio, hunc reddit sensum: Idcircò quamvis antiquus incipiat serpens extendere linguam suam sicut arcum mendacii in his hominibus, de quibus scriptum est anteà, qui nova quæq; licet epicroca, id est, clara & perspicua, copes nimiùm effecti, hoc est, nimiùm abundantes in sensu suo (*copes* namq; à copia legitur apud Plautum) hyperbolica seu excessiva judicant: quiq; tumore superbiæ impleti, velut celetes, hoc est, equi desultorii *eliginosis palearibus*, id est, tumore nimio turgescentes, *scriptis quibusque non lepidis*, aut ipsorum palato displicentibus *invidæ refragationis*, seu contradictionis semper opponunt *pellacias*; non *pellates*, ut mendosè scribitur in Codice. Nam res ipsa loquitur in hoc loco priori modo legi debere; *pellacia* namque sermonem ad seducendum compositum sonat, quod proposito sensui plurimùm quadrat.

(pp) *Celotes.* Ita habet MS. Codex, sed proculdubio legendum *celetes*, qui dicuntur equi sive bigis vel quadrigis adhibiti, quos Latini desultorios vocant, quòd ex his facilè desiliatur. Dicuntur etiam *celetes*, navigia quæ unico remorum ordine aguntur; Latini *celoces* appellant. Priori sensu magis videtur Columbanus illam vocem accepisse, superbos & præcipites ad judicandum, & censurandum facta aliena *celetes* appellans.

(qq) *Palearia.* Vulgò significat ista vox tumorem illum pellis, vel carnis dependentis ex gutture boum. Hîc autem metaphoricè sumitur pro tumore superbiæ, quo inflati vani ac elati homines proni feruntur in aliena dicta vel facta redarguenda. Cæterùm quid sibi velit constructum huic voci adjectivum *Eliginosis* mihi non apparet.

(rr) *Sed quando Rex gentilis. &c.* Gentilis hîc non idem sonat quod paganus: nam Rex Agilulfus, cujus tempore, & rogatu hæc à Columbano scripta sunt, Catholicus fuit, & in servos Dei munificus benefactor; sed sumitur pro indigena, seu pro eo, qui de gente, seu de terra est, ut colligitur ex verbis mox sequentibus: *peregrinum scribere Longobardus Scotum hebetem rogat.* Ubi peregrinum Scotum opponit indigenæ Longobardo.

(ss) *Scotum hebetem.* Hîc, benigne Lector, obiter animadverte contra multorum proterviam, tanti viri de binomia Hiberniæ Hibernorumque appellatione priscâ testimonium. Superius in epistola ad Patres Synodi Gallicanæ sub finem, loquens de se, & suis; deque aliis conductis secum ex Britannia, inquit, *Sive Britanni, sive Iberi, sive quæque gentes*, ubi *Iberi* ad ipsum, ejusque ex Hibernia comites referendum esse quis nesciat? In hac verò sub initium magis disertè de se suisque comminiscens: *Discipuli sumus toti Heberi, ultimi habitatores mundi.* Quibus consonantia iterum in epistola ad Gregorium profert: *Scias namque* (sermo erat cum ipso Gregorio) *à nostris Magistris & Hibernicis antiquis Philosophis &c. Victorium non fuisse receptum.* Et in litteris, quibus tradidit Monasterium Bobiense in protectionem Sedis Apostolicæ, multò his clariora habet hæc verba: *Ego Columba servus servorum Dei ex Hibernia partibus ortus, Papa dixi &c.* In quibus locis meridianâ luce clarius se & alios Hiberniæ incolas, Hibernos, seu Heberos aut Iberos appellat; quibus si

componas adnotatum hic vocabulum, quo se *Scotum hebetem* scribit, manifestè consequetur quòd ad cap. 1. Vitæ ipsius Sancti prænotavimus, nempe Hiberniæ habitatores olim, nunc Hibernos, nunc Scotos, promiscuè dici consuevisse; ipse namque se in Hibernia ortum, adeoque Hibernum, nunc disertè *Scotum* appellat, pro synonymis eas voces usurpans.

(tt) *Multi dubitant de fidei vestræ puritate.* Ex hoc & variis hujus epistolę locis colligitur, sparsam fuisse de Bonifacio, velut hæreticorum fautore, vel receptore calumniam, ad quam tollendam hæc potissimùm epistola conscripta fuit à Columbano, talem de Romano Pontifice subortam suspicionem indignè ferente, minimeque eam suggerentibus consentiente, ut in superioribus ostensum est.

(uu) *Si in nostris temporibus persecutio venerit ultima squammæ illius invisæ &c.* Squammæ invisæ nomine hîc intelligit Antichristum, ut colligitur ex locis S. Scripturæ mox citatis, quæ de temporibus Antichristi intelliguntur.

(ww) *Ante etenim ac retrò incomparabilibus.* Ita Codex MS; sed putarem per mendam irrepsisse *etenim* pro *etiam*.

(xx) *Potiùs tantum vestræ idiomate linguæ nancto, licet prisco inter Hebræo nomine, cuius & penè subivi naufragium.* Ut pateat hîc mens authoris, videtur legendum *tamen* pro *tantum*, *nuncupato* pro *nancto*, & *nitar* pro *inter*, ut sensus sit: potiùs ex nativa impositione, Columba, juxta latini idiomatis sonum, appellor, licet etiam nitar Hebræo vocabulo, videlicet Jonę, *cuius & penè subivi naufragium.*

(yy) *In huius Regionis terminos.* Regio hæc erat Italia, in qua hanc exaravit epistolam Columbanus.

(zz) *In Nestorii sectam decidentes significavit.* Jam in superioribus, hujus de Bonifacio calumnię causas aperui, agendo de condemnatione Trium Capitulorum facta in V. Synodo.

(aaa) *Ego enim credo semper Columnam Ecclesiæ firmam esse in ramo.* Hîc suam erga Sedem Apostolicam exprimit Vir Sanctus devotionem, quam latè superiùs aliis ex ipso locis adductis commonstravi. Valde mihi apparet verisimile legi debere pro *ramo*, *Roma*; nam hoc ipsa sententia innuit.

(bbb) *Regis insistit iussio Agns.* Omninò legendum *Agilulphi*, pro *Agñs*, qui hoc tempore Longobardis imperabat, & Columbano Monasterii Bobiensis prædia contulit.

(ccc) *Arianam hanc labem.* Contra hanc ipsemet Vir Sanctus libellum edidit florentis doctrinæ, ut testatur in ejus Vita Jonas cap. 29.

(ddd) *Forte Christus pio, nos nunc respicit &c.* Hanc sententiam hîc duriusculè transpositam sic construe: *Forte Christus nos nunc respicit*, cujus *pio favore omne nascitur bonum.* Sed verisimilius mendo omissum *oculo* post *pio*.

(eee) *Scalon amplius fiat.* *Scalon* pro *scandalum* jam non est in usu.

(fff) *Fiat ut patria pax.* Id est, patriæ pax. Patria namque sumitur ibi adjectivè, nisi fortè per mendam irrepsisse dicatur *patria*, pro *patriæ*.

(ggg) *Rex regum, tu Petrum &c.* Benigne Lector, mendosus Codex cogit nos in his & similibus locis conjecturas exhibere pro Notis. Non facilè patet sensus istorum verborum, nisi legantur aliter sic: *Rex regnum*, vel *plebs regem*, *tu Petrum &c.* Quorum posterior acceptio videtur magis ad rem, licet prima voci sit conformior.

EPISTOLA V.

EPISTOLA V.

S. COLUMBANI AD S. GREGORIUM PAPAM.

ARGUMENTUM.

Hac Epistolâ S. Columbanus postulat S. Gregorii resolutionem primò circa ritum tùm Romanum celebrandi Pascha Lunâ XXI, tum Gallicanum Lunâ XXII, utrumque, sed præcipuè posteriorem, impugnans & abolendum suadens authoritate & S. Anatolii, cuius textum adducit, & peritorum de Hibernia Calculatorum, qui Victorii Cyclum velut imperfectum spreverunt: dein impugnatione potissimi fundamenti, quo ratus est niti utriusque ritûs assertores, nempe Pascha non esse celebrandum cum Judæis. *Demùm quòd utrumvis ritum sequentes plures dies azimorum seu Paschales re ipsâ agnoscant, quàm Sacra Scriptura tradat. Secundò sententiam eius poscit circa adeptos Simoniacè, aut violatâ iam Clericali continentiâ, Episcopalem gradum. Tertiò circa Monachos, qui à suis Claustris contra Prælatorum suorum voluntatem aliò migrant prætextu pietatis. Indicato denique suo Gregorium visendi desiderio, Pastorale eius dilaudat, & extrema expositionis in Ezechielem & Cantica Canticorum ad se mitti rogat, pariter suadens ut Zachariam quoque exponat. Cæterùm Epistolæ, ut hîc iacet, sensum in multis evertunt mendæ crebræ, & ferè inemendabiles nisi collatione melioris MS. quæ causa fuisse videtur P. Flemingo eam in suâ collectione prætereundi. Verùm ego seorsim repertam, quia nimis serò, cæteris Epistolis, iam tunc imprimi cœptis, adiungendam resolvi, eam malui, licet omnium ferè prima sit ordine temporis, ultimam prodire, quàm diutiùs delitere, præcipuè quòd Paschalium Cyclorum peritos iuvare possit ad certiùs investigandum quæ fuerit olim nostratium Hibernorum Britonumq; circa Paschales terminos à cæteris Orthodoxis differentia. Porrò mendas, quarum quasi certa occurrit correctio, visum est in marginem transferre; quarum ambigua, si brevis sit, margini inscribere; si prolixa, ad subiunctas Epistolæ Annotationes differre, ceteras præterire.*

*Domino Sancto, & in Christo Patri * Romano, pulcherrimo Ecclesiæ Decori, totius Europæ flaccentis augustissimo quasi cuidam Flori, egregio Speculatori, theoriâ utpotè divinâ * castulitatis potito, ego * bargoma vilis Columba in Christo mitto Salutem.*

* *f. mendo librario omissum Papæ*
* *ita MS.*
* *sic MS.*

GRATIA * tibi & pax à Deo Patre nostro JESU Christo. (*a*) Libet me, ô Sancte Papa, hyperbolicum tecum non sit interrogandum de Pascha juxta illud Canticum: *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos & dicent tibi.* Licet enim mihi, nimirùm micrologo, illud cujusdam egregium Sapientis elogiûm, quod dixisse fertur, * quamdam videns * contupictam: *Non admiror artem, sed admiror frontem*, (*b*) ad te clarum à me vili scribendo potest inuri, tamen tuæ Evangelicæ humilitatis fiduciâ fretus, tibi scribere præsumo, & (*c*) mei doloris negotium injungo. Vanitas namque scribendi nulla est, ubi necessitas cogit quamvis majoribus scribi. Quid ergo dicis (*d*) de Pascha XXI aut XXII Lunę, quod jam (* tuâ tamen pace dictum sit) non esse Pascha, nimirùm tenebrosum, à multis comprobatur (*e*) calcalenteris? Non latet enim, ut credo, efficaciam tuam, quantum Anatolius, miræ doctrinæ

* *Gratias* in MS
* *Magna hic labes, prout in MS. expressa.*
* in MS. *quendam.*
* *f. comptè pictam.*
* *vel* in MS.

ctrinæ Vir, ut Sanctus ait Hieronymus, cujus Eusebius, Cæsariensis Episcopus, in Ecclesiasticâ excepta inseruit Historiâ, & S. Hieronymus in suo hoc idem de Pascha Opus collaudavit Catalogo, de hac Lunæ ætate vituperando disputet; qui contra Gallicanos Rimarios de Pascha, ut ait, errantes, horrendam intulit sententiam, dicens: *(f)* *Certè, si usque ad duarum vigiliarum terminum, quod noctis medium indicat, ortus Lunæ tardaverit, non lux tenebras, sed lucem tenebræ superant; quod certum est in Pascha non esse probabile, ut aliqua pars tenebrarum luci dominetur, quia solemnitas Dominicæ Resurrectionis lux est, & non est communicatio luci cum tenebris. Et si in tertiâ vigiliâ Luna excanduerit, non est dubium Lunam XXI vel XXII exortam esse, in quâ verum Pascha non est possibile immolari. Nam qui hac Lunæ ætate Pascha definiunt possibile celebrari, non solùm illud authoritate Divinæ Scripturæ affirmare non possunt, sed & sacrilegii & contumaciæ crimen & animarum periculum incurrunt; dum affirmant veram lucem posse immolari cum aliquâ dominatione tenebrarum, quæ omnibus tenebris dominatur.* *(g)* Necnon in sancti dogmatis legimus libro: *Pascha*, id est, *Solemnitas Dominicæ Resurrectionis ante transgressum Vernalis Æquinoctii XVI initium non potest celebrari, ut scilicet Æquinoctium non antecedat*; *(h)* quod utique Victorius in suo transgressus est Cyclo, & per hoc Galliæ jam dudum invexit errorem, seu, ut humiliùs dicam, *(i)* confirmavit inolitum. Quippe quâ ratione utraque stare possunt, ut scilicet *(k)* Resurrectio Domini ante suam celebretur Passionem, quod vel putari absurdum est; aut septem dies, Domini jussione in Lege sanciti, in quibus tantùm legitimè Phase Domini comedi mandatum est (qui à XIV Luna usque ad XX numerandi sunt) contra jus fasq; transcendantur? Luna enim XXI aut XXII extra jus lucis est, utpotè post medium noctis tunc temporis exorta; & tenebris lucem superantibus, lucis solemnitas nefas est, ut ajunt, agi. Quare ergo tu tam sapiens, nimirùm cujus clarissima per Orbem, ut antiquitùs, sacri ingenii diffusa sunt lumina, Pascha tenebrosum colis? Miror, fateor, à te hunc Galliæ errorem, ac si *(l)* Schynteneum, jam diu non fuisse rasum; nisi fortè putem, quod vix credere possum, dum eum constat à te non fuisse emendatum, apud te esse probatum. Aliter tamen & honestiùs tua excusari potest peritia, dum fortè notam subire *times Hermagoricæ novitatis, antecessorum, & maximè Papæ Leonis, authoritate contentus es. Noli te quæso in tali quæstione humilitati tantùm aut gravitati credere, quæ sæpè falluntur. *Melior fortè est canus vivus* in hoc problemate *leone mortuo*. Vivus namque Sanctus emendare potest, quæ ab altero majore emendata non * fuerint. Scias namque nostris Magistris & Hibernicis antiquis, Philosophis & sapientissimis componendi calculi Computariis, Victorium non fuisse receptum, sed magis risu vel veniâ dignum, quàm authoritate. Idcircò mihi timido peregrino magis, quàm sciolo, tuæ dirige fulcrum sententiæ, & * maturè punctum tuæ placabilitatis, huic tempestati nos circumdanti compescendæ, transmittere non dedigneris; quia non mihi satisfacit post tantos, quos legi authores, una istorum sententia Episcoporum dicentium tantùm: *Cum Judæis Pascha * facere non debemus.* *(m)* Dixit hoc olim & *Victor* Episcopus, sed nemo Orientalium suum recepit commentum; *(n)* sed hoc soporans spina Dagonis, hoc imbibit bubum erroris. Qualis, rogo, hæc frivola & tàm impolita, nullis scilicet Divinæ Scripturę fulta testimoniis sententia: *Cum Judæis Pascha facere non debemus?* Quid ad rem * pertinet? Numquid Judæi reprobi Pascha facere credendi sunt nunc, utpotè sine templo, extra Jerusalem, Christo tunc figurato, ab iis crucifixo? Aut, nunquid ipsorum esse rectè credendum est XIV Luna * e Pascha; & non potiùs Dei ipsius instituentis Phase esse fatendum est, scientisque solius ad purum quo mysterio XIV Luna ad transcensum electa est? Quod fortè sapientibus & tui similibus aliquantulùm præluceat. * Qui hoc opponunt, licet sine authoritate, Deo improperent, quare non suâ præscientiâ anteà tunc præcaverit Judæorum contumaciam, ut si nollet nos cum eis Pascha facere, novem dies azimorum in Lege præciperet, ut vel nostræ solemnitatis initium finem solemnitatis eorum non excederet? Nam si XXI, aut XXII Pascha celebrandum, à XIV usque ad XXII, novem dies computabuntur; septem scilicet à Deo præcepti, &

* MS. Certè, inquiens.

* f. times.

Eccles. 9. v. 4.

* f. fuerunt.

* MS. habet mature.

* deest facere hic in MS.

* MS. pertinent.

* fortè Lunæ Pascha, aut Luna & Pascha.

* Qui in MS.

cepti, & duo ab hominibus aucti Sed si licet hominibus augere per se aliquid Divinæ censuræ, interrogo, nè fortè videatur contrarium esse illi Deuteronomii sententiæ:

Deuter. 4. 2. *Ecce*, inquit, *verbum quod tibi do, neque adiicias ad illud, neque auferas ab eo.* Sed hæc magis procaciter, quàm humiliter scribens, (o) scio euripum præsumptionis difficillimæ

* f. nexuisse. * f. ignorans. mihi * nexisse, enavigandum fore* irogus. Nec loci namque, nec ordinis est, ut magnæ tuæ authoritati aliquid quasi discutiendo inrogetur, & ridiculosè te mei (nimirùm Petri Cathedram Apostoli & Clavicularii legitimè insidentem) Occidentales apices de Paschâ

* tam deest in MS. sollicitent. Sed tu non * tam me vilem in hac re, quàm multos & defunctos & viventes, hæc eadem quæ notavi, firmantes Magistros, considerare debes, & quasi cum eis te trahere collo-

* mendo hic repetitum is. quium * crede: piè namque me, scito, licet saltuatim & hyperbolicè, chilosum os aperire. Tuum itaque aut excusa aut damna Victorium, sciens si illum laudaveris, inter te & suprà dictum Hieronymum fidei futurum fore negotium, qui nimirùm Anatolium laudavit, huic contrarium; ità ut qui unum secutus fuerit, alterum recipere non poterit. Tua itaque consideret vigilantia, ut in fide duorum authorum supradictorum, sibi invicem contrariorum, probandâ, nulla sit inter te & Hieronymum in sententiâ promendâ dissonantia, ne nobis undique sint angustiæ, ut aut tibi, aut *illi* consentiamus. Parce in hoc infirmis, ne scandalum diversitatis ostendas. Simpliciter enim ego tibi confiteor, quòd contra Sancti Hieronymi authoritatem veniens, apud Occidentis Ecclesias hæreticus seu respuendus erit; illi enim per omnia indubitatam in Scripturis Divinis accommodant fidem. Sed hæc de Pascha sufficiant. Cæterum de Episcopis illis quid judicas, interrogo, qui contra Canones ordinantur, id est,

* MS. Simoniacos. quæstu*Simoniacis (p)& Giltas author pestes scripsistis. Nunquid cum illis communicandum est? Quia, quod gravius est, multi in hac Provincia tales esse noscuntur: aut de aliis, qui in Diaconatu violati, posteà ad Episcoporum

* MS. gradus leguntur *gradum eliguntur? Sunt enim quorum in his novimus conscientias,& cum nostr a parvitate id conferentes, certum scire volebant, si sine periculo post hoc

*possint,id est, aut post Gradum solidis emptum, aut post in Diaconatu adulterium, absconsum tamen dico (q) cum clientelis adulterium: quod apud nostros Magistros non minoris censetur esse facinoris. * deest aliquid quod sensum compleat, fortè ministrare.

Tertiò interrogationis loco responde adhuc quæso, si non molestum est, (r) quid faciendum est de Monachis illis, qui pro Dei intuitu & vitæ perfectioris desiderio accensi, contra vota venientes, primæ conversionis loca relinquunt & invitis Abbatibus, fervore Monachorum cogente, aut laxantur,aut ad deserta fugiunt. (s) Vennianus author Giltam de his interrogavit, & elegantissimè illi rescripsit; Sed tamen discendi * studioso semper major metus adcrescit. * MS. studio.

Humiliùs & puriùs hæc omnia & multò * plura, quæ Epistolaris brevitas non admittit, per præsentiam interroganda erant, nisi corporis infirmitas, & meorum cura comperegrinorum domi me vinctum * MS. pulchra.

ad te eundi, ut illam spiritualem vivi fontis venam, vivamque undam Scientiæ cœlitùs fluentis, ac in æternam vitam salientis haurire. * deest hic aliquid f. reneret, cupidum.

Et si animum corpus sequeretur, (t) Roma sui iterum rem sustineret contemptûs, ut quomodo, docto narrante Hieronymo, legimus, quosdam de ultimis, (u) Heulini littoris finibus olim venisse Romam,* * deest f. possem.

in, &, mirum dictu, aliud extra Romam quæsisse; ita & ego nunc te, non Romam desiderans, salvâ Sanctorum reverentiâ cinerum, expeterem: licet enim non me sapientem, sed esse sitientem fateor hoc idem facere * si vacaret. * f. dein.

Legi librum tuum Pastorale regimen continentem, stylo brevem, doctrinâ prolixum, mysteriis refertum, melle dulcius egenti opus esse fateor; mihi idcircò tua sitienti largire, precor, opuscula, quæ in Ezechielem miro, ut audivi, elaborasti ingenio. (w) Legi Hieronymi sex in illum libros; sed nec medium exposuit. Sed si dignaris, aliqua nobis (x) de tuis transmitte relictis in civitatem, extrema scilicet libri exposita transmitte, & Cantica Canticorum ab illo loco (y) in quo dicit.... *Ibo ad montem myrrhæ & collem *thuris* usque in finem; aut aliorum, aut tuis brevis, deposco, tracta sententiis, & ut totam exponas obscuritatem Zachariæ, absconsam propala, ut tibi Occidentalis in his gratias agat cæcitas. Importuna postulo & magna sciscitor; quis nesciat? * MS. sed vacare.

* non est in MS.

Sed &

E. habes, qui sed & tu magna * habens, quia de parvo minùs, & de multo plus, benè scis esse fœnerandum. Rescribere te persuadeat charitas, exponere non impediat chartæ asperitas (z) quia æra in errorem fuit, & honor debitus cordi est à me tibi dari: meum fuit provocare, *E. fili.* interrogare, rogare; tuum, * si gratis accepta non negare, talentum fœnerari, petenti te panem doctrinæ, Christo præcipiente, dare. Pax tibi, tuisque; meæ indulge quòd sic audacter scripsi, rogo, procacitati, beate Papa; & oro ut pro me vilissimo peccatore vel semel in tuis sanctis orationibus ad communem Dominum ores. Persuperfluum puto commendari tibi meos, quos Salvator, quasi in suo nomine ambulantes, recipiendos esse decernit, & si, ut audivi à (*aa*) Sancto Candido tuo, hoc respondere volueris, temporis antiquitate roborata mutari non posse, (*bb*) manifestè antiquus error est; sed semper antiquior est veritas, quæ illum reprehendit.

ANNOTATIONES.

Est hæc Epistola, uti titulus & contentorum series repræsentat, una earum plurium, quas se ad Gregorium scripsisse memorat Columbanus suâ illâ ad Gregorii Successorem (quisquis is fuerit) quam inter hîc editas primam vides. Collector enim in iis collocandis spectasse videtur ordinem, quo eas in MS. invenit: nam spectato ordine, quo datæ fuerunt, prima prodire debuit quæ ad Episcopos Gallicanos, quippe quæ in ipsamet significatur scripta anno duodecimo aut decimotertio commorationis S. Columbani suorumque in Gallia, quam ex Jona in Vita S. Columbani, aliisque constat cœptam utcumque ante obitum Sigeberti primi Regis Austrasiæ, anno DLXXV. interempti, ut cum aliis observat in Chronico Belgico Aubertus Miræus. Secunda, hæc ipsa ad S. Gregorium, anno 590. Papam consecratum. Tertia, quæ ad Gregorii Successorem data est ante proscriptum Luxovio Columbanum. Quarta, quæ ad Attalam, ceterosque Luxovienses: nam ex ipsâ cum citato Jona cap. 22. collatâ patet datam quando S. Columbanus jam Luxovio pulsus & Nannetam in Britannia Armorica deportatus, compellebatur in Hiberniam solvere. Quinta, quam persuasu Agilulphi Longobardorum Regis, jam in Italia constitutus dedit ad Bonifacium IV. anno 614, aut sequenti.

(a) *Libet me &c.* Ingens hîc depravatio textûs, sensum induxit contrarium genuino, qui hic videtur, & his ferè verbis aut subsimilibus ab authore expressus, *lubeat, ô Sancte Papa, me hyperbolicum*, sive excedentem limites parvitatis meæ, *tecum loqui, cum nunc sis interrogandus de Pascha juxta illud Cantici &c.*

(b) *Ad te clarum à me vili scribendo.* Videtur mendo huc irrepsisse *a* & *scribendo* pro *scribente.*

(c) *Mei doloris negotium injungo.* Hoc est, adjungo, quo sensu Livius Dec. 5. l. 3. id verbum usurpans, *injunctus*, inquit, *muro agger.* Fortasse tamen Columbanus hîc scripsit *intimo, insinuo*, aut quod aliud, pro quo exscriptor aliquis substituit *injungo.*

(d) *De Pascha XXI aut XXII Luna.* Nonnullis mirum videbitur, Columbanum Orthodoxum, peritum, Sanctum, quique de controversiis circa debitam Paschalis Solemnitatis observantiam obortis, multa volumina legit, aliquot etiam composuit, conatum hîc probare aut persuadere, Pascha non posse alterutrâ istâ Lunâ celebrari. Nam imprimis ipse probè novit quod Theologicis hodiè notissimum est, nec Mosaicâ Lege, ut quæ pridem evacuata est; nec Evangelicâ, ut quæ nullum ejusmodi præceptum continet, oportere Christianum Pascha certo die aut Lunâ peragi, adeoque pendere ab decreto vel permissu Romani Pontificis quoto Solaris aut Lunaris mensis die, fixo, aut vago, ritè celebrari queat: unde Columbanus ipse in unâ hîc præcedentium Epistolarum obsecrat, ut sibi sociisque Pontifex indulgeat Pascha servare more gentis ipsorum, nisi mos ille sit fidei contrarius, utique velut certum supponens, posse id in eâ hypothesi à Pontifice legitimè permitti. Prætereà utramque illam Lunam praxis etiam Romanæ Ecclesiæ approbavit: nam & Romani & ceteri Latini (exceptis fortè

Britanni-

Britannicarum insularum habitatoribus) per aliquot annorum centurias usque ad initium sexti seculi Christiani Paschales Dominicas à Luna XVI ad XXII observabant, quod in Prologo Paschalis sui Canonis testatur Victorius, *Latini*, inquiens, *nec minus eiusdem Dominica Resurrectionis peragendo mysterio destinârunt, quam XVI* [Lunam] *nec amplius quàm XXII Lunam aliquando recipiunt: eligentes potiùs in Lunam XXII diem Festi Paschalis extendi, quàm Dominicam Passionem ante Lunam XIV. ullatenùs inchoari.* Et confirmat cap. 5. Commentarii in eundem Canonem Ægidius Bucherius; & apud hunc pagina 480. Innocentii Papæ I. epistola XI. ad Aurelium Carthaginensem Episcopum data anno 413. Iidem quoque Romani cum potissimâ orbis Christiani parte Cyclum Alexandrinorum, quo Luna tantum XV, XXI, & intermediæ Paschalibus Dominicis designantur, amplexi sunt circa ann. 525, quo Dionysius Exiguus ejusdem Cycli rationes Romæ luculenter exposuit, & per annos circiter 70. ante datam à Columbano hanc Epistolam secuti sunt, ut & in hunc diem sequuntur: easdemque Lunas celebrando Paschali festo ipsos Apostolorum Principes Petrum & Paulum præscripsisse testis est locupletissimus S. Victor Papa anno Christi, secundum Miræum in Chronico, 201. Martyrium passus, suâ ad Dionysium Viennensem in Gallia Episcopum Epistolâ, cujus hoc initium: *Sicut sancta Fraternitas tua à Presbyteris, qui Apostolos in carne viderunt, erudita est, qui & Ecclesiam usque ad tua tempora rexerunt, non decimâ quartâ Lunâ cum Judæis, sed à decima quintâ ad vigesimam primam Pascha Catholica Ecclesia celebravit. Non enim iam umbram, sed veritatem, quæ umbrâ legis celabatur, quærit. Hanc doctrinam Romæ Petrus & Paulus instituerunt, ut in azimis sinceritatis & veritatis Pascha ageretur. Qui enim cum Judæis Pascha agere volunt, quid nisi umbram diligunt, ut Agni carnes non in veritate, sed in umbrâ figurante manducent?* & infra. *Nusquam Petrus cum Judæis (postquam illis dixit, pœnitentiam agite quia sanguinem Justi fudistis) nos Pascha celebrare docuit: nusquam Paulus, qui ut Christum lucrifaceret, observationes illas legis arbitratus est ut stercora.* Sed quamvis hæc vera sint, non proinde est Columbanus ob ea, quę hîc contra alterutrum illum celebrandi Paschatis ritum adducit, taxandus: uti nec S. Cyrillus Alexandrinus, Dionysius Exiguus, Ven. Beda, Ceolfridus Abbas, aliique, qui longè acrius sugillarunt ritum non modò Asianorum, Syrorum, Cilicum, & Mesopotamianorum celebrandi Pascha Luna XIV, verumetiam Latinorum à Luna XVI ad XXII, quamvis non ignorarent & illum ab Joanne Evangelista traditum ad tempus Concilii Nicæni perdurasse, & istum diu ab Latinis, ipsisque Romanis servatum fuisse. Quare ut hi Scriptores Sancti ita sunt benignè interpretandi, ut non voluerint ejusmodi ritus, suppositâ Pontificiâ approbatione aut permissu, velut absolutè illicitos improbare, sed solùm velut minus aptos repræsentandis mysteriis, quę plurima in Christiano Paschate latentia, ex ipsius conformitate cum Hebræorum Phase, ejusdem typo seu figurâ elucescunt; similiter excusandus est, interpretandus, & ab omni notâ insolentiæ, temeritatis, & imperitiæ excusandus Columbanus, præsertim cum ideò eos ritus non ex suo, sed veterum sensu, eoque fine impugnarit, ut veritatem Pontificis resolutione certiùs nosceret, notamq; constantiùs sequeretnr. Accedit quòd traditionem illam, quâ dicitur à S S. Apostolis Petro & Paulo constitutum, ut Paschalis Solemnitas à Luna XV ad XXI celebretur, Columbanus aut non audierit, aut suspectã ei fecerit ipse Romanorum abeo ritu in illum à Luna XVI ad Lunam XXII, diutissimè ab iis servatum, recessus: quem Romani Pontifices, si traditionem illam certam crederent, nequaquam permisissent, nisi fortè exigente grandi aliquâ Ecclesiæ necessitate; qualem intervenisse, aut in eâ ritus mutatione spectatam fuisse, haud pronum est ostendere. Denique non suo nititur judicio, sed S. Anatolii Laodiceæ in Syria Episcopi, qui in suo Canone Paschali (quem anno Christi 276. composuit) Lunam XXII & XXI à Paschalium numero disertè rejicit, laudatus pariter cum suo illo Canone, ut hîc verissimè dicitur, & ab Hieronymo in Catalogo Scriptorum Ecclesiast. cap. 73. & Eusebio qui suæ Historiæ Ecclesiasticę lib. 7. c. 26. nonnulla ejus de Paschate *excepta* seu dictata interseruit.

(e) *Calcalenteris.* Ita MS. vitiosè, ut

apparet pro *Caleenteriis*, aut *Calculatoribus*, cùm *Calcalenteris* non inveniatur in iis quæ occurrêre Lexicis Latinis aut Græcis.

(f) *Certè si usque ad duarum Vigiliarum terminum*, & quæ sequuntur usque *quæ omnibus tenebris dominantur*, sunt textus Anatolii, clarissimè excludens à Paschali Solemnitate Lunationem omnem vigesimâ posteriorem, ut frustrà omninò S. Wilfridus apud Bedam lib. 3. Historiæ c. 25. conatus sit eum, velut nostratium Scotorum sententiæ, quoad terminos Paschalium Dominicarum adversum, in suam trahere, à quâ ille totus abhorruit, ut luculenter etiam indicant ista quæ hîc adductis, proximè adjungit §. 4. *Igitur non est huic assertioni contrarium, sicut quidam Galliæ partis Computarii affirmant, illud quod in Exodo legitur:* Primo Mense, XIV die Mensis primi ad vesperum comedetis azima usque ad vigesimum diem Mensis ad vesperum. Septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris. *Unde affirmant Pascha in vicesimâ primâ Lunâ posse immolari; intelligentes, quòd si Luna XXII adiecta fuerit, VIII dies Azimorum inveniantur. Quod in Veteri quidem Testamento non potest probabiliter inveniri, Domino per Moysen præcipiente:* Septem diebus comedetis azima. *Nisi fortè ab eis decimus quartus dies in Azymis cum Paschæ immolatione non annumeretur, contra Evangelii dictum, dicentis:* Primâ autem die Azymorum accesserunt Discipuli ad JESUM. *Quin dubium non est, quin XIV dies sit, in quo Discipuli Dominum interrogaverunt, secundum morem antiquitùs sibi constitutum:* Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? *Sed ideò hanc adiectionem affirmant, qui in hoc errore decipiuntur, quia nesciunt, XIII & XIV, XIV & XV. XV & XVI. XVI & XVII. XVII & XVIII. XVIII & XIX. XIX & XX. XX & XXI Lunam probatissimè in uno die inveniri. Omnis namque dies in Lunæ computatione, non eodem numero, quo manè initiatur, ad vesperum finitur. Quia dies quæ manè in Luna, id est usque ad sextam & dimidium horæ, XIII annumeratur, eadem ad vesperum XIV invenitur. Unde ergo & Pascha usque ad XXI in vesperum extendi præcipitur; quæ manè sine dubio, id est, usque ad eum quem diximus horarum terminum, XX habebatur. Computa ergo à fine XIII Lunæ, quod est initium XIV, ad finem vigesima, unde & XXI principium inchoatur; & invenies septem tantùm dies Azymorum, in quibus verissimum Pascha Domini ducatu præfinitum & immolari debere.* Et § 7. *Tribus angustiis coarctamur, id est, ut in die Dominicâ solemnitatem Paschæ venerantes, Æquinoctio transvadato, XX Lunam non excedamus.* Et §. 11. *Qui has in suo numero rationes probatissimas componunt, principium quoddam Pascha finemque componentes, id est, ne ante undecimum Kalendas Aprilis, nec post vigesimam primam Lunam & undecimum Kalendas Maii Pascha immolandum esse. Quos terminos non solùm non sequendos, sed etiam detestandos ac succidendos esse decernimus.* Unde Bucherius cap. 3. Comment. in Anatolii Canonem, *Latini*, inquit, *Dominicam Paschæ citimam non ante Lunam suam XVI, Alexandrini non ante XV indicunt. Ipse etiam* Anatolius *Lunâ XIV admittit, ut patet annis Cycli ipsius II. V. & XVIII. in quo cum Quartadecimanis facit. Hinc fit ut eandem Paschæ Dominicam nunquam ultra XX Lunam diffundat, cum Alexandrini ad XXI, Latini ad XXII etiam propagent.*

(g) *Nec non in Sancti dogmatis legimus libro.* Per istum librum non videtur Columbanus intelligere Anatolii Canonem Paschalem; cùm in hoc per Bucherium edito non habeatur iste, qui tanquam illius libri textus proximè subjungitur: *Pascha, id est, Solemnitas Dominicæ Resurrectionis, ante transgressum vernalis Æquinoctii XVI initium non potest celebrari.* Esse tamen quoad rem ipsam in Canone Anatolii produnt ipsius §. 2. hæc verba: *Idcircò ergo post Æquinoctium Pascha immolari præcipitur, quia XIV Luna ante Æquinoctium & in Æquinoctio totam noctem non implet. Post Æquinoctium verò Luna XIV, unâ die adiectâ, quod est Æquinoctii transgressus, licet ad verum lumen, id est, ortum Solis, & diei principium, non pertenderit; tamen post se tenebras non derelinquet.* Quibus indicat Pascha non celebrandum ante initium alterius diei sequentis Æquinoctium, quæ in ipsius sentêtiâ est 27. Martii. *Nam Æquinoctium ipse*, inquit Bucherius cap. 3. Comment. *cum XXV Martii componit; imo unum præterea diem, nempe Martii XXVI (quem Æquinoctii transgressum appellat) ante legitimam Paschatis citimi functionem transmitti vult, ut tanto tenebras lux*

tras lux superet. Unde patet in textum à Columbano citatum, si quidem Anatolii sit mendo irrepsisse *initium XVI* pro *initium* XVII scilicet diei Martii, quâ nullâ prior est illi Paschalis.

(h) *Quod utique Victorius in suo transgressus est Cyclo.* Nam communi more Latinorum sui ævi Lunam XXI & XXII Paschalibus annumerat. Pascha etiam interdum, etsi non suâ, tamen quorundam aliorum è Latinis sententiâ & praxi indicat nunc ante, nunc in ipso Nicæni Æquinoctii die celebrandum, & Anatolianum Æquinoctium nihil moratur.

(i) *Confirmavit inolitum.* Ante enim Victorii Cyclum & ætatem, ut alii Latini, etiam Galli, Pascha celebrabant à Luna XVI ad XXII.

(k) *Ut Resurrectio celebretur ante Passionem.* Ne hoc ipsi Columbano, qui cum suis Pascha à Luna XIV ad XX observabat, adverletur potiùs, quàm Victorio, ceterisque Latinis, qui ut prius triduum Passionis, quàm Resurrectionis diem recolerent, Pascha non ante Lunam XVI celebrabant, ita intelligendum videtur, ut ex mente Anatolii, atque adeò etiam Columbani, oporteat festum Paschæ celebrari seriùs die XXV Martii, quo Christus passus est sententiâ multorum.

(l) *Ac si Schynteneum.* Hoc est, ut reor, tanquam si rectum seu legitimum esset, à Græca voce Σχοινοβατής.

(m) *Dixit & hoc olim Victor Episcopus,* scilicet Papa Romanus, qui Asianis frustrà conatus est persuadere Pascha non esse celebrandum cum Judæis, seu, ut illi exemplo S. Joannis Evangelistæ consueverunt, quacumque hebdomadis die Luna XIV primi mensis incidisset; sed uti Apostolorum Principes decrevêre, die semper Dominicâ in Lunam XV, XXI, aut aliquam his intermediam incidente: in quos parere nolentes ille *supra modum exscandescens,* inquit Socrates lib. 5. Hist. c. 22. *excommunicationem misit*; quamvis posteà eam revocârit ad instantiam præcipuè S. Irenæi, uti scribit Eusebius lib. 5. c. 24. Hi ergo sunt ii *Orientales,* quorum *neminem* Columbanus ait *Victoris* de legitimo tempore celebrandæ Paschalis solemnitatis *recepisse commentum,* hoc est, sententiam, seu interpretationem: quod non verè diceret de Orientalibus universim sumptis, cùm ex Eusebio citato cap. 23. constet, Hierosolymam & Cæsaream Palestinæ tunc Victoris instructionem secutas. Vocat autem Victoris instructionem *commentum*, quòd putet non quidem illum aliquid finxisse; sed minùs verum esse istud ejus dictum, *Pascha non est celebrandum cum Judæis*; cùm quemvis Paschalem Cyclum sequentes necesse sit aliquando cum Judæis in tempore celebrandæ Paschæ quadamtenùs convenire. Quòd si fortè sic appellârit, ratus Victoris sententiam de tradito per Petrum & Paulum Latinis ritu obeundi Pascha à Luna XV ad XXI, minimè veram esse, adhuc veniâ dignus erit, quòd id processerit ex bono zelo & inculpabili ignoratione naturalis historiæ aut facti talis, in quo decipi neutri poterat esse ignominiosum.

(n) *Sed hoc soporans spina Dagonis, hoc imbibit bubum erroris.* In hoc commate mihi obscuro *bubum* accipi videtur pro tumore, quē sensum tribuunt Grçcę voci βουβών & inde deductę voce quasi Latino *bubo* tertiæ declinationis: pro qua Columbanus *bubū* usurpat, per *bubum erroris* intelligens quod Hiberni per *meall seachrain,* molem, nedum, seu eminentiam erroris, seu, quod idem est, magnum errorem.

(o) *Scio Euripum præsumptionis difficillimæ mihi nexisse, enavigandum fore irogus.* Hoc membrum, si pro ultimâ voce, per librarium indubiè depravatâ, legatur *ignorans*, & *excisse* vel *nexuisse* pro *nexisse,* sensum faciet istunc metaphoricum, sequentibus aptè cohęrentem: scio quod mihi collegerim, seu in me concitaverim violentam magnæ præsumptionis suspicionem, nescius num eam potero elidere. Cujus concitatæ suspicionis rationem seu originem detegens, *nec loci namque* (inquit) *nec ordinis est, ut magna tua authoritati aliquid quasi discutiendo irrogetur,* hoc est, irrogetur, seu imponatur, velut ejus consensu factum, simul in quæstionem vertendo, num id legitimum sit. Fortasse tamen genuina lectio est, *ut magna tua authoritas aliquid quasi discutiendo interrogetur*; quippè cujus arbitrio & resolutioni quæstio erat sine disceptatione relinquenda.

(p) *Et Giltas author pestes scripsisse.*

Legendum videtur *& Gildas contra istos scripsit.* Extat tomo 5. Bibliothecæ Patrum edit. Parisiensis *Gildæ Sapientis acris correptio* in Episcopos Simoniacos, cæteros que malæ vitæ Clericos.

(q) *Cum Clientellis.* Per Clientellas seu Clientulas intelligit uxores, quas suscepturi Sacrum Ordinem, aut Religiosum statum, legitimè dimiserunt: quo sensu eadem voce utitur supra lib. de Mensura pœnit. n. 20.

(r) *Quid faciendum est de monachis illis qui primæ conversionis loca relinquunt.* Hæc quæstio à Columbano proposita valdè mihi confirmare videtur, ipsum & non *Faustum* Regiensem, contexuisse illum supra pag. 86. exhibitum contra ejusmodi Monachos Sermonem.

(s) *Vennianus author Giltam de his interrogavit.* Gildam intelligit, ejusque synchronum *S. Finnianum* Cluainerardensem, Sanctorum Hiberniæ Magistrum, postquam esset in Britannia majori annis triginta conversatus.

(t) *Romæ sui iterum rem sustineret contemptus.* Author noster in Annot. ad cap. 3. Vitæ S. Columbani, putat Columbanum his verbis significare, Romam à se jam antè aditam, contemptamque fuisse, & adhuc rursum fuisse adeundam spernendamque si corporis indispositio pateretur. Quæ expositio etsi fortasse sit reapte vera, non tamen videtur satis fundata, spectato solo sermonis contextu, quo potiùs innui videtur Romam, quemadmodum olim sui contemptum passa est ab iis, qui eam adivère, non tam ipsius, quàm aliûs cujuspiam videndi gratiâ; ita quoque & à Columbano passuram contemptum, qui eamdem, si corporalis valitudo permitteret, adiret, non ut illam, sed Gregorium inviseret.

(u) *De ultimis Heulini littoris finibus.* Pro *Heulini* legendum *Hispani*, aut potiùs *Herculei*, indicat ipsius S. Hieronymi Epistolâ 103. ad Paulinum iste textus: *Ad Titum Livium, lacteo eloquentiæ fonte manantem. de ultimis Hispaniæ, Galliarumq; finibus quosdam venisse nobiles legimus: & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus sæculis, celebrandumq; miraculum, ut tantùm urbem ingressi, aliud extra urbem quærerent.* Quare cùm *ultima Hispaniæ* pertingant Gaditanum sinum, seu Herculeum fretum, verosimilius est librarium *Herculei*, quàm *Hispani* in *Heulini* commutasse.

(w) *Legi Hieronymi sex in illum libros; sed nec medium exposuit.* Scilicet illis sex libris, quorum ultimus finit cum cap. 20. Ezechielis: reliqua verò exposuit octo sequentibus libris, quos fortè non vidit Columbanus.

(x) *De tuis transmitte relictis in Civitatem.* Legendum puto *relectis in Civitatem*, hoc est, de libro secundo seu Homiliis decem, quas in Ezechielis 40. caput, quo visiones ejus de Hierosolymitano templo & civitate continentur, Gregorius pro concione dixit, & *post annos octo*, inquit ipsemet in Præfatione libri primi, *favente Domino transcurrens, in quantum ab angustiis tribulationum licuit, emendavi*; & hanc lectionem indicant subsequentia Columbani verba *extrema scilicet libri* (utique secundi) *exposita transmitte.*

(y) *In quo dicit..... ibo ad montem myrrhæ & collem thuris.* MS. corruptè *in quo dicit mihi: ibo ad montem murræ & cæli*; ubi *mihi* fortè pro *amicus* aut *Sponsus*, aut quo alio nomine personam loquentis denotante, vitio transcriptoris successit, cujus ideò locum hîc puncta occupant, quò sciatur vocem aliquam desiderari.

(z) *Quia æra in errorem fuit.* Quasi diceret, supputatio Paschalis temporis *in errorem, si quis fuit*, me abduxit; non irreverentia erga te.

(aa) *S. Candido tuo.* Est quem tempore Columbani in Gallias misit Gregorius, & ad quem multæ ab eo missæ epistolæ extant in Gregorii Registro.

(bb) *Manifestè error antiquus est.* Hoc non de illo Gregorii dicto, scilicet *temporis antiquitate roborata mutari non posse*, ait; sed de ritu Victoriano servandi Pascha, quem & Columbanus præcipuè impugnandum hâc Epistolâ suscepit, & Gregorius illo responso videtur fateri non aliunde, quàm à temporis antiquitate robur adeptum.

SANCTI

SANCTI COLUMBANI ABBATIS HIBERNI,

MAGNI MONACHORUM PATRIARCHÆ,

COENOBII LUXOVIENSIS
IN GALLIA,
ET BOBIENSIS
IN ITALIA,
ALIORUMQUE PLURIMORUM
FUNDATORIS ET PATRONI.

POËMATA QUÆDAM

Tam ex impreßis, quàm MS.tis Codicibus ad invicem accuratè collatis ex fide transumpta, & Notis illustrata.

BENEVOLO LECTORI.

SUBJICIO, Benevole Lector, quædam S. Columbani Poëmata, quæ quo hîc sequuntur ordine digesta Melchior Himinsfeldius Goldastius in suis Paræneticis veterum cum Notis satis copiosis evulgavit: cujus nos hîc editionem, velut aliis hactenùs publicatis correctiorem, & locupletiorem exhibemus; cunctis tamen, quibus hæc ab illis discrepat, accuratè adnotatis, vel in margine, vel in Notis, quas ab ipso plerumque Goldastio, qui in hoc laborem nostrum prævenit,

acceptas, cuilibet Poëmati ſubjungimus claritatis gratiâ. Cæterùm, ut ipſas editiones diſtinguamus, advertendum Epiſtolam ad *Hunaldum*, ſeu (ut alii Codices habent) ad *Sethum*, ſæpiùs antehàc editam. Nam præter hunc Goldaſtium, illam Henricus Caniſius tom. 1. antiq. lect. in lucem dedit cum hoc titulo : *Columbanus Hibernus Hunaldo diſcipulo.* Deinde publicavit eandem cum Epiſtolis B. Eugenii Toletani Epiſcopi anno 1619. P. Jacobus Sirmundus Soc. JESU, præmiſſis illis 17. verſibus, quæ infrà præcedunt, tanquam ad eandem Epiſtolam ſpectantibus. Notat etiam Baronius ad 21. Novembris Epiſtolam S. Columbani ad Hunaldum, quâ deteſtatur avaritiam, extare in Collectaneo Chriſtianorum Poëtarum. Alteram, quæ ſequitur ad *Fedolium* Epiſtolam, apud ſolum hunc Goldaſtium, excuſam reperio. *Monoſtichon* verò apud Caniſium citatum, ex MS. Codice Friſingenſi, & apud P. Martinum Del-Rium Societ. JESU ex Codice Abbat. S. Laurentii Leodienſis anno 1601. impreſſum habetur. Noviſſimè autem hoc & memoratam ad Sethum ſeu Hunaldum Epiſtolam, in Bibliotheca SS. Patrum nuperrimę impreſſionis Colonienſis relata, ſuo etiam inſeruit *Florilegio Sanctorum Hiberniæ* D. Thomas Meſſingamus, adnotatâ in margine utriuſque editionis diſcrepantiâ. Porrò illud circa Monoſtichon obſervandum, multos in eo verſus, & quidem integros, priſcorum Poëtarum reperiri, potiſſimùm verò Octaviani Romani, qui ut opinatur Goldaſtius, author extitit elegantis libelli, qui nomine *Catonis* in Scholis vulgò circumfertur. Quem authorem ſibi præ cæteris familiarem fecit Columbanus, ut & plurimi ex eo mutuati verſus, infrà ad marginem ſignandi, indicant. Quò etiam ſpectare videtur ipſa Columbani Præfatiuncula, ſicut apud Goldaſtium jacet, hîc ſubſequens.

LECTORI

LECTORI COLUMBANUS.

QUæ facere meliora nequii, utor pro meis,
Nam dicta vetera invertere, impietas mera est.

EPISTOLA
AD HUNALDUM.

CAsibus innumeris decurrunt tempora vitæ,
OMnia prætereunt, menses volvuntur & anni;
LAbitur (*a*) in senium momentis omnibus ætas,
VT tibi perpetuam liceat comprendere vitam,
MOlles illecebras vitæ nunc sperne caducæ.
BLandâ luxuriâ virtus superatur honesta.
ARdet (*b*) avaritiâ, cæcaque cupidine pectus;
NEscit habere modum vanis mens dedita curis.
VIlius (*c*) argentum est auro, virtutibus aurum.
SUmma quies (*d*) nil velle super quàm postulat usus.
HOs ego versiculos misi tibi sæpè legendos,
VT mea dicta tuis admittas auribus, oro.
NEc te decipiat vana & peritura voluptas.
ASpice quàm brevis est procerum, regumque potestas;
LUbrica mortalis cito transit gloria vitæ.
DA veniam dictis, fuimus fortasse loquaces,
OMne quod est nimium semper vitare memento.

ANNOTATIONES.

HOs Versus conjungit Sirmundus sequenti ad Sethum, seu (ut habet Canisius) ad Hunaldum Epistolæ, tanquam eò spectantes. Verùm planè credo censeri debere diversam ab illa Epistolam; quod etiam suadere videtur illa tam accurata versuum singulorum cum singulis utriusque nominis litteris consonantia, *Columbani* videlicet, & *Hunaldi*; quorum expletis vocabulis expleta quoque credi debet Epistola.

(a) *Labitur in senium.* Ovid. 6. Fast. *Tempora labuntur, tacitisq; senescimus annis.* Item Fortunat. lib 7. *Tempora lapsa volant, fugitivis fallimur horis, Ducit & in senium lubrica vita viros.*

(b) *Ardet avaritiâ &c.* Hic imitatur Horatium lib. 1. Epistol. 1. dicentem: *Fervet avaritiâ, miseraq; cupidine pectus.*

(c) *Vilius argentum &c.* Habetur apud Horat. lib. 1. ad Mecænatem.

(d) *Nil velle super*, seu, ut habet Sirmundus, *supra*, hoc est, amplius, ut explicatur passim in Lexicis. Cæterùm desumptus est hic Versus ex Prudentii Psychomachia.

EPISTOLA

EPISTOLA
AD SETHUM.

1. (a) SUscipe *Sethe* libens, & perlege mente serenâ
Dicta *Columbani*, fidâ te voce monentis;
Quæ licet ornatu careant sermonis honesti,
Vota tamen mentisque piæ testantur amorem;
Vive Deo fidens, Christi præcepta sequendo,
2. Dum modò vita manet, dum (b) tempora certa salutis.
(c) Tempus & hora volat, momentis labitur ætas.
Despice quæ pereunt, fugitivæ gaudia vitæ:
Non fragiles secteris opes, & inania lucra.
3. (d) Nec te sollicitet circumflua copia rerum:
Sint tibi divitiæ Divinæ dogmata Legis,
Sanctorumque Patrum castæ moderamina vitæ.
(e) Omnia quæ dociles scripserunt antè Magistri,
Vel quæ doctiloqui cecinerunt carmina vates.
4. Has cape divitias, semper contemne caducas,
In mentemque tibi veniat tremebunda senectus,
Quam gelidæ tandem sequitur violentia mortis.
Ultima jam Sapiens meditatur tempora vitæ,
Torpentes senio vires, morbosque frequentes,
5. Incertumque diem læti, certosque dolores.
Multa senem fragilis vexant incommoda carnis:
Nam macie turpi tabescunt languida membra,
Tunc genuum junctura riget, venasque per omnes
Illius in toto frigescit corpore sanguis.
6. Sic baculo nitens artus (f) sustentat inertes.
Quid tristes memorem gemitus, quid tædia mentis?
Somnus abest oculis, illum sonus excitat omnis.
Quid tunc argenti, fulvi quid proderit auri
Improba congeries, multos collecta per annos?
7. Munera quid procerum? ditis quid prandia mensæ?
Quid meminisse juvat translactæ gaudia vitæ,
Venerit extremi tandem cum terminus ævi?
Hæc dum vita volat vigili qui mente retractat,
Spernit avaritiam, vanosque refutat honores.
8. Quid modò terrenis mentes intendere curis.
Mortales cupiunt? Quid turpia lucra sequuntur?
Semper (g) avarus eget nummo, testante Poëtâ:
(Crescit (h) amor nummi quantum ipsa pecunia crescit)
Indiget inter opes, nec habet quod habere videtur.
9. Ille domi solus nummos abscondit in arca,
Divitias cumulans dum sese nescit amare.
Plus amat hæredem, servat cui cuncta fidelis:
O nimiùm felix, parcus cui sufficit usus
Corporis, ut curam moderamine temperet æquo!
10. Non miserâ capitur, cæcaque cupidine rerum,
Nec majora cupit, quàm quæ natura reposcit.
Non lucri cupidus nummis marsupia replet,
Nec molles cumulat tinearum ad pabula vestes,
Pascere non pingui procurat fruge * cavallos;

* Cod Frisingens. caballos.

Nec trepido

11. Nec trepido tales volvit sub pectore curas,
Ne subitis pereat collecta pecunia flammis,
Aut fractâ nummos rapiat fur improbus arcâ.
Vivitur argento sine jam, sine vivitur auro,
Nudi nascuntur, nudos quoque terra receptat.
12. Divitibus nigri (i) referantur limina ditis,
Pauperibusque piis cœlestia regna patescunt.
Temnere divitias monuit Salvator avaros;
Quisquis amat Christum sequitur vestigia Christi:
Nam brevis & fragilis morituræ gloria carnis
13. Quidquid habet, rapidi velox fuga temporis aufert.
Pulchrè veridici cecinit vox (k) talia Vatis,
Tempora dinumerans ævi, vitæque caducæ:
Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur.
Alternant elementa vices, & tempora mutant:
14. Accipiunt * augmenta dies noctesque vicissim; * Canisius mendose alimenta.
Tempora sunt florum, retinet sua tempora messis,
Sic iterum spisso vestitur gramine campus:
Tempora gaudendi, sunt tempora certa dolendi, Ecclesiastæ cap. 3.
Tempora sunt vitæ, sunt tristia tempora mortis,
15. Omnia dat, tollit, minuitque, volatile tempus.
(l) Ver, Æstas, Autumnus, Hiems, redit annus in annum;
Omnia cùm redeunt, homini sua non redit ætas.
Hæc Sapiens omni semper reminiscitur horâ, Ecclesiastæ cap. 7.
16. Atque domum luctus epulis præponit opimis.
Ultima nunc humili concludam verba precatu:
Sis memor ipse mei versus cùm legeris istos;
Tempora sic habeas optatæ longa senectæ.

ANNOTATIONES.

Numero 1. (a) *Suscipe Sethe libens.* Codex Canisii habet: *Suscipe Hunalde libens.* Sirmundi verò, præmissis illis versibus suprà relatis Columbani ad Hunaldum, ita incipit: *Suscipe quæso libens.* Apud Canisium autem præfigitur hic titulus: *Columbanus Hibernus Hunaldo discipulo.* Cæterum quis fuerit iste Hunaldus, & an censeri debeat alius à Setho, vel potius aliud ejusdem personæ vocabulum, scire non potui. Hoc solum conjicere licet fuisse Monachum aliquem Congregationis Luxoviensis, vel Bobiensis, qui à Columbano sacras litteras discebat, quandoquidem ejus discipulus inscribatur.

n. 2. (b) *Dum tempora certa salutis.* Sic vocat præsentem vitam, in qua nimirum datur nobis facultas operandi salutem nostram, quia in altera suppliciorum nulla est redemptio. Beda de die judicii: *Spernere tu noli veniæ tibi tempora certa.*

ibid. (c) *Tempus & hora volat.* Ita Sirmundus, sed Canisius: *Tempus & illa volat*, ubi *illa* refertur ad *vitam*, de qua in priori carmine mentio præcesserat.

n. 3. (d) *Nec te solicitet.* Hoc accicipitur ex Prudentii Psychomachia.

ibid. (e) *Omnia quæ dociles &c.* Pro hoc & sequenti versu, unicum tantùm habet Sirmundus. *Omnia quæ dociles scripserunt carmine vates.*

n. 6. (f) *Artus sustentat inertes*, hoc est, sine artubus. Senec. *Hercul. fur. Iners senectus adiuvat baculo gradus.*

n. 8. (g) *Semper avarus eget &c.* Loco hujus & duorum carminum sequentium hoc unicum dumtaxat reperitur in editione Canisii: *Semper avarus eget, nec habet quod habere videtur.* Cæterùm illud Hemysthichion est Horatianum lib. 1. epistol. 11. ad Loll.

ibid. (h) *Crescit amor nummi &c* Versus est Juvenal. Satyr. 15. quem & Raymundus Astucius lib. 1. de hom. pug. cap. contra

cap. contra usurarios transcripsit, cui non absimilem habet sequentem versum Ovidius 1. Fastor.

Tempore crevit amor, qui nunc est summus habendi.

n. 12. (i) *Nigri reserantur limina Ditis*, hoc est, *Plutonis*, qui Ditis cognomen accepit, quod orbem suum mortibus nostris ditet. Ovidius l.4. Met. *Ubi sit nigri fera regia Ditis.* Virgil.6. Æneid. *Noctes atq; dies patet atri ianua Ditis.*

n. 13. (k) *Cecinit vox talia vates.* Quis iste vates, scire non liquet, nisi eo forte nomine Salomonem comprehendi velit, qui illam temporis partitionem, quam Sanctus hic commendat, tradidit. Ibid. *Alternant elementa vices.* Canisius legit *alimenta*, sed prior lectio magis cohæret. Arnulph. Lexoviens. de innovat. vernal. *Alternant & opus, & opes elementa vicissim.*

n. 15. (l) *Ver, æstas.* Cujacius Epigram. lib. 4. *Ver, Æstas, Autumnus, Hiems, sunt quatuor anni Tempora.*

EPISTOLA

AD FEDOLIUM.

1\. Accipe quæso
Nunc bipedali
Condita versu
Carminulorum,
Munera parva,

2\. Tuque frequenter
Mutua nobis
Obsequiorum
Debita redde.

3\. Nam (a) velut æstu
Flantibus Austris
Arida gaudent
Imbribus arva;

4\. Sic tua nostras
Missa frequenter
Lætificabit
Pagina mentes.

5\. Non ego posco
Nunc perituræ
Munera gazæ;
Non, quod avarus
Semper agendo
Congregat, aurum;

6\. Quod sapientum
Lumina cæcat,
Et velut ignis
Flamma perurit
Improba corda.

7\. Sæpè nefanda
Crimina multis
Suggerit auri
Dira cupido;

8\. E quibus ista
Nunc tibi pauca,
Tempore prisco
Gesta, retexam.

9\. (b) Extitit ingens
Causa malorum
(c) Aurea pellis.

10\. Corruit auri
Munere parvo
Cœna Dearum,
(d) Ac tribus illis
Maxima lis est

11\. Orta deabus.
Hinc populavit
Trojugenarum
Ditia regna
(e) Dorica pubes.

12\. Juraque legum
Fasque fidesque
Rumpitur auro;
Impia quippè
(f) Pygmalionis
Regis ob aurum

13\. Gesta leguntur.
(g) Sic Polydorum
Hospes avarus
Incitus auro

14\. Fraude necavit.
Fœmina sæpè
Perdit ob aurum
Casta pudorem.

15\. (h) Non Jovis auri
(i) Fluxit in imbre;
Sed quod ad inter
Aureus ille
Fingitur imber.

Amphiraum

16. Amphiaraum
Prodidit auro
(k) Perfida conjux.
(l) Hectoris heros
Vendidit auro
17. Corpus Achilles.
Et reserari
Munere certo
(m) Nigra feruntur
Limina ditis.
18. Nunc ego possem
Plura referre,
Ni brevitatis
Causa vetaret.
19. Hæc tibi Frater
Inclyte parva
Litterularum
Munera mittens,
Suggero vanas
20. Linquere curas.
Desine quæso
Nunc animosos
Pascere pinguj
21. Farre caballos,
Lucraque lucris
Accumulando,
Desine nummis
22. Addere nummos.
Ut quid iniquis
Consociaris,
Munera quorum
23. Crebra receptas?
Odit iniqui
Munera Christus;
Hæc Sapienti
Despicienda,
24. Qui fugitivæ
Atque caducæ
Cernere debet
Tempora vitæ.
25. Sufficit autem
Ista loquaci
Nunc cecinisse
Carmina versu.
26. Nam nova forsan
Esse videtur
Ista legenti
Formula versus.
27. Sed tamen illa
(n) Trojugenarum
Inclyta vates
(o) Nomine Sappho
Versibus istis
Dulce solebat
28. Edere carmen.
* Si tibi cura * *sa.*
Forte volenti
Carmina tali
Condere versu,
29. Semper ut unus
Ordine certo
Dactilus istic
Incipiat pes,
Inde sequenti
Parte trochæus
30. Proximus illi
Ritè locetur:
Sæpè duabus
Claudere longis
Ultima versus
Jure licebit.
31. Tu modo Frater
(p) Alme Fedoli,
Nectare nobis
Dulcior omni,
32. Floridiora
Doctiloquorum
Carmina linquens,
Frivola nostra
Suscipe lætus.
33. Sic tibi Christus
Arbiter orbis,
Omnipotentis
Unica Proles,
Dulcia vitæ
Gaudia reddet;
34. Qui sine fine
Nomine Patris
Cuncta gubernans
Regnat in ævum.

35. Hæc tibi dictâram morbis oppressus acerbis;
Corpore quos fragili patior, tristique senectâ;
Nam dum præcipiti labuntur tempora cursu
(q) Nunc ad Olympiadis ter senos venimus annos.
Omnia prætereunt, (r) fugit irreparabile tempus.
Vive, vale lætus tristisque memento senectæ.

ANNOTATIONES.

NUm. 3. (a) *Nam velut æstu.* Æstus hic pro æstate sumitur, quo sensu usurpatur ab Eusthemio descriptione quatuor tempestatum.

Ac Cereris donum horrescunt arva per æstum.

Item à Vitali in earumdem descript. & Gunthero lib. 1. Ligurini.

num. 9. (b) *Extitit ingens causa malorum.* De his malis, quæ occasione velleris aurei, de quo fit hic mentio, contigerunt, videndi Dares Phrygius de excid. Troiæ, Justinus lib. 42. Apollodorus Atheniens. lib. 1. Bibl. S. Augustinus lib. 18. de Civit. c. 14. Nicephor. Eccles. Hist. l. 7 c. 5. & alii plures, quos adducit in hunc locum Himpsfeldius. Cæterùm non rem verè gestam, sed fabulam interpretantur quod de vellere isto vulgò scribitur, Diodorus Siculus lib. 5. Plinius, Strabo, Hyginus, & Albricus in deorum imaginibus.

ibid. (c) *Aurea pellis.* Plerisque *aureum vellus*, Catullo *aurata pellis*, Propertio *aurea lana*, Ovidio *Phryxea vellera.*

num. 10 (d) *Ac tribus illis &c.* Nempe Junoni, Palladi, & Veneri, inter quas ortam fabulantur Poëtæ litem illam (de qua hic agitur) circa pomum aureum in cœnam ab Eride missum. Qua de re Dares Phrygius de excid. Troiæ, Ovidius Epist. Paridis, Strabo l. 13. S. August. l. 3. Civit. c. 25. & alii multi.

num. 11. (e) *Dorica pubes.* Hoc est, Græcanam Dorica una est è Græcorum linguis, qua utuntur Ægyptii & Syri.

num. 12. (f) *Pygmalionis Regis ob aurum.* Alludit hoc loco ad impium illud Pygmalionis facinus, quo Sichæum patruelem ex avaritia ante aras occidit, qua de re ita Virgilius 1. Æneid.

Ille Sichæum
Impius ante aras, atq; auri cæcus amore,
Clam ferro incautum superat.

Vide Justinum l. 8. & Lupum Ferariens. Epist. 34. ad Alcuinum.

num. 13. (g) *Sic Polydorum hospes avarus.* Hic hospes fuit Polymnestor ille, de quo Virgilius lib. 3. Æneid. qui Polydorum occidit; in cujus sceleris pœnam Hecuba Polydori mater illi oculos eruit.

num. 15. (h) *Non Jovis auri.* Sic etiam *Jovis* in recto casu Cæcilio, Accio, Ennio, usurpatur, ut refert hic Goldastus; Casellius, eumque secutus Priscianus lib. 6. hanc inflexionem inveterare volunt: sed Priscis *Jupiter*, non *Jovis*, sed *Jupitris* vel *Jupiteris*, inflectebatur; *Jovis* verò *Jovi* & *Jovem* &c.

ibid. (i) *Fluxit in imbre.* Fingunt enim Poëtæ Jovem, qui Danaën auro corrupit, in imbrem aureum conversum; unde & *Jupiter* interdum pro imbre accipitur, Virgilius 2. Georg.

Et iam maturis metuendus Jupiter uvis.

Meminerunt hujus fabulæ Cyprianus Epist. 2. ad Donat. Lactantius l. 1. Instit. Augustin. lib. 18. Civit. cap. 13. & alii hic à Goldastio relati.

num. 16 (k) *Perfida coniux.* Conjunx hæc fuit Eriphyla, seu Eriphyle, quæ propter torquem auream, virum suum Amphiaraū latitantem Polynici prodidit. De qua re ita Theodolus in Eclog.

Uxoris stimulos luis Amphiarae sacerdos.
Pectore flagrantis dum splendet bacca monilis.

Meminerunt hujus rei etiam Diodorus Sicul. lib. 4. cap. 6. interpret. Juvenal. Satyr. 6. S. Hieronymus lib. 1. advers. Jovinian.

num. 16. (l) *Hectoris heros*, nempe Achilles, qui Hectoris cadaver bigis alligatum, circum Patrocli (quem Hector interfecerat) sepulchrum, Troiæque muros traxit. Qua de re ita Virgilius lib. 1. Æneid.

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros.

Tandem ejus corpus, per duodecim dies insepultum ab Achille servatum, Priamus auro redemit, idque veteri more honorificè cremavit. Et ad hoc alludit hic Columbanus, cum ait, ab Achille corpus Hectoris auro venditum. Vide Homer. l. 23. Iliad. Ovid. 12. Met. & Justinum Martyr. Orat. ad Gentiles.

num. 17. (m) *Nigra feruntur limina ditis &c.* Unde Milesf. lib. 6. *Ergo & inter*, inquit, *mortuos avaritia vivit: nec Charon ille Ditis pater tantus Deus quidquam gratuito facit, & pauper moriens viaticum debet quærere &c.* Vide Isidorum lib. 8. orig. c. 11. Hinc ritus superstitiosus gentilium, nummum mortuis in os imponere, Charonti naulum. Vide Plutarchum collectan. Juvenal. Satyr. 3. & alios multos, quos hic refert Goldastius.

num. 27. (n) *Troiugenarum.* Hoc est, Lesbiorum, qui universæ olim Trojadis imperium obtinuere, ut author est Strabo.

ibid. (o)

ibid. (o) *Nomine Sappho* Hæc fuit mulier, quæ metra edidit, vulgò ab ejus nomine *Sapphica* dicta, quæ in MS. Diomedis, Ruffiniani, Servii, & Clementis alio vocabulo dicuntur *Adonia*, seu, ut habent Priscianus & Maurus, *Adonica*. Hujus porrò carminis plurimus olim usus apud comicos Græcos. Usurpatur etiam à Boetio lib. 1 Consol. Philos. Alcuino Epistol. ad Eulaliam, Walafrido, Notkero Balbulo, & aliis multis.

num. 31. (p) *Alme Fedoli.* Quis fuerit ille Fedolius, cui metricam hanc Epistolam direxit Columbanus, nullibi invenio. Floruit quidem temporibus S. Columbani in Gallia Presbyter quidam nomine Fidolus S. Brandani Abbatis Hiberni confrater, de quo Martyrologium Romanum cum Baronio, V. Beda, Ado, Molanus in addit. ad Usuard. Galesinius & alii ad 16. Maii. Posteriores duo ipsum faciunt Trecensem Episcopum; sed malè ut notavit Baronius, & habetur in Chronico MS. Cluniacensi, ubi legitur fuisse Abbas Ordinis S. Benedicti (teste Arnoldo Wion in Martyr. Benedict. ad præfatum diem) corpusque ejus in Burgundia in ecclesia quadam ejus nomine consecrata Diœcesis Lingonensis, non procul à monasterio Gallicè *Potieres* dicto, propè oppidum *Mucy* requiescere. Vide Arnoldum citato loco. Cæterùm an de hoc *Fedolo* loquatur hoc loco Columbanus, nobis est omninò incompertum, tum quòd nullibi id scriptum (quod sciam) reperiatur; tum etiam quòd non adeo mihi constet, ipsum ad præsentis Epistolæ datæ tempus dies suos produxisse; quod ex Actis ejus (quæ citatus Wion in fine dicti Chronici Cluniacens. extare dicit) foret colligendum.

num. 35. (q) *Nunc ad Olimpiadis ter senos venimus annos.* Alt. MS. *ter senæ*, quæ lectio sensui magis quadrat. Olympias passim pro quatuor annorum spatio accipitur. Aliqui etiam pro uno lustro, seu quinque annorum curriculo sumunt, ut hoc loco Goldastus. De hoc ita Salomo in Lexico. *Olympias apud Græcos constituta apud Elidem Græciæ civitatem eis agentibus agonem, & quinquennale certamen, quatuor mediis annis vacantibus, & ab hoc Elidum certaminis tempus Olympiadem vocaverunt, quadriennio in una Olympiade supputato.* Complebatur ergo vitæ S. Columbani Olympias decima octava, cum hæc Epistola dictata fuit; hoc est, ætatis ejus annus septuagesimus primus secundum unam, vel nonagesimus juxta alteram computandæ Olympiadis rationem. Ex quo colligitur quantæ fuerit litteraturæ Vir sanctus, qui in ætate sic decrepitâ tam doctum & elegans Poëma dictavit. Cæterum hic mos ætatem per Olympiades supputandi antiquis erat in usu. Ovidius alicubi: *In Scythia nobis quinquennis Olympias acta est.* Sidonius Apollinaris l. 9. c. 12. *Postquam*, inquit, *in silentio decurri tres Olympiades.* Rhabanus item in Martyrol. ad 8. Kal. Octob. de Solemni Episcopo loquens ita habet: *Tres Olympiades gerens in Episcopatu de hac luce migravit ad Christum.*

(r) *Fugit irreparabile tempus.* Hemistichion Virgilianum ex 10. Æneid.

EPIGRAMMA DE MULIERE.

OMnis mente pius fugiat mortale venenum,
 Quod mulieris habet lingua superba malæ.
(a) Conlatum vitæ destruxit Fœmina culmen:
 Fœmina sed vitæ gaudia longa dedit.

NOTÆ.

HOc Epigramma apud Goldastium præfert hunc titulum: *In Mulieres.* Quem ideo nos mutavimus, quòd non videatur eo magis Mulieris vituperium taxari, quàm laus & fœlicitas, initâ MARIAE cum Eva comparatione declarari. Putat autem Goldastius hoc Epigrammate perstringi Bru-

nechildem, quæ Columbanum in exilium mitti curavit: ſed quo id indicio?

(a) *Conlatum* pro *collatum* Priſcis uſitatum, ipſas præpoſitiones in compoſitione immutatas retinentibus. Ita Cato in lege Bæbia *inlargibo* pro illargibo, plurima hujus exempla occurrunt in Epiſtolis S. Bonifacii Archiepiſcopi quondam Moguntini.

SANCTI COLUMBANI ABBATIS

(a) MONOSTICHA.

1\. HÆc præcepta legat devotus & impleat actu
Virtutum titulis vitam qui quærat honeſtam,
Vel homines inter cupiat præclarus haberi,
Vel morum meritis cœleſtia regna mereri,
2\. Atque Deo Chriſto ſocius ſine fine videri.
Impleat ipſe Dei (*b*) qui vult ſua vota venire.
Vive Deo fidens Chriſti præcepta ſequutus.
Sint tibi divitiæ Divinæ dogmata Legis.
Corporis exſuperat vires prudentia mentis.
Omnibus eſt mundi melior Sapientia gazis.
3\. Semper amanda quidem eſt * rerum doctrina bonarum.
Optimus eſt animus Chriſti veſtitus amore.
Dæmonas aduerſus magna eſt oratio virtus.
Ut * moneas charum noli deſiſtere amicum.
* Morbi cauſa mali nimia eſt quæcumque voluptas.
4\. Tu (*c*) dare ne claudas palmas, & prendere pandas.
Semper in ore tuo reſonent bona verba ſalutis.
Ne, rogo, vindictam tua mens meditetur amaram.
Sint tibi pacifici magna dulcedine mores.
5\. Ne tua pœniteat, caveas, victoria temet.
Fer Patris * imperium dum verbis exit in iras.
(d) Quiſque dies vitæ eſt velut ultimus * ecce putandus.
Quod dare non * poſſis noli promittere verbis.
Qui prodeſſe poteſt, non eſt fugiendus amicus.
(e) Octenas ſtudeas vitiorum vincere turbas.
6\. Te ferat ad cœlum (f) quadriga repleta ſalutis.
Lingua ſuos habeat frænos in corde ligatos.
Vir bonus eſſe nequit, niſi qui * ſiet (g) omnibus æquus.
Qui ſcelera abſcondit veniam * non forte meretur.
(h) Qui bona deſueſcit, mox hic conſueſcit iniqua.
7\. Non tu quæſo jocis lædas, nec carmine quemquam.
(*i*) Sæpius auditu inſtrueris, quàm voce fruaris.
Sit ſervus mentis venter, ſit ſerva libido.
Non perdit pietas (k) quidquid largire videtur.
(*l*) Non opibus bona fama datur, ſed moribus almis.
8\. Fac ne te meritò verbis (*m*) irrideat alter.
Pro miſero miſerans lachrymas effunde ſodali.
Eripe ſi valeas, non ſuggere, tela furenti.
Sæpè nocet puero miſeratio blanda Magiſtri.

* Iſtud eſt Octaviani l. 4. d. 24.
* Vide Octavianum lib. 1. diſt. 9.
* eſt Octavian. lib. 4. diſt. 24.
Ecclеſ 4.

* iſte verſus deeſt in C. Leodienſ. eſt tamen Octavian. lib. 4. diſt 7.
* f. *eſſe*,
* C. Leod. *cogites*.

* Cod. Leod. *ſit*
* Cod. Leod. *ne*.

Ignotum

9. Ignotum noto (*n*) nunquam præponito amico.
Omnia quæ dicunt homines tu credere noli.
Non sibi quis vivat, Christo sed vivat ubique.
Non tua, sed Christi quæras qui diligis illum. Philippens. cap. 2.
Non te, non mundum, Christum sed dilige solum.
10. Cum sapiente loquens perpaucis utere verbis. Matth. 10. & 16. Marci 8. Lucæ 9. Ioann. 12.
Nil oculi prosunt, quibus est mens cæca videndi.
(*o*) Divitis opprobrium gemitus est pauperis ingens.
* Plurima discenti semper sapientia crescit. * Versus est Octav. lib. 3. dist. 28 sed paululum hic immutatus.
Judicium restat cunctis certissimè factis.
11. Adveniet Judex, cunctis qui justa rependet.
Inclyta perpetuam præstat patientia vitam.
(*p*) Te feritate magis faciat moderatio clarum.
Egregios faciat mentis constantia mores.
Consilio facies, rogo, sit tibi quidquid agendum;
12. Omnis quippe ætas aliquo sub fasce laborat.
Vera quidem veterum juvenis paradigmata rere.
Felix qui causam loquitur prudentis in aurem.
Tantum verba valent, quantum mens sentiat illa.
Omnibus est locuples qui rebus abundat honestis.
13. Non erit antiquo novus anteferendus amicus.
Difficilè invenias verum fortassis amicum.
Moribus egregiis facias tibi nomen honestum.
Nemo quidem plures habuit (*q*) quàm perdit amicos.
Cui prodest socio, cui non prodesse * putatur? * Cod. Leod. *probatur.*
14. Sola fides fidei dono ditabitur almo.
(*r*) Lenis non animam torquentis cura fatigat.
Res * severa quidem semper declarat honestè. * Cod. Leod. *te verè*
Quid pejus quàm se ut jungat habitator iniquus?
Actibus aut verbis * noli tu assuescere pravis. * Goldastius melius legit *nolite.*
15. Est non esse quidem satius quàm vivere pravè.
Mens bona Thesauros præcellit munere cunctos.
Vitam quippè tuam totâ virtute tuere.
Omnia pro vita sunt amittenda tuendâ.
Præmeditata quidem levius (*s*) sufferre valebunt.
16. Quæ subitò adveniunt multò graviora videntur.
Gaudia sunt populi Rector pius atque benignus.
Mors aliena monet propriæ nos mortis ubique.
Felix alterius (*t*) cujus documenta flagella.
Præmia non capiet ingrato qui bona præstat.
17. Sit tibi charus homo, ut frater, Deus, ut Pater almus.
Omnis paulatim lætho nos applicat hora.
Ante diem mortis nullus laudabilis extat.
Quælibet ex fructu proprio cognoscitur arbos. Lucæ 6.
Doctor erit magnus factis qui quod docet, implet.
18. Quod tibi vis fieri hoc * alio (*u*) præstare memento. * fortè *alii.*
Quod tibi non optas, alii non feceris ulli. Math. 7. & Lucæ 6
Pauperibus justis cœlestis gloria restat.
Æquum pondus habe, teneas & (*w*) statera justum.
Non tibi sit modius duplex, nec statera dupla. Proverb. 20.
19. Corripe prudentem, reddetur gratia verbis.
* Si tu recta facis, ne cures, verba malorum. * Est Octaviani lib. 3. distich. 11.
* Utile consilium Dominus ne despice servi. * Octav. lib. 3. d. 10.
* Inter convivas fac sis sermone modestus. * Octav. l. 3. d. 19.
20. * Cum quid peccâris, castiga te ipse subinde. * Octav. l. 4. d. 42.
* Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris. * Octav. ibid.
Divitias Domini faciet benedictio claras.
Æternam tribuit felix clementia vitam.

* Octav. l. 3. d. 21.
* Utere quæsitis opibus , fuge nomen avari.
* Octav. l. 4. d. 24.
21. * Disce sed à doctis , indoctos ipse doceto.
* Octavian. lib. 1. d. 10. & l. 11 d. 12
* Contra verbosos noli contendere verbis.
* Octavian. lib. 1. d. 10. & l. 4 d. 35.
* Sermo datur multis, animi sapientia paucis.
(x) Non læta extollant animum , non tristia frangant.
Proximus esto bonis , si non potes optimus esse.
22. (y) Quantò major eris , tantò tu cautior esto.
(z) Cumque alium causes, propriam prior inspice vitam,
Plus tua quàm alterius damnabis crimina Judex.
(aa) Sis bonus atque bonis , læsus nec læde nocentem.
23. Qui prodesse potest non est fugiendus amicus.
* Octav. lib. 1. d. 18
* Cum (bb) fueris felix , quæ sunt adversa caveto.
* Octav. l. 1. d. 30.
* Quæ culpare soles , ea tu non feceris ipse.
Vita aliena tuæ (cc) tibi sit cathegita vitæ.
* Octav. l. 1. d. 36.
* Ira odium generat , concordia nutrit amorem.
24. (dd) Sit sale jam Sophiæ sermo tibi (ee) conditus omnis.
Magna quidem virtus nostræ est moderatio linguæ.
* C. S Gall *Deo vero* Proverbiorum 3. Psalm. 110. Prov. 1. Eccli. 1. Psalm. 30.
Crede * Deo & proprios tunc tu tibi dirige gressus.
Lux timor est Domini cordis , hunc dilige semper.
In Domino sperans nullus confunditur unquam.
25. Vir prudens animo est melior quàm fortis in armis.
Corporis excellit vires sapientia mentis.
Divitias animo injustas attendere noli.
Verbum dulce quidem tibi multiplicabit amicos.
Converti ad Dominum ne tardes tramite recto.
26. Doctrinis etiam variis non flexilis esto.
Te via nam Domini teneat firmissima semper.
Justitiæ & pacis placeant tibi verba loquendo.
Pax precor alma tuo placeat tibi semper in ore.
Rex sapiens populum melius defendit ab hoste.
27. Insipiens rector populum dispertierit omnem.
Gloria magna quidem Regi est sapientia justa.
Injuriasque tuas in fratrem ulciscere noli.
Semper avarus amat mendacia , furta , rapinas.
Sufficiat rerum dederat tibi quod Deus ipse.
28. Quid terrenus homo pulvis & terra superbit ?
* Codex mendosè *constat.*
Principium sceleris prôh ! dira superbia * conflat.
Sit tibi cura tuæ tota virtute salutis.
* Octavian. l. 4 d. 29
* Una dies quales fuerint ostendit amicos.
* Octav. l. 2 d. 22.
* Peccasti solus , ignoscere tu tibi noli.
* Octav. lib 11. d. 23
29. * Quod tacitum cupias tacito committe sodali.
* Octav. l. 11. d. 14.
* Invidiam nimio cultu vitare memento.
Inuidiæ maculat famam mala pestis honestam ,
Nil sine consilio facias , sic facta probantur.
Ioann. 14.
Qui Domino credit, servat mandata salutis ;
30. Semper enim sapiens metuit sibi Judicis iram.
Instanter facias , sors quæ tibi tradit agenda.
Cum homine injusto nolito manere frequenter.
(ff) Nec redit unda fluens , nostrum nec tempus in annis.
(gg) Omnia finis edax devastat gaudia mundi.
31. Qui pius & clemens , Dominus miserebitur illi.
Infer nullatenus benefactis mente querelas.
Improperes nunquam dederis munuscula si quæ.
Omnis pertractet primùm mens verba loquelæ.
* Octav. l. 11. d. 13.
* aliter *permitte*.
* Corporis auxilium medico committe fideli.
32. Dum poteris bene fac charo tu semper amico.
* f. *veterascat.*
(hh) Sic novus atque novum vinum * veterescat amicus.
* Octav. l 11. d. 26.
* aliter *dimittis*.
* Rebus in adversis nunquam dimittito amicum.

Semper

Semper amicus amat duratque fidelis * amicus. * al. *ubique.*
Alma dies noctem sequitur, sic dona labores.
33. Tempora dum variant animus sit semper honestus
Consilio mentis * quodque (ii) imminet ante videto. * Illa pars hujus versus est Octav. l. 11. d. 28.
Dum tibi vita viget lacrimis mala crimina purges.
Noli iterare scelus, lacrimis dum diluis illud.
Luxuriis animo noli servire malignis.
34. Qui modica * spernit, minuit majora per horas. * f. *aspernit.*
Tollitur ex numero Sanctorum perfidus omnis.
Oderit insipiens sapientis verba Magistri.
Excitat in risus fratres verbosus amaros,
Nil illo pejus, (kk) sceleri qui gaudet iniquo.
35. Cui secreta quidem credas cautissimè cerne.
Corrige peccantem, noli & dimittere amicum.
Corripere est melius notum quàm perdere amicum.
Qui fratri ignoscit, ignoscit Christus & illi. Math. 6. Marc. 11.
Observat sapiens sibi tempus in ore loquendi.
36. Insipiens loquitur spretum sine tempore verbum.
Multiloquax animam meritis denudat honestis.
Gloria quippe Deum Dominumque est magna timere.
Radix est Sophiæ Dominum * de mente timere. * C. Leód. *cum.*
(ll) Aurum flamma probat, homines tentatio justos. Psalm. 12. Proverb. 17.
37. Sperate in Domino & veniet miseratio vobis. Psal 31. & 57 Isai. 26.
Dilige qui cupias cœli bona gaudia Christum.
Felices faciet natos benedictio Patris.
Pauperis & miseri mentem ne afflixeris unquam.
(mm) Diligit in Sophia se semper Christus amantem.
38. Ne citus in lingua fueris, nec segnis in actu. Iacob. c. 1. & Prov. 17.
Non erit innocuus falsus per famina testis.
Divitias addit Domini benedictio plures.
(nn) Jam magnum reddas modico tu munus amico.
Semper amicus amat: amor est pretiosior auro.
39. Dives erit durè semper qui operatur in agro.
Otia qui sequitur, veniet huic semper egestas. Proverb. 23.
Omnibus est opibus melior vir mente fidelis.
(oo) Exuperat numerus justorum regna potentum.
Ecce timens Dominum vivet fælicibus annis.
40. Expectat lætus cœlestia gaudia justus.
Impius horrendas spectat pro crimine pœnas.
Corruit in præceps populus rectore nefando.
Præparat æternam mitis clementia vitam.
Qui bona sectatur primâ benè surgit in horâ.
41. Multorum profert sapientis lingua salutem.
Hostibus in bello dominatur dextera fortis.
Serviet & segnis durâ sub fasce laborum.
Lingua placata sibi multos acquirit amicos.
42. Pone tuis verbis, vectesque serasque loquelis. Psalm. 141. Proverb. 21.
Qui præcepta Dei metuit in pace moratur.
Nam bona perpetuam tribuet doctrina salutem.
Diligit hic natum virgâ (pp) qui corrigit illum. Proverb. 13.

ANNOTATIONES.

(a) Monosticha. In Codice San-Gallensi, & Frisingensi huic Poëmati præfigitur sequens titulus: *Incipit libellus cuiusdam Sapientis, &, ut fertur, S. Columbani.* Quæ verba verum opusculi præsentis authorem indicant, nam Codex quo usus est Goldastus, qui ista cum aliis hic positis Columbani carminibus accuratè edidit, ipse deinde Henricus Canisius, qui ex

Codice Frisingensi hæc eadem transumpsit, ac tom. 1. antiq. lect. inseruit; deinde verò in Bibliotheca Patrum tomo 6. parte 2. pagina 406. relata sunt, aliique passim Codices & Scriptores affirmatè & indubitanter hoc carmen S. Columbano authori tribuunt. Quibus etiam præfatus titulus satis clarè suffragatur, nisi quis velit verba illa historico stylo dictata scrupulosè nimis expendere; unde non rectè Del-Rius, qui ista primùm ex MS. Codice Leodiensi edidit, existimavit tribuendum præsens Poëma Althelmo Episcopo, ut infrà monebo.

num. 2. (b) *Qui vult sua vota venire*, supple, ad effectum, hoc est, qui vult sua desideria compleri.

num. 4. (c) *Tu dare ne claudas.* C. Leod. hunc versum sic habet: *In dare ne claudas palmas*, *& prendere pergas*. Quæ lectio videtur nonnihil clarior. Sensus est: Noli *in dare*, seu in dando manus habere clausas, & in accipiendo gestare passas.

Num. 5. (d) *Quisque dies vitæ &c.* Ex Octaviano lib. 1. distich. 33. eandem vide doctrinam apud Horat. lib. 1. Epistolâ ad Albium, Alcuinum Epistol. 36. ad Altampetram.

num. 16. (e) *Octenas studeas &c.* Vide quæ notavi ad tractatum hujus de octo princip. vitiis circa numerum vitiorum capitalium: ex quo collige quàm inani ex hoc versu conjectura Del-Rius putarit hoc poëma adscribendum Althelmo Saxonum Episcopo, quasi solus is esset qui hunc numerum usurpaverit. Nam præter Columbanum, eundem capitalium vitiorum numerum assignarunt Episcopus Aurelianensis Theodulphus, Evagrius ad Anatolium, Nilus particularibus hac de re libris, & alii plures loco citato relati.

num. 6. (f) *Quadriga repleta salutis.* Cod. Leod. *triumphis*, qui nimirum de superatis vitiis reportari dicuntur. Vide S. Augustin. de verb. Apost. Serm. 3. & Hieronym. lib. 4. in Math. c. 27.

ibid. (g) *Nisi qui fiet omnibus æquus.* Cod. Leod. melius, *qui fit in omnibus æquus.* *Terentius Heautont. Scitum est periculum ex aliis facere tibi, quod ex usu siet.*

ibid. (h) *Qui bona desuescit. &c.* Isidorus lib. 11. differ. *Consuescimus*, inquit, *bona*, *insuescimus mala*, *adsuescimus utraque.* Maximus Serm. de Joan. Bapt. *Benè consuetos pudebit desuescere.* Plura hic Goldastus.

num. 7. (i) *Sæpius auditu instrueris. &c.* Cod. Leod *auditu frueris*, *quam voce salutis.* Sensus est. Prius veritatem auditu discas, quàm verbo doceas.

ib. (k) *Quidquid largire videtur.* Largio tam in activa, quàm in passiva voce idem significat. Lucillus lib. 14. *Largi* ponit pro *largire.* Cato lege Bœbia; *inlargibo.*

ibid. (l) *Non opibus &c.* Hunc versum redonavit Octaviano Scaliger lib. 3. qui pro *almis* evulgavit *ipsis.*

num. 8. (m) *Irrideat alter.* Est expressum ex Octaviano lib. 3. dist. 7. Cod. Leod. *derideat alter.*

num. 9 (n) *Nunquam præponito amico.* Goldastus hic ex distich. 32 lib. 1. rescripsit: *Præpones*, sicuti habetur vers. 154. *dimites amicum.*

num. 10. (o) *Divitis opprobrium.* Construe sic: Gemitus pauperis est magnum opprobrium divitis.

num. 11. (p) *Te feritate magis &c.* Id est, clariorem te reddat moderatio, quàm feritas.

num. 13. (q) *Quàm perdit amicos.* Codex San-Gallens. *quàm pendit.* Leod. *expedit*, sed mendosè uterque.

num. 14. (r) *Levis non animam torquentis.* Cod. Leod. *Levia non animi torquentis.* *Levis* spondæum etiam facit Octavianus lib. 1. dist. 7. *Constans & levis, ut res expostulat, esto.* Similiter Wipo panegyr. ad Henric. III. Imp. primam in *bene* producit: *Huc bene venias, hic omnia prospera cernas.*

num. 15. (s) *Sufferre valebunt.* Pro sufferri. Sciendum quippe (ut etiam hîc bene advertit Goldastus, ejusdem cum

Columbano

Columbano ævi Scriptores consuevisse interdum ad exemplum Hebræorum activa ponere pro passivis, unde illud Hymni Ecclesiastici: *Qui mixta ne confunderent.* Ubi *confunderent* ponitur pro *confunderentur.*

num. 16. (t) *Cuius documenta flagella.* M S. S. Galli *cuius sunt,* Leod. *cui sunt.*

num. 18. *Alio præstare.* Ita etiam S. Benedict. c. 4. Regul. *alio ne facias,* & Octauianus lib. 1. distich. 14. *Plus alio de te, quàm tu tibi credere noli.*

ib. (v) *Statera iustum.* Statera in quarto casu pro *staterem* usurpat. Similiter Virgilius XI. Æneid. *cassida* pro *cassis: & aurea,* inquit, *vati cassida.* dicitur & in fœminini genere *statera.*

num. 21. (w) *Non læta extollunt.* In proverbiis vet. Poët. tribuitur hic versus Ovidio. Extat in Monostichis de moribus vet. lib. 1.

num. 22. (x) *Quantò maior eris.* Hunc u oque versum relatum invenies teste Goldasto in dictis Monostichis vet.

ib. (y) *Cumque alium causes.* Id est, *culpes.* Vide Octavian. l. 1. d. 30. & Salom. in Lexico.

ib. (z) *Sis bonus atque bonis.* Octavianus. *Sic bonus esto bonis.* *atque* hic est particula similitudinis.

num. 23. (aa) *Cùm fueris fœlix.* Hemistichion est Ovidianum in Tristibus.

ib. (bb) *Tibi sit cathegita vita.* Hoc est doctrix, vel magistra.

num. 24. (cc) *Sit sale iam sophiæ.* Hoc est condimento sapientiæ, unde juxta S. Hieronymum lib. 4 in Ezech. c. 16. *Vulgò sapientes salsi, & stulti vocantur insulsi.*

ib. (dd) *Tibi conditus omnis.* Conditus, id est, compositus, à verbo tertiæ, non quartæ declinationis.

num. 30. (ee) *Nec redit unda fluens.* Vide Ovidium de Arte amandi.

ib. (ff) *Omnia finis edax,* hoc est, mors. Cicero lib. 6. Epist. famil. 21. *Præsertim cum omnium rerum mors sit extremum.* Octavian. *Illam quæ vitæ est ultima finis.*

num. 32. (gg) *Sic novus atque novum.* Sapiens quidam (ut refert hic Goldastus) apud Magnum Sophologium *vinum novum, amicus novus.* *Atque* etiam hoc loco est particula similitudinis: quo modo usurpat Paulus l. 36. §. 3. D. de hæred. petit. *Ita condemnatur atque possideret.*

num. 33. (hh) *Quodque imminet, ante videto.* Hemistichon est Octaviani lib. 11. dist. 28. *Quodque* idem est hic ac *quodcumque.*

num. 34. (ii) *Sceleri qui gaudet iniquo.* Forte *scelere.* Neque sic laborabit versus, nam consuevit *e* in hujusmodi ablativis aliquando produci. Prudentius Cathemerinon Hym. 9. *O novum cæde stupenda vulneris miraculum.*

num. 36. (kk) *Aurum flamma probat.* Ovidius in Trist. *Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum, Tempore sic duro est inspicienda fides.* Vide Senec. de divin. provident. c. penult.

n. 37 (ll) *Diligit in Sophia &c.* Cod. Leod. *Diligit Omnipotens Sophiam sibi semper amantem:* San-Gall. Codex. *Diligit en Sophia.* Quæ lectio magis sensui cohæret: ubi *Sophia* pro Christo sumitur, quod etiam aliis Patribus legitur usitatum. Vide Tertull. adversus Praxeam, Isidorum lib. 7. c. 11. Ethym. Silvium de cognomento Salvat. Armenium in confess. fid.

num. 38. (mm) *Jam magnum reddas.* Sententiam expressit ex Octav. dist. l. 1.

num. 39. (nn) *Exuperat numerus.* C. Leod. *Exaltat numerus Justorum regna potenter.*

num. 42: (oo) *Qui corrigit illum.* MS. S. Galli. *Corripit illum.* Quæ duo in eo differunt, quòd verbis corripimus, & verberibus corrigimus.

(a) RHYTHMUS S. COLUMBANI
DE VANITATE ET MISERIA VITÆ MORTALIS.

1. (a) MUndus iſte tranſit, &
Quotidiè decreſcit:
Nemo vivens manebit,
Nullus vivus remanſit.
Totum humanum genus
Ortu utitur pari,
Et de ſimili vitâ
Fine cadit æquali.
(c) * Deferentibus vitam — ** differentibus.*
Mors incerta ſurripit:
Omnes ſuperbos, vagos,
Mœror mortis corripit.
2. Quod pro Chriſto largiri
Nolunt omnes avari
* Importunè amittunt; — ** MS. mendosè inopportunè.*
Poſt ſe colligunt alî.
* Parvum ipſi viventes — ** parum.*
Deo dare vix audent:
Morti cuncta relinquunt;
Nihil de ipſis habent.
3. Quotidiè decreſcit
Vita præſens, quam amant;
Indeficiens * manebit
Sibi pœna, quam parant. — ** f. manet.*
Lubricum quod labitur
(d) * Conantes colligere, — ** f. conantur*
Et hoc, quod ſe ſeducit,
Minus timent credere.
4. Dilexerunt tenebras — Ioan. 3. 19.
Tetras magis quàm lucem:
Imitari contemnunt
Vitæ Dominum ducem.
Velut in (e) ſomnis *regnent, — ** regnant.*
Unâ horâ lætantur;
Sed æterna tormenta
Adhuc illis parantur.
5. Cæci nequaquam vident
Quid poſt obitum reſtat
Peccatoribus impiis,
Quod impietas præſtat.
Cogitare convenit
Te hæc cuncta amice,
Abſit tibi amare
Hujus formulam vitæ.
6. *Omnis caro ut fænum* — Iob. 13.
Flagrans, licet florida, — Pſalm. 102.
Sicque *quaſi flos fæni* — * M S. ill.
Omnis * *eius gloria*. — Iſai. 40.
Orto Sole areſcit — Iacobi 7.
Fœnum, & flos deperit;
Sic eſt omnis juventus,
Virtus cùm defecerit.
7. Pulchritudo hominum
Seneſcens delabitur.
* — ** Hic videtur aliqua deeſſe.*
Vultûs Chriſti radius
Præ cunctis amabilis,
Magis eſt diligendus,
Quàm flos carnis fragilis.
8. (f) Caveto filiole
Seminare ſpecies,
Quas * mors ingredietur — ** f. mox.*
Non parva pernicies.
Plerique perpeſſi ſunt
Pœnarum incendia,
Voluntatis lubricæ
Nolentes diſpendia.
9. Poculum * impiſſimæ — ** f. piſſimæ.*
Noli unquam bibere,
Unde multos plerumque
Vides lætos ridere.
Nam quoſcumque videris
R dere inaniter,
Scito in noviſſimis,
Quod flebunt amariter.
10. Conſpice chariſſime
Sic eſſe libidinem,
Ut * morbum mortiferum — ** f. morſum*
(g) Qui vincit * dulcedinem — ** dulcius.*
Noli pronus pergere
Per vias mortalium:
* Quàm multis eveniſſe — ** aliter quo, vel per quas.*
Conſpicis naufragium?
11. Perge inter laqueos
Cum ſuſpenſis pedibus,
Per quos captos cæteros
Incautos

Incautos comperimus.
De terrenis eleva
Tui cordis oculos,
Ama amantissimos
Angelorum populos.
12. Beata familia
Quæ in Altis habitat,
Ubi Senex non gemat,
Neque infans vagiat:
Ubi laudes Domini
Nulla vox retinet;
Ubi nunquam esuritur,
Ubi nunquam sititur:
13. Ubi cibo superno
Plebs cœlestis pascitur;
Ubi nemo moritur,
Quia nemo nascitur:
Ubi aula Regia
* Cœlestis pascitur, * *forte Ac cœlestis.*
In qua malè resonans
Nulla vox audita est:
14. Ubi vita viridis,
Veraque futura est,
Quam nec* mortis, nec mœroris * *al. mors.*
(*h*) Metus * consumpturus est. * *alit. consumptura.*
Læti letho translato
Lætum Regem videbunt,
Cum regnante regnabunt,
Cum gaudente gaudebunt:
Tunc dolor, tunc tædium,
Tunc labor delebitur;
Tunc Rex regum, Rex mundus
A mundis videbitur.

ANNOTATIONES.

(a) R*Hythmus.* Epistolam inscribit Goldastus, sed titulus quem affiximus, magis ad rem.

num. 1. (b) *Mundus iste transit.* M S. *transivit. crescit.*

ib. (c) *Deferentibus vitam.* Legendum omninò *differentibus*, hoc est, procrastinantibus vitæ emendationem. Cui simile est illud Annæi Boethii de Morib. *Multos vitam differentes mors iuncta prævenit.*

num. 3. (d) *Conantes colligere.* In quodam MS. *conantur:* Sensus est, lubricam hanc vitam, quæ velut anguilla labitur, comprehendere nituntur, & æternam quæ non tantùm illorum manibus comprehendi, sed manu illos suâ ductare sponte postulat, timent credere, seu diffidunt credere.

num. 4. (e) *In somnis regnent. lætentur.* In quodam MS. *regnant. lætantur* correctius.

num. 8. (f) *Caveto filiole.* In eodem MS. *Cavete filioli.*

num. 10. (g) *Qui vincit dulcedinem.* Rectius forte *dulcedine*: nam veluti cibus venenatus gustu dulcorem, esu mortem, ita libido actu suavitatem, effectu amarorem affert, quò spectant verba Hieronymi ad Lætam dicentis quòd *venena non dantur nisi melle circumlita.* Vide Vincent. Lirinens. adversus profanas hæres. Novat. & Lucret. l. 1.

num. 14. (h) *Metus consumpturus est.* In memorato MS *Metu consumptura est*, ubi ponitur activa pro passiva significatione, hoc est, pro *consumenda est.* Sed prima lectio correctior, nisi fortè quis legat cum Usserio *quam nec mors, nec mœroris Metus, est consumptura*, quod rhythmo magis congruit.

AILERANI
SCOTO-HIBERNI
COGNOMENTO
SAPIENTIS
INTERPRETATIO MYSTICA
PROGENITORUM
D. JESU CHRISTI
EX MS. CODICE COENOBII S. GALLI
NUNC PRIMUM EDITA.

BENEVOLO LECTORI COLLECTOR.

LICET, Benigne Lector, ſubjectus AILERANI noſtri tractatus, Columbani non ſit, & proinde ex ſcopo præſentis inſtituti ad hoc collectaneum per ſe non videatur ſpectare; tamen quia ita mole exiguus eſt, ut congruè ſeorſum edi non poſſit, & ingenio tam fœcundo, tam docto S. Scripturæ ſenſus depromit, ut quibuſvis Sacrarum litterarum ſtudioſis, & divini maximè verbi præconibus ejus evulgatio, ſicut utiliſſima, ita & acceptiſſima futura ſit; conſultum putavi, ne inſigne eximii Viri monumentum diutiùs deliteſcat, illud collectis præſenti faſciculo Columbani Sermonibus, ad Lectoris utilitatem adjicere, & Notis etiam, ſicut alia hactenus, ſi opus eſſet, illuſtrare; ſed cum harum uſum pro Doctore tam limato, tam claro & ſolido, qualem ipſe ſe ubique præſtat, adverterem minimè neceſſarium, ſufficere judicavi, ſicut factum

vides, adductas in textu ab ipso sacræ Scripturæ sententias in margine citare, & eos quibuscum in expositione nominum Genealogiæ Salvatoris concordat, vel Hebræos, vel Græcos, vel Latinos; quarum se linguarum peritum ostendit, interpretes asterisco signatos adscribere, quò majus per hoc ejus doctrinæ robur accedat.

Circa ipsum porrò Aileranum, Aireranum, vel Ereranum (ita enim variè legitur apud antiquos, tam Latinos, quàm Hibernicos scriptores; sed posteriori frequentius modo in vetustis Hiberniæ Menologiis scriptum reperitur) observandum, duos hujus nominis in Hibernia Sanctissimos olim viros floruisse; quorum unus est *Ereranus* Abbas Tamlactensis in *Lagenia*, S. *Mailruani* famosissimi Archimandritæ, & Regulæ atque Ordinis monastici conditoris, successor, cujus festum Compilatio veterum Hiberniæ Menologiorum, nempe S. *Æneæ* sive *Ængussii* Episcopi, filii *Obleni*, *B. Mariani* Abbatis, & D. Caroli Maguir, ponit ad 11. Augusti. Sed cum hic *Ereranus*, licet sapiens (quo etiam cognomine ipsum inscribit Æneas) nihil præter suam monasticam Regulam scripsisse legatur, & Abbas fuerit, haberi non debet author præsentis opusculi, ab aliquo celeberrimo scriptore, non tamen Abbate conscripti. Alter fuit *Aireranus* cognomento *Sapiens*, Presbyter, Scholasticus, seu Ludimagister celeberrimæ Scholæ Cluainerardensis, multorum millium discipulorum, sanctitate & litteris illustrium nutritius, cui verè tribuendum videtur opus subscriptum; præter quod, inter alia legitur edidisse vitam S. Patricii: nam in Epitome MS. Hibernica de gestis S. Patritii, quæ incipit: *Populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam*, irrefragabilis apud nostrates authoritatis, sub finem inter alios Vitæ S. Patricii scriptores refertur *Aireranus*; ita enim habetur: *Hi sunt sancti Seniores & Sapientes Hiberniæ, qui signa & virtutes Patricii scripserunt, & collecta nobis tradiderunt. S. Columba Cellarum*, S. *Ultanus* (alter ab illo *Fossensi* in Belgio) *S. Adomnanus*, *S. Areranus Sapiens S. Chieranus &c.* De eodem quoque Arerano jam memoratus S. Æneas Episcopus qui eximiâ Sanctitatis & doctrinæ laude floruit sub finem octavi sæculi, regnante *Hugone Honorato* seu *Ordnithe* filio *Nielli Nimbosi* totius Hiberniæ Monarchæ, in suo Martyrologio metrico elegantissimo & fidelissimo, ad 29. Decembris ita meminit: *Aireran an teagnaib.* hoc est, *Aireranus* cognomento

Airerani duo.

nomento *sapiens*; cui consensit Martyrologium Subense in Bavaria in quo sic legitur: 4. *Kal Januarij in Hibernia* * *S. Arerani confessoris*. Dubium non est, hunc Areranum de secundo Sanctorum Hiberniæ ordine fuisse, & fortè non multò post ipsius S. Finniani ad cœlos transitum præfatæ scholæ administrationem accepit, hoc est, ut arbitror circa Columbæ, Comgalli, Brandani, & aliorum Patrum tempora, sub quorum regimine celeberrima in Hibernia sacrarum litterarum gymnasia florebant; inter quos non infimum sanè locum tenuisse credendum est Cluainerardense collegium hujus Sancti Doctoris magisterio quàm maximè illustratum, cujus vel ex hoc ipso, exiguo licet opusculo, velut ex ungue leonem, prudens lector magnum agnoscet Aileranum, eoquè perlecto judicabit quàm verè ipsi *Sapientis* cognomen inhæserit; cujus alia proculdubiò plurima magni ingenii & eruditionis edita monumenta, utinam nobis anteriora sæcula non invidissent. Ex ipsis & aliis temporum iniuriâ vel aliquorum invidiâ suppressis Doctorum nostratum sapientissimis scriptis afflicta sese hodiè solari posset Hibernia, & impia quorumdam obtrectatorum ora frenare. Cæterùm hunc tractatum, & proh dolor! imperfectum, transumpsimus ex vetustissimo MS. Codice celeberrimi San-Gallensis monasterii in Helvetia; in quo præfixum superius *Interpretationis mysticæ* &c. titulum præfert, simulque additur quòd in festo Nativitatis Sanctæ Dei Genitricis ibi legi consueverit. Tanti scilicet, & meritò faciebant aureum illum Tractatum Monachi San-Gallenses & ipsi doctissimi. Tu illo deinceps lector benigne fruere, & si quæ alia ejus viri inciderint monumenta à me quantocyùs expectabis. *Vale*.

* Codex mendose Aerani.

S. AILERANI.

S. AILERANI
SCOTO-HIBERNI
COGNOMENTO
SAPIENTIS
INTERPRETATIO MYSTICA
PROGENITORUM CHRISTI
INCIPIT.

OPORTUNUM videtur de nominibus Genealogiæ Dominicę juxta mysticos, majorum dumtaxat authoritate perceptos, exponere intellectus; eo utique sensu imprimis posito, ut quomodo in Dominum nostrum JESUM * hominis cujusque referenda sit interpretatio, convenientibus Sacrarum Scripturarum astruatur testimoniis, ipsumque Salvatorem omnes Genealogiæ generationes figurasse ac prophetasse doceantur, cujus Genealogiæ divinâ providentiâ sunt intertæ. Dominus itaque JESUS Christus qui est *Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*; (*a*) & Rex secundum electionem David, quem unxit Samuel præ fratribus suis in Regem (*b*) & Prophetam; sicut etiam Pater, JESUM Christum *oleo lætitiæ præ participibus suis*, (*c*) * in Patriarchis Patriarcha, in Sacerdotibus Sacerdos, in Judicibus Judex, in Prophetis Propheta, in Ducibus Dux, in Apostolis Apostolus; in Angelis, *magni consilii Angelus* (*d*) dicitur.

* f. nominis. *a* Psalm. 109. *b* 1. Reg. 16. 12. *c* Heb. 1. v. 9. * *qui in.*

In Abraham *Pater excelsus* * intelligitur, de quo inter cætera Esaias loquitur: *vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* (*e*) Et David inquit: *Si autem dereliquerint filii eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulaverint; si iustitias meas prophanaverint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum.* (*f*) Cum enim ceciderint Filii Domini nostri JESU Christi, quos verbo vitæ genuit, & per baptismum iterum nasci fecit, non collidentur; quia Dominus supponit (*g*) manum misericordiæ suæ, quam periclitanti Petro porrexit. (*h*)

* Hieron l. interp. nom. Heb. de Genesi. *e* Esaia 9. v. 6. *f* Psalm. 88. *g* Psalm. 36. v. 24. *h* Matt. 14. v. 30.

In Isaac *gaudium*, * dicente Angelo ad pastores: *Ecce annuncio vobis gaudium magnum, quòd erit in omni populo,* (*i*) nam, ut de Joanne Baptista dixerat ad Zachariam: *Et multi in nativitate eius gaudebunt.* (*k*) Prophetis namque & Sanctis hominibus & Divinâ repromissione nascentibus, gaudium parentibus oriebatur, & propinquis; nascente autem omnium Redemptore ac totius mundi Domino, meritò incomparabile & maximum gaudium omni populo, id est, omni humano generi adnunciatur exortum.

* Philo l. interp. nom. Heb. de Genes. Origin. homil. 7. in Gen. *i* Luc. 2. v. 10. *k* Lucæ 1. v. 14.

In Jacob *supplantator* *: ipse etenim dicit: *Nemo potest in domum fortis introire, & vasa eius diripere, nisi prius alligaverit fortem*: (*l*) supplantatum enim Dominus habuit Satanam cùm dicerit: *Vade retrò Satanas:* (*m*) * plantam namque retrò retrudit.

* Gen. 27. v. 36. Origin. hom. 11 in Exod. Arnob. in Psal. 52. *l* Matt. 12. v. 29. *m* Marc. 8. 33. * f *plantâ*.

In Juda *confitens*, * qui dixit: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ.* (*n*)

* Hieron. in c. 3. Marc. & l. interp. nō. de Matt. Origin. hom. 17. in Gen. *n* Matht. 11. v. 25.

In Phares *Divisor* * qui *separat oves ab hœdis*, (*o*) id est, fructuosos ab infructuosis.

* Orig. hō. 23. in Mat. *o* Matth. 25. v. 32.

In Zara: *Orientalis*,* de quo Prophetalis spiritus: *Ecce*, inquit, *Vir, Oriens nomen ejus.* (a) De quo item Zacharias ait: *Visitavit nos Oriens ex alto.* (b) Et alibi: *Timentibus nomen Domini orietur sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius*; (c) cujus diei ortum & occasum videre concupivit Abraham, & vidit. (d) Ortum autem nativitatem, qua *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, (e) occasum verò mortem crucis, (f) quam passus est pro nobis, intelligere debemus. Ille enim æternus & ineffabilis Divinitatis dies, de quo dicitur: *Hodie genui te*, (g) semper est principium, sed nescit ortum; semper est finis, sed nullum habens occasum. * *Coccinei* autem sic à Dominum derivatur vocabulum, ut vel rubrum Passionis cruorem, (h) vel ignitæ charitatis, (cujus exemplum dedit) inextinguibilem in ipso significet ardorem. (i)

In Efron *Sagittam vidit*,* sive *atrium ejus*,* cui dicitur: *Sagittæ potentis acutæ*; (k) Sagittæ autem ipsius præcepta sunt Dominica, vel judicantis judicia: *Atrium* verò, id est, domus lata, & omnibus patens, idcircò dicitur, eò quòd omnes ad se invitans dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*: (l) Itemque *qui manet in me & ego in illo, hic fert fructum multum*: & (m) iterum *Ite*, inquit, *ad exitus viarum, & compellite omnes intrare.* (n)

In Aram *Electus*, de quo sic loquitur. *Ecce Puer meus, quem elegi, electus meus, dedi spiritum meum super eum*; (o) & reverà quis est puer electus, nisi qui à pueritia reprobavit malum & elegit quod bonum est; (p) quod non est commune omnium puerorum, præter unum puerum, qui de peccato, sine peccato, ut vermis imputridus, de putridine, natus est.

In Aminadab *Populus meus spontaneus*, * qui dicit: *Nemo tollit animam meam à meipso.* (q) Et *si vis in vitam venire, serva mandata.* (r)

In Naason *augurans*, * qui promittit dicens: *Cùm venerit Filius hominis in maiestate sua*, (s) cujus Prophetia in tria Prophetiæ tempora respexit, in præteritum, ut est, *vidit Abraham diem*, * *& gavisus est*; (t) in præsens, ut est: *Quid cogitatis mala in cordibus vestris?* (u) In futurum, ut est: *Erunt enim sicut Angeli in cœlo*, (w) & illud: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo.* * (x)

*Philo l. interp. nom. de Gen.
a Zachar. 6. v. 12.
b Lucæ 1. v. 78.
c Malach. 4. v. 2.
d Ioan. 8. v. 56.
e Ioan. 1. v. 14.
f Philip. 2. v. 8.
g Psalm. 109 v. 4.
* f. Coccini.
* Orig. hom. 35 sup. Mat. August sup. Psalm. 17.
i Isych. sup. Levit. 14.
* Philo l. interp. nom. de Iosue.
k Psalm. 119 v. 4.
l Matth. 11. v. 28.
m Ioan. 15. v. 5.
n Lucæ 14 v. 23.
o Matt. 12. v. 18.
p Isaiæ 7. v. 15.
* Philo l. interp. nô. de Exod. Num. Iudic.
q Ioan. 10. v. 18.
r Matth. 19. v. 17.
* Hieron. l. interp. nom. Heb. de Actis Apost. & Matth.
s Luc. 9. v. 26
* meum.
t Ioan. 8. v. 56.
u Matth. 9. v. 4.
w Marc. 12. v. 25.
* ibid.
x Io. 2. v. 19.

In Salomon *sensibilis*,* qui dicit: *Tetigit me aliquis, nam ego sensi virtutem de me exisse.* (a) Et, *quid cogitatis mala in cordibus vestris?* (b) Verè sensibilis est, qui cogitata ut facta, & futura ut præsentia cernit; sicut de eo scriptum est: *Qui fecit quæ futura sunt.* (c)

In Booz *in quo robur est*: * qui ait: *Omnia traham ad meipsum.* (d) omnis hominis virtus in morte deficit, Verbum verò quod caro factum est, de infirmitate fortius, de morte vivacius, de humilitate excelsius factum est.

In Obed *serviens*, * *qui non venit ministrari, sed ministrare*, (e) itemque Apostolus *formam*, inquit, *servi accepit.* (f)

In Jesse *incensum*, * qui ait: *Ignem veni mittere in terram.* (g) Et Joannes; *ipse*, ait, *Baptizabit vos in Spiritu sancto & igni.* (h)

In David *desiderabilis*,* de quo Evangelista dicit: *Et resplenduit facies eius sicut sol.* (i) Unde etiam Propheta dixerat: *Speciosus forma præ Filiis hominum.* (k)

In Salomone *pacificus*, * qui ait: *Pacem meam do vobis.* (l) Addens *meam* ostendit odisse non suam; de qua dicitur: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* (m) Et Apostolus de Christo, *ipse*, inquit, *est pax nostra qui fecit utraque unum.* (n)

In Roboam *latitudo populi* * cùm ait: *Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cœlorum.* (o) Itemque alibi: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*, (p) impetus autem populi idcircò vocatur, quia *sicut fulgur exit ab Oriente & paret usque in Occidentem, ita erit & adventus Filii hominis.* (q)

In Abia *Pater Dominus* * qui ait: *Nolite vocare vobis Patrem super terram*, (r) non quia duos in Divinitate dicamus esse, sed quod etiam homo magistri, illius hominis Pater fit, quem docet, Paulo dicente: *Nam etsi decem millia Pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres: nam in Christo JESU per Evangelium ego vos genui* [s] Si autem discipulus meruit Pater vocari, quanto magis Magister ejus.

In Asa *tollens*, * de quo Joannes. *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, qui tollit peccata.* (t)

In Josaphat *ipse indicans*, * ut ait: *Pater non iudicat quemquam sed omne iudicium dedit Filio.* (u)

* Hieron. l. interp. nom. de Matth.
a Luc. 8. 46.
b Mat. 9. 4.
c Sap. 8. 8.
* Philo l. interp. nom. de lib. Iudic. Ruth.
d Ioan. 12. 32.
* Ioseph. l. 5. c. 14. Ant.
e Matth. 20 28.
f Philip. 2. 7.
* Philo l. interp. de 1. & 3. Reg.
g Luc. 12. 49
h Mat. 3. 11 Lucæ 3.
* Hieron. l. inter. nom. de Mat. & Actis Apost.
i Mat. 17. 2.
k Psal. 44. 3.
* Orig. tom. 6. in Ioan.
l Ioan. 14. 27
m Matth. 10 34.
n Ephes. 2. 14.
* Philo l. interp. nom. de 2. Reg. Hieron. ibid. de Matth.
o Matth. 8.
p Matth. 11. 28.
q Matth. 24 27
* Hieron. ubi supra de Matth.
r Mat. 23. 9.
s 1. Cor. 4.
* Philo l. interp. nom. de 3. Reg & Ieremia.
t Ioan. 1. 29
* Philo ibid de 2. & 3. Reg.
u Ioan. 5. 22

In Joram

* Philo ibi. de 3. Reg. Hieron. ib. de Matth. a Ioan. 3. 13 * Philo ib. de Esaia. b Ioan. 11. 43. * Hieron. l. interp. nom. Heb. de Mat c Lucæ 4. 13 d Matth. 26. 2 e Ioã. 19. 30 * Author o. per. imperf. Hom. 1. in Matth. f Matth. 5. 48. g Act. 1. 1. * Auth. op. imperf. hõ. 1 in Matth. & Orig. in Ex. h Matt. 3. 2 * Philo l. interp. nom. de Michæa. i Luc. 4. 38. k Matt. 9. 23 l Philipens. 3. 12 m Heb. 2. 16 * Author anonym hõ. 1. in Matth. n Ioã. 16. 33 o 1. Cor. 1. 24 * Philo ubi supra de Genes. p Luc. 7. 47 q Iacobi 5. 20 r Ezech. 18 * Philo ib. de Hierem. s Matth. 7. 7 t Heb. 2. 17 u Apoc. 1. 5 * Hieron. l. inter. nom. Heb. w Lucæ 22. 44

In Joram *ubi est excelsus*,* ut ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit.* (*a*)

In Ozia *robustus Domini*,* qui dixit: *Lazare prodi foras*: (*b*) Tunc etenim vox Domini fuit in virtute, cùm animam quatriduani mortui ab inferis, & corpus revocavit de sepulchro.

In Joatham *consummatus*,* de quo dicitur, *consummata omni tentatione*; (*c*) & in fine omnium, quæ prophetata sunt de eo dicitur: *Et cum consummasset.* Tunc omnia verba hæc dixit Discipulis suis: *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, (*d*) Et in cruce pendens, acetoque potatus dixit: *Consummatum est, & inclinato capite tradidit spiritum.*(*e*) Si verò *perfectus* * dicatur, sic exponitur, quia qui suos jubet esse perfectos, dicens: *Estote perfecti sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*; (*f*) præ cæteris perfectus dici debuit JESUS; quippe qui *cœpit facere & docere*(*g*) quæ perfecta sunt.

In Achaz *convertens*,* qui ait: *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum.* (*h*) vel *apprehendens* * qui apprehensâ manu socrum Petri sanavit febricitantem, (*i*) & filiam Principis mortuam resuscitavit. (*k*) Paulus quoque; *Si quo modo*, inquit, *apprehendam in quo apprehensus sum.* (*l*) Item alibi: *Non enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* (*m*)

In Ezechia *confortavit Dominus*, * qui ait: *Confidite, ego vici mundum*; (*n*) & Paulus; *nos autem*, ait, prædicamus *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* (*o*)

In Manasse *obliviosus*, * qui ait: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*; (*p*) *charitas* namque *multitudinem operit peccatorum.* (*q*) Et Ezechiel: *In quacumque die*, ait, *conversus fuerit injustus ab injustitia sua, omnes iniquitates ejus oblivioni tradentur.* (*r*)

In Amon *fidelis*,* qui ait: *Petite & dabitur vobis.* (*s*) Et Paulus ait, *ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Dominum.* (*t*) Et Joannes in Apocalypsi: Et *ab JESU Christo, qui est testis fidelis*; (*u*) fidelis autem dicitur, cujus sunt semper promissa fidelia, quæ in utramque partem & speranda sunt pariter & expavescenda.

In Josia *ubi est incensum Domini*, * de quo dicitur, *& prolixius orabat*, (*w*) quomodo verò oratio incensum esse dicitur, Psalmista testatur dicens, *dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* (*a*)

a Psalm. 140 2 * Hieron. ibid. & Philo l. interp. nom. de 1. Reg & Hier. b Ioan. 14 3 * Hieron. ib. de Mattheo c Matt. 26. 32 * Author op. imperf. hõ. 1. in Ma. d Mat. 25. 34. * Hieron. ib. de Matth. & Philo ib. de Aggeo. e Ioan. 17. 11 * Hieron. ib. f Matth. 8. 11 g Marci 2. 16 * Philo ibid de Exod. h Ioa. 10. 30 * Philo ibid de lib. Reg. i Ioan. 6. 40 * Philo l. interp. nom. de 3. Reg. & Hierem. k Ioan. 8. 16 * Hieron. l. interp nom. de Luca l Ioan. 8. 26 m Psal. 50. 6 n Ioan. 2. 1 * Origines hom. 20. sup lib. Nave o Matth. 12. 50 p Mat. 12. 50 * Philo l. interp. nom. de l. 1. Reg. q Ioã. 20. 28 * Philo l. interp. nõ. de Gen. & Ex. r Ioan. 8. 16 * Hieron. l. interp. nom de Mattheo s Mat. 18. 32 * Orig. hom 11. in Exod. t Lucæ 10.

In Jechonia *præparans*, * ut ait, *si abiero & præparavero vobis locum, iterum veniam ad vos, & accipiam vos ad meipsum.* (*b*)

Si verò propriè *Joachim*, & *Joachin*, id est, *Pater*, distinguatur: in Joachin *Domini resurrectio** dicitur, ut ait: *Postquam autem resurrexero præcedam vos in Galilæam*; (*c*) in Joachim *Domini præparatio* * qui dicit: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi* (*d*)

In Salathiel, *petitio mea Deus*, * qui dixit: *Pater Sancte serva eos quos dedisti mihi.* (*e*)

In Zorobabel *ipse magister confusionis*, * ut ait, *multi ab Oriente & Occidente, venient & recumbent cum Abraham & Isaac & Jacob in regno cœlorum*; (*f*) & de eodẽ dicitur: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* (*g*)

In Abiud *Pater meus iste*, * qui dicit: *Ego & Pater meus unum sumus.* (*h*)

In Eliachim *Dominus resuscitabit*, * ut ait, *qui credit in me non morietur in æternum, sed resuscitabo eum in novissimo die.* (*i*)

In Azor, *adjutus*, * ut ait, *non sum solus, quia Pater mecum est.* (*k*)

In Sadoch *justificatus*, * ut ait, *ego veritatem loquor, quia verax est qui me misit*; (*l*) ad quem etiam dicitur, *justificeris in sermonibus tuis.* [*m*] Et Joannes, *Advocatum*, inquit, *habemus apud Patrem JESUM Christum justum.* [*n*]

In Achim *Frater meus*, * ut ait, *quicumque fecerit voluntatem Patris mei ipse Frater meus, & Mater mea & Soror est.* [*o*] Sive *Frater Matris*; Frater quippe Matris Dominus ideò dicitur, dum unum Patrem, cui omnes (Christo jubente) dicimus, *Pater noster qui es in cœlis.* [*p*]

In Eliud *Deus meus iste*, * cui Thomas ait, *Dominus & Deus meus.* [*q*] Pronomen autem *iste* quid aliud nisi signa clavorum & lanceæ significat, quæ veri notitiam corporis monstrant.

In Eleazar *Deus meus adjutor*, * ut ait, *& qui misit me Pater mecum est.* [*r*]

In Mathan *donans*, * ut ait, *omne debitum donavi tibi quia rogasti me.* [*s*]

In Jacob *supplantator*, * ut ait, *dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici.* [*t*]

* Philo ibi. de Genes. & Ioseph. l. 1. c. 17. Antiq. a Ioan. 10. 10. b Ioan. 10.

In Joseph *auctus vel apponens*, *ut ait, *Ego veni, ut vitam habeant; & abundantius habeant*; (a) & alibi; *& alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, ut fiat unus grex, & unus Pastor.* (b)

Hactenus ut valuimus, qualiter in omnibus Genealogiæ, vel * Generationibus Christus figuratus & prophetatus sit, exemplis Sacræ Scripturæ asseruimus. * fortè Generationum gradibus.

Item Moralis explanatio eorunden nominum ab eodem compilata.

OPPORTUNUM quoque videtur, ut ejusdem Genealogiæ nomina per interpretationem quoque latioribus figuris, ad Moralem, quantum possumus, derivemus intellectum.

In Sancto igitur *Abraham* hoc intelligentes studeamus, ut Patres Sanctarum gentium, hoc est, perfectarum animæ virtutum efficiamur; quas evulsis & destructis, disperditis, & dissipatis malis gentibus, hoc est, mortiferis vitiis, sanctus Jeremias ædificare & plantare jubetur à Domino, in quorum typo * vitiorum septem illæ Chananæorũ gentes, veluti totidem principalia vitia, ab Israelitico deletæ sunt populo, * eadem terra ab eodem possessa est jure hereditario. Advenæ etiam istius mundi in similitudinem Abrahæ simus, & peregrini sicut omnes Patres nostri; totum quoque præsentis vitæ gaudium, velut Isaac charissimum filium, Domino jubente, offeramus Deo, ut in æternum gaudeamus cum Christo, ipso dicente, *beati qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur.* Cassian. collat. 5. cap. 22. * & earum. Matth. 5.

In *Isaac* centuplo locupletemur fructu, & gaudeamus in tentationibus, & secundum in conjugium assumamus & Rebeccam, hoc est, patientiam habeamus, dicente Jacobo Apostolo, *omne gaudium existimate fratres mei cum in tentationes varias incideritis, scientes quod probatio vestræ fidei patientiam operatur, ut per patientiam & consolationem Scripturarum, spem*, juxta Pauli eloquium *habeamus*: gaudeamus in Domino semper; etenim sine Deo licet gavisi fuerimus, semper gaudere non possumus: hoc namque est sempiternum ac verum & omne gaudium, quod hîc initiatur per fidem, & illic consummatur per speciem; quomodò præsens sæculi gaudium fine concluditur, & luctu deletur: illud verò futurum, terminum nescit, nec mœroribus interrumpitur. Iacob. 1. Ad Rom. 15

In *Jacob*, ut nostrum veterem hominem *Idumæum*, id est, terrenum novo homine supplantemus, & nostræ mentis spiritus secundum Dominum renovatus, supplantatoris nomen sortiatur. *Caro* quippe secundum Apostolum *concupiscit adversus spiritum, spiritus verò adversus carnem*; Senior videlicet frater adversus juniorem, & junior contra seniorem, *quia non priùs quod spirituale, sed quod animale*; qui autem * hujus colluctationis certamine victor extiterit, hic, devicto carnali & veteri homine, mortificatisque membris suis quæ sunt super terram, mundus corde effectus, vitiis videlicet exinanitus, ac virtutibus repletus, per actualem in cõtemplativam transiens vitam, Israëlis nomine merebitur appellari, hoc est, *viri*, sive *mentis videntis Dominum*, sive *principis cum Domino*, aut * *directi Domini*, quem in præsenti vita videbit per fidem, & in futuro contemplabitur facie ad faciem: *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ad Galat. 5 1. Corint. 15 * deest f. in * dilecti. Matth. 5.

In *Juda*, ut laudemus & semper glorificemus Dominum, & confiteamur illi laudantes nomen ejus. Confessionis verò in divinis Scripturis duplex modus est; aut enim ad pœnitentiæ satisfactionem respicit, aut *baptizabantur ab eo confitentes peccata sua*; & iterum, *confitemini*, inquit, *alterutrum peccata vestra*; aut ad gratiarum actionem refertur & laudem, ut S. Daniel, *tibi*, inquit, *Deus Patrum nostrorum confiteor teq; laudo*: & iterum in Evangelio, qui sicut ovis peccatum non fecit, *confiteor*, ait, *tibi Pater Domine cœli & terræ*, id est, gratias ago tibi, sive glorifico. Ergò præveniamus in confessione faciem* & confi- Matth. 3. Iacob. 5. S. August. Serm. 8. de verb. Dom. Danielis 2. Matth. 11. * Domini.

1. Ioan. 2. & confiteamur peccata nostra; *advocatum* enim *habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Nudemus vulnera nostra medenti; etenim sua vulnera nutrit qui tegit; absconsa delicta patefaciantur Domino: revelata per pœnitentiam tegantur per Domini misericordiam: in adversis pariter & prosperis laudemus Christum, in omnibus gratiam Domino Patri agentes per ipsum.

In Phares, ut rectè dividamus & rectè offeramus Domino, caventes pessimum illius parricidæ exemplum, ac patrimonia egentibus dividamus & reddamus parentibus quæ parentum sunt; insuper studeamus divisores effici aquarum superiorum ob inferioribus, id est, * patiente intercedente firmamento, virtutes separemus à vitiis, munda effecti animalia, in arcam Noë assumamur, intellectualem *ungulam* dividentes, hoc est, litteram à spiritu, & vitia, ut ante diximus, à virtutibus distinguentes. *Omnia* quoq; secundum Apostolum * approbemus, & solum quod bonum est teneamus, ut cùm dies tremendi illius examinis advenerit, nos qui nosmetipsos judicavimus, non judicemur à Domino, nec cum mundo maligno damnemur.

* patientia.

* f. probemus 1. Thess. 5.

In Zara ut lucifer oriatur in cordibus nostris & sol justitiæ, qui timētibus Dominum oritur, & negligentibus occidit, illuminet nos, lux videlicet vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; nec super iracundiam nostram, aut aliquid mortiferum occidat vitium: cujus fulgore radiati & ipsi sicut *Stellæ fulgebimus in perpetuas æternitates*, & oriemur sicut luminaria huic mundo, verbum vitæ continētes, ut luceat *lux nostra nostra coram hominibus & glorificent opera nostra Patrem nostrum qui in cœlis est*; nec satis sit nobis solummodò in Christum credere, sed si ita necessitas impellat, pro ejus nomine parati* simul etiam nostrum sanguinem fundere, & conjunctā martyrum subire passionem. * Coccinus quoque noster *bis tinctus* sit, hoc est, per spiritum Sanctum ignitā Dei dilectione impleatur & proximi; de. qua dicitur: *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, lampades ejus lampades ignis & flammarum.*

* al. Zaram. 2. Petri 1. Ioan. 1. Daniel. 12. Math. 5. * simus. * al. coccus. Cant. 8.

In Esron, ut ardentes diaboli sagittas, ignita inimici jacula perspicaci cordis intuitu prævidentes cum Apostolo Paulo dicere possimus: *non enim ignoramus versutias ejus*; ad quas videndas vigilantibus cordis oculis opus habemus. *Non* est enim, inquit Apostolus, *nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus & potestates, adversus rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cœlestibus.* Et ideò, ut idem Apostolus alibi ait: *Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed spiritualia*; spiritualibus namq; & invisibilibus armis invisibilis animę, cōtra invisibiles hostes dimicandū est. Adsumamus itaq; secundum Apostolum, ut possimus resistere *in die malo, in omnibus sumentes scutum fidei in quo possimus ignita inimici jacula extinguere, & galeam spei & loricam charitatis & gladium spiritus, quod est Verbum*;* Utroque enim modo accipiendum est nobis nomen *Esron*, sive quia, ut supra dictum est, diabolicas caveamus sagittas, sive quia Domini videntes sagittas, quę sunt secundum Psalmistam acutę, sagittis illius opponamus: nemo etenim in agone *contendens coronabitur, nisi qui legitime certaverit* Atrium etiam efficiamur, ut veluti in atrio Sancto suo habitet in nobis, dicente ipso: *habitabo in illis*. *Stemus* etiam in domo Domini nostri, in atriis domus Dei nostri: laudantes Dominum quoniam bonus, intremus portas ejus in exultatione & atria ejus in hymnis, plantati etenim in domo Domini in atriis domus Dei nostri florebunt, ut post quam in atriis præsentis ecclesiæ floruerint, stabiles in domo regni plantentur æterni.

2. Cor. 2. Ephes. 6. 2. Cor. 10. Ephes. 6. 1. Thess. 5. * deest Dei. 2. Tim. 2. Cor. 16. & Psalm. 115. Psalm. 99. Psalm. 91.

In Aram, ut in numero habeamur electorum Domini, adversus quos nullus est qui accuset; elegit enim nos Pater in Christo ut essemus Sancti & immaculati coram ipso, certam itaque nostrā vocationem & electionem per bona opera faciamus, ut quia multi sunt vocati, cum paucis inveniamur electis: omnes quippe qui Domini obediunt voluntati, dicuntur genus electum, regale sacerdotium: item excelsi simus & sublimes, meritorum scilicet dignitate sublimati, à terrenis extollamur ad cœlestia, quibus qui adhæserit de excelso cœli habitaculo, omnia despicit caduca.

2. Petri 1. 1. Petri 2.

In Aminadab, ut spontaneus Domini simus populus; in ædificatione etenim tabernaculi testimonii, in quo sine ambiguo significatur omnis ecclesia, prompto quisque animo obtulit quod voluit

Matth. 16 & 19 voluit. Unde & ipsa veritas, *Si quis*, inquit, *vult post me venire*; & alibi; *si vis perfectus esse*; & iterum de virginitatis electione liberum reliquit arbitrium dicens: *qui potest capere, capiat.* 1. Cor. 7 sicut namque Dominus vitam nostram voluntaria passione adquisivit, ita & nos voluntariè vult sacrificare sibi, ut voluntaria oris nostri beneplacita sibi faciat, sicut & cęcorum voluntatē cum sciret, interrogabat dicens, *quid vultis ut faciam vobis*, Marci 10 & statim fidelem voluntatem sanitatis effectus consecutus est..

In Naason, ut mundanis auguriis gentilium derelictis, promissis divinis fidem adhibeamus, & omnium prosperitatē rerum in Domini solius voluntate, non in falsis divinationibus, collocemus, ut Paulus, *si quomodo*, inquit, Rom: 1 *tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.* Ecce non in fato, nec in augurio, sed in Domini voluntate, prosperitatem sui posuit itineris. David quoque de beato viro, Psalm. 1 *omnia*, ait, *quacunque faciet prosperabuntur*, & Joannes Apostolus *Charissime*, 3 Ioan. inquit, *in omnibus orationem facio prospere te ingredi.* Contemptis itaque cunctis mundanis auguriis, prosperemur in Dei voluntate, & divinis credamus oraculis, & Domini solius intendamus promissis: 1. Cor. 13. *charitas* quippe *omnia credit*, *omnia sperat*: ad maximum etenim laudis cumulum de populo Israël dicitur: Numer. 23 *non est augurium in Jacob, nec divinatio in Israël.*

In *Salmon*, ut sensibiles in Domino omnia probemus, & sola ea quæ bona sunt teneamus, 1. Thess. 5 *& sensibus perfecti, malitiâ parvuli simus.* Hoc quoque sentiamus in nobis quod & in Christo JESU, 1 Cor. 14 *qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*, & reliqua; & *unanimes unum sentientes*, Philip. 2 *uno ore honorificemus Dominum*, ac sacræ sensibus Scripturæ instructi, efficiamur Isai: 54 & Ioan. 6 Domini docibiles, Sancto dicente Esaia, *& erunt omnes docibiles Dei.*

In *Booz*, uti confortemur in Domino, & viriliter agamus, Christo confirmante manus nostras ad prœlium, & digitos nostros ad bellum, ut robore patientiæ firmati omnia tentationum genera sufferre, & de inimicis triumphare possimus, timentes quoque illud Apostolicum; *quomodo*, ait, *facti estis qui-* Hebræor. 5 *bus lacte opus sit, non solido cibo?* perfectorum autem est solidus cibus virorum, qui exercitatos sensus habent ad discretionem boni & mali. Tali fortitudine roboratus est ille qui dicebat, *omnia autem possum in eo qui me confortat.* Philip. 4

In *Obed*, ut serviamus Domino in lætitia, illâ videlicet servitute, qua Psalm. 99 non per spiritum timoris, sed per spiritum adoptionis filiorum servitur Domino Rom: 8; sicut namque duo sunt timores qui faciunt duo genera timentium, ita duæ sunt servitutes, quæ faciunt duo genera servorum: alter timor pœnalis in servitute, *alter initiū sapiētiæ, alter * pro alter legendum f. ac est. plenitudo est legis divinæ. Perfectâ igitur servitute perfectos servos nos exhibeamus Domino, ut cum tempus servitutis fuerit finitum, vocemur à Domino in regnum æternum.

In *Jesse*, ut incensum orationum in arâ cordis nostris incendamus, *dirigatur*, inquit David, *oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*; Psalm: 140 & omnia incendentes conflagremus igne spiritus, spiritum contribulatum Domino offerentes, & immolantes Deo hostiam laudis, Psalm: 115 igne æstuantes Dei, de quo dicitur; *ignem veni mittere in terram.* Lucæ 12. 49

In *David*, ut proprias remittamus injurias & desiderabiles efficiamur Domino, avidumque habeamus erga Deum desiderium, hoc est, ut diligentes Dominum, diligamur à Domino; Ioan: 14 *qui enim diligit me, diligetur à Pater meo & ego diligam eum.* Fortes etiam simus manu, hoc est, perfecto opere intellectualem gigantem gladio proprio vulnerantes, & de faucibus antiqui prędonis, tam nostras, quàm proximorum animas eripientes, ut extremo adveniente judicio desiderabiles *fulgeamus sicut sol in regno Patris nostri*, & bono certamine certato repositam nobis in cœlis accipiamus à justo judice, justitiæ coronam.

In Salomone, ut quantum ex nobis sit, cum omnibus pacem habeamus, & intestino vitiorum bello, spiritualibus victo virtutibus, & utroque nostro homine in unum cœlestem conciliato, pacem habeamus ad Dominum, & ad proximum: & non solum simus cum omnibus pacati, verumetiam omnibus existamus pacifici, & discordantes licet fratres ad unionem spiritus & concordiam revocemus, *beati*, inquit, *pacifici quoniam filii Dei vocabuntur.* Matth. 5

In Roboam, ut latum mandatum Domini complentes, hoc est, sine ulla per-

sonarum

ſonarum acceptione omnibus charitatem fraternam exhibeamus; juxta Paulum, corde noſtro dilatemur, ac filii Iſraël in terra noſtra multiplicentur & creſcant, id eſt, ſpiritualibus repleantur virtutibus, vitiorum genti repugnantibus. Tali igitur populo in nobis dilatato, impetus ſpiritalis deſiderii ſpiritualem frangat impetum; *Fluminis* enim *impetus lætificat civitatem Domini.*

Pſalm. 45

In *Abia*, ut Patrem habeamus Dominum, ſimus in Domino, ut veraciter dicere poſſimus *Pater noſter.* Ac filii Dei ſimus & hæredes, *hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti*, ſi tamen compatimur, ut & ſimul conglorificemur.

Matth: 6 Rom: 8

In *Aſaph*, ut tollamus mentem noſtram de terrenis ad cœleſtia, *de via* quoque, juxta Prophetam, *tollamus lapides*, hoc eſt, de via ſanctæ converſationis auferamus peccata.

Ierem: 50

In *Joſaphat*, ut rectè judicemus, noſtra, tanquam ſubditorum nobis, examinantes delicta: *ſi enim*, ut ait Apoſtolus, *nobiſmetipſos judicaremus, non utique judicaremur à Domino.*

Corinth. 11

In *Joram*, ut dum conſurrexerimus cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quæramus, quæ ſurſum ſunt ſapiamus, non quæ ſuper terram, & effecti in Domino ſublimes, noſtram converſationem habeamus in cœlis.

Coloſſenſ: 3

In *Ozia*, ut de cætero confortemur in Domino & in potentia virtutis ejus, ut & ita pugnantibus nobis conteratur ſatanas ſub pedibus noſtris velociter.

Ephcſior: 6

In *Joatham*, ut perfecta opera facientes, perfecti exiſtamus & integri, in nullo tentationum genere deficientes, veritate ipſa dicente: *Eſtote vos perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.*

Matth: 5

In *Achas*, ut apprehendamus in quo apprehenſi * & quæ retrò ſunt obliviſcentes, in futurum nos ſuperextendamus, ut poſſimus apprehendere veram vitam quæ eſt Chriſtus, *Ego ſum*, ait, *lux & vita mundi.*

* ſumus.

Ioan. 8

In *Ezechia*, ut de omnibus animæ languoribus liberati conſcendamus in templum Dei, & faciamus voluntatem ejus, & fortitudine Domini confirmati, occidentem, iniquis mereamur nobis oriri juſtitiæ ſolem, & ubicumq; peccatum, & ex peccato mors * & appropinquaverunt, convertentes ad Dominum, euſque in pœnitentia flentes exoremus Dominum, donec in miſericordia flexus erigat & vivere faciat vitæ ſpirituali.

Malachiæ 4

* & videtur redundare.

In *Manaſſe*, ut malorum præteritorum obliti, ſemper in nocte hujus præſentis ſæculi memores ſimus nominis Domini; ultionem quoque non quæramus, nec memores ſimus injuriæ proximorum, ſed remittentes omnium debita, noſtra laxari mereamur à Domino delicta, ipſo dicente, *dimittite & dimittetur vobis.*

Lucæ 6

In *Amon*, ut ſtemus in fide, & fideli Domino fideles adhæreamus: charitas namque omnia credit, fides autem ſperandarum ſubſtantia rerum, & argumentum non apparentium eſt, nam quod videt quis, quid ſperat? fides itaque eſt quæ nos Abrahæ filios facit, qui *credidit Deo & reputatum eſt ei ad juſtitiam*, per quam & omnes Patres noſtri teſtimonium conſecuti ſunt eſſe juſti. Ex fide igitur nos vivamus, ut ex fide juſtificemur, quia *juſtus ex fide vivit.*

1. Cor: 13 Heb: 6 Rom: 4 Rom: 1

In *Joſia*, ut quæramus ubi incenſum Domino adolere debeamus, noſmetipſos videlicet in corporibus noſtris, hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem exhibentes, ſermonibus ſacrificium laudis Domino immolantes, cogitationibus corda contrita & humiliata & contribulatos ſpiritus ſacrificantes; & his tribus Deo dedicati, cogitatu ſcilicet & verbo & facto immaculatæ inveniamur hoſtiæ, auditoreſque non infructuoſi effecti, pro his quæ lex divina * nobis arguit, pœnitentiam agamus, prævenientes faciem ejus in confeſſione ut receptâ ſatisfactione noſtrâ, iram ſuam avertat à nobis.

Rom: 12 Pſalm: 50 * in Pſalm: 94

In *Jechonia*, ut in adventum Domini parati ſimus & ſemper vigiles, ne forte graventur corda noſtra crapulâ & ebrietate & curis hujus vitæ, & ſuperveniat in nos repentina dies illa; tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes qui ſedent ſuper faciem terræ. Devitantes itaque mali & inutiles eſſe * & fatuarum exemplo Virginum, vigilemus & præparemur, ut veniente Domino, ut Sponſa intremus in gaudium Domini & ad nuptias intromittamur æternas.

Lucæ 21 * & mendoſ. irrepſit.

In *Joachim*, ut eſſe Domini reſurrectio mereamur, ut de morte peccati ad juſtitiæ vitam reſurgamus; etenim in baptiſmo Chriſto conſepulti ſumus, ut cum eo per juſtitiam convivamus; hæc eſt

hæc est enim resurrectio prima, quâ soli justi suscitantur. In secunda verò tam impii & peccatores, quàm fideles resurgent & perfecti, alii in resurrectio-
Ioan: 5 nem vitę, alii in resurrectionem judicii.
Beatus, inquit Joannes, *& Sanctus est qui*
Apocal: 20 *habet partem in resurrectione prima; in hoc secunda mors non habet potestatem.*

In *Joachim*, ut paratum ob origine
Matth: 25 mundi cum justis mereamur in regnum ad dexteram vocari.

Psalm: 22 In *Zalathiel*, ut unam petitionem petamus à Domino, ut inhabitemus in domo Domini omnes dies vitæ nostræ,
Lucæ 11 & videamus voluntatem ejus; *Omnis enim qui petit, accipit.* Petamus à Domino semper in nomine Salvatoris, hoc est, quæ ad veram salutem pertinent,
Ioan: 14. dicente Salvatore: *Quæcunque petieritis à Patre meo nomine meo, dabit vobis*, & æqua poscantur, ne in peccatum vertatur oratio.

In *Zorobabel*, ut in omni studio nitamur tam discipuli cœlestis & veri magistri fieri, quàm magistri discipulorum, ut quæcunque didicerimus, opere complentes, alios doceamus, *qui* Apocal: 21
audit, inquit, *dicat, veni*; qui ad spiritu- Lucæ 14
alem cœnam invitatus est, cæteros quoque invitet, ut plena fiat domus discumbentibus.

In *Abiud*, ut sit nobis Deus in Patrem, & nos illi in filios & filias, & nos spirituales in Christo gignentes filios, patres eorum simus, discipuli simul & magistri, Patres existentes & filii, à Domino docti & geniti, doceamus & generemus progeniem Domino, ut talis progenies cum Patre regnet æterno.

In *Eliachim*, ut hîc resurgamus animo, & illic resuscitati in sancto & spirituali vivamus corpore: mors etenim una Redemptoris nostri duabus nostris mortibus saluti fuit, & una ejusdem resurrectio duas nobis resurrectiones præstitit, præsenti videlicet tempore animæ de peccati morte vivificationem, & in futuro corporis incorruptibilem resurrectionem.

In *Assur*, ut adjuvante Domino cætera desunt.

GUMEANI

CUMEANI ABBATIS SCOTO-HIBERNI LIBER DE PŒNITENTIARUM MENSURA

NUNC PRIMUM

EX MS. CODICE BIBLIOTHECÆ SAN-GALLENSIS

IN LUCEM EDITUS.

BENEVOLO LECTORI COLLECTOR.

SUBSCRIPTUM, Benigne Lector, de Pœnitentiarum Menſurâ tractatum ſub nomine CUMEANI Abbatis in *Scotia*, nempe Veteri, ſeu Hibernia, orti, tranſumpſi & pervetuſto, ſed mendoſo MS. Codice Bibliothecæ San-Gallenſis (in quo unà habetur Vita Georgii martyris) eique præmittitur Præfatiuncula S. Columbani ad ejuſdem argumenti opuſculum à ſe compoſitum,quod ſuprà habes, huic ſimillimũ, cum quo nimirum in ſtilo plerumque & ordine, ac nonnunquam etiam ſub eodem tenore verborum in doctrina concordat, ut ſuprà in Notis ad illud pleniùs obſervavi, initâ utriuſque collatione. Sed cum varii hujus nominis extiterint etiam Abbates, non eſt tam facilè hujus Opuſculi authorem invenire. Calendaria & Menologia Hibernica meminerunt ad 12. Februarii

bruarii Cumeani Abbatis Glinnemonenfis : 24. Februarii Cumeani Abbatis Hienfis; ad 24. Septembris, Cumeani Abbatis Drumfnechtenfis, & poftremò ad 17. Septembris Cumeani Abbatis Benchorenfis, & aliquot aliorum diebus aliis; è quibus Hienfis, à veteribus tùm Martyrologis, tùm Scriptoribus aliis *Sapientis* elogio dignatus, & anno Chrifti 634 gravi eruditâque Epiftolâ, apud Jacobum Ufferium in Silloge veter. epiftolarum Hibernicarum extante, prædeceffforem fuum *Segienum*, ceterumque Hienfium Monachorum cœtum dehortatus eft à more celebrandi Pafchalem Solemnitatem Luna XIV, qui mos in hoc quoque opufculo cap. 11. & non folus fortaffè Quartadecimanorum reprobatur, fupponendus videtur author hujus Tractatus, donec aliunde res notior fiat. Ceterùm quifquis fuerit, ex antiquorum Patrum authoritate & confenfu plura deprompfit de modo & menfurâ pœnitentiarum documenta, quæ fufioribus modò Notis aut Commentariis profequi non vacat, nec apparet neceffarium poft ea, quæ ad ipfum S. Columbani *Pœnitentiale* annotata funt, ex quibus hîc à Cumeano præfcripta lucem accipiunt.

Illud duntaxat ad præfens videtur obfervandum, ea quæ circa præceptum illud Actor. 15. de Suffocatis non edendis habet non effe à Scripturæ veritate, aut Sacris Canonibus aliena; nam licet Irenæus, Tertullianus, Cyprianus ad Quirinum, Pacianus de Pœnit. & Confeff. Ambrofius, Auguftinus contra Fauftum, copiofius à Baronio relati ad annum Chrifti 51. n. 17. tria duntaxat illo præcepto prohibita effe credentes, exiftiment illud de Suffocato non edendo non effe de textu, fed adjectum ab aliquibus Scripturam *adulterantibus*, ut loquitur Ambrofius, *vel interpretantibus*, ut æftimant alii; Græci tamen femper eo modo legiffe reperiuntur, prout etiam nunc habet communis editio Latinorum cum verbis illis *& Suffocato,* ficut citato capite legit Cumeanus; quinetiam ufu receptum fuiffe videtur in Ecclefia, ut fideles ab efu fanguinis abftinerent; unde Tertullianus hæc ait adverfus Gentes: *Erubefcat error vefter Chriftianis, qui ne animalium quidem fanguinem in efculentis habemus; qui propterea quoque fuffocatis & morticiniis abftinemus, ne quo fanguine contaminemur vel intra vifcera fepulto. Denique inter tentamenta Chriftianorum botulos etiam cruore diftentos admovetis.* Hæc Tertullianus. Blandina Martyr apud Eufebium

Iren. l. 3. c. 12. Tertull. de pud. cap. 12 Cyprian. l. 3. fin. Ambrof. in epift. ad Galat. c. 12. Auguftin. l. 32. c. 13.

Tertull. in in Apolog. cap. 9.

Eusebium hæc in Gentiles: *Multum erratis ô viri, quod putetis infantium carnibus vesci eos, qui ne mutorum quidem animalium sanguine aluntur.* Et Minutius Fœlix quoque in *Octavio* hæc in eandem sententiam: *Nobis homicidium nec videre fas, nec audire: tantumq; ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis sanguinem noverimus.* Ratio porrò quare jussi sunt Judæi ac Gentiles conversi à sanguine abstinere, illa potissima affertur ab Augustino apud Baronium loco cit. ut aliquo, licet in re levissima, remanente usu legalium, Judæi ac Gentiles in unum Christum lapidem angularem faciliùs necterentur. Vide Baronium citatum, qui & aliam adducit rationem ex Origine lib. 8. contra Celsum. Augustin. contra Faustum lib. 32. cap. 13.

Cæterùm quoad usum ejusmodi abstinentiæ in Ecclesia posteà impositum & practicatum attinet, hæc habentur in Apostolico Canone 62. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quicunque ex Sacerdotali consortio comederit carnes in sanguine animæ ejus, aut à bestiis abreptum, aut suffocatum, deponitur; si verò Laicus sit, à communione excluditur.* Item in Concilio Gangrensi c. 2. *Si quis carnem edentem (præter sanguinem, & idolis immolatum, & suffocatum) cum religione & fide condemnat, velut spem propter hujusmodi præceptionem non habentem, anathema sit.* Leo quoque Imperator his ad Stilianum sacrorum officiorum magistrum ostendit quàm strictè fuerit hoc olim observatum: *Simul olim,* inquit, *Legislatori Moysi sanguinem vescendum non esse mandavit Deus, simul ab istiusmodi cibo abstinere debere, à præconibus gratiæ est constitutum.* Et infra: *Perlatum est ad aures nostras, quod intestinis tanquam tunicis sanguinem infarctum, velut consuetum aliquem cibum ventri præbeant; quod tolerari non debere, Imperatoria nostra majestas rata, neque tam impio soli gulæ inhiantium hominum invento, nunc præcepta Dei divina, nunc Reipublicæ nostræ honestatem dedecore affici sustinens jubet, ne quis id scelus, neque ad usum suum, neq; ut emptoris detestando cibo contaminarentur, ullo modo exercere audeat. At sciat quicumque dehinc Divinum mandatum contemnere, sanguinemq; in cibum convertere (sive vendat, sive emat) deprehensus erit, se bonorum publicationi subjiciendum, & ubi acerbum in modum flagris ac cute tenus fœdè detonsus fuerit, perpetuo patriæ exilio mulctandum esse,* &c. Leo Imper. novell. constitut. 58.

His accedunt varia Conciliorum Decreta idem inhibentium: nam Canon vigesimus Concilii Aurelianensis secundi, suffocatis vesci prohibet, & ex Concilio Carthaginensi

ad idem hæc recitantur in Synodo Vormatiensi: *Animalia, quæ à lupis, seu à canibus lacerantur, non sunt comedenda, nisi porcis & canibus; nec corvus, nec capra, si mortui inveniantur.* Et infrà: *Aves verò & alia animalia si in retibus strangulantur, non comedenda.* Ex quibus habetur, ejusmodi abstinendi præceptum in Ecclesia permansisse usque ad tempora Adriani Papæ, sub quo celebratum fuit Concilium illud Vormatiense circa annum Domini 772. juxta Baronium, præter quem & Theodorus in suo Pœnitentiario pœnam imponit vescentibus suffocatis; sed nec esu sanguinis tantum, sed & à quibusdam animalibus, quæ Lex interdixit, & natura abhorrere solita est, abstinuisse quandoque Christianos constat ex epistola quadam Zachariæ Papæ ad Bonifacium, citatâ à Baronio, in quo illa signantur; quò intelligas id quod posteà totius Occidentalis Ecclesiæ consensu laudabiliter antiquatum fuit, istiusmodi scilicet legalium observantiam, temporibus Cumeani, qui exactam ciborum præfato capite differentiam instituit, in antiquorum, ut hactenus vidimus, Canonum & Conciliorum authoritate fundatam, eâ, quâ alii idem usurpantes, ratione ducebantur, permotus.

Ait Baronius te illud Pœnitentiale invenisse.

Vide tom. 3 Concil. recent. edit.

Denique hoc velim, Lector, intelligas me eo in abstergendis imperiti librarii mendis moderamine usum, ut nec sententiam nec verbum mutare vel transponere fuerim ausus, (exceptis pauculis suo loco intimandis, quorum quasi certa emendatio occurrit) sed nudam dumtaxat eorum terminationem ubi incongruam deprehendi, asteriscis ad singula designatis emendare, ne doctissimum tractatum ejusmodi nævis obscurari contingeret, aut criticorum quorundam, omne non politum, & punctulis etiam omnibus absolutum, fastidientium, contemptui exponi contingeret. Loca verò perpauca in eo hiulca, asteriscis obducta, aliqua fortè correctior manus, ex emendatiorum Codicum collatione restituet. Interim nostram opellam, benigne Lector, æqui consule, & vale.

CUMEANI

CUMEANI ABBATIS SCOTO-HIBERNI LIBER DE MENSURA POENITENTIARUM INCIPIT.

Additi numeri capitũ, qui deiunt in Codice.

DE remediis vulnerum secundum priorum Patrum definitionem dicturi, è Sacris tibi eloquiis, mi fidelissime, antè medicamina, compendii ratione, intimemus. Prima itaque est remissio, qua baptizamur in aqua, secundum illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest videre regnum.* * Secunda remissio, charitatis effectus, ut est illud, *remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Tertia, eleëmosynarum fructus secundum hoc, *sicut aqua extinguit ignem, ita eleëmosyna extinguit peccatum.* Quarta, effusio lachrimarum, Domino dicente, *quia flevit in conspectu meo & ambulavit tristis coram me, non inducam mala in diebus ejus.* Et quinta, criminum confessio, Psalmista testãte, *dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Sexta, afflictio cordis & corporis, Apostolo dicente, *dedi hujusmodi hominem satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.* Septima, emendatio morum, hoc est, abrenuntiatio vitiorum, Evangelio contestante, *jam sanus factus es, noli ulterius peccare, ne quid tibi deterius accidat.* Octava, intercessio Sanctorum, ut est illud: *si quis infirmatur, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo,* & reliqua; &, *multum valet deprecatio justi assidua.* Nona, misericordia & fidei meritum secundum hoc: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Decima, * conversio & salus aliorum, Jacobo confirmante, *qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum suorum;* Sed melius est tibi, ut * infirmus fueris & vitam solitariam ducere; quàm perdere cum plurimis. Undecima, Indulgentia & remissio, veritate pollicente, qui ait: *Dimittite & dimittetur vobis.* Duodecima, Passio martyrii, spes unica, salutis indulgentia: & latroni crucifixo, Deo respondente, **Amen, dico tibi, hodiè mecum eris in Paradiso.* His autem de Canonis authoritate prolatis, Patrum etiam Statuta Domini ore * subrogatum investigare convenit secundum illud, *interroga Patrem tuum & annunciabit tibi;* item: *causa* deferatur *ad deos.* Statuunt itaque octo principalia vitia, humanæ * salutis contraria, *his octo contrariis sanentur remediis. Vetus namque Proverbium est; contraria contrariis * sanentur; qui enim illicita licenter committunt, à licitis coërcere se debent.

Ioan. 3. * Dei. Lucæ 7. Eccl. 3. 3. Reg. 21. Psalm. 31. 1. Cor. 5. Ioan. 5.

Iacob. 5. Matth. 5. * MS mendosè conversatio. Iacob. 5. *Hic est depravatio aliqua. Lucæ 6. * MS mendosè Amice. Lucæ 23. *f. subrogata. Deut. 32. Exodi 22. * salutis *deest f. quo * sanantur

CAPUT I.[um]

De Gula & Ebrietate.

SI quis Episcopus, aut aliquis ordinatus, in consuetudine vitium habuerit ebrietatis; aut desinat, aut deponatur. Si quis Monachus per ebrietatem vomitum facit, triginta diebus pœniteat. Si quis Presbyter aut Diaconus, quadraginta dies pœniteat: Si verò per infirmitatem, aut qui longo tempore se abstinuerit, & in consuetudine non erat ei multum bibere vel manducare, aut pro gaudio in Natali Domini, aut in Pascha, aut pro alicujus Sanctorum commemoratione faciebat, & tunc plus non accepit, quàm decretum est à Senioribus, nihil nocet. Si Episcopus jusserit, non nocet illi, nisi ipse similiter. * Si Laicus fidelis per ebrietatem vomitum facit, quindecim dies pœniteat: Sacerdos si inebrietur per ignorantiam, septem dies pœniteat, in pane & aqua; si per negligentiam, quindecim dies: si per contemptũ, quadraginta dies pœniteat. Diaconus & Monachus quatuor hebdomadas; Subdiaconus tres, * duos dies: Laici unam hebdomadam. Qui cogit hominem, ut inebrietur humanitatis injustæ gratiâ, ut ebriosus pœniteat; si per odium, ut homicida judicetur. Qui psallere non potest, * in lingua superponat. Qui anticipat horam Canonicam & suaviora cæteris sumit, gulæ tantum obtentu, cœnâ careat, vel duobus diebus in pane & aqua pœniteat. Qui superfluâ ventris distentione dolorem quoque sentit saturitatis*; id est, si ad vomitum sine infirmitate; septem dies pœniteat. Si Sacrificium evomuerit, quadraginta dies pœniteat; si infirmitatis causâ, septem dies pœniteat: si in ignem projicit, centum Psalmos cantet; si verò canes lambuerint talem vomitum, centum dies pœniteat, qui evomit. Qui furatur cibum, quadraginta dies pœniteat; si iterum, tres quadragesimas: si tertiò, anno pœniteat. Qui manducat carnem immundam aut mortuam aut delaceratam à bestiis, quadraginta dies pœniteat; si necessitas cogit, nihil est; & qui per necessitatem manducat animal, quod immundum videtur, vel avem vel bestiam, non nocet. * Qui casu quis immundâ manu cibum tangit, vel canes, vel pilax, aut animal immundum *sanguinem edat, non nocet. Qui sanguine, vel quocunque immundo polluitur, si nescit qui manducat, nihil est; si autem scit, pœniteat juxta modum pollutionis. Qui sanguinem, aut semen biberit, tribus annis pœniteat. Si autem stercorant in quocunque liquore, tollatur ab eo stercus, & sanctificetur aqua, & mundus erit cibus. Si ceciderit sorix in liquorem, tollatur foras,* & hoc potum aspergatur aquâ sanctificatâ, & sumatur, si vivens sit: si mortua fuerit inventa, omnis liquor projiciatur foras, & mundetur vas. Animalia quæ à lupis seu canibus lacerantur, non sunt comedenda, nisi forte ab hominibus adhuc viva occidantur prius, sed porcis & canibus dentur; nec cervus, nec capra, si mortui inventi fuerint. Avis verò, & animalia cætera, si in retibus strangulantur, non sunt comedenda hominibus; nec accipitri si mortui fuerint, quia quatuor capitalia Actus Apostolorum præcipiunt, abstinere à fornicatione & sanguine & suffocato, & idololatriâ. Pisces licet comedere, quia alterius naturæ sunt. Equum non prohibet, * tamen consuetudo: leporem licet comedere. Apes verò si occidunt hominem, ipsi quoque occidi *festinantur, mel tamen manducetur. Si casu porci vel gallina sanguinem hominis comedunt, non abjiciendos credimus, sed manducandos; sed qui cadavera mortuorum lacerantes manducaverint, carnem eorum manducare non licet, usque dum macerantur. Et post anni circulum animalia coitu hominum polluta occidantur, carnesque canibus projiciantur: sed quæ generant, sint in usum, & coria adsumantur; ubi autem dubium est, non occidantur. Infirmis licet omni horâ cibum sumere, & potum quando desiderant, vel petunt, si * importunè non pe-

* supple, proprio motu in hoc sibi indulsit.

* [illegible]

* loquitur de superpositione silẽtii, de qua vide Notata ad Regulam S. Columbani Cœnob. cap. 3.

* Videtur hic deesse aliquid.

* f. [illegible]

* f. [illegible]

* f. [illegible] tum.

Actor. 15. Vide Notata suprà in præfatione.

* deest aliquid in hoc commate.

* festinentur

* male Cod. [illegible]

non petunt. Qui dederit aliquos liquores in quibus fuerit mustela, milvus, vel mortua inveniantur, tribus superpositionibus pœniteat; qui non noverit posteà, quod talis visus est, potum superponat. Si in farina, aut in aliquo siccato cibo, aut pultato, coagulato, vel lacte, istæ inveniantur bestiolæ, quod sic circa corpora illorum est, foras projiciatur, omne reliquum sanâ sumatur fide. Si sanguinem sine voluntate è dentibus biberit, id est, cum saliva, non est peccatum. Si quis venationes aliquas quocunque exerceat, si Clericus, anno uno; si Diaconus, annis duobus; si Sacerdos, annis tribus pœniteat. Cathecumeni manducare non debent cum baptizatis, neque gentiles. Uxor quæ sanguinem viri sui pro remedio gustaverit, quadraginta dies pœniteat; sic & illa quæ semen viri sui in cibum miscens, ut inde plus amoris accipiat, tribus annis pœniteat. Qui * contemptum indictum jejunium in Ecclesia & contra Decreta Seniorum fecerit, * sine quadragesimis, quadraginta dies pœniteat: si autem in Quadragesima, anno pœniteat; si frequenter fecerit, & in consuetudine erit ei, exterminabitur ab Ecclesia, Domino dicente, *qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt* & reliqua. Qui de sui comedens corporis cute, ******************************* cum impositione manus Episcopi annum integrum cum pane & aqua pœniteat.

Hic non inhibetur Sæcularibus venari.

* *contemptum* f. irrepsit pro *contra*.

* id est, extra quadragesimam.

Matth. 18.

CAPUT II.[m]

De Fornicatione & reliquis immundis Pollutionibus.

Episcopi, Presbyteri, Diaconi fornicationem facientes, degradari debent, & pœnitere judicio Episcopi, tamen communicent. De sodomitis, Episcopi quatuordecim * pœniteant, Presbyteri duodecim annis pœniteant, Diaconi novem, Subdiaconi octo, Clerici septem, Laici quinque pœniteant, & nunquam cum alio dormiant. Si cum fratre naturali fornicationem per commixtionem carnis, quindecim annis pœniteat, ab omni carne abstineat se: Si semen in os miserit, septem * pœniteat; alii dicunt usque in finem vitæ. Viri inter femora fornicantes, primò unum annum pœniteant; si * iterant, duos: si in crura fornicantes, si pueri sunt, annis duobus pœniteant; si viri, annis tribus: si autem in consuetudinē vertunt, & modus pœnitentiæ addatur judicio Sacerdotis. Vir semetipsum coinquinans in primo, centum dies pœniteat, & iterans, annum unum; si cum gradu est, addatur pœnitentia. Puer quindecim annorum, quadraginta dies pœniteat. Qui concupiscit mente fornicari, sed non potuit, anno pœniteat, maximè in Quadragesima. Qui turpiloquio, vel aspectu coinquinatus est, tamen non voluit fornicare corporaliter, viginti uel quadraginta dies pœniteat: si autem in pugnatione cogitationis violenter coinquinatus est, septem dies pœniteat. Qui diu illuditur à cogitatione tepidus & repugnans, unum vel duos, vel plurimos dies, quantum * exegerit diuturnitas cogitationis, pœniteat. Pueri qui fornicantur inter seipsos, * judicavit, ut vapulent: pueri soli sermocinantes, & transgredientes statuta Seniorum, tribus superpositionibus emendentur. Osculum non simpliciter facientes, sex superpositionibus: illecebrosum osculum sine coinquinatione, septē; cum inquinatione sive amplexu, decem superpositionibus. Post annos viginti duos * idem adulti item committentes, quadraginta dies separati à mensa extorresque, ab Ecclesia, cum pane & aqua vivant. Minimi verò fornicationem imitantes, & irritantes se invicem, sed coinquinati non sunt propter ætatis immaturitatem, viginti dies; si verò frequenter, quadraginta dies; si iteraverint per pœnitentiam centum dierum. Pueri ante viginti annos se invicem manibus coinquinantes & confessi, antequam communicent, viginti dies; si iteraverint, centum dies pœniteant: si verò frequentius, separentur, & anno pœniteant. Puer oppressus à majore

Pœna fornicarii, & seipsum cum vel sine alterius consortio polluentis.

* *annis*

* *annis*

* MS mendosè *iterans*.

* non *exegerit diuturnitatem*, ut per mendam in Cod.

* *judicant* supple *majores*.

* f. *Item adulti idem*.

majore infra decem annos, hebdomadâ jejunet; si consentit, quadraginta dies. Molles unum annum pœniteant; qui in somnis voluntate pollutus est, surgat, canatque genuflectendo septem Psalmos in crastino, cum pane & aqua: vel triginta Psalmos genuflectendo in * finem, unumquemque cantet. Volens quasi in somno peccare * sive pollutus est sine voluntate * quindecim; in fine dicat ter *Deus in adjutorium*, & reliqua. Qui semen dormiens in Ecclesia fuderit, tribus diebus pœniteat; peccans non pollutus, vigintiquatuor Psalmos cantet. Episcopus faciens fornicationem, degradari debet, sive septem, sive duodecim annis pœniteat. Presbyteri aut Diaconi fornicationem naturalem facientes, * prolato antè Monachi voto, tribus annis pœniteat. Veniam omni horâ roget, superpositionem faciat in unaquaque hebdomadâ, exceptis quinquagesimis diebus; post superpositionem, pane sine mensurâ utatur, & ferculo aliquatenus butyro impinguato, hoc est, quadrante, & die dominica sic vivat; cæteris verò diebus paximati panis mensurâ & misso parvo impinguata * horreo oleris, ovis paucis formatico, feminalatis pro fragilitate corporali tenucla, vel batuto lactis sextario pro sitis gratiâ, & * aqua tale potu si operarius est * lectumque non multum fœnum habeat instratum: per tres quadragesimas anni addat aliquid prout virtus ejus admiserit; semper ex intimo cordis defleat culpam suam, * obedientiamque pro omnibus libentissimè excipiat; post annum & dimidium Eucharistiam sumat, & ad pacem veniat, Psalmos cum Fratribus cantet, ne penitùs anima tanto tempore cœlestis medicinæ jejuna intereat. Si inferior gradu quis monachus, tres quidem annos pœniteat, sed mensurâ non gravetur panis; si operarius est, sextario de lacte Romano, & alio tenucla, & aqua quantum sufficit pro sitis ardore sumat. Si verò sine voto monachi Presbyter, aut diaconus, * si peccaverint, sicut Monachus sine gradu pœniteant, & postea recipiant gradus suos. Si autē Presbyter aut Diaconus post tale peccatum voluerit Monachus fieri, in districto proposito exilii annum & dimidium pœniteat; habet tamen Abbas hujus rei moderandi facultatem, si obedientia ejus placita sit Deo & Abbati suo.

* lege: vel 30. *Psalmos, genuflectendo in fine uniuscuiusq; cantet*
* f. *sive pollutus sua voluntate.*
* intellige: *quindecim Psalmos cantet.*
* id est, *emisso.*
* Hinc ad quartam sequentem lineam textus est ut hic vides, in MS. depravatus.
* f. *aquatico.*
* aliter *lectoque.*
* mendosè *obedientiamque.*
* *fit.*

CAPUT III.

De Adulterio, Raptu & Incestu, &c.

Pœnitentia adulteri juxta conditionum varietatem.

SI quis Adulterium fecerit, id est, cum uxore aliena, aut sponsam, vel virginem corruperit, aut Sanctimonialem, aut Deo dicatam fœminam; laici tribus annis pœniteant, primo ex his in pane & aqua; Si Clericus quinque annis pœniteat; Subdiaconus sex; duos ex his in pane & aqua. Si verò Diaconus Monachus, septem annis pœniteat in pane & aqua; Presbyter, decem; Episcopus duodecim, quinque ex his in pane & aqua. Clericus vel superioris gradus qui uxorem habuit, & præter professionem suam, vel honorem clericatus, iteratus eam cognoverit, sciat se sibi adulterium commisisse, sicut superiori sententiâ unusquisque juxta ordinem suum pœniteat. Si quis concupiscit mulierem alienam, & non potest peccare cum ea, aut non vult suscipere eum mulier, si Laicus, quadraginta dies; si Clericus aut Monachus est, anno pœniteat, medio in pane & aqua: si Diaconus duobus; Presbyter tribus. Si Clericus aut Monachus postquam se Deo voverit, ad sæcularem habitum iterum reversus fuerit, aut uxorem duxerit, decem annis pœniteat, tribus ex his in pane & aqua, & nunquam postea in conjugio copuletur; quod si noluerit, Sancta Synodus vel Sedes Apostolica separavit eos à communione & convocationibus Catholicorum. Similiter & mulier postquam secundò voverit, si tale scelus admiserit, pari sententiæ subjacebit. Si Presbyter autem, aut Diaconus uxorem extraneam duxerit in scientia populi, deponatur.

Si quis

Si quis adulterium perpetraverit cum illa, & in conscientia advenit populis, projiciatur extra Ecclesiam, & pœniteat inter Laicos quamdiu vixerit. Si quis cum matre fornicaverit, duodecim annis pœniteat; & nunquam * mittetur nisi in die dominica. Qui cum sorore hoc modo, quindecim annis pœniteat. In *Can. Ancyr. de Incestis*; si * quis more pecorum cum propinquo sanguine incestu commixti sunt, ante vigesimum annum ætatis suæ, decem annis inde * pœniteat, exacta oratione tantùm incipiant communicare; post viginti verò annos ad Communionem cum oblatione suscipiantur: discutiatur autem & vita eorum quâ fuerint tempore pœnitentiæ, & ita hanc * humilitatem consequantur: quod si abusi sunt hoc crimine prolixiori tempore, viginti annorum ætate ut * uxores habentes hoc crimen inciderint, vigintiquinque, plenâ pœnitentiâ actâ ad Communionem * oratione permittantur; & ita post * aliud quinquennium ad plenam Communionem cum oblatione suscipiantur; quod si aliqui uxores habentes, & post quinquagesimum ætatis suæ annum in hoc prolapsi sunt, ad exitum vitæ tantùm Communionem mereantur. Si quis cum pecoribus, 12. annis pœniteat. Si quis adulterium commiserit, 7. annis pœnitentiæ completis, perfectioni reddatur secundum pristinos gradus. Si quis * nupserit cum muliere suâ retrò, 40. dies pœniteat; primò autem si in terga nupserit, sic pœniteat, quomodo de animali. Si quis menstruo tempore coierit cum muliere, 40. dies pœniteat. Mulieres menstruo tempore non intrent in Ecclesiam, neque communicent, neque Sanctimoniales, nec laicanæ; si præsumunt, 3. hebdomadis pœniteant. Similiter pœniteat, quæ intrat Ecclesiam ante * mundum sanguinis post partum, id est 40. dies; qui nupserit & iis temporibus, 20. dies pœniteat. Qui nubit die Dominica, tribus diebus pœniteat. Qui in Matrimonio est, Quadragesimis anni, & Sabbatis, & in Dominicis nocte diei, & in diebus plurimis, maximè tres dies, antequam communicent, & concepto semine usque ad modum sanguinem consumendi, & menstruo tempore, continens fieri debet.

Bigamus pœniteat uno anno, quartâ & sextâ feriâ, & in tribus quadragesimis abstineat se à carnibus, non tamen dimittat uxorem. Trigamus, ut superius, id est, in * 4. & 5. vel plus 7. annis, quartâ feriâ & sextâ & in tribus quadragesimis abstineat se à carnibus; tamen Basilius hoc judicavit; in Canonibus autem, * 3. ante (*hic mendo irrepsisse videtur* ante, *& omissa post* autem *quæ vides in margine*) in quinta generatione conjungantur.: in quarta si inventi fuerint, non separentur. In tertia tamen propinquitate non licet uxorē alterius accipere post obitū ejus. Æqualiter vir conjungatur matrimonio, eis, quæ sibi consanguineæ sunt & uxoris suæ consanguineis post mortem uxoris suę. Duo quoq; fratres duas sorores in conjugio possunt habere; & pater filiusque, matrē & filiam. Si laicus fornicaverit cum vidua aut puella * ante, 2 annis pœniteat, reddito tamen humiliationis pretio parentibus ejus; si uxorem non habet, si voluntas parentum eorum est, ipsa sit uxor ejus, ita ut annis 5. pœniteant ambo. Si quis laicus cum jumento fornicaverit, annis 2. pœniteat, si uxorem habet; si nō habet, annum unum. Si clericus 2. si Diaconus, 3. Presbyter, 7. * ex iis in pane & aqua. Clericus semel fornicans, unum annum pœniteat in pane & aqua. Si genuerit filium, 7. annis pœniteat * vel exul. vel port. fil & virgo. Qui dimiserit uxorem suam, alteri conjungens se, 7. annis pœniteat cum tribulatione, vel 12. annis levius. Si ab aliquo sua recesserit uxor, & iterum reversa fuerit, suscipiat eam, & ipsa anno uno cum pane & aqua pœniteat, vel * supercilicium * duxerit. Si quis intrat ad ancillam suam, vænumdet eam, & anno uno pœniteat; si genuerit filium ex ea, liberet eam. Mulier adultera, tribus annis pœniteat. Mulier seipsâ coitum habens, tribus annis pœniteat; mulieres verò quæ fornicantur, & partus suos negant, sed & si quid agant secum ut * uteros conceptos discutiant, 10. annis pœniteant. Si mulier cum muliere, tribus annis pœniteat. Si quis masculus, vel si quæ mulier, votum habens virginitatis jungitur uxori * * * * non dimittat uxorem, sed pœniteat tribus annis. Vota stulta frangenda sunt & importabilia. Mulieri non liceat votum vovere sine licentia viri; sed si voverit, dimitti potest, & pœniteat judicio Sacerdotis. Sacerdos si osculatus est fœminam per desiderium, viginti dies pœniteat; si per cogita-

Left margin notes:

- * f. *emittetur.*
- Ex Concilio Ancyrano Can. de Incestis.
- * *qui.*
- * *pœniteant.*
- * humanitatem.
- * f. *&*
- * *cum oratione.*
- * mendosè *alium.*
- * Idem videtur hoc loco *nubere*, quod *coire*.
- * ita MS.

Right margin notes:

- * lectio corrupta.
- * f. legendū 35. q. 2. c. 3. *dicitur: de propinquis qui ad affinitatem per virum & uxorē veniunt, defuncta uxore vel viro, in quinta*, &c. nam sequētia sumpta sunt ex isto Can.
- * ante nuptias vel matrimonium, vel virginitatem violatam.
- * deest aliquid.
- * lectio corrupta, sic videtur emendanda: *vel exul portet cilicium & virgam.*
- * Cod. MS. *supercecilium* sed mendosè pro *cilicium* aut potius *supercilicium* quod genus est vestimēti pœnitentialis, antiquitùs, & diebus nostris in Hibernia usitatum publicorū criminum reis, qui nunc totam Hiberniam, nunc quædam loca sancta, cilicio & lineo sacco vestiti circumibant.
- * *induat.*
- * *utero.*

cogitationem semen fuderit, septem dies pœniteat. Mulier si duobus fratribus nupserit * * * * * eam debere usque ad mortis. * * * * * * * quam in extremis suis Sacramẽto reconciliare oportet, ita tamen ut si forte sanitatem recuperaverit, matrimonio soluto, ad pœnitentiam admittatur, quod si defuncta fuerit mulier hujusmodi consortio constituta, dissolvatur à pœnitentia remanenti: quam sententiam tam viri, quàm mulieres tenere debent. Puellæ quæ non parentum coactæ imperio, sed spontaneo judicio virginitatis propositum atque habitum susceperunt, si postea nuptias diligunt * pretia ineatur, etiamsi consecratio non accesserit, cujus utique non * fraudantur munere, si in proposito permanerent.

* *fortè pœniteant.*

* *f. fraudarentur.*

CAPUT IV.

De Furto & injustis Rapinis, seu Invasionibus &c.

Pœnitentia furantis secundum varios hominum gradus

PEcunia Ecclesiastica furata reddatur quadruplum; popularia duplicentur. Si quis aliquid de ministerio S. Ecclesiæ furaverit, aut neglexerit, octo annis pœniteat, tribus ex his in pane & aqua, & reddat integrum quod abstulit. Si quis furtum fecerit; si puer, quadraginta vel viginti, * ut ætas est, & qualitas eruditionis; Laici anno uno, Clerici duobus, Subdiaconi tribus, Diaconi quatuor, Presbyteri quinque, Episcopi sex annis pœniteant; Si Laicus semel furtum fecerit, reddat quod furavit, & in tribus Quadragesimis cum pane & aqua pœniteat. Si sæpius fecerit & non habet unde reddat, annis duobus in pane & aqua pœniteat; & alio anno tribus Quadragesimis, & sic posteà in Pascha reconcilietur. Qui sępè furtum faciebat, quatuor annis pœniteat, vel ut Sacerdos judicat, juxta quod componi potest quibus nocuit, & semper debet reconciliari ei, quem offendebat, & restituere juxta quod ei nocuit, & multum breviabit pœnitentiam ejus; si verò noluerit, aut non potest, constitutum tempus pœniteat per omnia. Puer decem annorum aliquod furtum comedens, septem dies pœniteat: qui furatur cibum, quadraginta dies pœniteat. Si iterum, tribus Quadragesimis; si tertiò, anno pœniteat: si quartò, jugi exilio sub alio Abbate pœniteat. Si laicus Monachum *furtim duxerit, aut intret monasterio, vel humano subjectetur servitio. Si quis servum aut quemcunque hominem, quolibet ingenio in captivitatem duxerit, aut transmiserit, tribus annis pœniteat in pane & aqua. Si quis patrem aut matrem expulerit, impius, vel sacrilegus judicandus est, & pœniteat æquali tempore, quamdiu in impietate extiterit. Qui prębent ducatum Barbaris, si Basilicas incenderint, & si Clericum, sive Sanctimonialem * bonos occiderint, & innocentes ab Ecclesia traxerint, ductor quatuordecim annis pœniteat. Pecuniæ, quæ in alia provincia ab hoste raptæ fuerint, id est regno alio superato, tertia pars ad Ecclesiam tribuetur, vel pauperibus quod jussio regis erat, & quadraginta dies pœniteat. Si quis domum vel aream cujuscumque igne cremaverit, tribus annis pœniteat, unum ex iis in pane & aqua.

* *deesse videtur, flagellis, verberibus, aut superpositionibus pœniteat.*

* *Hoc est, qui vel seduxerit Monachum, aut furatur in servum, aut venundandum, ipse in pœnitentiâ, Monachus fiat aut servus.*

* *deest f. vel alios.*

CAPUT V.

CAPUT V.

De Perjurio & Mendacio &c.

Pœnitentia perjurii per varios gradus.

SI quis perjurium fecerit, Laici tribus annis pœniteant, Clerici quinque, Subdiaconi sex, Diaconi septē, Presbyteri decem, Episcopi duodecim. Qui perjurium facit in Ecclesia, undecim annis pœniteat. Si in manu Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi, seu in altari vel cruce consecratâ mentitus fuerit, tribus annis pœniteat; si in cruce non consecratâ, uno anno pœniteat. Si quis laicus per cupiditatem perjurat, totas res suas vendat & donet * in pauperibus, & conversus in Monasterio usque ad mortem serviat Deo; si autem non per cupiditatem, * mortis periculum incurrit, tribus annis inermis exul pœniteat in pane & aqua, & duas abstineat Quadragesimas se à vino & carnibus, & dimittat pro se servū aut ancillā *vivū & per undecim annos eleēmosynam faciat, & post septem annos judicio Sacerdotis communicet; * Qui verò necessitate coactus sit, tribus quadragesimis. Qui ducit alium in perjurium ignorantem, septem annis pœniteat; qui ductus est in perjurio ignorans, & posteà recognoscit, anno uno pœniteat. Qui verò suspicatur quòd in perjurio ducitur, tamen jurat per consensum, duobus annis pœniteat. Pro falso testimonio, Laici uno anno, Clerici duobus, Subdiaconi tribus, Diaconi quatuor, Presbyteri quinque, Episcopi, sex annis pœniteant. Si quis falsitatem commiserit, septem annis pœniteat; tres ex his in pane & aqua; qui autem consenserit, quinque ultimis pœniteat. Falsum testimonium dicens, ut placeat proximo suo, primò quale fratri imposuit, tale damnetur, judicio Sacerdotis. Mendax verò per ignorantiam, & non nocuit, confiteatur ei, cui mentitus est, & Sacerdoti & hora * tacendi damnetur, vel duodecim Psalmos cantet. Si verò de industria, tribus diebus tacendi, vel triginta Psalmos si * præest. Mendax verò per cupiditatem, placeat largitate ei, cui frustravit.

* f. Deo in pauperibus.

* f. sed quia aliquis.

* f. unam.

* Si verò.

* silentio unius horæ.

* f. Si Presbyter est.

CAPUT VI.

De Homicidio & Sanguinis effusione &c.

Pœnitentia homicidii juxta varios circumstantias.

QUi voluntariè homicidium fecerint, ad pœnitentiam se jugiter submittant; circa exitum autem vitæ communione digni habeantur; qui non voluntariè, sed casu homicidium perpetravit, quinque annis pœniteat. Mulieres quæ fornicantur, & * partus suos, & ea quoque agunt, ut * uteros conceptos rejiciant, antiqui Patres instituerunt usque ad extremum vitæ; nunc humaniùs definitum est, decem annis pœniteant. Si quis occiderit Monachum vel Clericum, arma relinquat, & Deo serviat, vel secundum judicium Episcopi septem annis pœniteat. Qui autem Episcopum vel Presbyterum occidit, Regis judicium est de * eo. Si Laicus alium occiderit, odii meditatione, si non vult arma relinquere, septem annis pœniteat sine carne & vino. Qui occiderit hominem, quadraginta dies abstineat se ab Ecclesia, & posteà suprascriptam pœnitenitam agat. Qui jussione domini sui hominem occiderit, quadraginta dies jejunet; & qui occiderit hominem in publico bello cum Rege, quadraginta dies pœniteat. Si *per poculum vel artem aliquam malam, septem annis pœniteat, aut plus; si mater filium suum occiderit, quindecim annis

* f. supple interimunt: nam sermo de abortu ante, & paricidio post partum.
* utero.

* Citat leges patrias, Breatha' Nēi headh dictas.

* Si per poculum veneni, vel artem maleficam &c.

annis pœniteat, & nunquam * mittet, nisi in die Dominica: mulier pauperina septem annis pœniteat. Mulier si occiderit filium suum in utero ante quadragesimam diem, anno pœniteat; si verò post quadraginta dies conceptionis, ut homicida tribus annis pœniteat. Si quis Clericus homicidium fecerit, decem annis pœniteat exul; tribus in pane & aqua. Si quis homicidium casu fecerit non volens, quinque annis pœniteat; tribus ex iis in pane & aqua. Si ad homicidium consenserit, & factum fuerit, septem annis pœniteat: si voluerit & non potuerit, tribus annis pœniteat. Si quis homicidium fecerit, Laici tribus, Clerici quinque, Subdiaconi sex, Diaconi septem, Presbyteri decem, Episcopus duodecim annis, pœniteant. Si Laicus proximum suum occiderit, quinque annis pœniteat exul. Si quis alium per iram percusserit & sanguinem effuderit, quindecim dies in pane & aqua pœniteat: si Diaconus, sex menses; Presbyter, anno pœniteat. Cujus parvulus in negligentia sine baptismo fuerit mortuus, tribus annis pœniteat; unum ex iis in pane & aqua. Si Laici infantem suum oppresserint, anno uno in pane & aqua pœniteant, & duos à vino & carne abstineant se * * * * * * * tempus pœnitentis. Si mulier abortum fecerit voluntariè, tribus annis in pane & aqua. Qui per rixam, debilem vel deformem hominem fecerit, reddat impensas medicis, * ægritudinem restituat, & medium annum pœniteat in pane & aqua; si non habuerit unde reddat, uno pœniteat. Si Laicus per scandalum sanguinem effuderit, reddat illi tantum, quantum nocuit; & si non habet unde reddat, solvat opera proximi sui, * quamdiu ille infirmus est, & postea quadraginta dies pœniteat in pane & aqua. Qui * jactum proximo suo dederit, & non nocuit, unâ vel duobus vel tribus Quadragesimis in pane & aqua; si Clericus, annum vel dimidium. Si quis quodlibet membrum voluntate suâ truncaverit, tribus annis pœniteat, unum ex his in pane & aqua. Parvuli invicem percutientes, septem diebus pœniteant; si verò adolescentes, quadraginta dies pœniteant. Si quis per vindictam fratris, hominem occiderit, tribus annis pœniteat: Si componit propinquos, dimidium spatium. Qui præbent ducatum Barbaris, tribus annis pœniteant, si non acciderit strages Christianorum; si verò * jactis, usque ad mortem, mundo mortui Deo vivant. Si quis proprium servum sine *conscientia propris judicis occiderit, * & communione, biennio * effusione sanguinis emundabitur. Infans infirmus & Paganus, commendatus Presbytero, si moritur, * Presbyter deponatur; si negligentia Parentum sit, uno anno pœniteat.

* Ita MS.

* Ultra impensas medicorum etiam debet satisfacere vulnerato, pro modo ægritudinis.

* sic leg. non quantum ille.

* i. qui telo aut hasta jacta nocere conatur.

* acciderit, renunciantes mundo religioni perpetuò addicantor.

* i. consensu.

* deest aliquid hic.

* deest fpro vel ab.

* scilicet absque baptismo & Sacramentis debitis.

CAPUT VII.

De Maleficis & Veneficis &c.

Pœnitentia maleficorū secundum personarum & delicti circumstantias.

SI quis maleficio suo aliquem perdiderit, septem annis pœniteat, tribus ex his in pane & aqua. Si quis per amorem veneficus sit, & neminem perdiderit, si laicus est uno anno pœniteat in pane & aqua; si Subdiaconus duobus, Diaconus tribus: unum ex his in pane & aqua; si sacerdos quinque: unum ex his in pane & aqua, & laici dimidium annum pœniteant, maximè si per hoc mulieris partum quisquam deceperit, tres annos unusquisque superaugeat in pane & aqua, ne homicidii reus sit. Si quis sacrilegium fecerit, id est, quod aruspices vocant, qui * auguria colunt per aves, aut * quocumque auguraverint, tribus annis pœniteat; unum ex his in pane & aqua. si quis, ut vocant, sortes Sanctorum, quas contra rationem vocant, vel alias sortes habuerit, vel qualecumque ingenio sortitus fuerit, vel veneraverit, tribus annis pœniteat; unum ex his in pane & aqua. Si quis per ariolos, quos divinos vocant, aliquas divinationes fecerit, quia & hoc dæmonicum est, quinque annis pœniteat; tribus ex

* mendosè Cod. auris.

* quomodocumque auguraverint.

* Sermo est de superstitioso cultu rerum aut, locorū quæ Diis gentilibus dicabantur.

bus ex his in pane & aqua. Si * quis ad arbores & ad fontes, aut ad angulos ubicumque, nisi ad Ecclesiam dei vota voverit, aut solverit, tribus annis pœniteat, uno ex his in pane & aqua; & qui ibidē ederit aut biberit, uno anno pœniteat. Si quis Mathematicus fuerit, per invocationem dæmonum, mentes tulerit, quinque annis pœniteat; tribus ex his in pane & aqua. Si quis immissor tempestatum fuerit, septem annis pœniteat, tribus ex his in pane & aqua. Si quis Kalendis Januarii in cervulo & in* verula vadit, tribus annis pœniteat, quia hoc dęmonum est: si quis ad fanum communicaverit, quadraginta diebus in pane & aqua pœniteat, & si iterum serviendo per cultum hoc fecerit, tribus annis pœniteat. Dęmonem sustinens, licet petras vel olera habere sine incantatione. Si qua mulier divinationes vel incantationes diabolicas fecerit, uno anno vel tribus quadragesimis quadraginta dierum juxta qualitatem culpæ pœniteat. Qui immolat dæmonibus in minimis; uno anno pœniteat; qui in magnis, decem. Si qua mulier filium, aut filiam super tectū pro sanitate posuerit, vel in fornace, octo annis pœniteat: similiter & qui grana arserit, ubi mortuus est homo, & pro sanitate juvencum, & damas*, duobus annis pœniteat.

Dies sunt gentilium superstitionibus consecrati ut habet Usuardus in prologo Martyrolog.

* f. Vetula seu Vitula.

* ferè.

De Canone Ancyrano unde supra num. 24.

QUi auguria auspiciaque, sive somnia, vel divinationes quaslibet secundum morē gentium observaverint, aut in domibus hujusmodi homines introducunt, in exquirendis aliquâ arte maleficiis, aut ut domos suas lustrent, immundi isti, si de Clero sint, abjiciantur; si verò sæculares, confessi pœnitentiam agant quinquennio secundum regulas antiquitùs constitutas. Qui cibum immolatum comederit, deinde confessus fuerit, sacerdos considerare debet personam, ætatem, uel quomodo edoctus, aut qualiter contigerit, & ita authoritas sacerdotalis circa infirmum moderetur; & hoc modo in Pœnitentia & Confessione semper omninò in quantum Deus adjuvare dignatur, cum omni diligentiâ conservetur.

CAPUT VIII.

De Usura & Cupiditate & Inhospitalitate &c.

SI quis Usuras undecumque exegerit, quatuor annis pœniteat, uno ex his in pane & aqua; si permaneat in avaritia, *alienetur. Quicumque hospites non recipit in domo sua, sicut Dominus præcepit & regna cœlorum promisit, ubi dicit: *Venite benedicti Patris mei*; quanto tempore hospites non recepit & mandata Evangelica non adimplevit, nec pedes lavavit, neque eleēmosynam fecit, tanto tempore pœniteat in pane & aqua; si non emendatus thesaurizans superflua in crastinum tempus per ignorantiam, tribuat illa pauperibus; si autem per contemptum arguentium, elēmosynâ & jejunio sanetur judicio Sacerdotis. Permanens autem in avaritia, alienetur. Qui repetit auferenti quæ sua sunt contra interdictum, tribuat indigentibus quæ repetivit. Clericus habens superflua, donet ea pauperibus; sin autem, excommunicetur; si autem pòst pœniteat, tempore quo vixit in contradictione, in pœnitentia semotus vivat. Si quis cupidus, aut avarus, aut superbus, aut ebriosus, aut fratrem suum odio habuit, vel his similia tribus annis pœniteat, & juxta vires suas eleēmosynas faciat.

* id est, separetur à communione fidelium. Pœnitentia pro Usura & Inhospitalitate.

CAPUT IX.

De Ira, Maledicto, Invidia, &c.

QUi Fratrem contristat justè vel injustè, conceptum rancorem ejus satisfactione *, & sic postea orare; si autem impossibile recipi ab eo, sic tamen pœniteat judicio Sacerdotis; is autem qui non recipit eum, quanto tempore implacabilis sit, tanto cum pane & aqua vivat homicida ille. Qui odit fratrem suum, quamdiu non repellit odium, tamdiu cum pane & aqua sit; & ei quem odit, charitate non ficta * compelletur. Fratrem cum furore maledicens, cui maledixerit placeat, & septem dies pœniteat remotus cum pane & aqua. Qui verba acerbiora in furore, non tamen injuriosa, protulerit, satisfaciens Fratri superponat; si autem cum pallore,* rubore, uno die cum pane & aqua pœniteat; qui in mente tantum sentit commotionem, satisfaciat ei, qui illum commovit; qui verò non vult confiteri ei, qui se commovit, abscindatur pestifer ille à cœtu sanctorum; qui si pœnitet, quanto tempore * contradicit, tanto tempore pœniteat. Qui diu amaritudinem corde retinet, hilari vultu & læto corde sanetur; si autem non citò eam deponit, jejunio, Sacerdotis judicio, emendetur; Si autem iterat, abscindatur, donec alacer lætusque cum pane & aqua cognoscat delictum suum. Invidus satisfaciat ei, cui invidit; si autem nocuerit ei, & largitione placeat, & pœniteat. Qui causâ invidiæ detrahit, vel libenter audit detrahentem, tribus diebus in pane & aqua separetur; si verò de eo qui præest, septem sic pœniteat, & serviat ei libenter de reliquo; sed, ut quidam ait, non est detrahere, verum dicere secundum Evangelium: *Corripe illum inter te & ipsum solum prius, & post hæc, si te non audierit, dic Ecclesiæ.* Matth. 18. Si verò verbositatem diligens, Fratri deroget, uno die vel duos dies tacens pœniteat: si autem fabulationem, duodecim Psalmos cantet. Mala non recipientium sanitatem retractans, ne cæteri eis consentiant, vel vituperatione malâ boni confirmandi obtentu, aut lugubri miseratione, medicus est æstimandus. Si ista tria defuerint, detractor, triginta Psalmos in ordine cantet: Laici septem diebus, Clerici duas hebdomadas, Subdiaconus tres, Diaconus quatuor, Presbyter quinque, Episcopus sex. Si quis cum alio iram tenet in corde, ut homicida judicetur; si non vult reconciliari Fratri suo, quem odio habet, tamdiu in pane & aqua pœniteat usque reconcilietur ei.

* deest *Satagat dimovere*, vel simile.

Pœnitentia pro ira, odio & maledicto.

* deest *reconciliari* vel quid simile.

* f. *aut*.

* f. *contradixit*.

CAPUT X.

De Accedia, &c.

OTiosus, opere extraordinario oneretur, somnolentus vigiliâ propensiore; idem tribus vel septem Psalmis occupetur. vagans, instabilisque, mansione unius loci * operis sedulitate sanetur.

* &

CAPUT XI.

CAPUT XI.

De Superbia, &c.

QUi superbiâ cæteros qualibet despectione arguit, primò satisfaciat eis, deinde jejunet judicio Sacerdotis; contentiosus etiam alterius sententiæ se subdat; sin autem, anathematizetur ut regno Domini est alienus. Jactans in suis beneficiis, se humiliet; alioquin *quid boni fecerit humanæ gloriæ causâ perdet, malarum cogitationum indulgentia *est si opere non compleantur, & consentiat. Qui aliquam novitatem extra Scripturam, vel heresim præsumpserit, alienetur; si autem pœniteat, suam publicè sententiam damnet, & quos decepit, ad fidem convertat, & jejunet judicio Sacerdotis; qui autem de industria cuicunque seniori flecti dedignatur, cœna careat: inobediens maneat extra cibum, & pulset humiliter donec recipiatur; quantoque tempore inobediens fuit, tanto in pane & aqua sit. Blasphemus etiam simili decreto sanetur, & opus ejus abjiciatur, cum semipane debito, & aqua, * quod maneat dilatus & dilator cōsimili persona, si dilatus negaverit *ante simul pœniteant in unaquaque hebdomada duobus diebus in pane & aqua, & * biduana in fine uniuscujusque mensis, omnibus Fratribus supponentibus, & Dominum eis judicem fore contestantibus. Permanentes in obstinatione, anno emisso, altaris communione sub judice flamma socientur, & Dei judicio relinquantur: si quando alter fuerit confessus, quantum alter alteri laboris intulerit, tantum sibi multiplicetur. Qui Abbati excusationem prætendit, vel œconomis, vel ministris ignorantiâ Regulæ, uno die pœniteat; si verò graviùs, superponat. Reticens peccatum fratris quod ad mortem, arguet eum cum fiducia, & quanto tempore reticuit, tanto cum pane & aqua vivat.; si peccatum parvum reticuit, arguet quidem eum, sed Psalmis sive jejunio judicio Sacerdotis pœniteat; Qui alios protervè arguit, leniat eos primò, & triginta Psalmos cantet. Qui peccatum pudendo fratri imputat, priusquam seorsim arguet eum, satisfaciens ei, tribus diebus pœniteat. Qui solus cum sola loquitur, vel sub eodem tecto in nocte manet, cœnâ careat; si verò post interdictum, quadraginta dies in pane & aqua pœniteat. Si quis * delaturas fecerit, quid detestabile, tribus annis pœniteat in pane & aqua. Si quis Laicus per ignorantiam cum hæreticis communicaverit, stet inter Cathecumenos, id est, separatus ab Ecclesia, quadraginta diebus, & aliis quadraginta in eremis pœniteat, & sic culpam suam diluat; si verò postquam illi Sacerdos prædicaverit, ut cum hæretico non * communicaverit, & iterum fecerit, uno anno pœniteat, & tribus Quadragesimis, & tribus annis abstineat se à vino & carne. Si quis ab hæreticis ordinatus fuerit, iterum debet ordinari, si non reprehensibilis fuerit; sin minus, deponi oportet. Si quis à Catholica Ecclesia ad hæresim transierit, & postea reversus; non potest ordinari nisi per longam abstinentiam, aut pro magna necessitate. Hunc Innocentium Papa, nec post pœnitentiam Clericus fieri, Canonum authoritate asserit permitti. Si quis contempserit Nicænum Concilium, & fecerit Pascha cum Judæis xiv. Luna, exterminabitur ab omni Ecclesia, nisi pœnitentiam egerit ante mortem. Si autem oraverit cum illo quasi cum Clerico Catholico, hebdomadâ pœniteat: si verò neglexerit, quadraginta dies pœniteat primâ vice. Si quis hortari voluerit hæresim eorum, & non egerit pœnitentiam, similiter & ille exterminabitur, Domino dicente: *Qui mecum non est, contra me est.* Si quis baptizatur ab hæretico, qui rectè Trinitatem non * crediderit, iteratò baptizetur. Si quis dederit aut acceperit communionem de manu

Marginal notes:

* *f. quod.*

* *f. est.*

* *f. pœniteant delatus & delator consimili pœnitentiâ, si delatus negaverit ante Iudicem aut Seniorem.*

* *bidua.*

* *f. delaturus fuerit quid.*

* *leg. communicaret.*

Hoc loco nō tam condēnat traditionem illam Hibernis usitatam olim quàm hæresim Quartadecimanorū à Conciliis damnatam.

Matth. 12.

* Per hoc indicat baptizatum ab hæretico denuò sub cōditione baptizandū; quia rectè præsumi potest de hæretico quod nō utatur substantia formæ, vel aliis requisitis; prout adhuc nostris temporibus eadem ex causa faciendum decrevit Synodus Mechliniensis tit. 3. de Sacr. Baptismi c. 6. celebrata Mechliniæ 6. Iunii an. 1607. vel potest intelligi Cumeanus, de hæretico non credente externa Trinitatis confessione hoc mysterium, sine cujus expressione non valet baptismus, & proinde baptismus à tali collatus debet iterari, veluti non cum debita formâ collatus.

manu hæretici, & nescit quòd Catholica Ecclesia contradicat, postea intelligens, tres annos integros pœniteat; si autem scit, & neglexerit, & postea pœnitentiam egerit, decem annos pœniteat. Alii judicant septem, & humanius quinque annis pœniteat. Si quis permiserit hæretico Missam suam celebrare in Ecclesia Catholica, & nescit, quadraginta diebus pœniteat; si pro reverentia, * metu, is annum integrum pœniteat. Si per damnationem, *humiliationem Ecclesiæ Catholicæ & consuetudinis Romanorum, projiciatur ab Ecclesia sicut hæreticus, nisi habeat pœnitentiam; si habuerit, decem annis pœniteat: si recesserit ab Ecclesia Catholica in congregationem hæreticorum, & alios persuaderet, & postea pœnitentiam egerit, duodecim annis pœniteat; quatuor annis extra Ecclesiam, & sex inter auditores, & duobus adhuc extra Communionem. De iis in Canone dicitur; *decimo anno Communionem sine oblatione recipiant.* Si Episcopus aut Abbas jubet Monacho suo pro hæreticis mortuis Missam cantare, non licet, & non expedit obedire ei; si Presbytero contigerit, ubi Missam cantaverit, & alius recitaverit nomina mortuorum, & simul nominaverit hæreticos cum Catholicis, post Missam intellexerit, hebdomadâ pœniteat; si frequenter fecerit, integrum annum pœniteat. Si quis autem pro morte hæretici Missam ordinaverit, & pro * *Legione sua* reliquias sibi tenuerit, quia multum jejunaverit; & nescit differentiâ Catholicæ fidei, & Quartadecimanorum, & postâ intellexerit, pœnitentiamque egerit, reliquias debet igne cremare, & uno anno pœnitere; si autem scit & neglexerit pœnitentiam, commonitus decem annis pœniteat. Si autem à fide Dei discesserit sine ulla necessitate, & postea ex toto animo pœnitentiam accipit, tribus annis extra Ecclesiam, id est, inter audientes, iterum * renato juxta Nicænum Concilium, septem annis in Ecclesia inter pœnitentes, & duos annos adhuc extra Communionem.

* aut.
* deest f. aut vel &c.
* religione sua.
* f. manens

CAPUT XII.

De Baptismo reiterato & opere servili in Festis, &c.

QUi bis Baptizati sunt ignorantes, non indigent pro eo pœnitentiâ, nisi quòd secundum Canones non possunt ordinari nisi pro magna necessitate. Qui autem non ignorant, utrum baptizati sunt, quasi iterum Christi crucifixerint, septem annis pœniteant, quarta Feria & sexta, & tribus Quadragesimis, si per vitium aliquod fuerit; si autem per*munditiam, licitum putaverunt, tribus annis, sic pœniteant.

* i. candorem, seu simplicitatem.

De opere die Dominica.

GRæci & Romani navigant, equitant, panem non faciunt, nec in curru ambulant, nisi ad Ecclesiam tantùm, nec balneant. Græci non scribunt in publico, tamen pro necessitate seorsum in domo scribunt. Qui operantur die Dominica, eos Græci primâ vice arguunt, & secundâ tollunt aliquid ab eis, tertiâ vice tertiam partem de rebus tollunt; aut vapulant, vel 7. dies pœnitent. Lavacrum capitis potest esse in Dominica, & in lixivio pedes lavare licet; si quis autem Dominicâ die per negligentiam jejunaverit, hebdomadâ totâ debet abstinere; si secundò, dies viginti pœniteat: si postea, quadraginta dies. Si pro damnatione diei jejunaverit, sicut Judei, abominabitur ab omnibus Ecclesiis Catholicis. Si quis autem contempserit * interdictum jejunium in Ecclesia, & contra Decreta Seniorum fecerit, * sine Quadragesimâ quadraginta dies pœniteat; si autem in Quadragesima, annum unum pœniteat; si frequenter fecerit & in consuetudine erit ei, exterminabitur ab omni Ecclesia Dei, Domino dicente: *qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt.* Et reliqua.

De antiqua consuetudine non jejunandi die Dominica, aut in quinquagesima Paschæ, vide Notata ad c. 9. Reg. Cœnobial.
* indictum.
* sine i. extra.
Matth. 18.6

CAP. XIII.

CAPUT XIII.

De Ministerio Ecclesiæ & Reædificatione, &c.

PRo bonis rebus offerre debemus, pro malis nequaquam, Presbyteri verò pro suis Episcopis non prohibentur offerre. Qui communicaverit nec ignorans excommunicato ab Ecclesia, quadraginta dies pœniteat. Si quis errans communicaverit aliquid de Verbis Sanctorum, ubi periculum adnotaverit, tres superpositiones faciat. Si Sacrificium terrâ tenus negligendo ceciderit, superponat. Qui Sacrificii aliquid perdit, relinquens illud feris devorandum, si excusabiliter, tribus Quadragesimis; sin verò, anno uno. Qui non benè custodierit Sacrificium, & mus comederit illud, quadraginta dies pœniteat; qui autem perdiderit in Ecclesia,*& pars ceciderit, & non inventa fuerit, viginti dies pœniteat; qui autem perdiderit suum Chrismale, aut solum Sacrificium in *regione qualibet, & non invenitur, tribus Quadragesimis vel anno pœniteat. Perfundens aliquid de calice super altare quando auferunt linteamina, septem dies pœniteat; aut si habuerit ea, superpositionibus septem pœniteat. Si *accedentibus de manu Sacrificium ceciderit in stramen, septem dies pœniteat is, à quo ceciderit. Qui autem infuderit calicem in fine solemnitatis Missæ, quadraginta dies; si verò neglexerit quis accipere Sacrificium, & non interrogat, nec aliquid causæ excusabilis extiterit, superponat: & qui acceperit Sacrificium pollutus nocturnâ visione sic pœniteat. Diaconus obliviscens oblationem adferre donec auferatur linteamen quando recitantur nomina *pausantium, similiter pœniteat. Qui negligentiam erga Sacrificium fecerit, aut siccans vermibusque consumit, ut ad nihilum devenerit, tribus quadragesimis cum pane & aqua pœniteat. Si integrum inventum fuerit, ita ut sint in eo vermes, comburatur, & cinis sub altare abscondatur, & qui neglexerit *quatenus dominicis diebus suam negligentiam solvat; si autem amissione sa-

* aut.

* loco.

* f. accipientibus.

* Mortuorum, ut mos erat pluriū Ecclesiarū, inter sacra mysteria peragenda recordatio.

* f. quaternis.

poris decoloratur Sacrificium, viginti expleatur jejunium; conduratum verò, septem diebus; qui autem mergit Sacrificium, continuò bibat aquam, & quod in Chrismale fuerit sumet Sacrificium, & emendet per decem dies culpam solutus. Si ceciderit Sacrificium de manibus offerentis terrâ tenus, & non invenitur, omne quodcunque inuentum fuerit in loco in quo ceciderit, comburatur, & cinis ut suprà abscondatur; Sacerdos deinde anno damnetur. Si verò inventum fuerit Sacrificium, locus scopâ mundetur, & stramen ut suprà igniat, & Sacerdos viginti dies pœniteat; si usque ad altare tantùm lapsum fuerit, superponat: si verò per negligentiam de calice aliquid stillaverit, linguâ lambatur, tabula radatur: *si non fuerit tabula, ut non conculcetur locus corradatur, & igne consumatur. ut suprà, Sacerdos quinquaginta dies pœniteat. Si super altare stillaverit calix, sorbeat Minister stillam, ternis pœnitens diebus; & si per unum linteum ad aliud, septem diebus; si usque ad tertium, octo diebus; si usque ad quartum, quindecim diebus, & linteamina quæ tenent stillam, per tres abluat vices calice subter posito, & aquam ablutionis sumat. Si quando interluitur Calix, stillaverit, primâ vice duodecim canantur Psalmi à Ministro. Si titubaverit Sacerdos super orationem Dominicam, quæ dicitur *periculosa; si unâ vice quinquaginta plagas, secundâ centum, tertiâ superponat. Qui vomit Sacrificium, & à canibus sumitur, anno uno pœniteat; sin autem, quadraginta diebus; *si inde quando communicaverit Sacrificium, evomuerit, si ante mediam mediam noctem, tres superpositiones faciat; si verò *Sacrificium evomuerit, quadraginta dies; si *infirmitas causa, septem dies; si in ignem projecit, centum Psalmos cantet; si verò canes lambuerint talem vomitum, centum dies qui levomit pœniteat. Qui communicaverit Sacrificium * inconscii, sep

Pœnitentia pro negligētia circa Vē. Sacramentū

*Ita has duas lineas in MS. penitùs depravatas restitui ex dist. 2. de Consecrat. c. 27. unde proximè & præcedentia & sequentia author sumpsit, variatis paululū *verbis.*

* ita MS.

* f. si ante quam.

* post mediam noctem.

* l. infirmitatis.

* conscius.

Dd

ſeptem dies pœniteat. Quicunque alicui capitale crimen admittenti per ignorantiam communicaverit, ſeptem dies pœniteat.

CAPUT XIV.

De Reconciliatione & aliis &c.

QUi multa fecerit idem, homicidium, adulterium cum muliere &, cum pecore, & furtum, eat in Monaſterium, &c. pœniteat uſque ad mortem. Si quis Presbyter * pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum, quia Dominus dicit: *Quacunque die converſus fuerit peccator, vita vivet, & non morietur*. Vera enim converſio in ultimo tempore poteſt eſſe, quia Dominus non ſolum temporis, ſed etiam cordis inſpector eſt; ſicut Latro uno momento meruit eſſe in Paradiſo, in hora ultima confeſſionis. Sacrificium non eſt accipiendum de manu Sacerdotis, qui orationes & lectiones ſecundum ritum implere non poteſt. Græci omni Dominicâ communicant, Clerici & Laici; & qui in tribus Dominicis nō communicaverint, *excommunicentur, ſicut Cannones habent. Romani ſimiliter communicant qui volunt; qui autem noluerint, non communicant. Græci & Romani tribus* à mulieribus, ſicut in Lege ſcriptum eſt, ante panis Propoſitionis conſummationem, *pœnitent. Pœnitens ſecundum Canones non debet communicare; nos autem pro miſericordia per annum, aut ſex menſes licentiam damus. Pro defuncto Monacho Miſſæ agantur die ſepulturæ ejus, & tertio die, & præterea quantum voluerit Abbas; pro Laico bono, tertio die vel ſeptimo. Poteſt eſſe jejunium pro pœnitente vigeſimo die vel ſeptimo; & propinquos ejus oportet jejunare ſeptimo die, & oblationem offerre ad altare, ſicut in Jeſu filio Syrach legitur, & pro Saül filii Iſraël jejunaverunt: poſteà quantum voluerit Presbyter. Mulieres poſſunt ſub nigro velamine accipere Sacrificium: Baſilius hoc judicavit. Epiſcopis licet in campo confirmare. Presbytero in uno altari duas facere Miſſas conceditur uno die. Omne Sacrificium ſordidâ vetuſtate corruptum, igne comburendum eſt; * Confeſſio autem Deo ſoli ut agatur, ſi neceſſe eſt, licebit. Miſſas ſæcularium mortuorum, * ter in anno, tertio die, & ſeptimo die, & trigeſimo die, quia ſurrexit Dominus tertiâ die, & horâ nonâ emiſit ſpiritum & triginta dies Moyſen filii Iſraël planxerunt.

Margin notes: *ſi. abſolutionem quâ pœnitentiæ Sacramentū completur.* — Ezech. 33. — * *f. excommunicantur.* — * forte *diebus* — * *f. abſtinent* — Eccli. 22. 13. — 1. Reg. 31. 13. — * dum non adeſt copia Confeſſarii ante Miſſam procuranda contritio de peccatis tum Deo ſoli confitendis. — * *fieri licet.* — Deuter. 34. 8.

ACTA

ACTA SANCTI COLUMBANI ABBATIS, MAGNI MONACHORUM PATRIARCHÆ,

PER

JONAM ABBATEM EJUS ÆQUALEM,

EX VETUSTO CODICE MS. COENOBII S. MAXIMINI TREVIRENSIS

ET

MIRACULA EJUSDEM POST OBITUM

PER

ANONYMUM *QUEMDAM BOBIENSEM* ACCURATE DIGESTA:

BENEVOLO LECTORI.

HIc aggredimur, Benevole Lector, Collectanei nostri Partem alteram, quæ Sancti Viri virtutes & præclara facta commemorat. In primâ eruditionis ejus exhibita monumenta, in hac proferuntur sanctitatis insignia. Illa declarat, ut suos docuerit verbo, hæc ut firmârit exemplo. Illa sermone,

hæc opere, potentem eloquitur COLUMBANUM. De illa hucusque, de hac imposterùm sermonem prosequemur; ad quam luculentiùs explicandam, Jonam Abbatem unum elegimus, ipsius Sancti, aut certè Discipulorum ejus, Discipulum, qui ut acceptam ab illis veram certamque, magno etiam attestante Baronio, ita elegantissimam de Sancti Viri Vitâ pariter & locupletissimam scripsit historiam: quam licet Laurentius Surius stylo, ut assolet, ac sensu nonnunquam variato, & alii inter Ven. Bedæ opera mendosè excusam ediderint; quia tamen multi historicarum rerum studiosi, nec illâ, quia mutata; nec hac, quia incorrecta, libenter utuntur, operæ pretium me facturum putavi, si genuinam ipsam Jonæ narrationem ex fide MSS. Codicum exhiberem. Qua de re cum plures pervolverem, incidit inter alios Codex quidam vetustissimus Monasterii S. Maximini Trevirensis (cujus mihi copiam fecit R. P. Heribertus Rosweydus) ex quo historiam ipsam, ut hic habes, totam transumpsi, & mutuatis ex Suriana editione titulis, qui hîc deerant, capita distinxi. Eo porrò in abstergendis imperitorum librariorum mendis sum usus moderamine, ut nec stylo, nec sensui vim ullam intulerim; sed nec verbis ipsis vel minimam inversionem, nisi fortè ubi aliquod interdum, salvâ semper integritate sententiæ, commutare aliorum MSS. & Impp. Codicum communis & concors persuadebat authoritas. Quod ubi factum est, vel in margine, vel in Commentario invenies adnotatum. Atque ita antiquitatis amator hoc Jonæ opus suæ sinceritati & nitori redditum, libentius inspiciet, & securiùs faciliusque percurret. Quò spectantes adjunxi Commentarios satis copiosos; in quibus obscuriora loca dilucidare, ambigua explicare, authoris dicta vel aliorum authoritate scriptorum comprobare, vel pleniori narratione deducere sum conatus: ac insuper omnia, quæ ad Sancti Viri Patriam, ætatem, peregrinationem, Cœnobiorum ab ipso ejusve Discipulis constructorum originem & progressum spectare videbantur, curiosè consignare. Porrò quia Jonas ea dumtaxat suâ narratione complexus est, quæ Vir Sanctus in carne patravit, nulla de miraculis, quæ post gloriosum ejus transitum cœlitùs increbuerunt, habitâ mentione, opportunum judicavi ad operis complementum, ea quæ post obitum per Sanctissimi Viri merita sunt gesta miracula, ex fide con-

de conſcripta ſubtexere. Quæ omnia in eodem Bobienſis Cœnobii volumine (quo ipſius Sancti Vita per Jonam continetur) eo, quo infrà poſita ſunt, ordine digeſta reperiuntur. ex quo vel alio inde exemplato Codice, exemplar illud Domini *Tuani*, quo *Thomas Meßinghamus* (qui primus hæc in lucem dedit) uſum ſe fuiſſe teſtatur, extractum eſt; cujus nos hac in parte fidem ſequimur, ipſorum MSS. exemplarium penuriâ compulſi. Cæterum nec *Tuani*, nec ipſe *Bobienſis Codex*, authoris nomen aut ſtatum præfert; neque aliunde hactenus id explorare potui. Hoc ſolum mihi pro certo colligere licuit, Monachum fuiſſe Bobienſem, & contextam ab ipſo narrationem magnâ fide & authoritate dignam, cùm in Prologo teſtetur ea, quæ circa primordia habitationis S. COLUMBANI in Bobio, & deinceps circa ſpeluncam ejus miracula contigerunt, ſe fide digniſſimorum teſtium relatione didiciſſe; & ea quæ in Tranſlatione ſacri corporis oſtenſa ſunt ſigna, oculatâ teſtificatione videatur adſtruere. Conſtat namque ex capite nono, ipſomet referente, eum elevationi ſacri pignoris ab Abbate *Gerlanno* celebratæ interfuiſſe, adeoque omnia, quæ geſta ſunt, præ oculis habuiſſe. Quare cum de hiſtoriæ fide conſtet, non videtur ulterius de authoris nomine anxiè inquirendum. Ex hac hiſtoria, mutato nonnihil ſtilo, deſumptæ videntur lectiones, quæ in antiquo *Bobienſi Lectionario*, Feſto Tranſlationis S. COLUMBANI propriæ aſſignantur, ex quibus aliqua infrà claritatis gratiâ proferemus. Numerum capitum qui in *Meßinghamis* editione & Codice *Tuani* deerat, appoſui. Porrò hæc hiſtoria, ut clara ſatis & facilis, paucis admodùm indiget Notis, & proinde brevibus abſolvemus, ſingula quæ obſcuritatem vel difficultatem aliquam involvunt, ſtrictim attingentes. Demum varia lectio in margine poſita, tunc ex noſtra tantùm eſt conjecturâ, quando præfixam habet *f*; quando *Tr.* ex Codice Trevirenſi, quem quoad illam minus probandum putamus: aliàs ex Codicibus impreſſis, quorum tamen non omnem lectionem differentem à Trevirenſi Codice viſum eſt notare, ſed quæ putari aut ambigi poſſit fuiſſe ab authore uſurpata, ſeu eſſe genuinus ejus textus. Vale.

VITA S. COLUMBANI ABBATIS.

PRÆFATIO JONÆ.

DOMINIS *eximiis*, & *sacri culminis regimine decoratis*, *religionis copiâ fultis*, Waldeberto & Boboleno *Patribus*, Jonas *peccator*. *Memini me ante hoc fermè triennium*, *Fratrum* **convenientiâ flagitante*, *vel* B. Bertulphi Abbatis * *imperio jubentis*, *cum apud eos Apenninis ruribus vacans in* Ebobiensi *Cœnobio morarer*, *fuisse pollicitum*, *ut almi Patris* COLUMBANI *meo studerem stylo texere gesta*; *præsertim cùm ii*, *qui cum eo fuerunt in tempore*, & *penes ipsum patrata viderunt*, *quamplurimi penes nos superstites sint*, *qui nobis non audita*, *sed visa narrent*; *vel quæ etiam nos per Venerabiles Viros* Attalam & Eustasium *didicimus*, *quorum primus* Ebobiensis, *secundus* Luxoviensis *Cœnobii*, *quò vos Præsules existitis*, *ejus successores fuerunt*, *qui magistri instituta suis plebibus servanda tradiderunt*. *Quorum vitam utcumque quivimus*, *in postmodum deprompsimus*, *seu* * *plerorumque*, *quos cluentia memorabiles reddit*. *Sed quem supradictorum Fratrum agapis vel* * *Fratris prædicti præceptum conjiciens rebar liquido meatu exuberari*, *multum me ego ad hoc opus imparem reperio*. *Si enim me in* * *hoc opere nequaquam indignum judicassem*, *olim jam ad ea texenda*, *temerario quamvis conatu*, *aggressus fuissem*. *Quanquam me* & *per triennium Oceani per ora vebit*, * & *Scarbea lintris ab acta*; *has quoque* **Scaldeus mollis secando vias madefacit sæpè*, & *lenta palus Elnonis plantas*, *ob Venerabilis* Amandi *Pontificis ferendum suffragium*, *qui his constitutus in locis*, *veteres* Sicambrorum *errores Evangelico mucrone coercet*. *Erit tamen commissi operis*, *Venerandi Patres*, *vestri arbitrii cultus*, *ut si aliqua minùs ritè prompta*, *decore facunditatis caruerint*, *vestris phaleramentis decorentur*, *ut legentibus apta fiant*; *ne dum meâ imperitiâ in eloquio exhorrent*, & *cum facta* * *non æquentur*, *Sanctorum virtutes fastidiosè ferendo*, *non imitentur*; & *cùm ad* **partas* opes

* Impressi *conuventiâ*.
* *jubente*.

Horum Acta habentur apud Surium tom 2 ad 10. & 29. *M*artii.

* MS. mendosè *plerumque*.

* Patris.

* f. *hac opera*

* locus depravatus.
* *Scaldis*.

* *facta dictis non exæquantur*
* Tr. *portum*; Impressi *partum opes*.

*opes ovantes manum tetenderint, mox sentium asperitate cruentam ni-
tantur subtrahere. Quibus dicendum est, navigantes solere rheumate
gurgitum fractis viribus ripæ redditos, cùm alia defuerint subsidia, festi-
no conamine sentes apprehendere; & divitum fauces cùm aliæ dapes re-
dundant, sæpè agrestia desiderare; & plerosque musicorum omnium,
organi scilicet, Psalterii, citharæ, melos* aure oppletos, mollis sæpè a-* f. aurâ.
venæ modulamini auditum accommodare. Etsi quempiam me laudare
repererint, qui adhuc superis junctus sit, non me adulatorem putent, Cod. Tr. ceperint.
sed rei bene gestæ dissertorem; nec favere cuiquam panegyrico car-
mine, sed digna memoriæ commendare. Nec ideo, si superest, tumescat,
si à me sibi largita conditoris dona narrari videat, ne elationis stimu-
lus sinceræ mentis soliditatem corrumpat. Nulli quippe dubium est, quòd
favor adulatorum polluat mentes decore plenas virtutum: sicut ad Israël
per Isaiam Dominus loquitur:* Popule meus, qui te beatum di- Isaiæ 3.
cunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.
Sapientem enim, ut vulgò dicitur, falsa laus increpat, vera ad meliora
tendere provocat. Adornet ergo eos in eo, quod benè gesserint, fama
laudabilis; increpet, ne maculet amittendo fervorem, tepor vitupe-
rabilis. Cluant aliis, si dignum imitatione quid gesserint, nec sibi in
postmodum perniciosæ elationis damna attrahant ex commemoratione
patratæ virtutis. Inseruimus ergo illa, quæ veris assertionibus experti
sumus fuisse patrata, quæ prætermittere negligentiæ deputavimus;
multaq; prætermissa, quæ ex toto nequaquam meminimus, & pro par-
te scribere, nullatenùs ratum duximus. Quæ sunt ergo posita, duobus
libellis interscidi, ut uno volumine legentibus fastidium* amputare-* amputarem.
mus. Primus B. Columbani gesta perstringit. Secundus Disci-
pulorum ejus Attalæ, Eustasii, vel cæterorum, quos meminimus,
Vitam edisserit. Ea ergo vestro libramine pensanda censemus, ut à vo-
bis sagaci examinatione probata, à cæteris ambiguitatem tollant; nam
si quidpiam aliquis non ritè distinctum,* ac de industria corruptum* re-* f. aut. * Cod. Tre-
pererit, rejiciendum judicabit; præsertim si Doctorum facundiâ ful- vir. reperit.
tus, affatim scientiâ oppletus abundet. Noverit tamen, nos non ad
hoc vestigia tendere, ut nos putemus Doctorum gressibus* coæquare.* Impress. coæquari.
Illi rore eloquentiæ madentes, virides campos flore pinxerunt; nobis
vix arida tellus arbusta gignere novit: illi dites balsami lachrimam ex
Engaddi, floresq; aromatum ex Arabia; nobis ex Hibernia vix buty-
rum pinguescit: illi piper, nardumq; sumunt ex India; nobis juga
Pennina vaga, quæ Zephyri rigescunt frigore flabris, vix tandem sa-
liunculam præbent: illi pretiosi lapidis varietate gloriantur; nobis te-
merarium videtur Galliæ succino gloriari: illi poma palmarum magno-
perè*

* in peregrina
* Ausonium juxta Poetam.

perè * peregrina dirigunt: Nobis, * *juxta Poëtam*, sunt molles castaneæ, & mitia poma. *Valete almi Patres, viri vigoris, atque roboris, Deo dicati æterno.*

ALIA PRÆFATIO SEQUENTIS OPERIS.

hoc deest in C Trev. Cur Vitæ Sanctorum à Sanctis Patribus conscriptæ.
* imitando exempla, vel memoriæ commendando.
* Præsulis

RUtilantem, atque eximio fulgore micantem Sanctorum Præsulum, atque Monachorum Patrum Vitam solertia nobilium condidit & conscripsit Doctorum; scilicet ut posteris alma redolerent priscorum exempla. Egit hoc *à sæculis rerum Sator æternus, ut suorum famulorum famam commendaret perennem, utque præterita gesta relinquerent futuris exempla; & de præcedentium meritis, vel * imitando exemplo, vel memoriæ commendato ventura soboles gloriaretur; Quorum B. Athanasius Antonii, Hieronymus Pauli & Hilarionis, vel cæterorum, quos cultus bonæ vitæ laudabiles reddebat; Posthumianus verò, Severus, & Gallus Martini egregii * nostris memoriam dimisêre seculis. Plerique aliorum quos aut fama, aut bonorum exempla operum, vel virtutum monimenta commendârunt; ut sunt columnæ Ecclesiarum Hilarius, Ambrosius, & Augustinus, qui inter tot sæculi turbines, fluctuante mundo, statum Ecclesiæ sustentarunt, ne flatu adversante iniquo, ac hæreticorum procellâ quatiente, veram fidem adversitas macularet. Quorum nos exempla sumus temerario conatu secuti; quia nec meritorum supplemento, nec facundiæ flore suffulti, nec elucubrantis scientiæ fonte potati, tanti Patris nostro sæculo refulgentis Columbani aggredimur texere gesta. Erit tamen nostrorum dictorum arbiter virtutum Largitor immensus, qui illi, & gratiæ suæ munera, & vitæ perennis largitus est coronam.*

S. COLUMBANI

VITA S. COLUMBANI ABBATIS.

CAPUT I.

De ejus Patria & Ortu.

COLUMBANUS* etenim, qui & *Columba*, ortus * *Hiberniâ* insulâ, quæ est in extremo Oceano sita * expectatque Titanis occasum dum vertitur orbis * & lux occiduas ponti descendit in umbras, undarum immanes, quo truces latebras calore, & nimium passim crine crispati peplo carina raptim, quem dant cærula terga æquoris spumea cedunt, & litorea sinus ultimos terrarum, nec mitem sinunt carinam tremulam petentem solo dare nota littora nobis. Flavus super hæc Titan descendit opaco lumine Arcturi, petitque partes gyrando Aquilonem sequens, orientis petit ad ortum, ut mundo redivivus lumen reddat amœnum; sese mundo latè tremulo ostendat & igne; sicque metas omnes diei, noctisque peracto cursu, & impletas suo lustrat candore terras, amœnum reddens orbem calore madentem. Insulæ situs, ut fertur, amœnus, ac adversantium exterarum carens bello nationum. Hanc Scotorum gens incolit, gens quanquam absque reliquarum gentium legibus, tamen in Christiani vigoris dogmate florens, omnium vicinarum gentium* fide præpollet.

* *igitur.*
* *est in*
* *& spectat.*
* Tr. *lux &* minus benè magna labes in hac periodo.
Natus in Hibernia.
Scotorum patria.
* *fidem.*

Columbanus igitur natus in Hibernia inter primordia fidei gentis illius extitit, ut fides, quam infœcundam ex parte illa gens habebat, suo ac sodalium suorum munimine, cultu uberi fœcundaretur. Sed priusquam lucem vitę pręsentis caperet, quid ante ejus ortum actum sit, non est silendum. Nam ejus genetrix cùm conceptu aluo gravida teneretur, subitò per intempestam noctem sopore depressa, vidit è sinu suo rutilantem solem, & nimio fulgore micantem procedere, & mundo magnum lumen præbere. Sancti viri genitrix, postquam sopor membra laxavit, & cœcas mundo surgens aurora pepulit tenebras, semet intra pensare cœpit quæ viderat, & ancipiti gaudio tantæ visionis vim sagaci animo trutinare, vicinorumque solaminis supplementum petit, quos solertes doctrina reddebat, quærens, ut tantæ visionis vim sapientium corda rimarentur. Tandem peritorum libramine responsa recepit, se egregiæ indolis utero tenere virum, qui & suæ saluti utilia, & proximorum provideret utilitati opportuna. Quem mater postquam edidit, tantâ custodiâ servavit, ut vix eum vel* cognitis parentum, vel reliquorum moribus crederet, quousque vita puerilis ad boni cultum operis Christo duce, sine quo nihil boni agitur, aspiraret. Nec immeritò solem fulgentem suo è sinu mater* *prodire* cóspexit, quia matris universorũ Ecclesiæ membra instar Phœbi fulgore micant, Domino dicente: *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* Sic *Debbora* precantis voce ad Dominum, Spiritu Sancto monente, olim loquebatur dicens: *Qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, sic rutilent*; ætherea axis etenim siderum distinctione flavescens, de frequentia celebri lucis speciosior est; & sicut diei lux

Quantus futurus erat matri præostensum.
* *cognatis vel aliorum.*
* Tr. *cultus;*
* deest. in Tr.
Matth. 13.
Iudic. 32.

Phœbi aucta splendore, mundo amœna refulget; ita corpus Ecclesiæ, Conditoris ditatum opibus, Sanctorum augmentato numero, & scientiæ religione nitescit, ut ex frequentia Doctorum pullulent lucra sequentiũ; & ut sol, vel luna, astraque omnia noctem diemque suo nitore nobilitant; ita Sanctorum merita Sacerdotum, Ecclesiæ * monumenta roborant. *munimenta*

CAPUT II.

De ejus sagacitate & industria, recessu è Patria, & in cujus disciplinam se tradiderit.

litteras discit

PEractis itaque infantiæ annis, in pueritiæ ætate pubescens, liberalibus literarum doctrinis, & Grammaticorum studiis, ingenio capaci dare cœpit laborem; quem per omne pueritiæ * vel adolescentiæ tempus exercens, usque ad virilem ætatem uberi intentione defixit. Sed cùm eum formæ elegantia, præsertim corporis * candor, ipsum quoque pubertas nobilis omnibus gratum redderet, cœpit tandem contra eum antiquus hostis tela * laxare (ut quem tanto ingenio crescere cerneret, suis habenis, si valeret, irretiret) *aggressus lascivarum puellarum in eum suscitare amores, præcipuè quas forma corporis perfunctorio decore, horrendo desiderio, in miserorum animos solet immergere. Sed cùm se egregius miles tantis telis undique urgeri conspiceret, & micantem sicam callidi hostis se contra erigi conspexisset, expertus humanam fragilitatem, citò ad proclivia labendo demergi, ut Livius ait, nihil esse tam Sanctum religione, tamque custodiâ clausum, quò penetrare libido nequeat, Evangelicum clypeum lævâ ferens, ensemque ancipitem dexterâ tenens, contra immanes cuneos hostium pugnaturus * paratur pergere, ne frustrato labore, * quem potissimo ingenio desudaverat in Grammaticâ, Rhetoricâ, Geometriâ, *vel divinarum Scripturarum serie, sæculi illecebris occuparetur; daturque adhuc stimulus urgendi. Cum jam hæc penes se volveret, venit ad cujusdam religiosæ ac Deo dicatæ fœminæ cellulam; quam cùm prius humili voce salutasset, posteà castigare invenili, ut poterat, hortamine aggressus est. Quæ videns gliscentem in adolescente vigorem, ego, ait, utcumque potui, ad bellum progressa exivi: en * quindecim tempora volvuntur, quo & domo carui, & hunc peregrinationis locum expetii, & nunquam deinceps, Christo præsule, manu stivam tenens, retrò respexi; & nisi fragilis sexus obstaret, mari transito, potioris peregrinationis locum petissem. Tu verò adolescentiæ flammis exæstuans, natale solum incolis, & ad fragiles voces velis nolis, fragilitate attrahente, aurem accommodas; & visitare te femineum sexum liberè credis? Non reminisceris suasu *Eva Adam* dilapsum? *Sampsonem* à *Dalila* seductum? *David* à pristinâ justitiâ pulchritudine *Bersabeæ* corruptum? Sapientissimum *Salomonem* amore mulierum deceptum? Perge, inquit, ô juvenis, perge, evade ruinam, per quam multos comperis corruisse; declina viam quæ inferi ducit ad valuas. His ergo dictis stimulatur adolescens, * & ultra quàm in adolescentia didicerat, terreri crederes, grates * taliter increpanti refert: *sodalibus valedicens, iter arripit, materque ejus dolore stimulata, precatur, ut se non relinquat. At ille, Non audisti, inquit: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus?* Obstâti* matri, &*limiti ostii inhærenti, postulat ut se ire sinat. Illa ejulans & pavimento prostrata, denegat se permissuram. Ille * limitem, matremque transilit; poscitque matrem, se lætam habeat; illum nunquam deinceps in hac vita visuram; se, quòcumque salutis via tunc iter pandat, progressurum. Relicto ergo natali solo, quod *Lagenorum* terram incolæ nuncupant, ad virum venerabilem nomine *Senile* perrexit, qui eo tempore singulari religione, & Scripturarum sacrarum scientiæ flore inter suos pollebat.

Marginal notes: * & — *Tr. candore. — *lethifera relaxare.* — * *Aggressus est igitur.* ejus pudicitia impugnatur. — * *cœpit.* — * *quo.* — * & — A femina Deo devotâ corripitur. — * 12. — Gen. 3. Judic 16. 2. Reg. 11. 3. Reg. 11. — * *ut ultro quam adolescentem terreri crederes* — * *talis.* — * & — * f. *obstanti matri* — Matth. 10. — * f. *matre* — * *limini.* — * *limen.* Paternam domum & natale solū relinquit.

pollebat. Quem cùm vir Sanctus esse sagacis videret ingenii, omnium divinarum Scripturarum studiis imbuit, ita tamen, ut fieri assolet, cum ludendo magistri discipulos sciscitari conantur, ut de* suo ingenio cognoscant, uel flagrantem ubertate sensum, vel negligentiæ somno torpentem, cœpit ab eo * ex difficilium materiâ quæstionum sensus quærere. At ille pavido quanquam, tamen sagaci pectore, non cenodoxiæ actus vitio, sed magistro parendo, vice versâ objecta sibi elucubrabat, memor illius Psalmographi præconii: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud.* Tantum ejus in pectore divinarū thesauri Scripturarum conditi tenebantur, ut intra adolescentiæ ætatem detentus, Psalmorum librum elimato sermone exponeret, multaque alia, quæ ad cantum digna, vel ad docendum utilia condidit dicta.

* *illorum.*
* *Non dest ib ea.*
Psal. 80.
Ejus adhuc adolescentis studitio.

CAPUT III.

Ut ad Abbatem Comgellum venerit, & de Hibernia egreßus sit.

DEdit deinde operam, ut monachorum necteretur societati, ac Monasterium, cujus vocabulum est *Benchor*, petiit, in quo præsul virtutum ubertate cluebat beatus *Comgellus*, egregius inter suos monachorum Pater; quique & religionis studio, & regularis disciplinæ cultu præcipuus habebatur. Ibi solis orationibus * vacare cœpit & jugum Christi, quod ferentibus leve est, super se ferre, semetipsumque sibi abnegando, & crucem suam tollendo, Christum sequi, ut qui aliorum doctor futurus erat, ipse quod * in adolescentia didicerat, in suo corpore mortificationem ferendo, uberius monstraret exemplo, quod aliis implédum * foret. Peractis itaque annorum multorum in monasterio circulis, cœpit peregrinationem desiderare, memor illius Domini imperii ad Abraham: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram, quam monstrabo tibi.* Confessus igitur venerabili Patri *Comgello* cordis ardorem & ignitum igne Domini desiderium; de quo igne Dominus in Evangelio dicit: *Ignem veni mittere in terram, quem volo ut ardeat,* ardentem Patri patefecit affectum; sed non ita Patris reperiebat responsum, ut ejus petitio anhelabat. Erat enim venerabili *Comgello* arduum, tanti solaminis pati dispendium. Tandem tamen aspirare cœpit & cordi anteponere, * ut non plus suæ necessitati studeret, quàm aliorū utilitati opportunè pareret. Nec sine Omnipotentis arbitrio fiebat, qui tironem suum ad bella futura * erudierat, ut de ejus victoriâ gloriosos referret triumphos, lautamque supellectilem de cæsorum hostium reportaret phalangis, vocatoque eo, tristem licet sibi, tamen aliis utilem sententiam depromit: se & pacis vinculum, & solaminis supplementum, comitesque itineris, quos religio claros reddebat, largiturum. Collecto sanè Fratrum cœtu, omnium orationum suffragia * postulabat, ut futuro itineri solamen Largitor pietatis tribuat. Vigesimum ergo ætatis annum agens, arrepto itinere cū duodecim * Fratribus, Christo duce, ad littus maris accedunt; ibi omnipotentis misericordiam præstolantur, ut si suæ voluntati * inhæreat, concepti consilii effectus perficiatur, agnoscuntque secum clementis Judicis voluntatem adesse, carinamque ingressi, dubias per freta ingrediuntur vias, miteque salum, prosperantibus zephyrorum flabris, pernici cursu ad Britannicos pervenerunt sinus. Paulisper ibidem commorantes, vires resumunt, ancipitique animo anxia cordis consilia trutinantur. Placet * intereà arva Gallica plantâ terere, & mores hominum ferventi * arte sciscitari; & si salus ibi serenda sit, quantisper commorari; * si obduratas caligine arrogantiæ mentes reperiant, ad vicinas * nationes pertransire.

In monasterio Benchorensi sub S. Comgello fit monachus.
* *& ieiuniis.*
* *quod destruend.*
* *fore documentis.*
Gen 12.
Peregrinari desiderat.
Luc. 12.
* *Et &*
* *Imp. erudierat.*
* *postulat.*
* *comitibus.*
* *inhæreant.*
Cum 12 sociis ex Hibernia proficiscitur.
* *tandem.*
* *astu.*
* *si autem.*
* *regionum nationes.*

CAPUT IV.

CAPUT IV.

Ut in Gallias venerit & quàm sanctè illic cum suis versatus sit.

A Britannicis ergo finibus progressi, ad *Gallias* tendunt; ubi tunc vel ob frequentiam hostium externorum, vel negligentiam Præsulum, religionis virtus penè abolita habebatur, fides tantum remanebat Christiana; * pœnitentiæ medicamenta vix vel paucis in* ea reperiebantur locis. Agebat* venerandus vir, ut ad quęcumque loca progrederetur, verbum Evangelicum annunciaret. Erat enim gratum hominibus, ut quod facundiæ cultus adornabat, elucubratæ prædicationis doctrina, simul & exempla virtutum confirmabant. Tanta humilitatis ubertas, ut versâ vice, sicut de honoribus homines sæculi conantur quærere dignitates, iste cum sodalibus suis de humilitatis cultu alter alterum nitebatur prævenire, memores pręcepti illius: *Qui se humiliat, exaltabitur.* Et * illud Isaiæ: *Ad quem respiciam, nisi ad humilem & quietum, & trementem sermones meos?* Tanta pietas, tanta charitas, * ut unum velle & unum nolle esset omnibus. Modestia atque sobrietas; mansuetudo & lenitas æquè in omnibus redolebat. Execrabatur ab his desidię atque discordię vitium, arrogantiæ ac elationis supercilium duris castigationum ictibus feriebatur: iræ ac livoris noxa sagaci intentione pellebatur. Tanta patientiæ virtus,* castitatis affectus, lenitatis cultus aderat, ut mitem in medio eorum Dominum patulè non ambigeres habitare. Si quempiam ex his,* in uitiis reperissent, simul omnes ęquo jure negligentem correptionibus cędere studebant: communia omnibus omnia erant: si quispiam proprium aliquid usurpare tentasset, à cæterorum consortio segregatus, pœnitentię ultione vindicabatur. Nullus proximo contrarietatem rependere, nullus asperum sermonem proferre audebat, ita ut in humana conversatione Angelicam vitam agi * cerneres. Tanta in * beatum gratia virum redundabat, ut in quorumcumque domibus *quantisper commoraretur, omnium animos ad religionis cultum defigeret.

Magnus religionis tepor in Galliis.
* Impr. Nam pœnitentia medicamenta & mortificationu amor vix vel paucis in illis reperiebantur locis
* f. eis
* autem
virtutes S. Columbani & sociorum.
Matth 23.
Isai. 66.
* f. illius.
* omnibus inerat.
* charitatis
* Si quempiam in his labi in vitium.
omnia apud Columbani monachos communia.
* crederes.
* beato viro.
Mira S. Columbani gratia.
* f. aliquantisper.

CAPUT V.

Ut rex Sigebertus eum exceperit, utque in eremo sibi habitationem instituerit.

PErvenit ergo fama * *Columbani Sigeberti* regis ad aulam, qui eo tempore duobus regnis * Austrasionum, Brugundionumque inclytus regnabat *Francis*, quorum eximium nomen præ cæteris gentibus quæ *Gallias* incolunt, habetur. Ad quem cum vir Sanctus cum suis accessisset, gratus regi & aulicis ob egregiæ doctrinæ copiam redditur. Cœpit tandem ab eo rex quęrere, ut intra terminos *Galliarum* resideret, nec ad alias gentes transiens se relinqueret; ad omnia quæ ejus voluntas poposcisset, se pariturum. Tunc ille regi ait, non se aliarum opum fore * cupidum, sed Euangelici præconii, in quantum carnis fragilitas non obstabat, sectaturum exemplum. *Qui vult*, inquit, *post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam, & sequatur me.* Cui talia objicienti rex præbet responsa: si Christi crucem tollere, & ipsum sequi desideras,

* B.
* Austrasiorum.
humaniter excipitur à rege Sigeberto, qui eum apud se retinuit.
Sic Imp. rectius, quàm Tr. ditatorum.
Luc. 9.

desideras, potioris eremi sectare quietem, tantum ne nostræ ditionis solo relicto, ad vicinas pertranseas Nationes, ut tui præmii augmentum, & nostræ salutis provideas opportuna. Datâ itaque optione, obtemperavit regis persuasionibus, & eremum petiit. Erat enim tunc vasta eremus, *Vosagus* nomine, in qua castrum dirutum olim, quod antiquorum traditio *Anagrates* nuncupat. Ad quem cum vir Dei venisset, licet aspera essent vastitate solitudinis & scopulorum interpositione loca, ibi cum suis resedit, parvo alimentorum solamine contentus, memor illius verbi: *non in solo pane hominem vivere*, sed verbo vitæ satiatos affluenti dape abundare, quâ quis sumpta esuriem nesciat in ævum.

Vosagum eremum intrat, & Anagraten incolit.

Deut. 8.

CAPUT VI.

Ut alimenta ei in eremo degenti in summa inopia allata sint, & ut multos curârit.

HOc ergo in loco viro Dei cum suis commorante, subitò unum de Fratribus, vel ob probationem, vel quamlibet culpam attrahentem, vis febrium cœpit flagellare; sed cum nulla alimentorum solamina adessent, nisi corticum & hærbarum * pabule prȩberentur tantummodò, cœpit omnium * animos aspirare, ut pro ægri Fratris sospitat, jejunio omnes & orationi vacarent. Tertio die, jam peracto jejunio, nihil habentibus unde fessa corpora reficerentur, subitò conspiciunt virum quemdam cum panum supplemento vel pulmentorum equis oneratis, ante fores astare; qui se referebat subitâ cordis admonitione actum, ut eis ex suâ substantiâ subveniret, qui tantam egestatem pro Christo in eremo sustinerent. Oblatis itaque viro Dei quæ detulerat, cœpit cum cordis humilitate deposcere, ut vir Sanctus pro conjuge sua Dominum deprecaretur, quam per anni circulum tantus ignis febrium urebat, ut jam non crederetur superis reddi. Humili & anxio corde poscenti noluit vir sanctus denegare solamen; * adhibitis Fratribus pro ea Domini misericordiam* deprecabatur: cumque ille cum suis orationem complesset, statim ea, quȩ periculum mortis in propatulo habebat, sanitati est reddita. At verò cum vir eius largitâ sibi à viro Dei benedictione, domum remeasset, invenit conjugem suam domi sedentem, sciscitatusque quâ horâ febrium eam vis reliquisset, reperit eam ipsâ horâ sanatam fuisse, quâ vir Dei * Dominum deprecatus esset. Transacto itaque deinceps parvo temporis intervallo, quo * jam capiti Christo placamenta ac piamina mentis per contritionem carnis; injuriasque famis mortificata membra Deo offerrent, ac inviolatum religionis statum servare studerent, duris acerbitatibus omnis * frangebatur voluptas, ut videlicet prædo omnium virtutum * spoliator criminum foret. Novem jam transierant dies, quo vir Dei cum suis non alias dapes caperet, quâm arborum *cortices herbasque* saltûs. Sed temperavit escæ ariditatem pietas virtutis æternæ, monuitque per visum Abbatem quemdam nomine *Caranthocum*, qui monasterio, cui nomen *Salicis* erat, prȩerat, ut famulo suo *Columbano* intra eremi vastitatem consistenti, necessaria deferret. Expergefactus igitur *Caranthocus* Cellerarium suum *Marculfum* nomine vocat, reique causam admonitæ narrat: At ille; fac, inquit, ut imperatum est tibi. Jubet ergo *Caranthocus Marculfum* ire, & omnia quæ posset parare, properè B. Columbano offerre. Oneratis ergo *Marculfus* vehiculis iter arripit; sed cum solitudinis ora attigit, viam sibi pandi itineris nequaquam reperit: fuit tandem consilium, ut si in hoc Dei imperium esset, præmissis equis imperantis potentia viam aperiret. Mira virtus antecedentes equi pe ignotum iter ungula callem terunt, rectoque itinere ante fores beati Columbani ad *Anagrates* peruenerunt. Miratus *Marculfus* equorum

pabula. mendosè, omissū in Tr.
* *animos*
Alimentorum penuria divinitus, suppletur.

fœminam moribundā suis precibus sanat.
* *adhibitisq̄ simul.*
* *deprecatur.*

* *pro ea Dominum.*
* *pro.*

* *frangeretur.*
Mira Colūbani & suorum abstinentia.
* Sic Impr. corruptè Tr. *quam arborum herbarūque saltûs.*

Carāthocus Abbas divinitus monitus ei alimenta dirigit.

Equi per ignotam viam cælitus diriguntur.

equorum vestigia subsecutus, ad virum Dei pervenit, & quæ detulerat, præsentat. Ille grates Conditori rependit, quia sic suis famulis in deserto parare mensam non distulit. Accepta ergo ab eo benedictione *Marculfus*, calle quo venerat, repedavit, & omnibus rei gestæ causam patefecit. Cœpit exinde frequentia populi & infirmantium cohortes, ob sanitatem redintegrandam, ad eum frequentare, & omnium infirmitatum suffragium quærere: quorum vota cum à se revocare nequiret, omnium petitionibus parens, orationum medicamine cunctorum ad se venientium infirmitates, divino fultus auxilio, curando subveniebat.

Multos sanat medicus.

CAPUT VII.

De constantia ejus in quadam gravi tentatione.

Isdemque in locis evenit, ut per opaca saltus inter devia idem vir Dei ambularet, & librum humero ferens, de Scripturis sacris secum disputaret, subitòque ei cogitatio in mentem ruit, quod eligeret melius, in hominum injurias incidere, an ferarum sævitiam sustinere? cumque urgeret cogitationem * illata severitas, crebrò frontem signo crucis armans atque orans, intra se ait, melius esse ferocitatem bestiarum absque alieno peccato, quàm hominum rabiem sustinere cum damno animarum. Dumque hæc animo volveret, conspicit lupos duodecim advenire, & dextrâ lævâque *medios astare, manebatque immobilis, atque dicebat: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* Propiùs illi accedunt, atque ora vestimentis ejus jungunt: cumque ille constans astaret, intactum relinquunt, saltumque pervagantur. Hac tentatione in * securitate trajectâ, iter per saltum carpit, cumque haud procul abiisset, audit vocem multorum *Suevorum* per avia oberrantium, qui eodem in tempore iisdem in locis latrocinia exercebant; sicque demum trajectâ per constantiam tentatione, pepulit adversitatem. Sed hoc utrum diaboli fallacia finxerit, an rei veritas gesserit, patulè non cognovit. Rursumque secessit à cellulâ, longiorique viâ vasta eremi penetrans, reperit saxum immane, præruptaque rupis latera, aspera scopuli terga, * ibique conspexit concavum in caute sinum, adgressusque * abdita perscrutari, reperit in interiori sinu habitaculum ursi, ipsumque interius residentem. Mitis ergo feram abire jubet, nec deinceps hos, inquit, repetas calles. Abiit fera mitis, necprorsus ausa est *repetere, distabatque ab *Anagrate* locus ille plus, minusve millibus septem.

Importuna cum infesta cogitatio.

* minata.

* pro astare.

Psalm. 69.

lupi illæsum dimittunt.

* servitute.

Imp. interponunt, *avis hominibus.*

* Tr. in ursus ejus mandato paret.

* *repedare.*

CAPUT VIII.

De mira ejus abstinentia, & ut aquam è petra produxerit.

* Eodem tempore cum in eadem* concava scopuli solitariam vitam duceret, sicut ejus erat consuetudinis, ut cum Dominici festi, vel quorumlibet Sanctorum sacratæ solemnitatis adpropinquaret * adventus, ab aliorum societate segregatus & abditis locis receptus, vel longioris spatii eremi secreta sectabatur, ut solida mente & absque curarum inquietudine solus orationi vacaret, & religioni omni conatu intenderet. Erat cibus * ejus ita attenuatus, ut vix *eum vivere crederes, nec aliud penitus, quàm agrestium herbarum exigua mensura, vel pomorum parvulorum, quę eremus illa ferebat, quæ

* *Quodam in.* * *concavitate.*

* ita Imp. rectius quã Tr. eventus

* ex Impr. interpolui *ejus* & *eum.* Mira victus parsimonia.

* balgulas. * potus illius aqua erat. bat, quas etiam * ballucas vulgò appellant, * potus aqua erat; ut qui semper in aliorum curis occupatus, hæc æquè agere nequiret, saltem per intervalla temporum, pro parte mentis vota patraret. Eratque in monasterio ejus puer quidam nomine *Domoalis*, qui cum certę opportunitates monasterii evenissent, solus Patri renûciaret, ac Fratribus observanda referret. Positus ergo in præfato sinu eminentis saxi, qui aliunde penè aditum denegabat, multis cum jam inibi diebus resedisset, cœpit supradictus puerulus subsilenti voce conquirere, cur in promptu aquam non haberet, sed grandi labore per montis ardua, fessis poplitibus, deferret. Cui Columbanus, fili, inquit, paulisper saxi terga sciscitare: memento populo Israël Dominum Exod. 17. Num. 20. de caute latices produxisse. At ille Patri obediens, rupem cædere est aggressus. Sanctus itaque vir statim genibus provolutis, oratione Dominum deprecabatur, ut suæ necessitati tribuat * opportuna. * opportunitatem Tr. Tandem ejus * precibus piè petentis larga subvenit Potestas, * moxque latice producto, fons cœpit manare perennis, qui usque in hodiernum diem manat. * precibus parens, pie potenti. Precibus aquam è petra producit * ita Impr. Tr tantum mox. Nec immeritò misericors Dominus suis Sanctis tribuit postulata, qui ob suorum preceptorum imperium, proprias crucifixerunt voluntates, tantum fide pollentes, ut * quæ ejus misericordiam postulaverint, impetrare non dubitent, * qui. quia ipse promisit dicens: *Si habueritis fidem ut granum sinapis, dicetis monti huic, transi, & transiet: & nihil impoßibile erit vobis.* Matth. 17. & alibi: *omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & * venient vobis.* Marci 11. * evenient.

CAPUT IX.

Ut Luxoviense monasterium condiderit, & multi ad eum se adjunxerint.

Cumque jam multorum monachorum societate densaretur, cœpit cogitare, ut potioris loci spatium in eadem eremo quæreret, quo monasterium construxisset. Invenitque castrum firmissimo fuisse olim munimine cultum, à supradicto loco distans plus minus * octo millibus; quem * locum *Luxovium* prisca tempora nuncupabant. * octo miliaribus. * locum deest in Tr. Ibi aquæ calidæ cultu eximio constructæ habebantur. Ibi imaginum lapidearum densitas vicina saltus densabat; quas cultu miserabili, rituque profano vetusta paganorum tempora honorabant, quibusque execrabiles ceremonias litabant. Monasterium Luxoviense construitur. Solæ ibi feræ ac bestiæ, ursorum, bubalorum, luporum, multitudo frequentabat. Ibi residens vir egregius, monasterium construere cœpit; ad cujus famam plebs undique concurrere, & se cultui religionis dedicare curabant, ita ut plurima monachorum multitudo adunata vix unius cœnobii collegio sistere valeret. Magnus ad eum sæculo renunciancium concursus. Ibi nobilium liberi undique concurrere nitebantur, ut spreta phaleramenta sæculi, & præsentium pompam facultatum temnentes, æterna præmia caperent. Quod beatus Columbanus cernens, undique ad pœnitentiæ medicamenta plebes concurrere; & * hujus cœnobii septa tantam conversantium cohortem absque difficultate non * continere, quamvis mente una & corde uno, tamen conversationi tantæ multitudinis incongruum, * enim. * Sic ex Impr. posui pro teneri quamvis mens una & corde uno quod exhibet Tr. alium experimento locum quærit, quem aquarum irriguitas adornabat, aliudque monasterium construit, cui *Fontanas* nomen indidit; Fontanense cœnobium construitur. * dedit gubernatores Præpositos, * deditque. de quorum religione nihil dubitabatur. His ergo in locis monachorum plebe constitutâ, ipse vicissim omnibus intererat, Regulam quam tenerent, Spiritu Sancto repletus condidit. In qua qualis & quantæ disciplinæ vir sanctus fuerit, prudens lector vel auditor agnoscit. Regulam monasticam condit quam habes supra suo loco.

CAPUT X.

CAPUT X.

De piscibus non absque miraculo partim repertis, partim captis.

EO itaque tempore quidam Frater nomine *Authierus* aures viri Dei pulsare cœpit, ut peregrinandi causa in *Hiberniam* perveniret. Cui Columbanus ait, pergentes in eremum, voluntatem Dei probemus, utrum desideratum iter arripias, an in cœtu Fratrum permaneas. Pergentes ergò simul, tertium adolescentem nomine * *Sognicharium*, qui adhuc superis junctus est, in comitatu sumunt, & ad destinatum in eremo locum pervenerunt, unius panis tantum cibo contenti. Cumque jam duodecim transissent dies, & nec quodpiam fragmentum panis remansisset,*horaq; refectionis appropinquaret, * imperantur à Patre, ut per prærupta rupis eant, atque ad ima vallis perveniant, & quidquid ad cibum opportunum reperiant, deferant. Ovantes illi per concava vallis *Mosellam* tenus advenerunt, capturamque piscium, olim à pastoribus * confertam & undis oppositam cernunt, accedentesque quinque magnos repererunt pisces, sumentesque tres *quia viverent, Patri præsentandos vehunt. At ille, cur, inquit, non quinque detulistis? Et responderunt, mortuos duos reperisse, proinde reliquisse. At ille, nequaquam, ait, ex *eis comedetis, nisi quos dimisistis, venerint. At illi miraculo perculsi de providentia divinæ gratiæ, locum pernici cursu repetunt, * increpanturque cur * relictum manna reliquissent, & sic cibos præparare iubentur. Nempe vir Dei, Spiritu Sancto plenus, noverat sibi passim à Domino dapes paratas. Alia quoque vice cùm in eadem solitudine moraretur, * unusque tantum è Fratribus cum eo erat, *Gallus* nomine; cui ille imperat, ut ad *Bruscam* eat. Ille abiit, ratumque duxit ut ad *Ligonem* amnem pergeret. Quò cum pervenisset, & rete in alveum jactavisset, aspexit tantam multitudinem advenire, nec prorsus rete teneri, sed velut in parietem impingerent, retrò reverti Laboravit itaque per totam diem, nec vel unum capere quivit. Reversus Patri nunciat de frustrato labore. Ille inobedientem increpat, cur non ad denunciatum locum properasset: aitque denuò, vade citò & ad denunciatum perge locum. Pervenit itaque, & undæ rete opposuit, tantâque copiâ piscium est rete impletum, ut vix præ multitudine trahi potuisset. Hæc nobis supradictus *Gallus* sæpè narravit.

Autiernus.

* *Sonierium* seu *Somariū.*

* *hora* Tr.

* *imperatur*

* *Conservatā* divinitus ablentia cognoscit.

* *qui adhuc viverent*

* *iis*

Impr. interponunt hic. *pisces relictos deferunt.*

* *repertum.*

* Impr interponunt *non tamen in eo loco jam quinquaginta dies transierunt, unusque*

Simplicis obedientiæ efficacia.

Hinc habes Jonam fuisse Galli collegam.

CAPUT XI.

Ut obedientes Fratres morbis liberati, inobedientes diu illis afflicti sint.

MOrabatur aliâ vice in supradicto scopuli sinu, à quo ursum expulerat, diuque ibi oratione & jejunio corpus afflixerat. Cognovit per revelationem Fratres, qui penes *Luxovium* erant, diversis morborum generibus vexari, nec amplius remansisse, quàm qui ægrotis ministrabant. Egressus itaque de specu ad *Luxovium* venit, cumque omnes afflictos cerneret, imperat ut omnes surgant, atque messem in areâ virgâ cedant. Surrexerunt ergò quorum conscientiam obedientiæ ignis urebat, ad areamque venientes, virgâ messem cedere cum fidei gratiâ aggressi sunt. Videns ergò Pater fidem in filiis & obedientiæ gratiam abundare, finite, inquit, fessa ægritudine membra à labore reficere.

Absens Fratrum suorū statum divinitus agnoscit.

obedientiæ præmium.

reficere. Mirantur de sospitate obedientes, nullo doloris vestigio remanente; mensasque parare jubet, ut uberi gaudio omnes reficerentur. Increpantur deinde inobedientes, ignavia fidei arguitur, longitudo ægritudinis denunciatur. Mira ultio! nam supra metam anni inobedientes ægritudinis pœna ita vehementer *excussit, ut vix mortem evaderent, * impleveruntque mensuram pœnitentię de suscepto inobedientię tempore.

* exussit
* Tr. impleverunt
Inobedientiæ pœna.

CAPUT XII.

Ut in imbre sine imbre segetes cum Fratribus messuerit.

INterea tempus evenerat, ut copia segetum horreis conderetur, nec prorsus vis ventorum nubes compilare cessabat. Urgebat sanè necessitas, ne maturæ messis spicæ in stipula germine misso perirent. Eratque vir Dei apud *Fontanas* cœnobium, ubi & messium copiam novus ager locupletem dederat; irruebant ventorum flabra cum vehementia imbrium, nec omninò nubila cœli terris dare pluviam cessabant. Quid inter hęc vir Dei ageret, anxio corde pensabat. Armavit mentem fides, * docuit, impetravit opportuna, accersivitque omnes, ac segetem præcidi jubet. Mirantur illi Patris imperium, nec tamen quisquam Patri cogitatum depromit. Venerunt omnes, falceque inter diffusionem imbrium secant segetem, Patremque quid agat, conspiciunt. Ille quatuor viros plenos religione per quatuor angulos * messis præponit, *Cuminum* & *Eunocum** ac* *Equonanum* ex *Scotorum* genere, quartumque * *Gurganum* genere Britonem. His ordinatis cum reliquis ipse medius messem præcidebat. Mira virtus! fugiebat imber à segete, & undique pluvia diffundebatur, medios * tamen messores solis ardor torrebat, æstusque vehemens quousque messem conderent, afflavit. Sic fides & oratio meruit, ut pulsâ pluviâ æstum inter imbres haberet.

* docuit impetrare.
* messi.
* forte atque Conanum.
* Gorganum.
In imbre cū suis sine imbre segetes metit.
* tantum T.

CAPUT XIII.

Ut fœcunditatem suis precibus impetrarit cuidam potenti fœminæ.

ERat enim tunc temporis dux quidam nomine *Valdolenus*, qui gentes, quę inter *Alpium* septa & *Jurani* saltus arva incolunt, regebat. Huic soboles nulla erat, ut *Juvencus* de Zacharia & Elisabeth ait, *gratius ut donum jam desperantibus esset*. Hic cum conjuge sua, *Flavia* nomine, & genere & prudentia nobili, ad B. Columbanum ex *Vesontionense* oppido pergit, precantes simul, ut pro eis Dominum deprecaretur, se * multarum opum esse ditatos, sed cui hæreditatem post obitum linquerent, hæredem non* haberent. Quibus vir Sanctus inquit; si voti vestri est, ut Largitoris donum ejus nomini consecretis, mihique ex lavacro suscipiendum tradatis, pro vobis ego Domini clementiam implorabo, ut non solum eum, quem Domino vovetis, habeatis, verumetiam quanta volueritis pôst pignora suscipiatis. At illi læto animo promittunt, se eius imperiis pariturос, tantùm ut pro ipsis Domini misericordiam non desinat implorare. Spondet vir Dei muneribus plenus, se in promptu habere; tantum ne pacti fœdus studeant violare. Mirum dictu, vix

* dicentesq; se multis opibus
* ... ere.

 domum

domum remeant, donum Creatoris alvo gravida mater futura expectat, editumque ad Virum Sanctum, puerum defert, suis orationibus largitum munus demonstrat, grates Conditori agit, qui sic ad petitiones famulorum suorum quæsita dona largitur. Quem Vir sanctus suis manibus receptum sacravit, sacroque lavacro ablutum ipse suscepit, *Donatum* nomen imposuit, matrique ad nutriendum reddidit. Qui pòst alitus, in eodem monasterio sapientiâ imbutus, *Vesontionensis* Pontifex præfectus nunc usque superest, eandem cathedram regens. Qui post in amore B. Columbani ex ipsius Regula Monasterium construxit virorum, quod *Palatium* nuncupant, ob veterum * munimenta murorum. Adiditque post eum bonitatis largitor famuli sui promissum, alium filium *Ramelenum* nomine, qui nobilitate & sapientia pollens, post patris obitum in ejus honore est subvectus; quamvis sæculari habitu, tamen in Creatoris amore vigil: nam & ipse in amore Beati Viri in saltu *Jorensi* super *Novisona* fluentum Monasterium ex Regula construxit, in quo * *Siagrium* Abbatem præfecit. Addiditque adhuc duas filias pristino muneri & sæculo nobiles, & in Christi timore deditas. Post ista munera mater ipsorum *Flavia* post mariti obitum Monasterium puellarum in supradicta urbe *Vesontione* construxit, omnique munimine roborans, multarum puellarum concionem adunavit. Tantùm in eis viri Dei gratia flagravit, ut omnia phaleramenta præsentis vitæ temnentes, ad Dei omnipotentis cultum anhelarent.

* Tr. munimenta.

Variis sub ejus Regula Monasteria construuntur.

* Agrium

CAPUT XIV.

De Theodegisili digito secto & sanato, itemque de Corvi obedientia.

SI verò aliqua inserere nitimur, quę parva hominibus videantur, erit obtrectatorum latratibus patens Conditoris largitio, quæ æquè in minimis, ut in magnis misericorditer aspirat, nec differt in modicis aurem pietatis accommodare, sicut in maximis exaudit vota petentis. Quadam etenim die cùm Vir egregius * ad præcidendam messem cum Fratribus penes *Calmem*, quam * *Baniaritiam* vocant, venisset, & blando commodoque Austro flante, falce segetem secarent, evenit ut unus eorum, *Theodegisilus* nomine, digitum falce præcideret, nec prorsus hæreret præter pellis parvæ * retentaculo. Itaque stantem Vir Dei Theodegisilum à longè cernens imperat, ut cum sodalibus cœptum opus perficiat. At ille rei gestæ causam promit; celer ille ad ipsum properat, digitumque salivâ illitum pristinæ sanitati statim reddidit, & imperat, ut celer ad cœptum opus vires augeat. Cœpit cum gaudio geminare laborem, ac præ cæteris ad præcidendam stipulam uberiùs urgere, qui dudum de præciso membro animum mœrore * subdebat. Hæc nobis ipse *Theodegisilus* narravit, digitumque monstravit, & in supradicto Cœnobio Luxovio tale quiddam vice aliâ simile gessit. Nam quidam Presbyter ex parochianis, Pater *Boboleni*, qui nunc *Ebobiensi* Cœnobio præest, * *Winiocus* nomine, ad B. Columbanum venit, eratque ille * cum Fratribus ob lignorum opportunitates parandas, cumque supradictus *Winiocus* venisset, miransque aspiceret, quantâ vi truncum quercûs cum cuneis, arieteque partirent, elapsus è trunco cuneus, hujus * mediâ frontem secavit, ac venarum profluas sanguinis undas produxit; vidensque Columbanus detectum os sanguine fluente, statim in terram orans ruit, surgensque salivâ illitum, sanum reddidit, ut vix cicatricum vestigia remanerent. Aliâ vice cùm ad cibum capiendum veniret in supradicto Cœnobio *Luxovio* Columbanus, tegumenta manuum, quæ Galli vocant * *Wantones*, quos ad operis laborem solitus erat habere, supra lapidem, qui ante fores refectorii erat, deposuit. Moxque quiete redditâ, corvus ales

* Columbanus

* Baniaritiam

* Theodegisilus

* retentaculum

* subdidera

* Winiensis

* in saltu cum

* medium Tr. Aliud grave vulnus saliva sanat.

* imp. wantos, id est, chyrothecas vocant.

* corruptè ejus.

ales rapax advolavit, unumque *ex eis rostro ferens abstulit. Peractâ refectionis horâ, foras Vir Dei remeans, tegumenta manuum requirit; cumque omnes inter se conquirerent, quis abstulisset, Vir sanctus ait; nullum alium esse qui sine commeatu aliquid attingere

Genes. 8.

præsumpsisset, nisi alitem, qui à *Noe* dimissus, ad Arcam non remeasset; addiditque se nullo modo suos pullos aliturum, si rapax furtum celeri volatu non referret. *Expectantium in medio omnium corvus aduolat, malè subla tum furtum rostro reportat; nec se pen nigerâ conatur eripere fugâ, sed mitis ante conspectum omnium, oblitus ferocitatis, ultionem expectat; quem Vir sanctus abire imperat. O mira æterni judicis virtus, qui tanta famulis suis præstat, ut non solum hominum honoribus, sed etiam avium obedientiâ clarescant!

* expectantibus autem omnibus Fratribus, in medio Corvus.

CAPUT XV.

Ut cervisia ablato epistomii vertibulo non effluxerit è vase.

PAtratum deinceps aliud miraculum, quod per B Columbanum & ejus Cellerarium factum fuit, referam. Cum hora jam refectionis appropinquaret, & minister refectorii cervisiam administrare conaretur (quæ ex frumenti vel hordei succo excoquitur, quamque præ cæteris in orbe terrarum gentibus, præter * Scoticas & Dardanas gentes, quæ Oceanum incolunt, *usitantur, id est, Gallia, Britannia, Hibernia, Germania, *cætera que quæ ab eorum moribus non desciscunt) vas, quod typrum vocant, ad Cellarium portat, & ante vas, quo cervisia condita erat, apponit, tractoque serraculo, meatim in typrum currere sinit; quem subito B. Columbani imperio, alius è Fratribus vocavit. At ille obedientiæ igne ardens,* ad Beatum pergit Virum, serraculum, quem * duculum vocant, manu deferens. Postquam sibi Vir Dei quæ voluerat imperata deprompsit, recordatus neglgentiæ, celer ad Cellarium rediit, conjiciens nihil in vase, de quo cervisia recurrebat, remansisse; *intuitus supra typrum cervisiam crevisse, & ne minimam stillam foras cecidisse; ut crederes longitudinem typrum geminasse, ut qualis & quanta rotunditas infra typri inerat coronam, talis in altum crevisset* corona. Quanta imperantis virtus! quanta obedientia obsequentis! ut sic utriusque tristitiam Dominus voluisset avertere, ne si Fratrum substantiam & imperantis & obedientis ardor diminuisset, ambo se à licitis alimentis abdicassent, sicque æquus arbiter occurrit, ut utrorumque culpas ablueret, quas illi, si casu veniente, vel Domino permittente fuissent *patratæ) ambo suis noxis evenisse asseruissent.

* quidam impressi Scordiscas.
* usitant
* Tr. cæteraque.
* obli tus meatum obsera re, pernici cursu.
* duciolum.
* intuitusq;
* urna
Præclarum obedientiæ miraculum.
* fuisset patratum mendosè.

CAPUT XVI.

De quibusdam aliis Beati Viri Miraculis.

EOdem in tempore actum est, ut per densa saltus viburna fruticum solitudinis amator, quæ prope * *Fredemundiacas* * *Calmen* erat, Vir Dei ambularet, reperitque cadaver cervi, quem luporum feritas peremerat, ursum devorare velle, cujus jam sanguinem lambens, exiguam carnis partem *voravisset. Ad quem Vir Dei accessit, increpans, ne corium, quod ad usus calceamentorum necessarium erat, læderet. Tunc bestia, oblitâ ferocitate,

* Fredemungias
* Calmen.
* voravit.

mitis esse cœpit, & contra naturam absque murmure blandiens, atque colla submittens, cadaver reliquit. Quod Vir Dei rediens ad Fratres indicavit, in eum locum ut irent, & * cervi cadavere corium evellerent. Abeuntes ergo Fratres reperiunt undique rapacium avium procul multitudinem abesse, nec ad cadaver super Viri Dei interdicto accedere audere: *denique expectantes à longè si vel fera, vel avis audaci conatu prohibitæ escæ urgeretur prædam capere, conspiciunt ad odorem cadaveris aduentare lupos, & procul astantes, ac si mortiferum aliquid ac lethale devitare, & celeri fugâ omittere. Moransque alia vice penes Luxovium Cœnobium Columbanus, *Winiocus* Presbyter, cujus superius fecimus mentionem, ad eum venit, sequebaturque *Winiocus Columbæ* vestigia quòcumque iret; veneruntque ad horreum, quo frumenta condebantur, * aspicit *VViniocus*, parvique pendens copiæ exiguitatem, ait se non habere panis abundantiam, quo tanta multitudo alatur; *quâ segnitiâ torpeat quærendi frumenti, increpat. Cui Beatus Columbanus respondit: Si ritè Conditori suo deserviant plebes, nunquam esuriem scient; sic enim *præconantis vox Psalmographi concelebrat: *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Perfacilè farre horreum replet, qui de quinque panibus hominum quinque millia satiavit. Manente denique nocte illa inibi *VVinioco*, Viri Dei fide & oratione horreum repletum est. Mane surgens *VViniocus*, ac juxta horreum transiens, inopinatò horreum apertum cernit, clavigerumq; simul ante ostium astantem. sciscitatus, quis hoc direxerit, aut quę plaustrorum congeries hæc frumenta devexerint. Cui horrei custos ait: non ita est ut putas, nam cerne si vestigia plaustrorum vel jumentorum telluri impressa appareant: nequaquam enim clavis à me in hac nocte discesserat, sed obserato horrei ostio, divino solamine, frumento repletum est horreum. Cœpit de industria ille intentis oculis diligenti examinatione terram respicere, atque veritatem cognoscere. Cumque horum nihil simile quid reperisset, ait: *potens est Dominus servis suis parare mensam in deserto.* Transactô exin parvi temporis intervallo, venit idem Columba ad *Fontanas* cœnobium, reperitque sexaginta Fratres sarculo terram effodere, & semini futuro confecta glebis arua parare. Cumque eos vidisset magno labore glebas scindere ait: sit vobis, ô Fratres, à Domino collata refectio. Quo audito minister ait: Pater mi, non sunt nobis amplius, quàm duo panes, & paululum cervisię. At ille, vade, inquit, & defer huc. Concito gradu ille perrexit, duosque panes & parum cervisiæ detulit. Intuens cœlos *Columbanus* ait, Christe Jesu, unica, *salus orbis, tu hos panes & potum hunc multiplica, qui de quinque panibus quinque satiasti in eremo millia hominum. Mira res! satiati sunt omnes, potuque hausto, prout voluntas cuique erat, dupla minister fragminum spolia recollegit, potusque * duplicavit mensuram, sicque intellexit plus mereri * fide digna, divini muneris lucra, quàm * desperatione, quæ solet diminuere etiam collata. Dum quodam in tempore in eodem cœnobio Luxovio vir Dei commoraretur, accidit ut unus è Fratribus, nomine & ipse *Colūbanus*, febre correptus, atque in extremis positus, fœlicem postularet exitum. Cumque jam ultimo halitu carere vellet, fidus de cœlesti munere, quod longo famulatu quæsierat, vidit ad se virum, fulvâ luce amictum, accedere, sibique dicere: non te modò ducere à corpore possum, quia oratione & lachrimis Patris tui Columbani præpedior. Cumque hæc *Columbanus* audisset, mœrens ac si è somno evigilasset, suum ministrum *Theodegisilum*, cujus superius fecimus mentionem, clamare cœpit: festina, inquit, perge, & Patrem communem *Columbanum* ad me venire compelle. Concito ille gradu venit, ac Beatū *Columbanum* in Ecclesia positum flentem reperit, postulat ut ad ægrum festinus accedat. Venit ergo perniciter, & quid vellet, interrogavit? At ille causam objicit: Cur me, inquit, tuis orationibus in hac ærumnosa vita detines? nam adsunt qui me ducere volunt, * si tuis fletibus ac orationibus non præpediantur. Retentationis solve obstacula, ut mihi jam pateant cœlestia regna. Tum metu *Columbanus* perculsus, signo tacto, omnes adesse imperavit, sancti sodalis amissionem gaudio temperavit, Corpus Christi abeunti ab hac vita viaticum præbet, ac post extrema oscula, * defunctionis cantus finem implevit. Erat enim ex eodem genere

Marginal notes:
* *de*
* *diu*
* Winicofus
* *aspiciensq.*
* pro *quâ*. Impr. *curq.*
* *præconantis*. Psalm. 36.
Matth. 14.
Precibus ejus horreum frumento repletur.
* *Jesu.*
Modicum panis & cervisiæ divinitus augetur.
* *duplicatam*
* *fidem.*
* *desperationem.*
Mira vis precum ejus
* Tr. *sed.*
* Tr. *functionis.*

Columbanus alter Columbani magni cognatus.

* Imp. Chagnoaldum.

* Lugduni.

Feræ & aves illi obediunt.

genere, quo & Beatus *Columbanus*, unoque commeatu & nomine ex Hibernia processerat. Quomodo autem bestiæ ac volucres Viri Dei parerent imperio, non est silendum. Nam & *Chagnoldum* **Lauduni Clavati* Episcopum atq; Pontificem, qui ejus & minister & discipulus postea fuit, cognovimus referentem, qui se testabatur sæpè vidisse eum, cùm in eremo, vel jejunio, vel orationi vacans deambularet, esse sæpè solitum feras bestias, ac aves accersere, quæ ad imperium ejus statim veniebant, ac eas manu blandiens attrectabat. Ita feræ, avesque gaudentes ac ludentes lætitiâ uberi, veluti catuli solent dominis adulari, exultabant: & seruculam, quam vulgò homines *squirium* vocant, sæpè de arduis arborum culminibus accersitam, manuque receptam, suoque collo impositam, sinumque ingredientem ac exeuntem, se sæpè vidisse supradictus vir testabatur.

CAPUT XVII.

Ut eum reverenter acceperit Theodoricus Rex, utque is ab eo sit objurgatus.

* Tr. vel

* Atrevin.

Sigeberti Regis cædes

S. Vir Theodoricum reprehendit

Ea re offenditur Brunechildis.

CReverat jam passim fama Sancti Viri in universas Galliæ* & Germaniæ Provincias, eratque omnium rumore laudabilis, omnium cultu venerabilis, in tantum ut *Theodoricus* Rex, qui eo regnabat in tempore, ad eum sæpè veniret, & orationum suarum suffragia omni cum humilitate deposceret. Siquidem *Sigebertus* Rex, cujus superiùs fecimus mentionem, apud *Victoriacum* villam publicam, quæ in suburbano *Attrebatensis vrbis sita est, *Hilperici* germani sui dolo, qui apud *Tornacum* tunc oppidum erat (quẽ Sigebertus usque ad internecionem persequebatur) interfectus est; post quem filius ejus *Hildebertus* regni sceptra suscepit, annuente matre *Brunechilde.* Mortuo deinde *Hildeberto* intra adolescentiæ annos, regnaverunt filii *Hildelberti* duo, *Theodebertus* & *Theodoricus* cum avia *Brunechilde.* Regno *Burgundiorum* est præpositus *Theodoricus*: regnum *Austrasiorum* *Theodebertus* suscepit regendum. *Theodoricus* ergo quia intra terminos regni sui Beatum *Columbanum* haberet, gratulabatur. Ad quem cùm sæpissimè veniret, cœpit eum Vir Dei increpare, cur concubinarum adulteriis misceretur, & non potius legitimi conjugii solamine frueretur, ut regalis proles ex honorabili Regina prodiret, & non potius ex lupanaribus videretur emergi. Cumque jam ad Viri Dei imperium Regis sermo obtemperaret, & se omnibus illicitis segregari responderet, mentem *Brunechildis* aviæ secundæ, ut erat, *Jezabelis*, antiquus anguis adiit, eamque contra Virum Dei stimulatam, superbiæ aculeo excitat, quia cerneret Viro Dei *Theodoricum* obtemperare. Verebatur enim, ne si, abjectis concubinis, Reginam aulæ præfecisset, dignitatis atque honoris sui modum amputasset.

CAPUT XVIII.

Ut Vir Dei ad Brunechildem & Theodoricum venerit, ut Regis munera respuerit, & de concitato adversus ipsum Rege. Item ut Luxovio pulsus sit, & de carcere divinitùs aperto.

*Villuriacum.

Spuriam Theodorici prolem benedicere renuit.

* eum.

* esse.

Eccli. 34.

Evenit ergo, ut quadam die Beatus *Columbanus* ad *Brunechildem* veniret, (erat enim apud *Brucariacum* villam;) cumque illa eum in aulam venisse cerneret, filios *Theodorici*, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad Virum Dei adducit. Quos cum vidisset, sciscitatur, quid sibi vellint. Cui *Brunechildis* ait: Regis sunt filii, tu eos tua benedictione robora. At ille, nequaquam istos, inquit, scias regalia sceptra suscepturos, quia de lupanaribus emerserunt. Illa furens, parvulos abire jussit. Egrediens Vir Dei regiam aulam, dum limitem transiliret, fragor exortus, totam domum quatiens, omnibus terrorem incussit, nec tamen miseræ fœminæ furorem compescuit. Paratque exinde insidias moliri, vicinis monasteriis per nuncios imperat, ut nulli eorum extra monasterii terminos iter pandatur, neque receptacula Monachis ejus, vel quælibet subsidia tribuantur. Cernens Beatus *Columbanus* Regios animos adversum se permotos, ad *eos properat, ut suis monitis miseræ pertinaciæ intentum frangat. Erat enim tunc temporis apud *Spissiam* villam publicam, quò cùm jam sole occumbente venisset, Regi nunciatur, Virum Dei inibi esse, nec in Regis domibus metari velle. Tunc *Theodoricus* ait: melius est, Virum Dei opportunis subsidiis honorare, quàm Dominum ex servorum ejus offensâ ad iracundiam provocare. Jubet ergo Regio cultu opportuna parare, Deique famulo dirigi. Venerunt pueri, & juxta imperium Regis oblata offerunt. Qui cum vidisset dapes & pocula cultu Regio administrata, inquirit quid sibi de istis velint. Ajunt illi, sibi à Rege *fore directa. Abominatus ea ait, scriptum est; *munera impiorum reprobat Altissimus:* non enim dignum est, ut famulorum Dei ora cibis ejus polluantur, qui non solùm suis, verumetiam aliorum habitaculis, famulis Dei aditum denegat. His dictis, vascula omnia in frusta disrupta sunt, vinaque ac sicera solo diffusa, cæteraque separatim dispersa. Pavefacti ministri, rei causam gestæ Regi nunciant. Ille pavore perculsus, cum aviâ diluculò ad Virum Dei properat. Precantur de commisso veniam, se in postmodum emendare pollicentur. His *pacatus promissis, ad monasterium rediit; sed polliciti vadimonii jura, non diu servata, violantur: exercentur miseriarum incrementa, solitaque à Rege adulteria patrantur. Quibus auditis, Beatus *Columbanus* litteras ad eum verberibus plenas dirigit, comminaturque excommunicationem, si emendare, dilatando, non velit. Ad hæc rursum permota *Brunechildis*, Regis animum adversum *Columbanum* excitat, omnique conatu turbare intendit. Alloquitur proceres, optimates omnes, ut Regis animum contra Virum Dei perturbarent, Episcoposque sollicitare est aggressa, & de ejus religione detrahendo, ut statum Regulæ, quam suis Monachis custodiendam indiderat, macularenr. Obtemperantes igitur aulici viri persuasionibus miseræ Reginæ, Regis animum perturbant contra Virum Dei, cogentes ut accederet, ac religionem probaret. Coactus itaq; Rex ad Virum Dei *Luxovium* venit, conquestusque cum eo, cur ab comprovincialium moribus desciсceret, & intra septa secretiora omnibus Christianis aditus non pateret? Beatus itaque Columbanus, ut erat audax, atque animo vigens, talia objicienti Regi respondit; se consuetudinem non habere, ut sæcularibus hominibus & à Religione alienis, Famulorum Dei habitationis pandat introitum; se & opportuna, aptaque

Dapes à Rege missas respuit, & fercula omnia divinitus rumpit ac dispergit.

*placatus.

Literas comminatorias mittit Theodorico.

Theodoricus cum eo expostulat.

taque loca ad hoc habere parata, quò omnium hospitum adventus suscipiatur. Ad hæc Rex: si, inquit, largitatis nostræ munera & solaminis supplementum capere cupis, omnibus * locis omnium patebit introitus. Vir Domini respondit: Si quod nunc usque sub Regularis disciplinæ habenis constrictum fuit, violare conaris, nec tuis muneribus, nec quibusque subsidiis me fore scias à te sustentandum: & si hanc ob causam tu hoc in loco venisti, ut Servorum Dei Cœnobia destruas, & Regularem disciplinam macules, scito tuum regnum funditùs ruiturum, & cum omni propagine Regiâ demergendum; Quod postea rei probavit eventus: jam enim temerario conatu Rex refectorium ingressus fuerat. His ergo territus dictis, foràs celer repedat. Duris post hæc Viri Dei increpationibus Rex urgetur. Contra hæc *Theodoricus* ait: Martyrii coronam tibi à me inferendam speras? Non esse * tantæ dementiæ se, ut hoc tantum * patretur scelus; sed quæ sunt potioris consilii se agere, & utiliora paraturum, ut qui ab omnium * sæcularium moribus dissentiat, quâ venerat, eâ repedare viâ studeat. Aulicorum simul consonâ voce vota prorumpunt, se habere non velle his in locis qui omnibus non societur. Ad hæc Beatus *Columbanus*, se dicit de cœnobii septo non egressurum, nisi violenter abstrahatur. Discessit ergo Rex, relinquens virum quemdam procerem, nomine Raldulfum. Is enim cum remansisset, Virum Dei à monasterio pellit, & penes *Vesontionense* oppidum ad exulandum perducit, quoad usque ex eo regalis sententia quid voluisset decerneret. Commorans ergo inibi audit carcerem eo in loco plenum esse damnatorum hominum, mortis damna expectantium. Ad quem Vir Dei properat, ingressusque ostium, nullo obstante, verbum Dei damnatis depromit. * Ajunt illi si liberarentur, emendaturos, & de commissa noxâ pœnitentiam acturos. Beatus itaque Columbanus ministro *Domoali*, cujus superius fecimus mentionem, imperat ut ferrum quo compedes irretiti erant, atque innexi, apprehendat ac trahat. Quod ille apprehensũ trahit, & veluti frutex putrefacta per partes comminuitur, egrediq; carcerem damnatos solutis compedibus jubet, peractoque Evangelici cultus officio, pedes lavit, linteoque abstersit: imperat deinde, ut Ecclesiam petant, & commissi sceleris pœnitendo ac fletibus abluendo, culpas lavent. Properantes ergo illi, Ecclesiæ fores obseratas reperiunt. Tribunus ergo militum cum vidisset virtutem Dei per B. Columbanum, damnatorum compedes fractos, & vacuum sibi tantummodò reliquisse ergastulum, insequi calces damnatorum, ac si à somno excitatus, cum militibus cœpit. Illi verò post tergum satellites appropinquare videntes, & fores ecclesiæ obseratas cernentes, geminâ vallati angustiâ, virum Dei compellant, ut eruantur. Anxio ille anhelitu sursum caput attollit, precaturque Dominum, ut suâ virtute ereptos à ferro, non sinat denuò tradi satellitum nexui. Nec mora: Authoris bonitas fores firmis obseratas claustris reserat, in angustiâ positis aditum pandit, pernicique cursu ingrediuntur Ecclesiam: fores verò post damnatorum introitum in oculis militum absque humana manu obserantur, ac si custos usu clavigero perniciter & reserasset & obserasset. Perveniens ergo B. Columbanus cum suis, simulque tribunus cũ militibus, fores obseratas repererunt, *Aspasiumque* nomine custodem quærunt ut claves largiatur. Qui cum venisset, clavigeroque usu * fores reserare volens, ait, se nunquam diligentius obserata claustra invenisse. Nec quisquam ausus est pòst damnatis injuriam inferre, quos divina virtus eruisset.

Marginalia:
* in.
* Dei.
Prædicit regi interitũ & regni ac stirpis excidium.
* ait.
* patraret.
* scelerum
Lexovio pellitur
* Baudulfum.
* Spondent que.
Multos è carcere miraculosè dimittit.
Magno miraculo fores templi & patescunt & clauduntur.
deest in Tr

CAPUT XIX.

CAPUT XIX.

Ut Luxovium redierit, milites cæcitate percussi eum præsentem non viderint, & rursus à rege eiectus sit.

Post hæc vir Dei cernens quod nullis custodiis angeretur, à nulloque molestia inferretur: videbant enim omnes in eo Dei virtutem flagrare, ideoque ōnes ab ejus injuriis segregabātur, ne socii culparum forent. Ascendit ergò dominica die in verticem ardui cacuminis montis illius (ita enim situs urbis habetur: cum domorum densitas in diffuso latere proclivi montis sita sit, *prorumpunt ardua in sublimibus culminibus, qui undique abscissi fluminis *Dovæ* alueo vallante, nullatenus commeantibus iter pandit) ibique usque ad medium diem expectat, si aliquis ad monasterium iter revertendi prohibeat, & cum nullus contrarius existeret, ipse per mediam urbem cum suis ad monasterium regreditur. Quo audito *Brunechildis* ac *Theodoricus*, quod scilicet ab exilio revertisset, attrocioribus iræ aculeis stimulantur, iubentque militum cohortem, ut rursum virum Dei abstrahant, & ad pristinum prorsus exilium revocent. Venientes ergo milites cum Tribuno, peragrant septa monasterij, virumque Dei perquirunt. Residebat ille in atrio Ecclesiæ, librumque legebat; ubi cum sæpe venissent & propè eum transirent, ita ut nonnulli in eius pedibus suos offenderent, & vestimentis suis eius vestimenta tangerent, obcæcatis luminibus, ipsum nequaquam videbant; eratque spectaculum pulcherrimum. Ille ovans cernebat quærentes, nec omninò videbatur; illi in medio eorum positum, cum viderentur, non videbant. Venitque tribunus, *intuitusq; per fenestram, virum Dei * inter medios latum residere & legere, cernensque virtutem Dei ait: Quid tam intentè atria Ecclesiæ peragratis, nec omninò reperitis? Nequaquam ampliùs insaniæ errore cor vestrum decipiatur, non enim poteritis vos eum invenire, quem virtus tegit divina. Recedite ab hac intentione, & regi properemus nunciare quia eum minimè reperistis. Daturque manifestè intelligi, tribunum militum non sponte ad parandum viro Dei injuriam venisse, & ideò ad eum lumen videndum meruisse. Renuntiantibus illis auribus regis, ille aucto furore miseræ intentionis, *Bertharium* Comitem ad eum attentius perquirendum virorum cum præsidio, simulque & *Baldulfum*, quem superius * dixeram, destinavit. Quò cum venissent Beatum *Columbanum* in Ecclesia positum Psalmis ac orationi deditum cum omni congregatione Fratrum reperiunt, sicque virum Dei * alloquuntur: vir Dei, precamur, ut tam regis, quàm etiam nostris obedias præceptis, egressusque pergas eo itinere, quo primùm his advenisti in locis. At ille: non enim inquit, reor placere Conditori, semel natali solo ob Christi timorem relicto, denuò repedare. Cumque nullatenus cernerent sibi virum Dei * obtemperare, relictis quibusdam, quibus ferocitas animi fortior inerat, *Bertharius* abscessit. Hi verò qui remanserant virum Dei hortantur, ut illis misereatur, qui ad tale opus patrandum infœliciter fuerant relicti, eorumque periculo * subveniret; quia si eum violenter nō abstraherent, mortis eos periculum incurreret. At ille ait, iam sæpius testatum esse, nisi vi abstraheretur, se non discessurum. Illi gemino vallati periculo, undique urgente formidine, pallium, quo indutus erat, attingunt; alij genibus provoluti cum lachrimis precantur, ut pro tanti sceleris culpâ illis ignosceret, qui non suis votis, sed regijs obtemperarent præceptis. Videns itaque vir Dei periculum aliorum fore, si suæ severitati satisfaceret, cum omnium ejulatu atque mœrore egreditur, deputatis * à rege custodibus, qui, quousque ditionis suæ regno pelleretur, non eum relinquerent. Inter quos *Ragamundus* primus erat, qui eum *Nametis* usque perduxit, universis Fratribus velut funus * sequentibus; nam mœror

*Tr. ardui montis cacuminis illius

*Tr. producunt.

Milites ad eum expellendū missi in medio eorum positum non vident.

*Tr. intuitus

* Vidit

Bertharium Comitē rex mittit ad perquirendum & expellendum virum Dei

* direxit.

Dei non est in Tr.

* Obedire

* consuleret.

* à rege non est in Tr.

* subsequentibus

mœror omnium corda repleverat. Anxius pater tantorum membrorum dispendio, cœlos respicit: Æterne, * inquit, Conditor rerum, tu nobis locum præpara opportunum, quo tibi tuæ famulentur in sæcula plebes. Consolatur deinde universam cohortem, ut spem non præcidant, sed omnipotenti Deo immensas laudes rependant: se hoc non dispendium suum, vel suorum * habere, sed ob multiplicandas monachorum plebes hanc datam esse occasionem. Quicumque enim se sequi velint, promptissimo animo ad iniurias sustinendas, secum venirent; qui verò in supradicto cœnobio remanere voluerint, securi in hoc loco remanerent, citò Dominum de eorum mœrore unctionem daturum. Sed cum æquo animo de custodia pastoris segregari non vellent, custodes regii inquiunt, nequaquam hinc sequi se alios permissuros, nisi eos quos sui ortus terra dederat, vel qui è Britannico arvo ipsum secuti fuerant; ceteros qui Gallico orti solo forent, preceptis esse regis inibi remansuros. Hoc * cum egregius Pater cerneret, vi à se sua membra descerpi, tam suus, quã etiam membrorum suorum dolor multiplicabatur. Pro tanti sceleris pondere Dominum omnium consolatorem deprecatur, ut quos à se regia pertinacia segregabat, ipse suâ custodiâ tueretur. Inter quos venerabilis vir, qui posteà in eodem monasterio pater extitit *Eustasius* discipulus & minister sancti viri, violenter avellitur, intendente super cum *Nicetio* avunculo ejus, qui *Lingonicæ* ecclesiæ Pontifex erat. Egressus ergo vir Sanctus cum suis vigesimo anno post incolatum eremi illius, per urbem *Vesontionum, Augustodunumque*, ad *Avellonem* castrum pervenit; sed priusquam ad *Avellonem* perveniret, in via ei custos equorum *Theodorici* occurrit, lanceaque virum Dei traijcere voluit, sed * malevolam animam ultio mox digna prævenit: nam dextrâ, quam adversum Dei levaverat virum, torpente, lanceam ante pedes humo defixit, * ipseque à dæmone correptus, ante vestigia viri Dei ruit. Cernens ille ultione divinâ percussum, die illa noctuque penes se tenuit; cumque sequens rursus dies illuxisset, ad se accersivit, Deoque favente curatus à peste ad propria remeavit. Deinde ad *Caram* fluvium properans, ad domum cujusdam nobilis & religiosæ fœminæ *Theodomandæ* pervenit. Quò cum * venisset, ei duodecim occurrerunt viri, pleni rapido dæmonio furentes, atque ruentes in terram; quos vir Dei protinus oratione curavit. Eâdem autem die ad vicum, quẽ *Coram* vocant, venerunt, ibiq; quinq; phrenesi vexati venerunt, ubi & mox sanati sunt. Et in *Antisiodorũ* properavit, ibique *Regamundũ* allocutus est, quia ipse eũ viâ, quâ ibat, *ducebat; Memento, inquit, ô *Ragamunde*, *quod Clothariũ quem nunc spernitis, intra triennium dominum habebitis, At ille, cur, inquit, talia domine mi dicis? & ille: videbis prorsus quæ dixi, si tunc vitam cum superis feras.

* inquiens
* pati
* At
* Nugenio
Tr. in
Tr. ipse dæmone
Tr mendose * esset
* viri
* Tr. reddunt-res
* quod non est in Tr.

CAPUT XX.

De quibusdam à dæmone liberatis; & quodam cæco restituto, Item de divina vindicta percussoris Luæ *monachi.*

PRogressus exin ab *Antisiodoro* conspicit juvenem à dæmone correptum, pernici ex adverso currere cursu; viginti etenim * milliaribus totis viribus concurrerat. Quo viso substitit, quousque saucius homo dæmonis arte, veniret; veniensque ante virum Dei se discerpens ruit. Quem vir Dei orationibus curavit, patrique sospitem dedit. Deinde ad *Nivernense* oppidum venit, custodibus antecedentibus, ac subsequentibus, ut *Ligeris* scapha reciperetur, Britannicoque sinui redderetur; ubi etiam cum venissent, & tardo conamine scapham insilirent, quidam è custodibus, arrepto remo, unum eorum qui *Lua* dicebatur, percussit, virum Sanctissimum & omni religioni deditum. Quod vir Dei, intuens sua coram se membra cædi, cur, inquit,

Tr. millibus

crudelis addis mœrori, mœrorem? An non sufficit ad vestram ruinam patrati sceleris malū? Cur fessa Christi mēbra cædis? cur contra mitem immitis appares! cur sævitiam in mansuetos prætendis? Memento à divina ultione te in hoc loco percutiendum, in quo Christi membrum furens percussisti. Probavit illatæ sententiæ pœnam ultio mox subsecuta. Nam ut sequenti vice rediens ad eundem portum transiturus venit, divinitùs percussus, in eodem est loco demersus. Quid enim * causę fuerit, ut justus arbiter eandem ultionem in postmodum distulisset, nisi ut tunc Sancti obtutus de ejus vindictâ non macularentur? Inde ad *Aurelianensem* urbem venerunt, quò cum nec aditum ecclesiarum ex regiis sibi præceptis pandi videret, cum grandi mœrore * super ripam *Ligeris* tentoriis contentus paulisper quiescit. Cumque jam sumptuum necessariis indigerent, duos in urbem direxit, ut necessaria quærerent; quorum unus erat *Potentinus* nomine, qui adhuc superest, & in *Armoricano* loco in suburbano *Constantiæ* urbis monachorum cohortem adunavit. Cumque lustrantes urbem nihil reperissent, quia regio timore omnium corda perculsa manebant, viâ quâ urbem intraverant, repedabant, obviamque mulierem habent in platea ex genere *Syrorum*: Quæ cum eos vidisset, sciscitata est, quinam essent. Illi, rei veritate digestâ, aiunt se necessaria quæsisse, nec prorsus invenisse. Illa ait; accedite domini mei ad metatum famulæ vestræ, & quæ sunt necessaria vobiscum vehite; nam & ego advena sum ex longinquo * Orientali solo. Illi ovantes, eam calce secuti, venerunt ad domum ejus, sellâque suppositâ quieverunt donec detulit quod ab eis subvehendum esset ad victum, eratque simul in consessu vir ejus olim, jam luminibus orbatus: de quo sciscitati sunt quis esset. Illa inquit, vir meus est, ex eodem *Syrorum* genere, sicut & ego, quem per multorum circulum annorum lumine privatum traho. Illi inquiunt, si famuli Christi *Columbæ* obtutibus pręsentaretur, suarum orationum interventu lumen posset recipere. At ille promissi muneris * fideiqne nexibus mentem roborat, surgensque eorum est prosecutus cum duce vestigia. Narravit ergo *Potentinus* hospitalitatis munus in peregrinis; nec prorsus verba impleverat, cæcus astabat, precaturque Dei virum, ut suis orationibus ei lumē restituat. Videns ille fidem hominis, omnes poscit, ut pro eo orent, pronusque diu super humum jacuit, surgensque manu oculos attigit, ac post crucis signum, postulatum lumen reddidit. Gaudens ille reddito lumine, domum remeavit, ut videlicet qui interius lumen in hospites non omiserat, exteriore nō careret; sicque exinde turba obsessorum, quos dæmones horrido furore torquebant, ad virum Dei curandi gratiâ properant; daturque salus largita à Domino, ac omnes ibi à viro Dei curati sunt. His virtutibus populus urbis permotus, virum Dei suis * honoribus latenter * alliciebant: non enim * patulè propter custodes quidquam præbere audebant, ne regis iram incurrerent; Deinde arreptum iter peragunt.

Maligno homini divinam prædicit ultionem.

* causæ non est in Tr.

Tr. per

* Oriente.

Tr. fidei

cæco dat lumen, & obsessos à dæmone liberat

* facultatibus

* fulciebant.

* manifestè.

CAPUT XXI.

Ut scapha divinitus ad portum appulsa sit, de pecuniâ furto ablatâ & restitutâ &c.

Navigantes ergo per *Ligerim*, ad *Turonensem* perveniunt urbem. Ubi vir Sanctus custodes precatur, ut * scapham portui appropinquarent, seque ad sepulchrum *B Martini* Confessoris ire sinant. Quod abnuentes custodes, navigare veloci cursu compellunt, remigeros urgent, ut omni virtute cursu celeri portum transeant, gubernatori imperant, ut medio fluminis alveo scapham teneat. Quod videns *B. Columbanus*, mœstum vultum ad cœlum erigit, compellans se tantæ mœstitiæ subdi, ut ne Sanctorum sepulchra visere permittatur. Urgentibus ergo omnibus, mox ut contra portum ventum

* Scapha appropinquaret.

Scapha ad preces B. viri sine remiged iv initur ad portum invitis rectoribus appellit.

ventum eſt, velut quibuſdam anchoris fixis ſcapha ſtare cœpit, & ad portum caput dirigere. Quod cũ cuſtodes obſtare nõ poſſent, inviti ſcapham quò velit ire ſinunt. Mirũ in modũ medio è fluvio *Chilos* ad portum pennigero ceu volatu pervenit, portuque recepto viro Dei viam pandit. Gratias ille Regi refert æterno, qui ſuis ſic obtemperare non dedignatur*. Egreſſus ſanè ad ſepulchrum *S. Martini* accedit, totâ ibi nocte in oratione excubat. Illuceſcente verò die à *Leupario* urbis illius Epiſcopo invitatus ad eſum, ire non abnuit, præſertim ob ſuorum requiem Fratrum, moraturque eo die cum ſupradicto Pontifice: qui cum horâ refectionis cum eo ad menſam reſideret, interrogatus, cur ad patriam retrò repedaret, reſpondit: canis me *Theodoricus* meis à Fratribus abegit. Tunc unus ex convivis, *Chrodoaldus* nomine, qui amitam *Theodoberti* regis in * matrimonio habebat, regi tamen *Theodorico* fidelis erat. Hic viro Dei humili voce reſpondit, melius eſſe lacte potari, quàm abſynthio; cui vir Dei, cognoſco, ait, te regis Theodorici fœderis iura ſervare velle. At ille fatetur, ſe fœdus fidei promiſſæ, quamdiu valeret, obſervare. Cui B. Columbanus reſpondens: ſi, inquit, regi *Theodorico* vinctus es fœdere, amico tuo & domino lætus eris à me legatus directus. Hęc ergo ejus auribus infer, & ipſum & ſuos liberos intra triennii circulum eſſe delendos, radicituſque ejus ſtirpem Dominum eradicaturum. Cur, inquit ſupradictus vir, talia famule Dei promis? At ille: non enim queo ſilere quæ mihi Dominus loquenda tradidit. Quod poſtmodùm omnes Galliæ nationes ſenſêre impletum, confirmavitque ſuperiùs ſententiam illatam. Sublato deinde prandio, vir Dei ad ſcapham remeat, reperitq; ſuos magnâ triſtitiâ depreſſos; inquirenſque invenit in præteritâ nocte, quæ in ſcapha habuiſſent, furtim perdidiſſe, ſimulque aureos, quos in pauperes non erogaverat, ablatos. Quo audito, vir Dei ad *Martini* Confeſſoris ſepulchrum repedat, queſtuſque * eſt ſe non idcircò excubias excubaſſe, ut ſua ſuorumque ſineret damna patrari Fratrum. Nec moratis qui ſaccellum cum aureis furatus erat, cœpit inter flagella corporis clamare & dicere, illo & illo in loco aureos occultatos haberi. Quod videntes ſocii omnes currunt * furtoq; ſublata, omnia reddunt*, & virum Dei precantur, ut tanti ſceleris culpas ignoſcat. Quod miraculum omnibus terrorem incuſſit, ut deinceps qui iſta audierant, velut ſacrata, omnia quæ ad virum Dei pertinebant, attingere non auderent. Præbens itaque neceſſaria *Leuparius* viro Dei valedicit. Navali ergo itinere ovans uſque Nannetenſe oppidum pervenit, ibique aliquantiſper moratus eſt. Quò cum quadam die quidam egenus ante fores cellulæ, in qua vir Dei metatus erat, clamaret, vocato ille miniſtro, ait: præbe alimoniam poſcenti. At ille: non eſt nobis, ait, panis, niſi tantùm paululum farinæ. At ille: quantum, inquit, habes? teſtatur ille, amplius ſe non habere, ut rebatur, quàm farinæ modium. Da ergo totum, dicit, nec quicquam reſerves in craſtinum. Obediens miniſter, totum ſimul pauperi tribuit, nihil ad neceſſitatem communem reſervans. Jejunantibus ergo illis, tertia jam dies illuxerat, nihil penes ſe habentibus, præter fidei & ſpei gratiam, unde feſſis jejunio membris ſubvenirent. Subitò audiunt fores ſigno quemdam terere; cumque oſtiarius ſciſcitaretur, cujus rei neceſſitas poſceret ſono fragoris aures Fratrum inquietare, is qui fores terebat ait, ſe à domina ſua, *Procula* nomine, directum eſſe, quę diviniùs admonita, ut ſumptus viro Dei Columbano, atque comitibus ejus, qui apud *Nannetenſe* oppidũ morantur, dirigeret, habereque in proximo; ſe ideò perveniſſe, ut vaſa quò reciperentur, pararent, centum * dicens modios eſſe vini, ducentaque frumenti, ſed & * bracis centum modia: quod oſtiarius celeri curſu Patri indicare properat. At ille, ſine, inquit, Fratrumque cœtum adunari præcipit, ut ſimul poſiti pro largitate Dominum deprecentur, ſimulque grates referant Conditori, qui ſuos conſolari non deſinit in * omnibus famulos, & pòſt munus oblatũ recipiant. O mira Conditoris pietas! Egere ſinit, ut ſua dona egentibus largiendo demonſtret; tentari permittit, ut in tentatione ſubueniens, uberiùs ſuorum in ſe excitet corda famulorum; ſua membra ſævis laceranda tradit, ut circa ſanaturum medicum multiplicata dilectio confirmetur. Aliaque ſimul femina nobilis & religioſa * *Doda* nomine, direxit ducenta frumenti, ac promiſcuè

Margin notes:

* *Chilos* non eſt in Tr.
* *ſervis*
* Invitatur ad prandium à Leupario Epiſcopo.
* * coniugium.
* Predicit interitũ regni & ſtirpis Theodorici.
* * *eſt* deeſt in Tr.
* * *furtoque* deeſt in Tr.
* * *&* non eſt in Tr.
* * Tr. mendoſè *Manatenſe*.
* * Tr. *quantiſper*.
* * *dicens* non eſt in Tr.
* * Tr. *bracis centum* totidemque *modia*.
* * Tr *inquit, ſe ſc ire*
* * omnibus neceſſitatibus
* * *Dola*

miscuè centum modia, quæ causa maximam verecundiam urbis illius Pontifici excitavit, nomine *Soffronio*; à quo cùm nihil muneris impetravissent, nec quidquam commutando capere potuêre. Vbi cum moraretur, quædã mulier, dæmonis peste plena, cum filiâ itidem tali attrocitate repletâ venit; quas cum *Columbanus* vidisset, communem pro eis Dominum exoravit, sanitatique pôst redditas, metatui suo redire præcepit.

Duas dæmoniacas sanat.

CAPUT XXII.

Vt navis ad littus reiecta sit, & ut adversarij eius B. virum venerati sint.

Mamnetensis mendose.

POst hæc *Soffronius* * Nannetensis urbis Episcopus, unà cum *Theobaldo* Comite, iuxta regis imperium, B. *Columbanum* in nave susceptum, ad *Hiberniam* destinare properant. Sed vir Dei inquit, si navis, quæ finibus *Hiberniæ* reddatur, adest, omnem supellectilem, comitesque suscipiat; ego interim scaphâ receptus, *Ligeris* undâ vehar, quousque ad maris alta deferar. Reperta ergo navis, quæ *Scotorum* commercia vexerat, omnem supellectilem, comitesque, suscepit. Cumque iam remigerâ arte, prosperantibus Zephyris, navis ad alta maris tenderet, undarum moles evenit, navemque ad littus * ire coegit, planoque terræ solo depulsam reliquit, collectoque flatu in finibus æquor quievit, mansitque triduo absque undis carina. Intellexit ergo dominus navis, ob viri Dei supellectilem comitesque receptos, se esse detentum. Fuit tandem consilium: rejecit omnia à navis finibus quæ ad virum Dei pertinebant. Nec mora: undarum moles adfuit, carinamque ad alta provexit. Mirantes itaque omnes, cognoverunt non esse voluntatem Dei, ut retrò amplius repedaret. Ad metatum ergo suum, quo prius erat, redit * nec ullo jam obstante quò vellet ire; sed magis prout quisque poterat, virum Dei honoribus ac sumptibus fulciebat. Nec defuit quidquam præsidii, dum in omnibus Conditoris manebat * auxilium; quia prorsus nunquam obdormiet qui sub umbra alarum suarum Israel tegit. Sic nempe omnibus omnia largiendo demonstrat, ut ab omnibus pro munerum suorum glorificetur largitione.

* redire

* audit

* auxilio. Psal. 120.

CAPUT XXIII.

Ut ad Clotharium regem pervenerit.

MOratus ergo ibi paululum, pôst ad *Clotharium*, *Hilperici* regis filium, qui in *Austrasijs*, *Francisq;* regnabat, in extrema Gallia ad Oceanum positis, pergit. Porrò Clotharius audierat, quantis, qualibusuè iniurijs virum Dei *Brunechildis* ac *Theodoricus* fatigaverant; quem cùm vidisset, velut cœleste munus, recepit, ovansque precatur, ut si vellet, intra sui regni terminos * resideat, seque ei pro voluntate famulaturum. At ille, nequaquam ait his in locis se consistere velle, vel ob suam peregrinationem augendam, vel illis inimicitiarum occasionem sedandam. Tenuit ergo eum *Clotharius* quantis potuit penes se diebus, castigatusque ab eo ob quosdam errores, quibus vix regia aula caret, spondet se *Clotharius* iuxta eius imperium omnia emendaturum; erat enim Clotharius solers in amore sapientiæ; inventum

Clotharius rex illum honorificè excipit.

Tr. *resideat*.

emendationem promittit.

ventum ergo optatum munus * gratificabat. Morante ergo eo penes Clotharium, lis oritur inter *Theodobertum* & *Theodoricum*, disceptantibus utrisque de regni termino, & uterque ad *Clotharium* legatos dirigit, uterque adversum* fratrem auxilium postulat. Quod *Clotharius* B. Columbano insinuare procurat, consulens ut si videretur eius *consilij, se uni consentiendo, contra alium dimicare. Ad quem ille prophetico repletus spiritu ait, neutris * eum consilijs pariturum fore, suam intra triennij tempus in ditionem utrorumque regna venire. Videns *Clotharius* à viro Dei talia sibi prophetico ore dici, neutri parere voluit, sed promissum sibi tempus fideliter expectans, pòst potitus est triumpho victoriæ.

** gratificabatur.* ** parem* ** consilio* ** Tr. &c. Prædicitur successurus Theodoberto & Theodorico.*

CAPUT XXIV.

Ut Parisios venerit, dæmoniacumque sanarit.

POst hæc egit apud *Clotharium* vir Dei, ut sibi solamen largiretur, quatenus per *Theodoberti* regnum, si valeret, ad Italiam, Alpium iuga transcendens, perveniret. Datis ergo comitibus, qui eum usque ad *Theodobertum* perducerent, itinere arrepto, ad *Parisium* urbem pervenit. Quò cum venissent, occurrit ei homo in porta habens spiritum immundum, debacchans ac discerpens, & garrulans, querulo sciscitatur virum Dei affamine, quid his vir Dei agis in locis? raucoque anhelitu à longè virum Dei Columbanum advenire dudum clamabat. Quem cum vir Dei vidisset ait: Egredere pestifer, egredere, nec corpora Christi lauacro abluta, diu obsidere præsumas: cede virtuti Dei, &, Christi nomine invocato, contremisce. Sed eum diu sævis atrisque * verbis obstaret, vir Dei manum ori eius injecit, linguamq; attrectat, & in virtute Dei imperat, ut egrediatur. Tunc horridâ vi * eum discerpens ut vix nexibus teneretur, cum viscerum motione, ac vomitu moto * progressus, tantum fœtorem adstantibus dedit, ut sulphureos se crederent faciliùs tolerare odores.

fævissimum dæmonem eiicit. ** viribus.* ** Tr. &c* ** vomituum motu*

CAPUT XXV

Ut à Chagnerico & Authario viris clarissimis comiter acceptus sit.

DEinde ad *Meldense* oppidum properat; quò cum vir quidam nobilis * *Chagnericus*, *Theodoberti* conviva, vir sapiens, & consilijs regis gratus, & nobilitatis sapientiâ vallatus inesset, is miro virum Dei gaudio recepit, seque habere curam spopondit, qualiter ad *Theodoberti* aulam accederet; non esse necesse, alios comites è regio latere * habere: ad hoc enim aliorum differebat subsidium, ut virum Dei secum quamdiu valeret, teneret, & ejus doctrinâ domus sua nobilitaretur. Benedixit ergo vir Dei domum ejus, filiamque ejus nomine *Burgundoforam*, quæ infra infantiæ annos erat, benedicens, Domino vovit; de qua postea in subsequentibus narrabimus. Progressusque inde venit ad villam quamdam *Wlciacum*, quæ supra amnem *Matronam* sita est: ibi receptus à quodam viro *Authario* nomine, cujus conjux *Aiga* dicebatur, erantque his duo filij infra infantiæ annos detenti, quos mater ad benedicendum viro Dei obtulit; videns ille matris fidem, infantulos suâ benedictione sacravit. Qui * pòst, mox ut pubescere cœperunt, Clothario regi primùm, ac deinceps *Dagoberto*, gratissimi habiti

** Chennericus.* ** non habere* *benedicit Burgundoforam.* *& tres filios Autharii.* ** Tr. postquam*

sunt; sed postquam sæculi gloriâ fuerant illustrati, anhelare cœperunt, ut per gloriam sæculi non carerent æternâ. Quorum maior natu, *Ado* nomine, semet suis voluptatibus abdicavit; posteà intra *Iurani* saltus, monasterium ex B. Regula Columbani construxit, iuniorque nomine *Dado* intra *Briegensem* saltum supra fluviolum *Resbacen*, ex supradicti viri Regula monasterium construxit. Tanta in * virum Dei gratia redundavit: ut quoscumque sacravit, in boni cultus perseverantiâ dies suprema *invenit*. Illud oppidò jure dictum sit; quos de industria * monuit, gavisi sunt posteà se impunitatem meruisse. Nec immeritò tanti viri fultus adminiculo, partæ gratiæ potitus est supplemento, qui ejus doctrinis innixus, noluit à justæ * vitæ tramite deviare.

quorum erga illum devotio magna

* viro

* invenisset

* aliquo jure dictum sit, ut

* monuisset

* Tr. via

CAPUT XXVI.

Ut à rege Theodoberto acceptus sit, ut gentiles quosdam converterit, ut cœlitus alimenta acceperit.

EXinde ad *Theodobertum* venit: quem cum *Theodobertus* vidisset, ovans suis sedibus recepit. Jam enim multi Fratrum post eum ex Luxovio venerant; quos ille velut ex hostium prædâ ereptos recipiebat. Pollicitusque est *Theodobertus* se reperire intra suos terminos loca venusta & famulis Dei ad omnem opportunitatem congrua, proximasque ad prædicandum Nationes undique haberi. Ad hæc, si, inquit vir Dei, pollicitationis tuæ adminiculum * præbueris, & vadimonio falsitatis noxa non * opponeretur * aliquantisper me moraturum promitto, ac probaturum si in cordibus gentium vicinarum fidem serere valeam. Dedit ergo rex optionem, quacumque in parte voluisset, experimento quereret locum, qui sibi & suis placuisset: inquisitumque invenerunt locum, quem favor omnium reddebat laudabilem, intra *Germaniæ* terminos, *Rheno* tamen vicinum oppidum, olim dirutum, quod *Brigantia* nuncupabant. Sed quid tunc vir Dei, dum per *Rheni* alveum navigaret, egerit, non est silendum. Quadam Dei dum per Rheni alveum navigarent, ad urbem, quam *Moguntiacum* veteres appellarunt, perveniunt. Quò cum venissent, remigeri, qui in comitatu viri Dei à rege directi fuerant, viro Dei aiunt, se habere amicos in urbe, qui necessarios sumptus præberent: iam enim defecerant itinere longo stipendia sumptuum. Quibus vir Dei ait: ite. Qui cum abiissent, nihil repererunt; reversique viro Dei interroganti, respondent, se nullatenus ab amicis aliquid impetrare potuisse. Ad hæc ille: finite me, inquit, paululum ad meum abire amicum. Mirantur illi, unde hic illo in loco, quò antè non venerat, amicum haberet. Progressus inde, ad Ecclesiam pergit;* quam ingressus, pavimento inhærens, longâ orationis protractione suum Dominum pietatis postulat authorem. Nec mora, Episcopus urbis illius, domo progressus, ad Ecclesiam venit, repertumque *B. Columbanum* sciscitatur, quis sit. At ille fatetur peregrinum se esse. Cui ille: si, inquit, necesse est sumptuum capere copiam, propera ad domum, & quantum necesse fuerit, tecum defer. At ille cùm gratias simul Conditori qui inspiraverat, ac illi qui optatam necessitatis copiam offerebat, referret, attentiùs ille cogit ac imperat, ut omnia opportuna sumat; puerosque festinos ad navem ipse dirigit, ut omnes perveniant, preter custodem unum dimissum, & quæcumque velint secum * deportent. Quod ne cui casu evenisse videatur: solitus erat posteà idem Episcopus protestari, nunquam se anteà sic attentum in tribuendo necessaria fuisse, & se absque aliâ opportunitate ob Beati *Columbani* meritum, divinâ admonitione ad Ecclesiam venisse. Ad destinatum deinde perveniunt locum; quem peragrans vir Dei, non suis placere animis ait; sed tamen ob fidem in gentibus serendam,

à Theodoberto benignè susceptus

* prabei.

* opponitur

* quanto; Tr.

Brigantiam adit & incolit.

* Tr. qui

* Tr. qui

dam, inibi paulisper moraturum se spopondit; sunt etenim inibi vicinæ nationes *Suevorum*. Quo cum moraretur, & inter habitatores loci illius progrederetur, reperit eos sacrificium prophanum libare velle, vasque magnum, quod vulgò *cupam* vocant, quod viginti modia plus minusuè capiebat, cervisiâ plenum in medio positum. Ad quod vir Dei accessit, sciscitaturque quid de illo fieri vellent. Illi aiunt se deo suo, **Vodono* nomine, velle litare, quem Mercurium, ut alii ajunt, autumant esse. Ille pestiferum opus audiens, vas insufflat, miroque modo vas cum fragore dissolvitur & per frusta dividitur, *vasque rapido cum liquore cervisię prorumpit, manifesteque datur intelligi, diabolum in illo vase fuisse occultatum, qui per profanum liquorem caperet animas sacrificantium. Videntes barbari, stupefacti aiunt, magnum virum Dei habere anhelitum, qui sic possit dissolvere vas ligaminibus munitum.* Castigatos itaque Evangelicis dictis, ut ab his segregarentur sacrificiis, domum redire imperat; multique tunc eorum per beati viri suasum vel doctrinam, ad Christi fidem conversi, baptismum sunt consecuti, aliosque quos jam lavacro ablutos error detinebat profanus, ad cultum Evangelicæ doctrinæ monitis suis, ut bonus Pastor, Ecclesiæ finibus reducebat. Eo itaque in tempore *Theodoricus* atque *Brunechildis*, non solum adversus *Columbanum* insaniebant, verumetiam contra Sanctissimum *Desiderium* Viennensem * Episcopum adversabantur. Quem primò exilio damnatum, multis injuriis affligere conabantur; ad postremum verò, glorioso martyrio coronaverunt: cujus gesta scripta* habentur, quibus & quantis adversitatibus gloriosos apud Deum habere meruit triumphos. Vagante itaque Columbano cũ suis penes *Brigantiam* urbem, duræ egestatis tempus evenit. Sed quamvis alimoniæ deessent, manebat tamen intemerata atque inconcussa fides, quæ necessaria apud Dominum impetraret. Cumque iam triduo jeiunio fessa corpora * referrent, euenit tanta copia alitum, velut Israelitarum castra coturnix olim operuit, ita ut omnem * compaginem loci illius alitum multitudo oppleret. Intellexit vir Dei, suam suorumque ob necessitatem, has dapes terræ diffundi, nec prorsus alibi obvenire, prę-

vas halitu rumpit.

Tr. *Castigatos* multos convertit.

* *Viennen.* urbis

* f. *habent*

* *ferrent* Num. 11.

* *paginam*

alitum greges ad eum divinitus destinati.

ter eo quo ipse moraretur in loco. Iubet prius suos gratias, laudesque rependere Conditori, sicque alitum dapes capere. Erat enim mirum & stupendum miraculum: capiebantur aves prout Patris imperium urgebat, nec abscedere pennigerâ fugâ nitebantur. Mansit ergo alitum manna per triduum diffusa; quarto deinde die quidam Pontifex è vicinis urbibus frumenti copiam divinâ monitus aspiratione beato *Columbano* direxit; sed mox Omnipotens, qui penuriam patientibus aligeros præbuerat cibos, ut farris adeps advenit, alitum phalanges imperavit abire. Nam *Eustasio* hæc cognovimus referente, qui eo tempore inter reliquos sub viri Dei obedientiâ inibi detinebatur adnexus, quod nullus fuerat in caterva, qui antea talium genera alitum se vidisse referret, & tantus sapor in cibo aderat, ut regias vinceret dapes. ô mirum divinę potentiæ donum! quando terrenæ dapes cultoribus Christi desunt, tunc demum cœlestia tribuuntur; sicut de Israel dictum est: *panem cœli dedit eis*. Cùm autem terrenæ opes subvenerint, tunc gratis amoventur illatæ. Ipso in tempore cum sub quodam scopulo, intra vasta eremi jeiunio corpus conficeret, & nihil aliud præter ruris poma, quorum superiùs fecimus mentionem, in cibos caperet, venit ad sueta abditæ voracitatis fera ursus, cœpitque necessarios dilambere cibos, ac passim poma ore detrahere. Cumque hora refectionis advenisset, * *Magnoaldum* ministrum direxit, ut consuetam mensuram pomorum deferret. Qui cum abijsset, ursum inter ruris frutices, rubosque pervagari perspexit* ac poma lambendo carpere; festinusque redit, & indicat Patri. Ille imperat ut eat, partemque fruticum in cibos feræ dimittat, aliam sibi partem reservare iubet. Abijt quoque * *Magnoaldus* ac jussa patris implevit, divisitque virgâ frutices, rubosque, quæ poma ferebant, & partem suã juxta viri Dei imperium ait ut fera comedat, aliamq; partẽ in usus viri Dei reservet. Mira in fera obedientia! nequaquã ex prohibita sibi parte ausa est capere cibos, sed in segregatâ permissâ sibi fruticũ parte tantũmodò pabula requisivit, quoadusque vir Dei in eo loco commoratus est. Interea cogitatio in mentem ruit, ut* *Venetiorũ* qui & *Sclavi* dicuntur, terminos

Frumentum quoq; Dei jussu advectum

Psal. 77.

* *Chagnoaldum*

* *ac* deest in Tr.

* *Chagnoaldus.*

* *Venetiorum*

terminos, adiret. cæcasq; mentes Evangelicâ luce illustraret, ac ab origine per* avia aberrantibus veritatis viâ panderet. Cumq; votis patrandum hoc inesset, Angelus Domini per visum apparuit, parvoq; *ambitu, velut paginali solent stilo * orbis describere circulum, mundi compagem monstravit: cernis inquit, quod maneat totus orbis desertus? perge dextrâ lævâque quà eligis, ut fructum tui laboris comedas. Intellexit ergo ille non esse gentis illius in promptu fidei profectus, quievitque in loco donec aditus ad *Italiam* viam panderet.

* avia

* Ti habitu St. verbi

Angelus ei in parva tabula orbem repræsentat.

CAPUT XXVII.

De bello regum, de viri Dei revelatione & Theodoberti proditione

INterea inter *Theodoricum* & *Theodobertum* lis firmatur, ac quisque adversus fratrem usque ad internecionem desævit, utrisque gentium robore superbientibus; inter quæ vir Dei ad *Theodobertum* accedit, eique suadet, ut cœptæ arrogantiæ supercilium deponeret, seque Clericum faceret, & in Ecclesia positus sacræ subderetur religioni, ne simul cum damno præsentis regni, vitæ æternæ pateretur dispendia. Quod & regi & omnibus circumstantibus ridiculum excitat, aientes se nunquam audisse * regem in regnum sublimatum, voluntarium Clericum fuisse. Detestantibus ergò omnibus, Beatus *Columbanus* ait: si voluntarius nullatenus Clericatus honorem sumat, in brevi invitus Clericus existet. His ergò dictis, vir Dei in Cellulam suam remeat, moxque prophetici dicti eventum res non diu dilata affirmat. Nec mora *Theodoricus Theodebertum* ad bellum, ciet & * propter *Tullum* devictum fugat, postque collecto robore persequitur, similique modo gentium multarum *Theodobertus* robore vallatus, ad *Tulbiacense* castrum pugnaturus occurrit. Ibi prælio inito innumeræ phalanges ex utroque exercitu perierunt. Victus tandem *Theodobertus* fugit. Eo igitur in tempore vir Dei in eremo morabatur, contentus tantum unius ministri *Magnoaldi* famulatu. Eâ ergo horâ, quâ apud *Tulbiacum* commissum est bellum, super quercus putrefactæ truncum vir Dei librum legens sedebat: quem subitus sopor oppressit; & quid inter duos reges ageretur, vidit; moxque excitatus, ministrum vocat, cruentamque regum pugnam indicat, multum humanum sanguinem fundi suspirat; cui temerario conatu minister ait: Pater mi, *Theodoberto* tuis precibus præbe suffragium, ut communem debellet hostem *Theodoricum*. Ad hæc Columbanus: stultum ac* religione alienum consilium administras; non ita Dominus voluit, qui nos pro inimicis rogare iussit: in arbitrio est iam iusti Judicis quid de eis fieri velit. Inquisivit ergo post minister temporis diem & horam, reperitque ita fuisse sicut viro Dei fuerat revelatum. Persecutus est *Theodoricus Theodobertum*, & suorum proditione captum, ad aviam *Brunechildem* direxit. Quem cum avia recepisset, quia *Theodorici* partibus *Brunechildis* favens erat, furens *Theodobertum* clericum fieri rogavit. At non post multos dies, impiè nimis post Clericatum perimi iussit.

Ipse Theodoberto nolenti clericatum assumere

* alii cod. *Merungum* alii melius *Merovingum* i. regem de stirpe *Merovei*.

predicit invitè assumptionem

* al. propè.

videt absens & enuntiat in prælio gesta.

* f. al.

CAPUT XXVIII.

CAPUT XXVIII.

De interitu Theodorici & liberorum eius nece, prophetiaque viri Dei in Clothario impleta.

PORrò *Theodoricus* penes *Metense* moratus oppidum, divinitùs percussus, inter flagrantis ignis incendia mortuus est. Post quem, *Brunechildis*, filium ejus *Sigebertum* in regnum suffecit. Itaque *Clotharius*, memor prophetiæ viri Dei, collecto exercitu, fines regni, qui suæ ditioni debebantur, conatur recipere. Contra quem *Sigebertus* cum hostiũ cuneis pugnaturus advenit. Quẽ *Clotharius* captũ peremit, Fratresq; quinque *Theodorici* filios cum proavia *Brunechilde* cœpit. Pueros separatim peremit; *Brunechildem* verò primò ignobiliter camelo impositam, hostibus gyrando monstravit; posteà indomitorum equorum caudis irretitam miserabiliter vitâ privavit. Funditùs ergo radicitusque, deletâ *Theodorici* stirpe, *Clotharius* potitus est trium regnorum solus monarchiâ. Quo facto *B. Columbani* prophetia est in omnibus impleta; uno intra triennium cum omni stirpe deleto, alio violenter clerico facto, tertio trium regnorum possessione ac dominatione dilatato.

CAPUT XXIX.

Ut vir Dei venerit in Italiam, Bobiense monasterium erexerit, & migrârit ex hac vitâ.

BEatus ergo *Columbanus* cum vidisset, ut supra diximus, devictum à *Theoderico Theodobertum*, relictâ Galliâ atque Germaniâ, Italiam ingreditur, ubi ab *Agilolfo* Longobardorum rege honorificè susceptus est. Qui largitâ optione, ut intra Italiam in quocumque loco voluisset, habitaret, ibi Dei consultu actum est, dum ille penes *Mediolanum* urbem moraretur, & hæresis eorum fraudes, id est, *Arriana* perfidię, Scripturarum cauterio* discerpi ac dissecari vellet: contra quos etiam libellum florentis scientiæ edidit. Vir quidam nomine *Iocundus* ad regem venit, qui regi indicat se in solitudine, ruribus *Apenninus*, Basilicam B. Petri Apostolorum principis scire, in qua virtutes expertus sit fieri, loca ubertate fœcunda, aquis irrigua, piscium copiosa; quẽ locũ veterum traditio *Bobium* nuncupabat, ob rivũ eodẽ nomine, eo fluentẽ in loco, amnemque alium profluentem, nomine * *Tripheam*, super quem olim *Hannibal* hiemans, hominum, equorum, elephantorum, atrocissima damna sensit. Ubi cum * vir Dei venisset, omni cum cum intentione Basilicam inibi semirutam inveniens, prisco decori renovans reddidit. In cujus restauratione mira virtus Domini panditur. Nam cùm per præruptos saxorum scopulos, trabes ex abietibus inter densa saltus, locis inaccessibilibus cæderentur, vel alibi cæsæ, inibi casu elapsæ aspero, aditus plaustrorum denegarent, mirum in modum trabem, quam triginta vel quadraginta plano solo positam, vehere non valebant, ibi cum duobus vel tribus, prout ardui collis meatus patebat, vir Dei accedens, suis ac suorum humeris immane pondus imponebat, ut qui ibi anteà pro asperitate itineris libero gressu vix graderentur, onerati mox trabiũ

Honorificè exceptus ab Agilolpho rege.

* *discerpere ac dissecare.*

* *Treviam.*

* *Vir Dei additur ex Impr.*

pondere festini gradiebantur, ut versâ vice qui onera ferrent, ac si ab aliis veherentur, firmis vestigiis, velut otio vacantes, ovantes irent. Videns itaque vir Dei tanti auxilii supplementum, suos hortatur, ut arreptum opus læti perficiant, animoque roborati, eâ consistere in eremo studeant, Deiq; in hoc voluntatē esse affirmat: sectaque tecti culmina ac murorum restaurat ruinas, ceteraq; quæ ad monasterii necessitatem pertinent, construit & reparat. Intereà memoratus *Clotharius*, viri Dei prophetiæ effectum in se fuisse impletum cernens, S. *Eustasium*, qui ejus in loco *Luxoviense monasterium* regebat, ad se venire imperat, quem pio affamine rogat, ut sibi cum supplemento publico legatione fungi curet, sociosque quos vellet nobilium virorum haberet, qui sui vadimonii arbitri essent, postq; beatum Columbanū pergerent, quocumque reperissent in loco, eleganti suasu ad se venire hortarentur. Perrexit itaque venerabilis discipulus, magistri vestigia prosecutus; qui cum ad eum venisset, *Clotharii* verba depromit. Viso ergo *Eustasio* beatus *Columbanus* gavisus, recepti muneris aditu gratulatur: retentumque penes se* aliquantisper, hortatur ut sui laboris reminisceretur, cohortem Fratrum disciplinæ habenis erudiret, * multorūq; collegio Christi plebē adunaret, suisq; institutis educaret. Dimissum posthæc ad *Clotharium* remeare jubet, talibusq; responsis regias mulceri imperat aures: seque retrò repedare nullatenus ratum duceret: tantummodò poscere, ut sodales suos, qui *Luxoviū* incolebant, regali adminiculo ac præsidio * foveret: & litteras castigationum affamine plenas regi dirigit. Gratissimum munus rex velut pignus fœderis viri Dei ovans recepit: Nec ejus petitioni oblivionis noxam præponit; omni præsidio supradictum monasterium munire * studet, annis censibus ditat, terminos undique prout voluntas venerabilis Eustasii erat, auget, omniq; conatu ad auxilium inibi habitantium, ob amorem viri Dei intendit. Porrò beatus Columbanus, expleto anni circulo, in antedicto cœnobio Bobiensi, beatâ vitâ functus nono Calendas Decembris, animam membris solutam cœlo reddidit, cujus strenuitatem si quis nosse velit, in ejus dictis reperiet. * Reliquiæ ejus eo habentur in loco conditæ, ubi virtutum decore pollent, Christo præsule, cui est gloria in sæcula sæculorum, amen.

* Tr. quantisper.

* f. multarum.

* f. foveat.

* studuit.

CAPUT XXX

Ut mortem S. Columbani S. Gallus & revelatione & ex nunciis cognoverit.

Hoc caput est mutuatum ex vita S. Galli.

TEmpore subsequuti cœpit virtutum cultor eximius (S. Gallus) Oratorium construere, mansiuneculis per gyrum dispositis, ad commanendum Fratribus, quorum iam duodecim, monastici sanctitate propositi roboratos, doctrinâ & exemplis ad æternorum desideria concitavit. Quadam itaque die, dum post laborem matutinalis Officii, quiescendi gratiâ lectos suos reviserent, primo diluculo vir Dei vocavit *Magnoaldum* Diaconū suum, dicens illi: instrue sacræ Oblationis ministerium, ut possim divina sine dilatione celebrare mysteria. Et ille, nū, inquit, tu Pater Missam celebrabis? Dixit ergo ad illum: post hujus vigilias noctis cognovi per visionem, Dominum & Patrem meum *Columbanum* de hujus vitæ angustiis hodiè ad Paradisi gaudia commigrasse, pro cujus itaque requie sacrificium laudis debeo immolare. Et signo pulsato Oratorium ingressi, prostraverunt se in oratione, & cœperunt Missas agere, & precibus insistere pro commemoratione *B. Columbani*. Finito sacræ devotionis officio, venerabilis *Gallus* dixit ad *Magnoaldum* Diaconū; fili, non tibi grave videatur petitionis meæ pondus, sed arripe viam, & Italiam petito, pertransiensque usque ad monasterium, quod *Bobium* nominatur, diligenter

S. Gallus discit cœlitus obitum S. Columbani

* f. suum.

dein S. Magnum ad Bobiense Monasterium mittit.

diligenter perquirito, quid actum sit circa Abbatē meum. Nota ergo diem & horam, ut si eum compereris esse defunctum, possis agnoscere, utrum visio mea veritatis fulciatur effectu. Hæc ergo omnia sollicitâ investigatione perdiscens, regressus nunciabis mihi. Diaconus ad pedes magistri provolutus, ignotū sibi iter esse conquestus est: sed vir beatus voce blandâ eum, ne timeret, admonuit, perge, inquiens, & Dominus diriget gressus tuos. Hac consolatione roboratus pii doctoris alumnus, præcepto paruit, & accepto benedictionis viatico, viam festinanter aggressus est. Cumque pervenisset ad monasterium ut volebat, invenit omnia ita contigisse, sicut Patri suo per visionem fuerant revelata. Mansit autem ibi unâ nocte, & accepit à Fratribus epistolam ad *B. Gallum*, continentem venerandi transitum *Columbani*, qui & baculum ipsius, quem vulgò *Cambatā* vocant, per manū Diaconi transmiserunt, dicentes, Sanctum Abbatem ante transitum suū jussisse, ut per hoc notissimum pignus *Gallus* absolveretur. Dimissus autem ab illis, iter acceleravit, & prosperè in omnibus agens, die octavâ pervenit ad Dominū suum & Patrem, ferens epistolam relationis, & absolutionis indicium. Lectâ epistolâ, *S. Gallus* charissimi Patris amorem pleno retinens corde, lachrimas profudit uberrimas, & collectis Fratribus, causas mœroris aperuit. Deinde tanti Patris memoriam precibus sacris & Sacrificiis salutaribus frequentârunt.

Accepit Bobiensium epistolam & Cambatam S. Columbani.

cujus memoriam ipse pariter & sui sacrificiis celebrarunt.

MIRACULA S. COLUMBANI ABBATIS

AB

ANONYMO QUODAM ANTIQUO CONSCRIPTA.

Transumpta ex MS. Codice Bibliothecæ D. Thuani in suprema Galliarum Curia Præsidis.

PRÆFATIO AUTHORIS.

QUæ Dominus noster per merita Patroni nostri Sanctissimi Columbani Abbatis pandere dignatus est, ab ortu nativitatis ejus usq; ad ipsius * in partes Bobienses; seu & de constructione ipsius cœnobii, vel obitu ejus, *Jonæ* cujusdam studio, transcripta exprimere, ceteraque quæ adhuc ipse vivens gessit in supradicto loco, quia præfatus vir silendo prêteriit, ut ne tanti viri gesta vel miracula oblivioni traderentur, jussum est mihi à quodam præceptore meo, ut proprio stilo, quomodo valerem, transcriberem. Quod ego denegare non ausus sum, quia vapulare metuebam; & cum essem indoctus, inchoare timebam: qua de re undique præmebant me angustiæ. Sperans tamen in eum, qui linguas infantium facit disertas, & qui per Prophetam clamat, *aperi os tuum, & ego implebo illud*, quòd ille mihi minimo intellectum posset tribuere per misericordiam, quod deerat per ætatem, ad ea juxta meam parvitatem recitanda, toto me desiderio mancipavi: & excogitet quisquis, quod audacter vel propriis viribus confisus, sarcinam tantæ molis arripuerim. Sed quia jussio prêceptoris me ad hoc opus impulit, nec fas fuit ejus, sicut jam retuli, jussionibus non parere. Nihil itaque mihi conscius, sed prius ad Dominum mente conversus suppliciter postulavi, ut vel scintillam Sancti sui Spiritus mihi parvulo non denegaret ad ea enarranda, quæ jussus fueram: aliter enim nequibam, sicut ipse dicit: *Sine me nihil potestis facere.* Discant etiam æmuli non me irridere; quia non sponte, sed coactus hoc opus aggressus sum: ab exordio enim ædificationis Ecclesiæ, miracula in jam fato loco, nimirum Bobiensi, & ipsius dilectissimæ speluncê, hæc patrata enarare cœpi, ut pauca de ejus virtutibus dissererem, quê à veracissimis viris didici, & postea ad eas virtutes me contuli, quê temporibus præcellentissimi Hugonis Regis actê fuerant; quia necesse fuit ibi aliquantulum immorari: titulos etiam uniuscujusque virtutis supposui, quo faciliùs eluceret in capite, quidquid erat requirendum in corpore.

* deest hic adventum vel quid simile

Psal. 80.

Joan. 15. 5.

CAPUT I.

CAPUT I.

De adventu ipsius in Italiam, & de constructione Ecclesiæ in loco Bobiensi.

HIBERNIA ortus, post alia cœnobia in partibus Galliarum structa, seu & post nonnulla adversa, quæ à *Theodorico* Rege & *Brunechilde* perpessus est, monitu Angelico in *Italiam* veniens, ab *Agilulfo Longobardorum* Rege, honorificè susceptus est, sicut in sacris ejus reperimus gestis, dataque ei optione loci *Bobiensis*, Monasterium inibi construere cœpit: ubi etiam Ecclesiam, in honorem almæ Dei genetricis semperque virginis *Mariæ* ex lignis construxit ad magnitudinem sanctissimi corporis sui. Inter ceteras autem virtutes, quas Dominus in ipsa operatus est Ecclesiâ, hæc præcipuè viguit, sicut ab antecessoribus nostris audivimus, quod si aliquis tristis illic adveniebat, ibidemque aliquam habebat morulam, interventu Sanctæ Virginis, supradictique viri Sancti lętus inde revertebatur. Ante ipsam quoque Ecclesiam Sanctus *Atalus*, crucem affixit, ubi & meruit cœlos videre apertos. Ipsam denique eamdem Ecclesiam venerabilis Abbas *Agilulfus* ex lapidibus struxit, turrimque super eam ædificavit, & campanas in ea fecit pendere, sicut nunc cernitur.

CAPUT II.

De vestigio pedum ipsius in petra expresso

VEnerabilis etenim *Columbanus* secretiorem locum exquirens, sicut mos ejus erat, ut videtur, aliquantulum segregatur à Fratribus, vacare orationibus, & jejuniis immorari, egresso monasterio, transitoque flumine *Treviâ*, juxta illud pergens, devenit ad fluviolũ qui vocatur *Coriasia*, indeque juxta alveum ipsius fluminis iter agens, rupes illas, circumquaque prævidens, advenit inter duos montes, unde illud decurrit; ex quibus unus qui est ad dexteram partem, vocatur *Tellectum*, alter verò qui est ad lævam nuncupatur rusticâ linguâ, *Groppoaltum*. In illam verò rupem, quæ est ad sinistram partem, ascendens, devenit ad quamdam petram, quæ videtur in eminentiori rupe esse posita; & exinde circumquaque rupes hinc & inde conspicere poterat; mirabileque dictu, in ipsa petra vestigium † sanctissimi pedis ejus dextri sic impressum est, sicut hodiè apparet, quasi si aliquis sigillum in cerâ expresserit, & ablato illo * cujuscumque figuræ sit domonstrat: sic & ipsa petra, sicut prædiximus, vestigium ipsius demonstrat Sancti. Ex illa enim die ipse locus, ob reverentiam venerandi viri, linguâ rustica. *Ad urnam Sancti Columbani* vocatur. Sed in temporibus nostris quidam rusticus, qui in ipsa rupe capellas custodiebat, ipsam petram ascendens, sicut mos est pastorum, in illam ascendere propter calorem solis, vel ob custodiam caprarum, non dedit honorem Deo, neque *Sancto Columbano*: ipsam pariter à corpore totius petræ separavit, & in fluviolum, quem prędiximus devolvit. Idem verò rusticus, ipso die percussus est, & posteà non meruit sanari. Quo comperto, venerabilis Sacerdos *Theoderulphus* nomine, qui eidem speluncę tunc præerat, ipsam perquiri fecit, & ad se deportari rogavit, dignoque loco reposuit.

* f. nimi.

CAPUT III.

CAPUT III.

De inventa spelunca, & petra suo loco apposita.

SAnctus *Columbanus* in iam dictâ rupe locum sibi apertum non inveniens, ipsum relinquens, in rupem aliam, quæ est juxta montem prædictum ascendens, subtilissimè perlustrans, devenit ad radicem saxi, cui supereminet magna rupes. In ea itaque locum sibi cernens congruum, mundansq; Ecclesiam inibi construxit, in honorem beatæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ, eâ mensurâ, quam suprà ostendimus. Solitariam verò ibi agens vitam, soli Deo vacabat, in jejuniis & orationibus, tantùm Sabbatho vel diebus festis ad monasterium revertebatur, totâque Quadragesimâ illic mansisse perhibetur. Cumque semitam illic requireret, unde venire vel redire posset, transitum habuit secus saxum, de quo olim magna pars * divisa fuerat, & in itinere jacebat. Denique cùm ex nulla parte locum divertendi inveniret, humano destitutus auxilio, ad divinam recurrit, orans virtutem à Deo sibi dari, quatenus ipsam partem, in loco suo posset restituere. Tantâ autem Dei pietas, adminiculans electo suo virtutem tribuit, ut ipsam loco suo, restitueret, unde visa fuerat cecidisse, liberum gressum omnibus illic tendentibus dans. Ob venerationem itaque tanti miraculi, à fidelibus crux juxta eam posita est, sicut & hodiè cernitur.

* pars deest in MS.

CAPUT IV.

De cruce juxta saxum positâ.

SAnctus Columbanus non longè ab Ecclesia, quam supradiximus, locum alium eligens, ubi saxum erat aliquantulùm concavum, crucem ibi affixit: consuetudo est enim hominibus ejusdem gentis, unumquemque per diem centies, & amplius genuflectere, ad quod opus locum eundem ab eo credimus expetitum. Quidam autem *Francigena*, orationum causâ iter agens, transitum habuit juxta jam fatam speluncam. Ut cognovit autem à dicentibus, in illis partibus Ecclesiam à *Sancto Columbano*, esse constructam, orationis causâ illuc pervenit: cumque venisset ad ostium, & sicut mos est, pulsasset, receptus ductusque est ad orationem. Resumptisque paululùm viribus perrexit ad jam dictam crucem, ibique flexis poplitibus orans, Crucem ipsam aspiciens, soliciteque inquirens, quis illic eam apposuerit, ut didicit, à Sancto *Columbano* factam, & illic appositam, opportunum tempus exquirens, partem ex ea latenter abstulit; & ob amorem Sancti semper secum deportavit. Romam itaque pergens, locaque Sanctorū circumiens, reversus posteà est in *Franciam*. Inter cetera verò narrationis suæ colloquia, virtutes Sancti *Columbani*, quas à custode prædictæ speluncæ didicerat, narrabat: gloriabaturque se habere partem crucis, quam suâ fabricaverat manu, & per quam non paucas virtutes factas narrabat. Post multum verò temporis ex ipsis partibus veniens, ad prædictam speluncam, partem crucis quam deportaverat, & virtutes quas per eam Dominus egerat, narrabat. De quibus virtutibus videtur nobis rectū esse, nostro operi unam inserere. Aiebat enim prædictus *Francigena*, Fratrem suum

Hibernorū antiqua consuetudo genuflectendi.

suum longo tempore caducâ passione vexatum, tactu ipsius Crucis sanitati pristinæ restitutum, cessante jam omni penè industriâ medicorum: nullus enim ejus potuit incommoditati aliquâ medendi arte succurrere. Quia ad laudem sui nominis, seruo suo Dominus hujus prærogativam contulerat sanitatis. In eodem verò loco, in quo prædicta Crux à Sancto Columbano posita fuerat, Ecclesia in honorem Sanctæ Crucis constructa est, sicut nunc cernitur; ubi etiam ipsa crux pro amore inclyti viri honestissimè servatur.

CAPUT V.

De legumine quod nunquam seritur, sed ex se profert semen.

Quia de constructione dilectissimæ speluncæ loqui cœpimus, libet de virtutibus *Columbani* inserere, de quibus ipse locus usque nunc floret. Nam legumen pisi, quod rustici *herbiliam* vocant, ex adventus sui tempore, per singulos annos sponte nascitur per illas rupes, quas ipse perambulavit, nullo serente, &, quod nobis majus miraculum videtur, per scissuras petrarum, ubi nullus humor adest, non æqualiter tamen per singulos annos nascitur. In multus autem locis, ubi præsenti anno orta fuerat, in alio deerit. Sed in hoc virtutem Domini nostri esse credimus, quòd ipse per servum suum quotidiè operatur; nam si in uno loco per singulos annos nasceretur, forsan multi putarent non esse meritum Sancti, sed de illius semine ubi caderet, & inde oriretur. Mos enim est custodi ipsius speluncæ quando apparuerit, ibi signum mittere quousque ad maturitatem pervenerit, diligenterque hunc colligere & Abbati transmittere. Abbas verò Regibus suis, sive Principibus solitus est pro benedictione Sancti Columbæ dare. Herbilia meritis ejus nascitur.

CAPUT VI.

De puero quodam ferrario.

Quidam vir ferrarius, nomine *Petrus*, & in ipsa * benè instructus, omnibus nobis notissimus, nuper excæcatus est, habens denique uxorem, & filios contristari cœpit, quomodo eos gubernare, vel regere posset qui humanum lumen amiserat. At ille videns se esse privatum lumine, humanam medicinam respuens, ad divinam recurrit; præcepit namque uxori suæ, ut ceram in luminaribus prepararet, & homines qui eam ducerent ad prædictâ speluncam acquireret. Veniente autem illo ad jamdictam speluncam, ingressus Oratorium cum luminaribus, deprecabatur S. *Columbanum*, quatenus intercedere pro eo ad Dominum, ut ei pristinum lumen restitueret, dignaretur. Meritis itaq; S. Columbani meruit amissū lumen recipere, & gratias agens Deo, cum gaudio reversus est domum suam: denique adhuc superest & valet, & bonum testimonium habet ab iis qui eum norunt. Cœcus speluncam ejus visitans visū recepetat.

* Arte.

CAPUT VII.

CAPUT VII.

De contracto in solemnitate S. Columbani sanato.

MIRACULUM quod gestum est in supramemorato cœnobio Bobiensi, tempore *Berengarii* Imperatoris, videtur nobis non Tob. 12. esse commodum silentio tegere; quia sicut *Raphael* Angelus *Tobiæ* dixit: *opera Dei revelare, honorificum & decentissimum est.* Hujus ergò Miraculi, qui adhuc supersunt testes sunt, qui in ipsa solemnitate ibi affuerunt. Fuit quidam pauperculus, nomine *Godinus*, ex *Francia* ortus omnique corpore contractus, ita ut vascula, in quibus solebat cibum vel potum sumere, nullo modo aliter portare posset, nisi super collum poneret: & sic reptando cum bacillis properaret. Adveniens igitur in jam dictum cœnobiū, receptus, ductúsque est ad hospitale, sicut mos est; ibique hospitium & victum inveniens, plures illic mansit annos. Quodam itaque anno in vigilia solemnitatis *S. Columbani*, omnibus membris dolere cepit. In ipsa autem nocte, sonitis signis, ad vigilias omnes accurrunt: ipse verò inter eos affuit nimis dolendo atque lamentando, ita ut in ipsis vigiliis magnas voces emitteret; vocesque nonnullorum psallentium vel legentium interrumperet. Multi verò sperabant eum tunc exire de seculo, condolentes ei: finitis verò Matutinis, & ad majorem Missam venientibus, ipse, sicut iam diximus, advênit: Diaconus verò in ambonem ascendens, Evangeliumque pronuncians, ipse nihilominus magnis clamoribus angebatur, & cœperunt omnia ejus ossa sonare & crepitare, quasi dū virgulta frangerentur, cœpitq; se extendere. At illi qui juxta eū erant, videntes quod fiebat, levantes eum adducunt ante cancellos: videntes autem omnes qui aderant virtutem Dei per meritum Sancti *Columbani* in ipso fieri, in lachrimas resoluti sunt, ita ut Diaconus qui Evangelium legere inchoaverat, vix propter luctum finire valeret. Et levantes eum, deportaverunt in cryptam, ante sacratissimum S. Columbani sepulchrum, laudantes Dominum, qui per servum suum eo tempore tantum Miraculum declarare dignatus est. Ipse autem *Godinus* ajebat, se videre duas columbas pulcherrimas, sedere supra sacratissimnm corpus. His tamen qui ibi aderant, non est datum eas videre: credimus enim in tanta virtute non defuisse præsentiam Sancti viri: ipse verò in omnibus recuperatâ sanitate, per aliquot menses ibidem manserat, & posteà discessit. De his ita, nunc veniamus ad ea, quæ superius omisimus.

CAPUT VIII.

De Principibus qui res S. Columbani invaserant, & qualiter Gerlannus supradictam Abbatiam accepit.

TEmpore excellentissimi regis *Hugonis*, erant principes in Italia, qui nec recta facere, neq; etiam consentire cupiebant, de quibus sapientissimus *Salomon* nos admonet: *Ne amuleris*, inquit, *viros malos, nec desideres esse cum eis*, quia *rapinas meditatur mens eorum & fraudes labia eorum loquuntur.* Prou. 24.

quuntur. Et ipse in Ecclesiaste: *Interdum dominatur homo homini in malum suum: vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viverent, in loco sancto erant, & laudabantur in civitate quasi justorum operum. Etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filij hominum perpetrant mala:* inter quos erat *Guido*, Episcopus *Placentinæ* urbis, & *Raynerius*, & non pauci alij, qui res Ecclesiæ *Bobiensis* abstractas habebant, & injustè suo juri conjunctas. *Silveradus* autem illo tempore regebat supradictam Abbatiam. Contigit autem, ut *Alda* nobilissima Regina, duceret secum sapientissimum castissimumque, atque nobilissimum virum nomine *Gerlannum*, cupiens eum Episcopali fastigio sublimari; Videns autem eum rex sapientiæ florere virtutibus, suum sigillum ei tribuit, summumque Cancellarium esse præcepit. Mortuo autem *Silverado* Abbate, tribuit ei supradictam Abbatiam; ad quam veniens, invenit eam suâ possessione privatam. Unde multum tristis effectus, cogitare cœpit, quali modo, quavè ratione terram ipsam ab illorum dominatu abstraheret. Unde sępius interpellavit supradictum Regem; sed Rex potestativè eam non volebat illis efferre: metuebat enim illos, ne si aliquid contra eorum voluntatem ageret, regni damnum incurreret, quia scimus etiam contra eum sæpius rebellasse. Consilium autem prædicto patri Rex *Gerlanno* tribuit, ut corpus beati *Columbani* cautè de tumulo levaret, & quando ipse colloquium cum suis Principibus ageret, *Papiam* deferret, ut videntes ipsum sacratissimum Corpus propter suas res illuc delatum esse, vel sic ab illorum rapacitate cessarent.

CAPUT IX.

De magistris ad sepulchrum S. Columbani frustrà laborantibus.

Non multo pòst itaque ad monasterium reversus, paucis senioribus secretum hoc indicavit, jussitque uni ex magistris nomine *Christiano*, ut ex lignis abiegnis arcam faceret, aptam tanto pignori ad portandum: nos autem, qui eramus illo in tempore, arcam fabricare videbamus, sed ad quod opus fieret, ignorabamus. Appropinquante autem die, quo sanctum Corpus levandum erat, jussit supradicto magistro, ut ad sacratissimum corpus cum magna reverentia accederet, mensamque sublevaret; quod & factū est. Cum autem vellent lapides desuper sacrum sepulchrum levare, tota die frustrà laborantibus, nec unum quieverunt amovere. Pavore autem perterriti indicaverunt hoc Abbati. Quo audito, nimio terrore percussus, ad sacratissimum sepulchrum devênit, prostratcq; toto corpore in terram cum lachrimis, asserens se non ob aliam causam levare velle, nisi necessitate sibi servientium compllente, diuque ibi orans, ut sineret se levari, cum magno gemitu obsecrabat, illoque ad domum suam reverso, tanta celeritate levati sunt, ut omnes apertè cognoscerent, antè se levari non velle. Ad lapidem autem venientibus, qui tegebat sanctissimum corpus, non sunt ausi levare, sed nuntiaverunt Abbati, ut veniret & indicaret quid exinde vellet. Veniente ergo illo cum religiosis Fratribus, sublato lapide, sanctum Corpus aspicientes, subtilissimo pallio circumdatum, profusi lachrimis, prostratique in terram diu oraverunt, coopertoque sepulchro & sigillo apposito, usque in crastinum dimiserunt.

CAPUT X.

Qualiter Sancti corpus de tumulo est elatum & de sanitate cujusdam Presbyteri.

MAne autem peracto, venientibus omnibus Fratribus, cum Clericis de circum adjacentibus plebibus, quasi horâ tertiâ in majori Ecclesia, & ipse venerabilis Abbas, cum quatuor religiosis monachis, sacerdotalibus vestibus indutis, prostrati in terram, cum magno gemitu & lachrimis oraverunt, Sanctúmque Corpus aspicientes, alio pallio circumdederunt, & in arcam quam prædiximus, condiderunt; itaque arcâ, serisque obfirmatis, alijque ante fores ipsius cryptæ expectantes cum cereis & lampadibus, atque * thymiaterij, reliqui omnes in majori Ecclesia litanijs personabant. Levatum itaque pretiossimum corpus delatum est in thronum ante altare almi clavigerique Petri, & qui astabant magno fletu permoti, grandibus clamoribus ajunt: S. Columbane adiuva nos, tui sumus, obsecra Dominum ne pereamus: & custodibus deputatis perrexerunt omnes ad mensam: sed quid ipso spatio Dominus per servum suum operatus est, videtur nobis non esse silendū. *Grinaldus* quidam presbyter, custos Ecclesiæ *S. Martini*, gravissimo languore per multum tempus percussus, ita ut omnium membrorum careret officijs, ad Monasterium adductus est. Audito quoque quòd Sanctissimum corpus à tumulo eductum, & ante altare S. Petri positum esset, rogavit, ut illuc portaretur; quò delatus, subtus arcam nisu quo valuit, toto se Corpore prostravit. Mira virtus! ipse enim, qui tanto tempore caruit officio omnium membrorum, in parvo spatio adeptus est tantam virtutem, ut quando Fratres surrexerunt à mensa, repererint eum ante arcam stantem, baculoque suo se sustentantem, Dominum glorificantem, & S. *Columbano* gratias agentem; & non post modicum, cum alijs ipsum * meti tum corpus sequentem.

* f. thimiaterio.

* f. ad mutatum.

CAPUT XI.

Quo ordine iter agere cœperunt & quomodo candelæ accensæ sunt.

DEnique venerabilis Abbas convocavit duos presbyteros. Unus ex illis nomine *Ramerius*, qui propterea custos speluncæ prædicti Sancti effectus est, præcepitque illis, ut quamdiu arca veheretur, semper ante ipsum duo tintinnabula personarentur, jussitque antecedere cruces, cum cereis & thuribulis, cappamque suam, nec non & peram, ubi assuetus erat, dum adhuc viveret, Evangelia portare; signis verò concrepantibus & in Ecclesiā convenientibus, non modicâ catervâ populorum, diuque cum lachrimis clamantes, ipse venerabilis Abbas prior accessit, cum tribus senioribus ad arcā, imponentèsq; humeris, * esse cœperunt eo ordine, quo suprà diximus. Monachi verò Antiphonas cantantes, populique *Kirie eleysō* acclamantes, egressi à monasterio, venerunt ad pratum, quod nuncupatur *Adpontem*, ibique subter condensam arborem deposuerunt. Jussit denique ut cortex ipsius arboris detraheretur,

* f. ire.

heretur, quatenus signum crucis appareret, & ubicumque illud corpus deponeretur, ob memoriam ipsius cruces fierent. Illic verò moram agentibus, multi venerunt ex vicinis villulis, & ad arcam venientes, baculis dimissis, humi prostrati adorabant Sanctum: indeque pergentes pervenerunt in quamdam possessionem prædicti cœnobij, quæ nominatur *Saturianum*: jamque advesperante die, arcaque in Ecclesia ante altare positâ, candelabris cum cereis accensis, ad caput pedesque appositis, & deputatis Fratribus, qui illic Psalmos cantarent, reliquis qui ad hoc officium erant deputati, quę necessaria erant Fratribus præparantibus, subitò ventus irrupit, & candelas omnes extinxit; turbatique illi, qui ad almum corpus excubabant, per vicinas domus ignem quærere aggressi sunt, ut possint exinde candelas accendere. Denique revertentes, inveniunt candelas divino nutu accensas, lætioresque effecti, gratias egerunt Deo, Sanctoque Columbano. Dispositis ergo qui Vigilias circa sacrum corpus, Psalmosque pernoctantes canerent, alij sese sopori dederunt: mane autem facto, finitis Matutinis, iter arripiunt.

CAPUT XII.

De puero à nativitate muto & loquela ei reddita.

QUidam itaque rusticus inhabitans in pago *Cannavini*, habens filium ob ortu matris permanentem mutum, ipsâ die agrum colens, unâ cum filio suo, repentè exclamavit puer ad patrē: Pater, Pater, ecce *S. Colūbanus* adest. illeque valdè admirans & gaudens, ait: quid ais, fili? & ille, non audis pater? Ecce * inde auribus auscultans, intuensque oculis aspiciebat, si aliquod signum videret de hoc, quod à filio audierat; diuque expectans, audivit à longè per montem, qui vocatur *Longas*, sonitum venientium, vocesque *Kyrie eleyson* acclamantium. Ille itaque cernens quod à filio audierat, verum esse, currens ad Ecclesiam, nuntiavit Sacerdoti. Sacerdos autem hoc audiens sacris vestibus indutus, jussit urnas impleri vino, exiensque in viam, per quā venturi erant, præstolabatur eorum adventum. Illis verò appropinquantibus, supplex atque submissus obsecrabat Sanctum, narravitque omnibus, quod factum fuerat, & potum tribuens omnibus, gratias agentes Deo, iter quod cœperant persequuntur.

**L. de.*

CAPUT XIII.

De transitu Padi & percussorio tintinnabuli invento.

DEhinc, pervenerunt ad portum, qui vocatur *Pediculosus*, illicque præparatam navim invenerunt; in eam itaque Corpus sanctum deponentes, cum his, qui tintinnabula vel cereos, seu & cruces portabant, recto itinere ad aliam delata sunt ripam. Mirātibus verò nautis, virtutē esse Sancti clamabant, quòd in neutram partem divertissent, & cunctis narrabant numquā eis ita accidisse: sed *Ramerius* Sacerdos, portitor unius tintinnabuli, illo nesciente

ſciente, percuſſorium ſui tintinnabuli in flumen cecidit. Expectante verò illo cum alijs, donec omnes tranſirent, ad eamdem horam venientes, quâ ſanctũ corpus levare debebant, & tintinnabula juxta morem ſonarent, prædictus *Ramerius* ſuum commovens, nullum ſonum reddebat. Miranſque, illud aſpexit, videnſque quod percuſſorium in eo deeſſet, nimis triſtis effectus eſt, & hoc ſuæ negligentię deputans, lachrymando interpellabat Sanctum Columbanũ quatenus illud ſibi reddatur. Fratres verò videntes eum nimis triſtem, & plorantem, interrogant, quid ei accidiſſet, quod tantæ mœſtitiæ ſe ſubderet? At ille retulit eis quod ei advenerat, aſſerens, ut quando in navim introiſſet, juxta conſuetudinem tintinnabulum percuſſiſſet; ſed neſciens quâ horâ ei cecidiſſet, aſpicienteſque ubi ille ſteterat, vel ſederat, eum minimè invenerunt. Jam verò omnes eum deſperantes ajunt, ſe non poſſe invenire, eò quòd in profundum demerſum fuerit Padi. Ipſe verò nullo modo poterat conſolari: ſed revertens ad ripam fluminis multũ mœrens, ſicut jam diximus, aiebat. Deus pius & miſericors, eſto propitius mihi peccatori; tu ſcis quia multum deliqui, nequiter egi; ſed non impediant hodiè mea peccata, ut deficiat obſequium quod debeo, Domino meo & Patri Columbano; ſed omnipotens & miſericors Deus per meritũ S. Colũbani affuit precibus ejus. Reſpiciens verò in flumen, vidit ipſum ad pedes ſuos non longè in aqua jacentem, & gaudio plenus currens, ipſum elevans, & in ipſum tintinnabulum inſerens, gratias agens Deo ac S. Columbano, mœrorem in lætitiam convertens, cœptum officium benè adimplevit.

CAPUT XIV.

De Scinyphis, ſeu & de cereis divinitùs accenſis.

TRanſitis itaque omnibus, jam veſpere appropinquante, non longè à via divertentes nocte illâ manſerunt, ibique candelæ extinctæ & divinitùs accenſę ſunt, ſicut in alio loco jam diximus. Aliaque virtus eſt ibi ſubſecuta. Nocte illâ aër immutatus eſt, ſcinypheſque multæ apparuerunt; ita ut illi qui procul ab arca manſerunt, tanta perpeſſi ſunt, ut nocte illa quieſcere non valerent, & in craſtino facies, oculique eorum tremefacti apparuerunt, ut jam rectè videre non poſſent, pœnituerítq; ſe longè ipſâ nocte ſeceſſiſſe ab arca: illi verò qui ad arcam excubabant, nihil mali perpeſſi ſunt: nonnulli autem alij cognoſcentes, quòd hi qui circa arcam erant, nihil mali paterentur, confugerunt illuc.

CAPUT XV.

De ingreſſu ejus in civitatem, & fœminis à dæmone arreptis.

* *diluc.* DEniq; illuceſcente * craſtinâ, iter peragunt ad civitatem. Antè ergò quàm appropinquarent ad *S. Petrum*, qui dicitur *Leproſorum*, candelæ exſtinctæ ſunt, & data ſunt thuribula duobus ex viris prædicti Abbatis, ut aſcenderent equos, ignemque citius deferrent, ut non deeſſent luminaria

ſacratiſſimo

ſacratiſſimo corpori, ingredienti civitatem. At illi currentes, antequam reverterentur hi, qui cereos portabant, repentè ceram ſuper ſe fluere conſpicientes, erectis oculis videntes cereos jam dictos accenſos, poſt illos clamare cœperunt Ad S. autem Petrum venientibus, multitudo populi illis obviàm advenit, quatuorque fœminę à dęmonibus vexatæ occurrerunt; quæ non poſt modicum juxta ſacratiſſimum corpus, meritis *S. Columbani*, à peſte, quâ tentæ fuerant, mundatæ ſunt. Ibique nuncius Regis advenit, rogans illos ex parte regis, ut ad ſe in Palatio non deferant; non ſe eſſe dignum, dicens, ut tam pretiociſſimum corpus ad ſe venire debeat, ſed ipſe magis ad eum veniret, ſuiſque ſe precibus commendaret, & ut ſui miſereretur, expoſceret, juſſitque ut ad Eccleſiam S. Michaelis, quæ eſſet infra mœnia civitatis conſtructa deportaretur. Ad portam civitatis, quæ vocatur *S. Joannis*, venientes, tanta multitudo utriuſque ſexus occurrit, ut in plateis ſe non caperent, ſed aſcendentes ſupra muros & tecta, ipſum ſacratiſſimum corpus videre cupiebant. Quod cum grandi labore, ad ſupradictam Eccleſiam, perductum eſt: illâ quoque nocte, vigilias exequentes, quę neceſſaria erât Fratribus, viri, fœminæque nobiles omnia adminiſtrabant.

CAPUT XVI.

De Lothario filio Hugonis Regis à febribus ſanato

IGitur, virtutes, quas Dominus in ipſa Eccleſia per ſervum ſuum operatus eſt, quantum ad memoriam Dominus reducere dignatus eſt, videtur nobis non eſſe rectum ſilentio tegere. *Lotharius*, bonæ indolis puer, filius prædicti regis, quem *Alda Regina* ſua genuit, magnis febribus urebatur; qui jubente patre ad prędictam Eccleſiam in valvis adductus eſt, nutritiuſque ſuus veſtitum, quo erat indutus, abſtrahens & ſuper aram extendens, collocavit eum ſubtus arcam, quatenus illic requieſceret. Fratribus denique Litanias, Miſſaſque pro eo celebrantibus, ipſe ſomno depreſſus jacebat. Orationibus pro eo finitis, à ſomno eſt excitatus, & cum cappâ ei prædicti Sancti potum tribuentes, integerrimam adeptus eſt ſanitatem: illum verò ad Palatium reducentes, patri, matrique ſanum repręſentant; at illi gratias egerunt Deo, Sanctoque *Columbano*, quia filium, quem infirmum miſerant, ſanum recipiunt.

CAPUT XVII.

De adventu Regis & Reginæ ad ſanctiſſimum corpus.

REgina autem poſt recuperatam filij ſanitatem, ad ſanctiſſimum corpus veniens, gratias agens pro filio, ſupplex exorat, ut pro ſe etiam intercedere ad Dominum dignetur; pallium ergo ſuper ſanctum corpus ponens, Fratres blandè alloquitur, conſolabaturque eos ne abundantiori triſtitiâ abſorberentur, promittens eis, ſe in quantum valeret, apud Regem, ſuoſq; optimates interventuram; & deprecans eos pro ſe orare, ad Palatium redijt. At

rex opportunum tempus exquirit, cupiens illic secretò venire. Quadā itaq; nocte, cum paucis occultè veniens, regiamque Ecclesiæ intrans, timens sancto appropinquare corpori, illic humo prosternitur: oratione verò finitâ, occultè exiens, ad aulam suam redijt. Posteà verò veniens cum suis principibus, locutus est Fratribus, & pallium offerens unum, recessit.

CAPUT XVIII.

De muliere brachium habente aridum.

Nonnulli verò promiscui sexus & ætatis quotidiè orationis causâ cum luminaribus adveniebant: quędam namque mulier advenit, habens manum aridam: subtus arcam ergo se prosternens orat, ut sanitatem mereretur accipere; precibus autem *S. Columbani* obtinuit, ut sana reverteretur domum. Vir autem ejus domum rediens, sanam eam & sedentem invenit, filaque trahentem, miransque ait ad illā: quid est hoc, mulier? Et illa: Deo gratias, benè. Et ille, quomodo sana facta es? & respondit: fui ad *S. Columbanum*, & precibus ejus obtinui, ut sana exinde reverterer, sicuti vides. At ille gaudens & tremens, ait: cui hoc indicasti? & illa, nemini. At ille, malè, inquit, fecisti, quod monachis hoc non indicasti: surge & præpara panem & vinum & carnes, & ceram in luminaribus, & veni mecum, & illis indicabo quid erga te gestum sit: metuo enim si siluerimus, ne crimen incurramus. At ille festinans detulit eis quę suprà diximus, & indicavit quid erga uxorem suam actum fuisset. Illi verò accipientes quæ detulerant, gratias egerunt Deo & *S. Columbano*.

CAPUT XIX.

De muliere, quæ partem pedis arcæ dentibus silenter abstraxit.

Alia itaque mulier veniens, nescio quo instinctu, sed sicut rei exitus probat, non rectâ fide, seseque subtus arcam sternens, particulam arcæ dentibus absconsè abstrahens, nullique indicans, domum secum detulit: nocte verò subsecutâ cum se unà cum viro suo sopori dedisset, repentinâ morte defuncta est; vir autem ejus à somno excitatus, mulierem alloquitur, sperans eam vivere; comperto denique quod mortua esset, valde expavit, accensoque lumine, intuens eam, partem ligni, quam pridiè abstraxerat ab arca, ad caput ejus invenit: sciebat enim ipse pręterito die illic eam fuisse. Itaque assumens partem, quam supra diximus, illuc deportat, cunctis nuncians quod suæ evenerat uxori. Notū autem factū est omnibus, sed non modicus timor invasit omnes, maximè mulieres; dicebantque ad invicem, non vult *S. Columbanus*, ut ad ejus arcam appropinquemus. Ab illo autem die, nulla ausa est accedere ad arcam.

CAPUT XX.

CAPUT XX.

De muto & loquelâ ei redditâ, & ipsius manu sanatâ

PEr idem itaque tempus homo quidam nomine *Maldebertus* à partibus *Mediolanensium* revertens, invenit quemdam adolescentem, nomine *Andream*, mutum à nativitate sua; medioque corpore penè mortuum. Auditoque quod corpus Sancti *Columbani Papiam* delatum esset, & magnis floreret virtutibus, misericordiâ motus super eum, imponensque eum super asinum suum, *Papiam* duxit, indeque ad S. Corpus deferens, illic deposuit, & abscessit. Illa verò die & alterâ, sicut erat ibi permanens, tertia die jam subtus arcam jacens, subitò exclamavit: date mihi aliquid ut manducem. Illi verò qui circumstabant, audientes quòd loqueretur, cupientes eum audire loquentem, interrogabant quid vellet: illeque manum dexteram sanam ostendens ajebat; modò me *S. Columbanus* loqui fecit, manumque meam sanavit, quam videtis. At illi magno attoniti gaudio, venerabili Abbati hoc indicaverunt. Audiens autem quod factum fuerat, festinus ad corpus venit; ipsumque alloquens, manum ipsius quæ sanata fuerat, plorando osculans, signa Ecclesiæ sonare præcepit. Sed & omnia signa aliarum Ecclesiarum personaverunt, & hoc habebant in signum, ut quando Dominus per S. Columbanum aliquam virtutem ageret, illius Ecclesię signa primitùs sonarent, & postea aliarum signa Ecclesiarum cuncta perstreperent. Auditoque hoc miraculo maxima multitudo utriusque sexus advenit: sed & Regina quam prædiximus, cum magna turba nobilium mulierum accurrit. Venerabilis autem Abbas suis manibus eum levavit, & supra cancellos posuit, ut ab omnibus videri posset & audiri, & elevatâ voce *Te Deum Laudamus* cum omnibus proclamans: sed in omnibus virtutibus similiter agentes, finitoque Hymno admonentillum, ut altè loqueretut, quatenus omnes possent eum audire. Et accedebant omnes qui poterant nobiles & ignobiles plorando, manum ipsius osculantes; & valde admirantes, unusquisque cum gaudio ad propriam reversi sunt domum.

CAPUT XXI.

De Fratribus ad Archiepiscopum directis & cuppa cum jussu regali ante se deportatâ seu de fugâ *Vuidonis, ipsiusque Fratris.

* al. *Guidonis*

HIs ita peractis, supradictus venerabilis Abbas, duos seniores *Mediolanum* misit ad *Lambertum* Archiepiscopum, qui eo tempore regebat supradictam Ecclesiam, mandans precando, quatenus ei adjutorium ferret, ut res *S. Columbani* abstrahere posset de manibus supradictorũ Principũ. Post non multa colloquia, ad ultimum, hoc dedit in mandatum, ut si ipsam terram acquirere non possent, corpus Sancti illuc deferretur, & ipse de suis rebus tantum tribuere promisit, quantum ad necessaria sufficere posset, quousque supradictum cœnobium ad pristinum statũ rediret. Igitur ad colloquiũ, quod

quod supra diximus, prædicti Principes venientes, unâ die, sedente rege, unà cum ipsis in aula regia, de supradictis rebus colloquentes, jussit afferri cuppam *S. Columbani*; quâ cum magnâ reverentiâ allatâ, bibit in ea Rex & optimates ejus; sed cum ante supradictum *Vuidonem*, & fratrem ejus *Raynerium*, perducta fuisset, indignati noluerunt cũ ea bibere; sed sicut scriptum est, indurata sunt corda illorum, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum: obliti sunt enim fœdus, quod pepigerant regi, ipsa nocte de civitate aufugerunt. Sed Raynerius divinâ ultione de * equo cecidit, ita ut omnes qui ibi aderant, putarent eum esse mortuum: sed noluit Deus, qui neminem vult perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.

* f. ipsa.

CAPUT XXII.

De eo qui rabidus effectus est.

DEnique scimus esse scriptum, incompositos judices incompositos habere milites, & ideo non sufficiebat ad ruinam eorum, quòd res supradicti Cœnobij invaserant, verumetiam, virulentis linguis, sanctissimo corpori cœperant detrahere, dicebantq; ex eis quidam, possessiones quas quæritis propter ossa caballina, vel asinina, quæ huc attulistis, * inter quos unus nomine *Alineus*, qui hoc aperte * inclamitabat, subitò rabidus effectus, ad corpus Sancti magno cum labore adducitur, ibique diu, huc illucque cum grandi dolore divertens, asserebat se in sanctum deliquisse, & nimis peccasse, clamitabatque, nisi ejus precibus juvaretur, continuò se esse moriturum. Habebat quoque ipse secum sororem, sacris vestibus indutam, cum magno rugitu & lachrimis procidentem ad supradictorum pedes Fratrum, quæ indulgentiam poscebat germano. At illi cœperunt pro ereptione illius, prædictum sanctum obsecrare, cum lachrimis & Litaniis omnes insistere. Qui à circũstantibus sibi corrigia dari poscens, suo in collo mittens, ad pedem prædictæ arcæ se ligavit, & non post multum somno sopitus jacuit; excitatus deniq; à somno, sanus & incolumis surrexit, agens gratias Deo, Sanctoque *Columbano*: & signa omnium Ecclesiarum percutientes, sicut supra diximus, & *Te Deum Laudamus* omnes exclamitantes, quique redierunt ad sua.

* deest hic aliquid quod sententiam expleat.
* Impr. malè *indomitabat*.

CAPUT XXIII.

De rebus S. Columbani redditis, vel quæ in privilegiis earum continentur, seu & admonitione ad Episcopum.

HIs ita peractis, videntes omnes qui ibi aderant, viri Dei injurias divinâ ultione vindicari, nonnulli ex supradictis Principibus, venientes ad sacratissimum corpus, mittebant in peram Sancti singulos fustes, ut per hos cunctis clareсceret, res Sancti Columbani, quas ante injustè invasas habebant, ipsi Sancto restitutas. Rex denique privilegia Sanctæ Sedis, Apostolicæ, *Honorij, Theodori: Martini, Sergij, Gregorij, Zachariæ*, & cæterorum Episcoporum, ante se recitari præcepit. Visum est ergo huic nostro operi, aliquid ex meis inserere, ut audiant temeratores quid cavere eos conveniat. Interdicunt enim omnibus Episcopis vicinis, vel procul ab ipso monasterio constitutis,

constitutis, ut nihil usurpent, nihilque præsumant contra hęc quæ eorum privilegia instituta decernunt; videlicet ut Episcopus, quem pater Monasterij, vel tota Congregatio, * invitaverit ad Missarum solemnia celebranda, aut consecrationes Presbyterorum seu Diaconorum vel etiam tabularum, in quibus Missę debent celebrari, ipse habeat facultatem in idem monasterium ingrediendi, tantùm ad pij opus Monasterij, peragendum. Quo * peracto nihil contingat, sed gratis omnia peragens, ad propria mox regredi non moretur. Nihil verò usurpet de rebus Monasterii, non de sacris Altaribus, non de ornamentis, neque de vasis, neque de sacris voluminibus, nec quicquam majus, vel exiguum, sed nec concupiscere attentet. Quia si *profana concupiscere satis est noxium, quantò magis sacra auferre vel desiderare, & * juri suo mancipare, Domino videtur esse contrarium. Prohibent etiam Episcopis, in quorum Parochia esse videtur prędictũ Monasteriũ constructũ, ut nihil contra tenorẽ pręsentium decretorum, piâ postulatione indultorum, quicquam attentent, neque ullo modo ejus baptizantes, Ecclesias, vel decimas de rebus ad ipsum monasterium pertinentibus, sibi vindicent; neque ipsi, suorumque successores, pręsumant prohibita contingere. Chrisma igitur, vel quidquid ad sacra mysteria pęrtinet, si à Patre Monasterij fuerit postulatum, à quibuscumque ipse providerit, concedant Præsulibus tribuendum, &, ut superius dictum est, nullã potestatẽ habere permittant Episcopos in eodẽ monasterio, neque in rebus, neq; in ordinandis personis, nisi eũ, quẽ cuncta Congregatio regulariter elegerit, & secundũ ejus Congregationis electionẽ, Dominus Imperator in tempore qui eo fuerit, ordinari concesserit, ut in eodem Monasterio debeat ordinari: super hæc, neque Presbyteros, neque Diaconos, nec quamlibet personarum in eodem Monasterio habere ullo modo potestatẽ, * immittere quicquã, vel agere permittant, ut cognoscant quia sub Apostolica sede, id est Beati Petri defensione, esse videatur. Rogatus verò Episcopus à Patre Monasterij vel à cuncta Congregatione, suam debet exhibere præsentiam; non autem petitus ad secreta Monasterij non accedat, nec quietam vitam Monachorum, qui solitaria peragere propter Domini in studia decreverunt, frequens Sacerdotum insolentia irrumpat, ut in Dei laudibus conversantes, pro incolumitate sanctæ Sedis Apostolicæ, & pro excellentissimis regibus, piâ gubernatione regnantibus, assiduè Dominũ deprecari non cessent. Si autem, quod absit, Monachi in eodẽ monasterio constituti, tepidi in Dei amore, & institutis Patrum torpentes, quandoque conspiciuntur existere, secundum Regulam, ab Abbate, id est à Patre Monasterij, corrigi debent. Si enim & ipse Abbas in ignaviâ aliquâ contra instituta Patrum & Regulæ tenorem, fuerit deprehensus, & in aliquam sinistram partem inclinatus, à Sede Apostolica, sub cujus constitutione consistit, instituunt corrigendum. Nec enim cuiquam Episcopo dant licentiam sub obtentu reprehensionis, aliquam in Monasterio suam ostendere potestatem; sed ejus capiti, id est Sedi Apostolicæ. Et post pauca contradicunt, etiam Præsulibus, maximèque sanctæ *Cerdonensis* Ecclesię, atque *Placentinæ*, quæ viciniores esse videntur, ut nullus unquam, quod moderno tempore est tentatum, prędictum Monasterium, vel quæ ad ipsũ pęrtinent, à sancta Sede Apostolica subtrahere; & suæ Diœcesi subjugare appetant: sed sit in libertate secundum concessionem Apostolicam, ut fuit priscis temporibus, nullique subjectũ, nisi Sedi Apostolicę, cui pertinere cognoscitur. Et si quædam invidiosè contra privilegia iam dictorum Pręsulum moderno tẽpore præsumptivè subrepta sunt, nullam firmitatem obtineant, sed sint evacuata & irrita cum suis authoribus, & legitima instituta Sanctæ Sedis Apostolicę, multis temporibus observata, inviolata & indirepta permaneant. Quod si, quod absit, calliditate aliquâ, vel avaritiæ instigatione aliquis, quidquam de prohibitis pręsumpserit attentandum, vel contra eorum decreta quodammodò obviandum, primùm sui ordinis gradu, & dignitate privetur, & ex Beati Petri Apostoli authoritate, qui ligandi in cœlo & in terra meruit potestatẽ, sit excommunicatus, & à participatione Domini nostri Iesu Christi corporis & sanguinis immunis, ac ab aliorum consortio seclusus, nec non & ab excellentissimis, qui in tempore illo fuerint, Regibus nihilominus submovendus, quatenus statuta possint pęrpetuâ diffinitione manere, & temeratores præsentium decretorum, de suo-

*Impr. mẽdosè *mutaverit.*
*Impr. *pacto* mendosè.
*Impr. *probata.*
*f. *usui.* impressa mendosè *viri.*
*f. *immutare*

de suorum temeritatibus, pœnis multiplicibus subiacere * faciat. Velim scire, ô Episcope, qui decreta supradictorum Prȩsulum conaris irrumpere, quid ad hęc quæ audisti, respondere cupis? Quid, rogo, tibi melius esse videtur? si melius est tibi bonum, societas supradictorum, quos scimus summos Pastores & optimos fuisse viros, & magni meriti apud Dominum, sicut in gestis eorum invenimus, quos etiam & vicarios in Sede almi clavigeri *Petri* fuisse certissimè scimus; an à societate eorum secludi, & ab ipso, cui data est à Domino potestas, in cælo & in terra ligandi atque solvendi, excommunicari, & quod summmm & magnum malum est, à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi alienari? Forsitan dicis, nolo segregari ab illorum societate, neque à *Beato Petro* excomunicari, nec à corpore Domini nostri Iesu Christi, quod scimus veraciter mortem esse animæ, sicut ipse dicit. *Qui non manducat meam carnem, & non bibit sanguinem meum, non habet vitam in semetipso*: nec etiam decreta illorum irrumpere volo; sed quia ipsum cœnobium penè iam destructū esse video, & cupio ut per me ad pristinum redeat statum. Episcope, noli te fallere, cave quid dicis, audi quid ipsi tibi dicunt: nō tibi permittimus ingredi in ipso cœnobio, nisi invitatus fueris à Patre Monasterij, vel à cunctis Fratribus; & si invitatus veneris, interdicimus tibi ex authoritate S. *Petri*, ut nihil usurpes, nihilque contingas, nec etiam concupiscas; sed ad quod vocatus es, gratis omnia peragas, ad propria regredi mox non moreris. Dicis enim quod penè destructum est: verum dicis; sed si verum est quod ais, * ut per te ad pristinum redeat statum, ut Abbatem secundum Regulam habeat, qui adimpleat hoc quod tu asseris te velle adimplere, & tunc apparebit quòd zelo Dei utaris, & illa vera sint quę dicis; quia sicut scriptum est, *non potestis duobus Dominis seruire*; ita & tu non vales tuum Episcopatum regere & Monachos secundum regulam *S. Benedicti* gubernare. De his ista sufficiant; cùm autem venerimus ante conspectum Domini, tunc manifesta erunt abscondita cordis nostri, & recipiemus iuxta quod gessimus: nunc verò ad cœpta redeamus.

Margin notes: * imprȩsiat. — Digressio authoris ad Episcopos res Columbani injustè occupantes. — Ioan. 6. — * f. deest fac. — Mat. 6.

CAPUT XXIII.

Quid in dictis Regum contineatur.

SVpradictis verò Rex auditis privilegijs, præceptum quod bonæ memoriæ *Agilulfus Rex* Sancto *Columbano* tradidit, seu & *Adulgualdi, Cuniberti, Luitprandi, Ratchisi, Aistulphi, Desiderij, Caroli Augusti, Ludovici*, atque item *Ludovici filij* ejus, * *Carolomagni* etiam, *Caroli* Imperatoris, necnon *Arulfi, Berengarijq;* Imperatoris, seu & cęterorum Regum, ante se legere iussit, pro quibus legebat, quomodo præfatum Monasterium *Bobiense* de redditibus suis, possessionibusque ditaverunt, & cum omnibus ad eundem sanctum & venerabilem locum pertinentibus, cum hominibus liberis, sive servis, colonisq; & familiis utriusque sexus, in sua tuitione receperint: & post non multa alia, hoc ad ultimum inferunt; ut si aliquis privilegia sanctę Sedis Apostolicæ in eodem loco concessa, vel confirmationes præceptorum suorum infringere tentaverit, scire debuit se compositurum auri optimi libras trecentas, medietatéque ipsorum * & medietatem * parti prędicti cœnobij. Et quid magis cavendum est, quàm si unquam ullo in tempore, quis ex successoribus ipsorum, aut princeps, seu aliquis homo, eorum statuta, aut testamenta eorum, vel supradicta privilegia dirumpere conatus fuerit, quòd anathematis ultione multatus, partem cum Iuda traditore in fine extremi examinis habere imprecantur.

Margin notes: * f. Carolomanni. — Regum & Imp. pro Monasterio Bobiensi privilegia. — * deest f. successoribus. * f. Tatui.

CAPVT XXIV.

CAPUT XXV.

Ad eos qui res Sancti Columbani injustè suis obsequiis deputant

VOlo denique cœpta persequi, sed quod superius legitur, indiscussum prętérire non queo. Scimus enim scriptum esse, omne quod semel oblatum Domino, sive homo, sive quodlibet animal, vel quęcunque res fuerit, nullo pacto possit posteà redimi. Et miror quid illi cogitent, qui res Sancti *Columbani* invadunt, & suis obsequiis deputant. Possessiones enim quas nunc sanctus iste locus possidet, à quibusdam oblatę fuerunt, sive à regibus, seu & à cæteris fidelibus; non propter hoc obtulerunt, ut aliquando optarent quatenus in possessiones secularium devenirent; sed ad necessaria Fratrum, Domino, Sanctoque Columbano hîc servientium, seu & ad sustentationes pauperum & peregrinorum permanerent: nunc verò è contrario, illis subtrahuntur, secularibusque deferuntur; hi nudi frigore & gelu uruntur: illi tamen exinde pretiosissimis vestibus induuntur: hi discalceati, nudisque pedibus incedunt: illi verò pinguissimos equos exinde equitant. Vnde enim pauperes & infirmos alere debuerunt, inde canes eorum saginantur; unde hospites & peregrinos suscipere & nutrire debuerunt, inde suorum famuli vel famulę inflantur: unde Ecclesias vel domos Fratrum restaurare debuerant, sui homines ditantur. Et quidam, qui propria jubentur tribuere, non timent quod illorum est auferre: & ubi tunc habent quod Dominus eis præcepit in Evangelio, esurientes pascere, infirmos visitare, nudos vestire, & cetera, quæ ibi leguntur? & si in ignem mittendus est qui non largitur propria, putas ubi mittendus est qui aufert aliena? A quo enim acceperunt omnia quæ possident (credo enim quod non intelligant ab omnipotenti Deo se accepisse) nonne omnes divites facere poterat, si vellet? utique potest. * Nonne solos divites pretio sue sanguinis redemit? Certè pro omnibus mortuus est Christus & resurrexit. Res enim vel pecunias quoquo modo acquisitas, quas nunc habent, filijs vel nepotibus in herędítatem dimittere cupiunt, & res quas Domino oblatas sciunt, abstrahere non timent. Et quomodo possunt quod olim à fidelibus oblatum fuerat Deo, ab ipso abstrahere, & suo juri mancipare? Certè nemo justè, neque legitimè potest. Audituri enim sunt illi à Domino in judicio: servi mali & pigri, quare non omnia mea pauperibus, quę vobis ad erogandum dedi *, & nunc unà cum ipsis reciperetis regnum ęternum. Non solùm autem illa fraudastis, sed etiam quod alij dederunt, vos abstulistis; proinde quia noluistis perfrui sempiterno regno cum fidelibus, abhinc cum diabolo habete supplicium æternum. Legimus etiam nonnulla testamenta supradictorum offerentium, in quibus invitant omnes, qui res quas sancto *Columbano* tradiderunt, tulerunt, vel subtraxerunt, in extremi judicij die ante tremendum judicem, affore cum eis, & exinde rationem reddituros, & quod superius in privilegijs & in præceptis retinetur, cum *Iuda* traditore in perpetuum optant habere portionem. Quod non sine magno gemitu & suspirio audire vel legere possumus. Certè multò melius fuisset illis non nasci, quàm propter cupiditatem hujus vanæ gloriæ, cum ipso *Iuda* damnari. Quid ad hæc possumus dicere tam magnæ cupiditati? O insatiabilis cupiditas. Quid cogis amatores tuos? Magis vis ut ipsi in extremo examine, cum *Iuda* traditore in inferno inferiori sine fine, inextinguibili igne crementur, quàm cum Domino & Sanctis omnibus in perpetuum fœlici gaudio perfruantur. O miseri homines, qui supradicta agitis! Quare non consideratis, quibus pœnis nunc vexatur *Iudas*, vel quid in extremo examine ipsi patientur, qui cum eo societatem habere merebantur? O infelicissima miseria! quis unquam lætus ad mortem pergit? Quis unquam ad jugulandum vel ad decollandum lubens

* nunquid.

* deest hic *distribuistis* vel quid simile

invasores rei alienæ quam severa maneat pœna.

bens ducitur? Cessate miseri, parcite cupiditati, nolite animas vestras pro nihilo ducere: totus mundus vobis erit alienus, nudi estis nati, nudi sepeliemini; cogitate itaque mortem, quæ finem dat mundi voluptatibus. Et dum tempus * à rapinis cessate, & largâ manu, propria Dei pauperibus vel fidelibus porrigite, pœnitentiam agite, quatenus regnum cœlorum Deo auxiliante acquirere, & à perpetuis pœnis eripi possitis: dehinc ad ordinem redeamus.

* f. deest habetis.

CAPUT XXVI.

De præcepto à Rege Hugone accepto, & de aqua in puteum restitutâ.

AUditis itaque Rex preceptis antecessorum suorum excellentissimorum regum, visum est illi rectum, æquum, ut juxta morem prædictorum Regum, præceptum sancitum loco, venerandoque Abbati *Gerlanno*, cunctisque Fratribus tribueret; quod & fecit. Si quis velit scire quod in eo largitur, in textu illius agnoscere poterit. Acceptâ igitur licentiâ à Rege, unà cum Sancto corpore ad propria reverti jussi sunt. Egressi denique à Ticinensi urbe ad *Curcicellam* Sancti *Columbani*, quæ vocatur *Bardadam*, venientes, ibi nocte illa manserunt. Mane autem facto iter peragunt ad Curtem dicti Monasterij *Bobiensis*, quæ vocatur *Memoriola*, quam *Gaudulfus*, unus ex supradictis Principibus, olim invaserat, per quam venientes, aquam ad potandum minimè invenerunt. Eratque ibi altus puteus, sed aqua deerat: in quo nonnulli intrantes, sperantes illic invenire aquam ad refocillandum sitim quam patiebantur, minimè repererunt, nisi parvam & ipsam fœdidam. Ille verò qui cuppam Sancti portabat, paululum aquæ in ea mittens, in ipsum puteum perjecit & abscessit. Ipsam deniq; Curtem * recipientes ad Monasterium redeunt. Post tertium verò diem, ad Monasterium aliqui ex ipsis partibus advenientes, puteum quem sine aqua dimiserant, plenum esse affirmant.

* f. repetentes

CAPUT XXVII.

De puero sanitati reddito.

IGitur quidam rusticus, *Martinus* nomine, habitabat in possessiuncula jam fatæ speluncę, habens filium sex annorum, nomine *Andream*. Hic quodam die egressus ad colendũ agrum, jussit prædicto filio, ut ferramentum, quod vulgò *manuariam* vocant, afferret; quatenus arbusculas ipsius agri succideret. Ducens igitur supradictus puer ferramentum quod jussus fuerat, transitum habuit juxta quamdam maceriam, in quam propinquans, magno pavore perterritus est, & ferramento patri tradito domum rediit, ibique sedens aspicit ad se venientes duas formas in specie mulierum, tam teterrimas & deformes, ut sicut ipse adhuc asserit, nec anteà, nec posteà similes formas vidisset, & colloquentes cum eo recesserunt. Ex illo verò die omnium membrorum amisit officium, & sic per circulum anni in lecto decumbens, sine aliqua virtute mansit. Notans igitur supradictus vir diem, in qua Beati viri corpus ad Monasterium reverti deberet, ipsum suum filium in collum mittens, ad jam dictum Monasterium ipso Sancto occurrit, pro suo filio rogaturus. Supradicto

dicto verò corpore ante altare Sancti *Petri* posito, ipse filium ad arcam deportans, manumque ipsius involvens in palla, quæ erat supra arcam extensa, inquit: Sancte Columbane, tibi offero filium meum, ut tuus filius maneat in perpetuum: tantummodò deprecare Dominum, quatenus sanitati restituatur. Et hæc dicens, subtus arcam collocat, expectans quid accideret. At ille soporatus venit: à somno autem excitatus sanus, surrexit. At ille videns filium suum sanitati restitutum, gratias agens Deo, Sanctoque Columbano, nullique hoc indicans, ad domum suam reversus est gaudens. Hoc denique miraculum per idem tempus Fratribus incognitum mansit, sed longo post tempore *Ramerius*, cujus supra mentionem fecimus, custos effectus sancti *Columbani* speluncæ, à quodam narrante cognovit. Ille verò rogans ad se venire prædictum patrem pueri, subtiliter inquirit, si verū esset quod de puero audierat miraculum factum. Ipse denique recitavit ei omnia, sicut iam superius diximus: prædictus verò *Ramerius* gaudio repletus, agens gratias Deo, cum lachrimis, increpavit eum valdè, quare tanto tempore Fratribus hoc indicare noluit: & eum ad se ducere rogans, secum per decem annos retinuit, & Fratribus omnibus, qui ad eum, visitandi gratiâ, sicut mos est, adveniebant, rei gestæ causam patefecit. Nunc in supradicto Monasterio, manet & est: fuit enim sutor pellium, & exinde Fratribus omnibus libentissimè servivit.

CAPUT XXVIII.

De eo, qui mutus fuerat, ad monasterium deducto, & fœminis in plebibus constitutis

Venerabilis autem Abbas iuvenem qui fuerat mutus pro amore Sancti *Columbani*, eiusque reverentiâ, secum adducens ad Monasterium, & ut illic in testimonium omnibus afferret, iussit ut in hoc Hospitali maneret, & exinde quotidie victum acciperet; ipse denique vestimenta, quæ ei sufficere possint, annualiter administrare promisit.

Posteà ipse multis annis in Monasterio mansit, omnibus nobilioribus illic advenientibus manum suam, quæ sanata fuerat, ostendens, rogabatque illos, ut pro amore S. Columbani, qui ei manum loquelamque restituit, aliquod subsidium tribuerent. Quod & nonnulli pro amore supradicti Sancti, eius faciebant precationibus. Supradictas verò fœminas, quæ à dœmoniis liberatæ fuerant, in plebibus manere constituit, præcipiens Archipresbyteris, ut victum & vestimenta ei annualiter pro amore S. *Columbani* tribuerent. His ita peractis, accipientes sacratissimum corpus, in præfato sepulchro eum honorificè collocaverunt, ubi floret virtutibus usque in hodiernum diem Venerabilis autem Abbas convocans omnes Fratres, admonensque eos, ut gratias agerent Deo, qui illis temporibus, tantis florere fecit virtutibus Sanctissimum Dominum *Columbanum*, constituit ut dies relationis, qui quidem est 3. Calendas Augusti, celeberrimus ab ipsis haberetur; quod & factum est, & usque nunc peragitur ad laudem Domini nostri Iesu Christi, qui vivit & regnat, per omnia secula seculorum: Amen.

COMMENTARIVS

COMMENTARIVS AD VITAM S. COLVMBANI ABBATIS A IONA ABBATE CONSCRIPTAM.

IN PRÆFATIONEM AUTHORIS

De VValdeberto quarto cœnobij Luxoviensis Abbate.

VVAldeberto. Quis fuerit *Waldebertus* iste, cui hoc suum Opus dedicat Jonas, non est usque adeò apud scriptores exploratum. Jacobus Mejerus in Annalibus Flandriæ ad an. 668. & Molanus in Indiculo Sanctorum Belgij ad 2. Maij. (quibus favet Catalogus Abbatum Luxoviensium) existimant *Waldebertū* illum, qui Luxovij successit *Eustasio*, (de quo videtur hîc sermo esse) fuisse *Waldebertum* Comitem *Arquensem*; seu (ut habet dictus Catalogus) *Pontinensem*; qui, resignato in manus *S. Bertini* Comitatu, in monasterio Luxoviensi religiosum habitum suscepit; ubi tandem ex monacho creatum dicunt Abbatem Luxoviensem, illamque Ecclesiam per quadraginta annos laudabiliter administrasse. Verùm diversum ab hoc Waldeberto fuisse tertium Luxoviensis monasterij Abbatem existimat Antonius Yepes in Chronicis Benedictinis cent. 2. ad an. 617. Nam qui successit *Eustasio* fuit filius *Chagnerici Comitis*, Theodoberti Regis convivæ (ut loquitur Jonas cap. 25. vitæ S. Columbani) & frater *Chagnoaldi* monachi Luxoviensis; & *S. Faræ, seu Burgundoforæ* Abbatissæ, ut expressè habet Jonas in Vita Eustasij; nec unquam contraxit matrimonium, aut prolem (sicut prior), vel Comitis titulum suscepit; sed, ut in Vita *S. Faronis* Episcopi *Meldensis* ad 28. Octobris habetur, S. Columbani magisterio in monasterio Luxoviensi à patre commendatus, unà cum germano suo *Chagnoaldo* monasticam inibi vitā exercuit; unde postmodum ad Meldensis Ecclesiæ regimen est assumptus. Jonæ verba sunt hæc de monasterio S. Burgundoforæ loquentis c. 3. Vitæ S. Eustasij: *Monasteriū virginum Christi super paternum solum inter fluvios Mugram, & Albam ædificat* (Eustasius): *Fratres, qui structuræ curam habeant, deputat germanos puellæ, Chagnoaldum, & qui ei postea successit, VValdebertum, ut regulam eas doceant, decernit: in quo quidem VValdeberto, quantæ virtutes postmodum extiterint, si vita comes fuerit, prosequi nitemur.* Et iterum in eadem historia c. 6. *Porrò monachorum sub ejus* (scilicet Eustasij) *obedientiâ degentium in sæpedicto monasterio ingens creverat multitudo, ut jam multa per vicina loca cœnobia construerentur; quæ ejus successor B. VValdebertus firmavit, atque ædificavit.* Ex quibus clarè habetur, successorem S. Eustasij fuisse *VValdebertum* filium Chagnerici, qui fratrem suum *Faronem* in Episcopatu Meldensi præcessisse legitur, & non Walbertū seu Waldebertū Comitem Arquensē, aut Pontinensem. Sed neq; hac etiam viâ quęstionis propositæ declaratur obscuritas; nā memorata illa, de Waldeberto fratre Chagnoaldi, Jonæ verba, ad Waldebertum Abbatem Luxoviensem, cui suam ipse dedicabat historiam, jam tum superstitem, conscripta esse noscuntur: *vel, quæ etiam nos* (ait hoc ipso loco Jonas) *per venerabiles viros Attalam & Eustasium didicimus: quorum primus Bobiensis; secundus Luxoviensis cœnobij, quo vos* (Waldeberte scilicet, & Bobolene) *præsules existitis, ejus successores fuerunt.* Non est autem ullo modo credibile, Jonam virum tam gravem & modestum, illum, quem sic adhuc viventem alloquebatur; cuique suam de Columbano, ejusque discipulis narrationem dirigebat, in illo ipso Opere voluisse beatum appellare, aut ejus se virtutes

Variæ opiniones de Walberto 3 monasterij Luxoviensis Abbate.

Vita S. Faronis & Catalogus Episcoporū Meldens.

virtutes scriptis prosecuturum promittere. Hoc enim à Sanctorum consuetudine, & ipsius Jonæ gravitate ac modestiâ fuisset alienum. Propter quod, & alias non leves conjecturas, duos *VValdebertos* monasterio Luxoviensi præfuisse existimo; unum qui immediatè successit Eustasio, qui est ille, de quo loquitur Jonas in vita S. Eustasij loco citato, & qui ex Abbate creatus est Episcopus Meldensis: alterum, qui priorē in regimine monasterii secutus est, & est ille, de quo in præsenti præfatione Jonas, & Officium cœnobij S. Bertini à Molano citatum. De Waldeberto ergo, tertio Luxoviensis Congregationis Abbate, tum defuncto, & ad cœlos translato, ad quartum, ejus videlicet successorem, *VValdebertum*, adhuc in carne positum, scriptum reliquit Jonas: *in quo quantæ virtutes postmodum extiterint* &c. Nec obstat, quòd in Catalogo Abbatum Luxoviensiū, unus dumtaxat exprimatur *VValbertus*, nempe qui fuit Comes* *Pontinensis*; forsan enim prætermissus fuit *VValbertus* frater *Faronis*, qui tertio loco erat numerandus, inter Abbates; quia posteà ad regendum Episcopatum Meldensem fuit translatus. Prioris Waldeberti, hoc est Episcopi, festū agitur 26. Aprilis; posterioris verò, cui nimirum hæc historia fuit ab authore inscripta, 2. Maij.

Duo fuerunt Waldeberti Abbates Luxovienses.

* al *Pontivensis*.

De Boboleno, quarto monasterij Bobiensis Abbate.

2. **B**Oboleno: De *Boboleno*, non secus, quàm de Waldeberto, confusè admodum loquuntur scriptores. Notgerus in Vita S. *Remacli* apud Surium 3. Septembris, narrat *Babolenum*, seu, ut alij legunt, *Papolenum*, primùm à S. Remaclo *Malmundariensi* cœnobio fuisse præfectum; deinde in *Stabulensi*, defuncto *Remaclo*, successisse. Lectiones monasterij *Fossatensis*, vulgò S. *Mauri*, in territorio *Parisiensi*, de *Baboleno*, primo ejus loci fundatore (cujus ibi adhuc Reliquiæ asservantur) inter alia sequentia habent lect. 6. *In Bobiensi siquidem cœnobio, quod sibi, Deo juvante, B. Columbanus ædificavit, illo hinc decedente, & ad cælestia regna migrante, S. Attalas vir in universa morum honestate præclarus, successit; eoq; defuncto devotus Deo Babolenus regimen est adeptus: qui Patris Columbani in omnibus sequens vestigia, cœlestibus semper inhians, calcabat transitoria. Dum verò in Bobiensis cœnobij regimine desudaret, Italiam reliquit, ac devias Alpes transiens, ad B. Remaglium ut in melius proficeret, devenit: cujus adventu ovanter suscepto, non paucis secum diebus detinuit, atque Fratribus Stabulensis ecclesiæ eum præposuit: dein ad Solemniacense construendum xenodochium transmisit; quod cùm ad unguem perduxisset, Fratribus ibidem morantibus Pastorem præfecit. Ipse verò Biturigas profectus, in suburbano ejus urbis duo monasteria construxit super Milmandram fluvium, quibus Christi virginum adunavit cœtum; sicque Parisium veniens, & apud Bagaudarum oppidum Christo iuvante, & B. Ledegisilo Archidiacono cooperante, cœnobiū construens, postquā illud iuxta Regulam B. Columbani optimè & ordinatè in omnibus adornavit, plenus virtutibus, & miraculis ibidem beato fine, in sceptris agente Theodorico Clodovei regis filio, in pace quievit, sepultumq; est corpus ejus ad Aquilonarem beatæ Dei genitricis Ecclesiæ partem; ubi & Dominus virtutes operatur meritis ipsius ad laudem, & gloriam nominis sui, qui vivit, & regnat Deus per nunquam finienda sæcula, Amen.*

Non nisi reparator esse potuit Solemniacensis cœnobij Bobolenus: nam primus fundator extitit S. Eligius ut infra ad cap. 9. ostenditur.

Verùm an hæc omnia de Boboleno illo Bobiensi Abbate (ut Lectiones illæ narrant) accipienda sint; an verò de aliquo alio ejusdem nominis, planè mihi dubium est; nam Jonas in præsenti historiâ, Boboleno Bobiensi dedicatâ, meminit monasteria illa Bituricensia à *Theodulfo* cognomento *Baboleno* fuisse constructa: quod si verum est, quomodò eorum fundator esse potuit *Bobolenus Bobiensis*, adhuc in *Bobio* Abbas cum Ionas ista scribebat: qui non ante, sed post relictam ejus curę administrationem, ad S. Remaclum ex Italia profectus, & illa monasteria condidisse in illis Lectionibus scribitur. Itaque si Bobolenus ille, ut ex Iona clarè deducitur, ante ejus ad S. Remaclum accessum, & susceptam *Malmundariensis* cœnobij præfecturam, ista monasteria fundavit, neque sic etiam dici poterit Abbas Bobiensis; nam Bobolenus qui rexit Abbatiam Bobiensem, vixit, & obiit in Bobio, in quo usque adhuc ejus ossa lapideo inclusa monumento asservantur, quæ unà cum aliorum sanctorum ejus monasterij sacris Reliquijs anno 1482. 31. Augusti solemniter in ea-dem

dem civitate præsente Clero, & populo ab Episcopo Bobiensi translata sunt. Ille verò qui legitur S. Remaclum adiisse, cum ipso deinceps permansit Remaclo: nam, ut in vita S. Remacli testatur Notkerus, *eius inhærere magisterio, quàm domum redire maluit*: deinde post ejus obitum Stabulensis monasterii regimen accepit, *quo in loco* (inquit Molanus) *quiescunt quoque eius Reliquiæ, & altare habet in sui honorem consecratum, atque festum duplex maius.* Ex quibus & alijs multis indiciis videor mihi satis clarè colligere, non rectè in illis Lectionibus monasterii Fossatensis, S. Remacli successorem, & Bituricensium cœnobiorũ fundatorem cum Boboleno Abbate Bobiensi confundi; quem planè credo neque ad S. Remaclum, aut alium quemquã, post acceptam Abbatis curam, discendi studio transiisse; sed in suo monasterio usque ad mortem permansisse. Vt quid enim ille regiminis sui curâ, quam in *mirifica sanctitatis monasterio* (ut loquitur in litteris ad hunc ipsum Bobolenum datis Theodorus Papa) gerebat, posthabitâ, ad alia cœnobiã instruendus commigrasset? aut quomodo monachi Bobienses id permissuri fuissent? Sed neque eundem cum Bituricensium, & Fossatensis monasterii fundatore, fuisse existimo illum qui S. Remaclo Stabuleti successit: nam monasterium Fossatense retinet corpus sui fundatoris Baboleni, cujus translationem 7. Idus Decembris anno Domini 989 peractam testantur præfatæ lectiones, quæ tradunt inventum fuisse cum sarcophago ejus lapideo, lapillum nomen sancti, & diem pariter transitus illius (qui est 6. Kalendas Iulii) continentem. Successor autem S. Remacli, ut supra ex Molano ostendi, in monasterio, cui præerat, Stabulensi requiescit, ejusque natalẽ eodẽ cum priori die reponit idem Molanus, quia illos duos pro eodem habet. Itaque mihi tres fuêre Boboleni, unus, qui dicitur à Iona *Theodulfus*, cui Fossatensis, & Bituricensium cœnobiorum fundationem ascribendam puto. Alter, qui ad S. Remaclum, non ex Bobiensi, sed ex Luxoviensi monasterio adveniens, ejus postea *Stabuleti* successor effectus est. Tertius denique *Bobolenus* Abbas Bobiensis, cui unà cum *Waldeberto*, Abbate Luxoviensi quarto, præsentis historiæ Opus hac Jonas Præfatione consignat.

Duo Boboleni diversi ab Abbate Bobiensi.

De Jona Abbate historiæ hujus authore.

3. *Ionas peccator.* Alius est hic ab illo Jona Gallo (monacho, & Abbate Fontanellę, ut habet Wion. l. 2. Ligni vitæ p. 432.) qui scripsit vitã S. *Wulfranni* Archiepiscopi Senonensis. apud Surium 20. Martii editam. Fuit autem in Hiberniã nostrâ natus, primũ ipsius S. Columbani, deinde discipulorum ejus discipulus: vocaturque à Trithemio socius S. Galli, & ipse Jonas cap. 9. vitæ S. Columbani testatur S. Gallum sibi, & aliis miraculum de copiosâ piscium capturâ sæpe narrasse: ex quo colligitur unà cum S. Gallo sub ipso S. Columbano magistro vitam monasticam egisse: cum enim *Sant-Galli*, post transitum Columbani in Italiam, nunquam Gallum Jonas convenerit, neque *Gallus* usquam in Bobium (ubi plurimos monachatus sui annos transegit Jonas) transmigrasse legatur, superest, ut in eremo Vosagi, agente adhuc ibi Columbano, ex ore S. Galli, tum ibi morantis, & ipse cum aliis Columbani tum auditor existens, miraculum illud acceperit. De hujus viri præconiis extant nonnulla veterum testimonia; nam perantiquus membranaceus codex monasterii Fossatensis, seu S. Mauri, de vita S. Faræ, seu Burgundoforæ ab antiquo accuratoque authore, (id obnixè rogante, & impensiùs urgente *Bertrada*, Regiæ stirpis, tum cœnobii Briegensis, seu Euoricacensis Abbatissa) conscriptus, hæc habet in prologo de hoc nostro Jona: *Jonas quidam, ut ipse prodit, ex Hibernia, vitam B. Columbani, qui fuit ex memorata insula, componere aggressus, materiam præbuit B. Faræ, ejusq; monasterij primordia vulgare volentibus. Sumatur itaque ab eo rerum gestarum fides, expectetur à me (quod solum præstare potui) postulata narratio.* Quibus clarè prodit author ille Jonæ patriam Hiberniam; quam non obscurè ipse etiam Jonas insinuat in hac ipsa Præfatione suâ ad Acta S. Columbani, ubi institutâ Symbolicâ comparatione tenuitatis suæ cum eloquentium, & doctorum eruditione, & facundia, dicit inter alia: *Illi dites balsami lachrima ex Engaddi, floreque aromatum ex Arabia; nobis ex Hibernia vix butyrum pinguescit:* se nimirum Hiberniæ incolis, quibus vix butyrum

Du Ione Abbate.

quorũ unus discipulus S. Columbani & socius S. Galli.

patriâ Hibernus.

tyrum pinguescit; ac per hoc rudiorum, & minus eloquentium gregibus annumerans. Quæ verba si Bellarminus in lib. de scriptoribus Eccles. perpendisset, fortassis non ambiguè scripsisset, *Jonam Anglum, vel Hibernum* fuisse origine; sed cum Surio, Coccio, Sabellico, Arnoldo Wion, Molano, & aliis *Scotū* priscorum more, id est de veteri Scotia, seu Hibernum vocantibus, ipsum Hiberniæ nostræ, ejus natali solo, incunctanter adscripsisset. Dictis hucusque de Jonæ patria non obstat, quòd ipse in vita *S. Attalæ* de genetricis, & Fratris sui à se peracta visitatione loquens, dicat, locum maternæ habitationis à Monasterio Bobiensi, non amplius, quā centum quadraginta millibus fuisse distantem. Poterant enim parentes ejus ob frequentia & quotidiana ferè tunc Gallorum & Germanorum cum Hibernis commercia, vel amore peregrinationis (quò plurimùm ducebantur Hiberni) vel quietioris vitæ desiderio (quo non parum etiam illis temporibus æstuabant) vel denique dulcis patriæ & natalis soli delitiis renuntiandi studio, in Germaniæ, aut in Galliæ finibus mansionis sibi locum eligere, ubi vitam transigerent, servantes interim cum amicis, & cognatis in Hibernia, amoris & negotiorum commercia. Nec hujusmodi rei plura, etiā mulierum, ad pergerinas regiones ex Hibernia transmigrantiū nobis desunt exempla; sic namque *Mingarda, S. Silai* Episcopi soror, nobilitatis & pulchritudinis eximiæ, ex Romana peregrinatione rediens, cuidam potentissimo ac ditissimo viro *Soffredo* nomine, ejus amore nimis incenso, in civitate Lucensi in Tuscia, unde is erat, nupsit; ac post aliquot conjugii annos, cum ipsius consensu monasterium ingressa, obiit sancta. Sic SS. *Phiala*, & *Hya* S. Fingarem, B. *Brigida* Hispadium, altera Sancta Virgo *Brigida* S. Andream Fessulanum, *Erentrudis* Rupertum & Trudpertum, *Syra* Fiacrium; alięquè similiter plures ex Hibernia virgines, peregrinantes ad exteras nationes, fratres aut cognatos comitatæ, vel secutæ sunt: ex quorum, ut dixi, ex Hibernia migrantium numero, credi possunt extitisse parentes Jonæ, in Galliæ vel Germaniç partibus tunc degentes. Multò minùs quemquā à præfata veritate retrahere debent ejusdē verba de suo, & *S. Bertulfi* Romā ad Bobium regressu sic loquentis: *Percepto ergo munere optato* (nempe exemptionis à jurisdictione Episcoporum) *ad patriam reversi sumus.* Quo in loco per patriam clarum est, non designari eorum natale solum, sed conversationis, & habitationis locum, territorium videlicet Bobiense: *Bertulfus* enim non ex Italia, sed ex Gallia fuit oriundus, ut constat ex ipsomet Jona, & Actis S. Arnulfi, (cujus erat ille cognatus) ac proinde falsa fuissent prædicta verba, si in rigore ea Jonas usurpasset, quasi indicare volens quòd Bobium reversus *Bertulphus*, hoc ipso nativitatis suæ loco fuisset redditus. Hæc de Jonę patriâ. Ceterùm de processu vitæ ejus nihil certi apud authores invenio. Quantum ex scriptis ejus, & aliis indiciis colligere licet, partem Luxovii sub ipso Columbano: partem etiam sub Attala in cœnobio Bobiensi, ut ipse testatur, suæ vitæ transegit; ait namque se novem annis ante Attalæ mortem in illo monasterio conversatum; sub Bertulpho quoque Attalæ successore, (quem Romam comitatus fuit, ut ipse de se fatetur) aliquamdiu vixit. Vita Attalæ & Bertulphi.

Postremò institutus est Abbas, ut habet vetustissimus author vitæ S. Walerici, qui de ipso sic loquitur: *& de Sancti Columbani quidem virtutibus, & factis admirandis, si quis plura nosse velit; cum ea narratio a nostro instituto sit aliena, ad eruditi discipulorum ejus discipuli Jonæ Abbatis, præclari sanè viri, opusculū perlegendum se conferat, quod ille de tanti Patris vita conscripsit.* Surius 1. April. Ubi verò Abbas fuerit, nullibi adhuc certò comperi. Wion quidem eum vocat Abbatem Luxoviensem: sed fallitur, nullus enim hujus nominis in catalogo Abbatum ejus monasterii refertur. Crediderim alicujus in Burgundia, vel Normannia (ubi plurima sub Columbani Regulâ florebant cœnobia) monasterii curam administrasse, ex quo proculdubiò præsentem S. Columbani, & successorum ejus historiam conscripsit; quæ quidē historia magnam semper apud eruditos viros fidem & authoritatem obtinuit; Cujus historiæ magna est fides. maximè verò apud Cardinalem Baronium, ad an. Christi 612, qui his eam verbis commendat: *Porrò qui eum* (nempe Columbanum) *avulsus ab aliis secutus est intimus discipulus ipsius Eustasius, ut Lucas Paulum, totum iter illud ad Italiam usque accuratè recensuit, scribens itinerarium: à quo Jonas, qui vitam Sancti conscripsit,*

conscripsit, accipiens intexuit Actis ejus; prout ipse eum citans profiteri videtur, relegens loca singula, singulasq; personas, apud quas hospitio susceptus est Sanctus: sicq; sicuti veram, certamq;, ita elegantissimam historiam scripsit, quam si integram legeris, planè dices, totum illud iter exilii, nihil aliud fuisse, quam longè ductam ejusdem viri Dei triumphum, quo ipsius victoria adversus Reges, & eorum detestanda crudelitas signis, atque prodigiis est ubique locorum decantata. Monet quoque alibi Baronius in Notis ad Martyrolog. 21. Novemb. eandem historiam falsò à quibusdam tribui *V. Bedæ*; cui errori, ut arbitror, viam aperuit, quod præsens Prologus, quem Suriana, seu vulgata Jonæ præfert historia, desit VitæS. Columbani apud Bedam; cui brevis dumtaxat Præfatiuncula præfigitur; quę in editione *Surii* inscribitur *caput primum vitæ S. Columbani*; & incipit: *Eximio virtutum fulgore.* Unde licet unius ejusdemque Scriptoris partus sit; illa tamen Præfationum diversitas occasionem peperit, authorum quoque suspicandi diversitatem, tribuendique Bedæ, quod erat Jonæ. Complexus est autem illo opere, Jonas cum vita S. Columbani Acta quoque sanctorum *Eustasii, Attalæ*, & *Bertulphi*, successorum sancti viri; quæ habentur inter opera V. Bedæ, sed omninò mutata, & in multis etiam locis (maximè quoad historiam *S. Eustasii*) truncata; quæ res forte non parum etiam memoratam suspicionem firmavit. Quibus adnumeranda est historia vitæ S. *Burgundoforæ* Abbatissę, itidem apud Bedam To. 3. cum aliis illis Legendis excusa, cujus authorem fuisse Jonam testatur Baronius in Notis ad Martyrologium, ad 3. Aprilis, & Antonius Yepes in Chronicis S. Benedicti cent. 2. ad an. 617. cap. 4. & citatus author suprà ex MS. cod. Monasterii Fossatensis de ejusdem virginis Vitâ, indicare videtur, verbis ibi recitatis; idquè ex ipsomet tandē Jona cap. 25. vitæ S. Columbani patet, qui de hac Sancta sermonem prosequens, inter cætera dicit: *de qua posteà in subsequentibus narrabimus:* quod promissum par est illâ historiâ editâ impletum credere. Qui plura de hoc insigni viro scire desiderat, adeat Trithemium l. 2. de vir. illust. Ord. S. Benedicti c. 6. Baronium, Bellarminum, & alios supra nominatos. Floruit autem Jonas circa tempora Theodori Papæ; quo tamen anno obierit definire certò non possumus.

& varia Scripta.

B. Bertulphi Abbatis imperio jubente. S. Bertulphus iste, vel, ut alii legunt, Bertolphus, aut Bertulfus, fuit primùm monachus Luxoviensis sub Eustasio; deinde successit Attalæ in regimine monasterii Bobiensis, ubi ejus adhuc Reliquiæ asservantur in altari, ad hoc erecto à sinistris altaris S. Columbani. Ejus Acta à Jona conscripta habes tomo quarto Surii, & tertio operum Bedę. Tredecim annis rexit cœnobium Bobiense: floruit sub Honorio Papa & Heraclio Imperatore: ejus festum celebratur 14 Calendas Septembris; sumpto viatico jam discessurus è vita versiculū illum inchoavit: *ibunt Sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Syon*; Psal. 83. cujus à circumstantibus Fratribus completâ melodiâ, sanctam cœlo animam reddidit, anno, ut vult Haręus, 630. Vide de ipso Arnoldum Wion in Martyrologio Bened. & Yepem in Chronicis S. Benedicti cent 2. ad an. 616. Molanum quoque in Additionibus ad Usuardum, & alios multos. De eo quoque agunt Sigonius de regno Italię l. 2. ad an. 614. & 629. Trithemius de vir illust. Ord. S. Bened. l. 3. cap. 308. apud quem mendose scribitur *Lobiensis* Abbas pro *Bobiensis*; quam mendam librariorum incuriâ non dubium est irrepsisse.

De S. Attala Abbate, successore S. Columbani in Bobio.

4. *PEr venerabiles viros Attalam & Eustasium.* Prior istorum fuit discipulus S. Columbani in monasterio Luxoviensi, & ejus postea successor in Bobiensi, ubi adhuc corpore quiescit, à dextro latere sui magistri collocatus. Ad ipsum & ad alios monachos Luxovienses extat ipsius Columbani epistola, eruditione, ac pietate plena, exilij sui tempore exarata; in qua inter alia, quę velut à charissimis filiis avulsus piissimus Pater, consolationis verba direxit, hæc de Attalæ in Prælatum ordinatione subjungit: *si non unum velle, & unum nolle habetis, melius est, ut non simul habitetis; ideo mando ego vobis, ut omnes, qui mihi ex corde volunt consentire, & sensum agnoscunt meum, & amant, sint cum vero sequace meo Attala, qui* S. Attalas.

aut

* l. decess. ... somitte.

aut sit ibi, aut post me velit venire, sua sit electionis: suo enim sensui animarum vestrarum periculum: * *vos illi obedite: sed si ille venire voluerit, Valdlenus sit præpositus, quia citò Deo auxiliante poterit intelligere certum.* Et infra ad ipsum Attalam converso sermone: *si videris illic profectū animarum, sta ibi; si videris pericula, veni inde.* Quibus sub optione Attalæ permittit vel Luxovii Fratribus præesse, vel ipsum exulantem sequi. Sed hoc posterius elegit Attalas, chari Patris illectus consuetudine, ut apertè deducitur ex instrumento, quo S. Columbanus & reliqui tunc ejus socii in Italia commorantes, Bobiense Monasterium Sedis Apostolicæ protectioni committunt: nam inter alios, qui subscripserunt, his se verbis S. Attalas expressit. *Ego Attalus, sacerdos ex genere Francorum.* Ex quo satis constat, ipsum, Luxoviensis cœnobii posthabitâ curâ, peregrinantē in tribulatione Columbanum, ad Italiā usque prosecutū. Sed neque Vendelenus ille (quem eundem reor cum Waldoleno socio S. Valerici & discipulo S. Columbani Luxovii) quem Sanctus adductis verbis videtur Præpositum constituisse, credendus est ullo modo absolutam Monasterii administrationem accepisse; sed recedente Attala juxta Sancti viri directionem, regiminis curam ad tempus duntaxat suscepisse, quousque videlicet aliud de Abbate constituendo intelligeret; quod ipsius Sancti verba videntur innuere, quibus significat, quod *citò Deo auxiliante poterit intelligere certum*, nempe de futuro generali Fratrum rectore. Non est, inquam, illis verbis accipiendum, Waldelenum Abbatem fuisse constitutum; nam ex ipso Jona passim & ex Baronio, Yepe, omniumque historicorum vulgatâ consensione habetur, immediatum Columbani successorem in cœnobio Luxoviensi fuisse Eustasium; quem ex montanis Germaniæ illuc miserat Columbanus. Qui plura de hoc Sancto viro desiderat, legat Acta ejus à Jona edita, quę habentur apud Bedam to. 3. & Surium to. 2. De eo Martyrologium Romanum ad 10 Martij, in quo non rectè ejus depositio in monasterio Luxoviensi statuitur; nam ex ejus vita, & tabulis Ecclesiæ Bobiensis constat in Bobio diem obiisse, ubi adhuc requiescit. Eodem die agunt de ipso Usuardus, & Galesinius; Petrus autem in Catalogo l. 3. c. 190. natalem ejus reponit die sequenti. Legi possunt etiam de ipso Trithemius l. 3. de vir. ill. ord. S. Ben. c. 71. & Vincentius in speculo hist. l. 23. c. 20. & alii plurimi. Claruit juxta Arnoldū Wion circa annum Domini 624. temporibus Bonifacii 5. & Heraclii Imperatoris.

Sequitur Columbanum in Italiam.

Vendolenus non fuit Abbas Luxoviensis.

De Venerabili Eustasio Abbate & successore S. Columbani Luxovii.

5. ET *Eustasium*. Hic magnus Instituti S. Columbani propagator, natus est (ut habet Catalogus Abbatum Luxoviensium) in civitate Lingonensi *de genere Regum*. Ex primis, & præcipuis fuit Sancti viri discipulis; quippe qui ejus in peregrinatione, & exilio socium, & in monasterio Luxoviensi egit successorem, quique Agrestini apostatæ, obtrectatoris impuri, compescuit impudentiam, & adversus ejus Regulam, concinnatas diabolo incentore calumnias, in Concilio Matisconensi ad nihilum redegit. Postea verò Sancti viri instituta longè, latèque per Galliam propagavit, multorumque sibi ad ea roboranda magnatum animos adjunxit, qui varia in diversis locis utriusque sexus cœnobia sub Columbani Regulâ construxerunt, ut suo loco inferius ad caput octavum, opportunius ostendemus. Inter alias eximias hujus viri uirtutes, enituit magna ad peccatores compassio, quibus ipse ad Deum per pœnitentiæ lamenta reducendis summo semper studio laborabat; nam, ut verbis ipsius Ionæ utar; *Quoties illi aliquis ob recipiendam pœnitentiam, lapsus suos esset confessus, ita flebat, ut & illum flere compelleret: causas autem criminum, quas illi confitebatur, nulli, nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum relinquens exempum posteris sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quàm accusatores apud homines.* His similia multa virtutum exempla referuntur in vita hujus Sancti per Ionam, edita apud Surium to. 2. & Bedam to. 3. Ex ejus schola multi illustres sanctitate viri prodierunt; ex quibus fuere, Chagnoaldus, Acharius, Rachnacarius, Audomarus, & alii plures Ecclesiarum pręsules, de quibus infra copiosius. *Sexcentos monachos statuit in laude perpetua* Luxovii, ut habet Catalogus

cap. 1. vitæ S. Eustasii.

Nota de confessione Sacramentali contra Novatores.

Sexcentos simul monachos Luxovii regebat Eustasius

talogus Abbatum Luxoviensium: quā Ecclesiam cùm viginti annis summâ cū laude rexisset, tandem in pace quievit 29. Martii; quo die agunt de ipso Romanum Martyrologium cum Baronio, Beda, Usuardus, Ado, Galesinius, Maurolicus, Felici & alii; ex quibus corrigendus Petrus in Catalogo, qui diem mortis ejus ad 5. Idus Octobris refert. Mortuus est autem juxta Haræum circa annum 635. Notandum autem, quod dicit Jonas in principio vitæ ipsius, ipsum & Attalam floruisse sub Mauritio & Phoca Imperatoribus, ac Gregorio Papa, referendum esse potissimùm ad tempora monachatus eorum sub Columbano; non verò regiminis post ipsum in monasterio Luxoviensi & Bobiensi suscepti, (certum est enim ipsum Columbanum supervixisse Gregorio) quod regimen sub Clothario Chilperici filio ambo inierunt (quem cum prędictis etiam nominavit Jonas) ut discipulatus eorum per Phocam & Gregorium ac Mauritium; magisterii verò & Prælaturæ per Clotharium primordia designaret.

De S. Amando Episcopo.

6. Amandi. *Sicambrorum errores.* Amandi vitam composuit *Milo* monachus apud Surium to. 1. ad 6. Februarii; quo die ejus natalem reponit Martyrologium Romanum, Beda, Usuardus, Ado, & alii. De eo quoque fit mentio in vita *S. Landoaldi* apud Surium 19. Martii. Sigebertus in Chronicis eū natū scribit (rectène, an secùs, non jam vacat examinare) anno Domini 571, obiisse verò anno 661, qui fuit ætatis suæ nonagesimus primus. Ad hunc Amandum extat S. Martini Papæ Epistola, quæ habetur to. 2. Conciliorum. Multis gentibus Evangelium prædicavit; Sclavis circa Danubium, Vasconibus circa Pyræneos saltus, & Gandensibus in Flandria, aliisque multis Germaniæ populis, quos Sicambrorum nomine hîc Jonas comprehendit: Sicambri namque olim dicebantur populi ad Rhenum incolentes (quo etiam nomine Geldrenses designati leguntur). Trajectensem, & uti nonnulli sentiunt, Argentinensem Ecclesiam rexit, multaque extruxit monachorum habitacula; ex quibus illud *Elnonense*, ab *Elnone* fluvio (de quo hîc Jonas) sic dictum; ab authoris verò nomine *S. Amandi* vulgò appellatum, primum locum tenet. In quo cœnobio corpus ejus fuit sepultum, quod post centum & quinquaginta à transitu annos integrum inventum est, ut ex tabulis ipsius monasterii tradit Molanus in Jndiculo ad 6. Februarii; qui etiam de secundariis hujus Sancti festis, hoc est, elevationis, ordinationis, & translationis agit ibi sigillatim.

S. Amandus multarum gentium Apostolus.

IN CAPUT I.

7. Columbanus, qui & Columba, utrūque vocabulum rectè usurpari potest; primum apud Scriptores usitatius; alterum verò ipsi Sancto familiarius, ut ex ejus constat Epistolis, in quibus se semper *Columbam* inscribit. Plures alii ejusdem nominis in Hibernia nostra Sanctissimi viri floruerunt; quorum primus, & præcipuus censetur *Columba Hiensis* (apud nostrates vulgò *Columkille*) Pictorum Apostolus, multorum, tam intra, quàm extra patriam monasteriorum fundator; tantæque in clero Hibernico, & Pictico reverentię, ut inusitato subjectionis ordine (teste V. Beda) ipsi subesse solerent Episcopi. Agitur eius festum 9. Junii, quo die ipsius meminit Martyrologium Romanum cum aliis ibi à Baronio signatis. Pręclaram sanè ejus habet mentionem ad hunc diem Notkerus Balbulus, qui affirmat ipsum, post Apostolos, & gloriosum Martinum, miraculorum gloriâ, & cœlestium revelationum frequentiâ nulli fuisse secundum; quod sanè verum esse cognoscet quisquis miranda eius Acta, ab Adamnano Abbate, viro Sanctissimo, ex fide conscripta, perlegerit. Habentur ea excusa apud Henricum Canisium to. 5. antiquarum lectionum, Surium nuper auctum editionis Coloniensis postremæ, Thomam Messinghamum in suo *Florilegio* Sanctorum Hiberniæ. Fuit alius Columbanus iunior, illi, quo de agimus, Columbano Luxoviensi, carne conjunctus, & peregrinationis ejus ex Hibernia comes, de quo infrà Jonas cap. 16. Tertius hujus nominis fuit ille reclusus Gandavi, qui ex Hibernia patria sua, peregrinatus venit in Belgium, de quo ex Chronico monasterii Gandensis sequentia adfert Molanus Indic. ad 2. Februarii.

Plures S S. Columbæ seu Colūbani Hiberni.

hist. gentis Ang. l. 3. c. 4.

Februarii: *Quarto nonas Februarij, anno nongentesimo quinquagesimo septimo, reclusio Columbani Abbatis Hiberniensis, viri Sanctissimi, in cœmeterio Gandensis cœnobii; ubi post biennium obiit, & in crypta B. Mariæ ante altare B. Andreæ sub arcu lapideo requiescit. Obitus in libris Rubeæ vallis notatur decimo quinto Calendas Martii.* Hæc ille. De Columba Episcopo Lageniensi, & Columbano Gragio Presbytero videatur Adamnanus in vita Columbæ Hiensis, & de altero Columba presbytero Jocelinus cap. 89. vitæ S. Patricii. Scriptum est mihi à quodam amico etiam ex Gallia oriundo, quendam celeberrimæ sanctitatis *Columbanum*, adhuc hodiè in Britannia Armorica miraculorum gloriâ clarum in *Lominensi* oppido (ubi & suo nomini templum consecratum habet) diœcesis *Venetensis*, præcipuâ populi veneratione coli, maximè verò dementium, & furiosorum, quorum plurimi quotidianis miraculis ad Sancti viri altare & sacri capitis thesaurum, ibi cum honore repositum, curantur. Ab eodem præterea scriptum est, per præfatum Sanctum 40. monasteria in sola Armoricâ extructa; quæ *omnia*, inquit, *sunt Abbatiæ ditissimæ.* Quæ si vera sunt, multum debet pro *Columbanis* Gallia Hiberniæ: tamen præter istos & alios externis concessos, multos sibi ejusdem nominis domi retinuit, quos videre est in Menologiis Hibernicis.

De Hiberniæ insulæ nomine, descriptione, & divisione tam Ecclesiastica, quàm civili, ac aliquibus ejus privilegiis.

Hiberniæ appellationis origo.

8 **H***Iberniæ insula.* Pro clariori dicendorum in progressu notitiâ, hic aliqua breviter de hujus Insulæ descriptione præmittenda sunt; ac inprimis de ipsa nominis ejus hic expressi; & omnibus de ea loquentibus usitati, origine; in qua deducenda (ut alios plures omittam) communis est multorum Latinorum error, opinantiû ab *Ibero* Milesii Regis filio derivatam Hiberniam, qui unà cum *Erimone* & aliis Fratribus suis traditur illam regionem subegisse; licet enim is major natu esset *Erimone*; quia tamen non amplius, quàm uno anno, regnavit, nec hoc ipso tempore absolutum totius insulæ principatum, sed divisum cum fratre imperium gerebat, non videtur, quomodo toti regno potuerit appellationis suę nomen imponere, remanente post ipsum æmulo fratre, & quidem ad totius regni monarchiam aucto, qui potius à suo viventis & imperantis nomine, quàm ab extincti hostis vocabulo subjectum sibi regnum appellasset homo gloriæ cupidus. Deinde is non *Iberus*, sed *Eimerus*, *Emerus*, aut *Emberus* appellabatur juxta receptam apud Hibernos passim etymologiam. Rejecto ergo hoc commento, adhærendum est veræ & receptæ apud Hibernos traditioni, quæ dictæ appellationis originem ad ipsam refert *Iberiam*, seu *Hesperiam* antiquam, hoc est, Hispaniam, à qua primùm Hiberni venerunt; & nominatim, ab *Ibero* in ea flumine, ut conformiter ad monumenta ipsius gentis expressit pervetustus author vitę *S. Albani* Abbatis infra citandus; & hinc ab initio ea erat Hibernici nominis ratio, ut insula diceretur *Iberia*, & incolæ similiter *Iberi*, (quo etiam nomine passim eos in suis Epistolis vocat *Columbanus*, ut suis locis adnotavimus) & hinc, vel ex usu loquentium, vel ex consensu hominum, *Iberus* in *Ibernus*, & *Iberia* in *Ibernia* literulæ unius adjectione transivit. Vnde fit, ut ab *I* latina, & non à Pytagorica *H Iberniæ* & *Ibernorum* nomen inchoare debeat qui originem vocis spectare mavult, quàm vulgarem usum scribentium, etiam eruditorum, atque antiquorum virorum, qui posteriori modo *Hiberniam* scribunt & *Hibernos*. Est autem Hibernia, insula post Britanniam (quæ Scotiã Albiensem & Angliam, ut omnes Cosmographi & Geographi consentiunt, ut partes principales amplectitur) omnium insularum maxima, ad Occidentem Britanniæ sita, ab eaque freto divisa; *protenditur*, ut ait Camdenus in descript. Hiberniæ, *ab Austro in Aquilonem, formâ lenticulari, sive ovali.* Et infra. *Ab ortu Angliam, turbido mari disjunctam habet, quod Hibernicum vocant: ab occasu, immenso Oceano occidentali: à Septentrione, Deucaledonio; ab Austro, Vergivio alluitur.* Hæc ille. Hispaniã, triû dierû navigatione dissitam, ab Austro in Circium ventum sibi occurrentem spectat, parique spatio contra Septentrionem abest — Hiberniæ situs.

Osullivanus in hist. cath Hiberniæ to. 1. c. 3. & 4. est ab *Islandia* insula. Eius longitudo, ut ex Iulio Agricola (qui fuit Romanorum olim in Britannia præfectus) colligitur, sexcenties mille passibus Longitudo. Anglicis & Italicis extenditur; Latitudo. latitudo verò trecenties mille passibus mensuratur, cœli solique ibi temperies maxima, ut latè demonstrat Giraldus Cambrensis in Topographia Hiberniæ, Top. p. 1. c. 41. & ipsa docet experientia; unde non rectè loquuntur, qui Insulam hanc dictam putant *Hiberniam*, quasi ab hiberni temporis ibi sævitiâ, & vehementissimâ glaciali aquarum concretione. divisio. Cæterum dividitur hæc insula juxta veteres Hiberniæ scriptores, quos secutus est Cambrensis, in quinque magnas regiones, & aliam minorem. Eæ sunt *Momonia* duæ, superior, & inferior, etiã In vita S. Malachiæ. à S. Bernardo cognitæ, ad Austrum sitæ; *Lagenia* ad ortum, *Connachta*, seu *Connacia*, sive, ut jam passim scribitur, *Connacia*, ad occasum; *Ultonia* verò ad septentrionem; *Media* demùm in ipso ferè terræ medio posita; quarum olim singulæ singulos habuêre Reges sub uno monarcha, qui totius Hiberniæ Rex dicebatur. Verùm juxta vulgarem hujus insulæ divisionem, quam secutus fuit S. Bernardns in Vita S. Malachiæ, utramque Momoniam sub unius regni nomine complectens, Hibernia distinguitur in quatuor solum regna, Momoniam videlicet, Lageniam, Connaciam, & Ultoniam, quibus pari numero quatuor respondent Archiepiscopa- Quatuor Archiepiscopales sedes Hiberniæ. les Sedes, *Armachana* Regni metropolis in Ultonia, *Dublinienfis* in Lagenia, *Cassellensis* in Momonia, & *Tuamensis* in Connacia; *in quibus* (inquit Flatesburius in Chronicis Hiberniæ) *præsidebant tunc Gelasius, Gregorius, Donatus, & Edanus*; quæ omnes ab Eugenio Papa tertio, missis in Hiberniam cum potestate Legati *Christiano Lesmorensi* Episcopo (de quo S. Bernardus) & Joanne Papirone S.R.E. Cardinali, usu pallij solemniter donatæ sunt circa annum quando pallio donatæ. salutis 1148. An autem ante hæc tempora fuerit in hac insula Pallij usus, non est hujus loci disquirere prolixius. Jocelinus in Vita S. Patricii affirmat; S. Bernardus, Cambrensis, & alij negant: sed de hoc aliàs opportunius.

9 S. Patricius primus fuit, qui totam hanc insulam ad fidem Christi convertit, eò missus à *Cœlestino* primo Pontifice: unde meritò S. Patritius Hiberniæ Apostolus. ipsum Hiberni Apostolum colunt. Licet enim ante ipsum eò destinatus fuerit ab eodem Cœlestimo *Palladius*, paucos tamen ibi ad fidem perduxit, quia non ipsi, sed Patricio Deus Hiberniæ conversionẽ reservavit, in qua tot signa, & prodigia patravit, ut meritò *Thaumaturgus* dici possit: 60. mortuos suscitavit, trecentos sexaginta quinque Episcopos & Ecclesias 700. consecravit: 12000. millia infidelium baptizavit, & 5000. sacerdotũ ordinavit; aliaque innumera huic genti beneficia præstitit, quæ copiosè prosequuntur ejus vitæ scriptores. Inter alia verò prodigia, quæ in hac expeditione patravit, non minimæ admirationis esse censetur locus ille in Ultonia situs, qui ab ipsius sancti nomine *Purgatorium S. Patricij* appellatur; quo cujus admiranda magnalia & Purgatorium. in loco creditur esse fovea, seu vorago illa ingens, quam ob merita & preces Sancti viri ad terrorem obstinatorum, terrâ mirabiliter dehiscente, aperuit Deus; in qua foveâ miranda de gloria beatorum, & pœnis damnatorum, retroactis sæculis, ingredientibus ostensa, relicta post ipsos literarum monumenta demonstrant, in quibus ejusmodi exhibitæ visiones exactè describantur. Si quis ea scire desiderat, legat Vincentium in Speculo historiali l. 27. à capite 88. usque ad caput 103. impressionis Venetæ apud Dominicum Nicolinum M.DXCI. ubi fusè prosequitur Visionem Tondali: legat etiam Dionysium Carthusianum lib. de 4. Novissimis, Mombritiũ to. 2. relatum à Baronio in Notis ad Martyrologium Romanum 17. Martii, Thomam Messinghamũ in suo Florilegio Insulæ sanctorum pag. 86. & seqq. Philippum Osullivanum lib. 2. Hist. Cath. regni Hiberniæ, qui varias referunt historias multorum, qui illam speluncam ingressi, horrenda se vidisse retulerunt. Transcripsi ex quodam codice MS. bibliothecæ societatis JESU Engolstadii historiam cujusdam *Georgij* militis Hungari, mira de sua in illo loco peregrinatione narrantis, reliquis, quas hactenus de hac re viderim, locupletiorem & magis authenticam; quippe quæ, ut ibidem in prologo scribitur, confirmata fuit *per patentes literas, sigillis authenticis sigillatas, videlicet Domini Richardi nunc* (hoc est, ut ibidem notatum est, anno Domini M. CCC. LIII.) *ArchiEpiscopi Armachani S. Theologiæ Magistri,*

Magistri, *ac etiam plurium aliorum*; *videlicet domini Nicolai*, *nunc* (anno notato) *Episcopi Clochorensis, in cujus Diœcesi est Purgatorium S. Patricii*, *Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium*, *ac etiam Fratris Ioannis Prioris Monasterici insulæ Purgatorij S. Patricii, Ordinis Augustini prædicti, Generalis per Hiberniam Fratrum Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani.* De hoc S. Patricii Purgatorio præter iam adductos, meminerunt Jacobus Ianuensis in *Legenda Sanct.* in Vita S. Patricii, Radulphus Cestrensis in Polychronico, Cæsarius Heisterbachensis in suis Dialogis, Marcus Marulus l. 3. c. 4. Maurolycus Siculus in suo Martyrologio, Iacobus de Vitriaco in Historia Orientali cap. 92. omnes Purgatorii hujus assertores.

Nulli in Hibernia serpentes aut animalia venenosa

10 Aliud magnum beneficium & singulare privilegium Hibernia sui gloriosi Apostoli & Patroni Patricii meritis & precibus à Deo impetravit; ut scilicet ab omnibus venenosis sit libera: adeò namque terra illa veneno est contraria, quod nullus ibi serpens, nulla rana, nulla aranea venenosa, vivere possit; & teste V. Beda c. 1. Hist. Angl. omnia penè quæ de hac insula sunt, contra venenum valent, & subjecto mox declarat exemplo, etiam rasuram codicum, qui de Hibernia sunt, aquæ mixtam, & potui datam, percussis à serpente, sanitatem reddere, omni tumore sublato. Hoc insulę privilegium pręter Bedam commemorant Giraldus Cambrensis in Topographia Hiberniæ dist. 1. c. 30. & c. 32. Berchorius ex Isidoro l. 13. c. 16. Bartholomęus Anglicus de propr. rer. l. 15. c. 8. Guilielmus Neubrigensis, Petrus Appianus 2. pag. Narrationum Insularum Europæ pag. 145. Camdenus in descript. Hiberniæ, Irenæus & Critobulus apud Alanum, seu Harpsfeldium Dial. 3. c. 28. de quibus lege Messinghamum in Florilegio, elucidat. ad cap. 470. Vitæ S. Patricii per Iocelinum, qui idem affirmat. Nec de hac re apud Scriptores est controversia. Vnus dumtaxat Irenęus iam citatus, contra omnes affirmat illud Hiberniæ privilegium, non Patricii, vel alterius Sancti meritis, sed ipsius terræ conditioni, quæ ex suâ naturâ venena non ferat, esse tribuendum. Sed non est audiendus unus contra mille, nec pręferendum privatum cujusquam arbitrium, communi ipsius patriæ, id Patroni sui meritis adscribentis, traditioni. Commemorata hactenus de Hibernia, pro majori parte confirmantur ex sequentibus præfati Scriptoris in Vita S. Abbani verbis: *In occidentali*, inquit, *plaga totius orbis, est insula posita, cujus nomen Hibernia dicitur, eadem verò insula est magna & clara atque amœna terra, in qua continentur maxima quinque Provinciæ; in qua etiam nulla bestia venenosa, nec genus ullum serpentum habitat; sed terra sana & morbus carens, habitabilis valde, fructifera in diversis fructibus, tam in aquis, quam in terris & lignis.*

11 Quantæ autem fortunæ, dignitatis, & opulentię extiterit olim Hibernia, placet subjectis S. Donati Episcopi Fesulani in Tuscia, ex Hibernia nostra oriundi, elegantissimis de sua patria versibus explicare; quos refert pervetustus author Vitæ ejusdem sancti Præsulis, quam extraxi ex grandi MS. libro Chronicorum Ecclesiæ Fesulanæ. Qui scriptor postquam expressisset Sancti viri patriam in hæc verba: *Iste nempe, Fratres mei, iste est beatus ille, & verè prædicandus Christi sacerdos B. Donatus, quem nobis Hibernia Scotorum insula transmisit*, & relatâ per Orosium, & Solinum Hiberniæ descriptione, hæc mox ipse de binomiâ ejusdem insulæ, quam præfati tradunt authores, inseruisset: *Hujus* (nempe Hiberniæ) *priores partes Hiberiam & Cantabricum Oceanum intendunt, unde & Hibernia est dicta; Scotia autem, quia Scotorum gentibus colitur, appellata*; tandem in hæc verba concludit; *quanta autem fortuna, vel dignitatis* sit (Scotia illa, seu Hibernia) *seu etiam quam amica sit pacis, breviter idem iste Beatus Donatus versificando collaudat sonando.*

claruit S. Donatus temporibus Lothatii Magni imp. & Ludovici Boni regis Italiæ ut ex ejus constat Epitaphio. Hiberniæ enconia.

Finibus occiduis describitur optima tellus,
Nominè & antiquis Scotia scripta libris,
Dives opum, argenti, gemmarum, vestis, & auri,
Commoda terrigenis * *corpore aere, solo.*
* *Mellifluit pulchris,* * *lacte Scotia campis,*
Vestibus, atque armis, frugibus, arte, viris,

*.f. arte solo solo
*F. melle fluit
*F. & Lacteis

Ursorum

Ursorum rabies nulla est ibi, sæva leonum
Semina nec unquam Scotica terra tulit:
Nulla venena nocent, nec serpens serpit in herba,
Nec conquesta canit garrula rana lacu:
In qua Scotorum gentes habitare merentur,
Inclyta gens hominum, milite, pace, fide.

Quibus sanctissimus Antistes patriæ suę dotes egregias, & præclara gentis encomia luculenter enarrat. Cujus sanè viri vel hoc unicum de Hibernia tam clarû testimonium abundè videtur sufficere ad omnes vel Dempsteri, vel aliorum in hujus Nationis opprobrium confictas impiè calumnias propellendas.

12 Cæterùm de pristinâ Hiberniæ Sanctitate, & innumerâ Sanctorum multitudine, ob quam Hibernia, teste Iocelino in vita S Patricii cap. 174. & Paulo V. Summo Pontifice in suis ad Hibernos litteris, quas refert *Hibernia resurgens*, speciali encomio *Insula Sanctorum ubique terrarum nominabatur*, superfluum videtur hîc longiorem texere sermonem, cùm hujusmodi de Hibernia testimoniis libri sint pleni, præsertim qui de Sanctorum gestis loquuntur: ex quibus pro præsenti sufficiant, quæ in Actis antiquis S. *Abbani* citatis leguntur his verbis: *cultores Hiberniæ probati sunt in fide Catholica & dogmatibus Ecclesiasticis, & plus omnibus nationibus sanctificantur. De illa scilicet gente maximum Sanctorum agmen sibi elegit Deus, sicut veritas in Evangelio ait: alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & alibi: multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham &c. De quorum collegio fuit vir vitæ venerabilis nomine Abbanus &c.* Hæc ibi: quibus similia habentur in vita *S. Flannani*, ubi de miraculis, per ipsum Romę patratis, fit mentio. *Nonnulli*, inquit author, *de populo Romano, videntes quæ gesta sunt* (scilicet à S. Flannano) *inter se dicebant: Ecce, inquiunt, qualiter Divina pietas præ cæteris regnis occidentis, Hiberniam Insulam rore cælestis gratiæ fœcundavit: Hibernia enim terrarum occidentalium ultima, veri solis radios prima suscipiens, quasi mater honorificata claros Prædicatores fidei gignens, ad longinqua regna, veritatis doctores transmittit. Completum est enim in eis Evangelicum verbum: venient ab oriente, & occidente, & recumbent cum Abraham in regno cœlorum.* Ex quibus omnibus constat, quantâ etiam apud exteros olim æstimatione polleret Hibernia: de cujus descriptione sufficiant quę hactenus diximus.

Demonstratur Hiberniam Scotiæ quoque nomine apud antiquos designatam: simulque ostenditur quàmdiu illud vocabulum sibi soli proprium; quamdiu commune cum Albania, seu hodierna Scotiâ tenuerit.

13 *Hiberniam Scotorum gens incolit.* Hoc idem infra cap. 12. & 22. affirmat, quibus in locis usitatum satis apud antiquos scriptores, S. Hieronymum, Ammianum, Prosperum, Orosium, Ethicum, Bedam, & alios mox citandos, de Hiberniæ incolis loquentes, Scotorum nomen insinuat; cui appellationi, ipsa quoque patria antiquitùs conformi vocabulo *Scotia* dicebatur, adeò quòd non solùm hæc insula *Hibernia*, & ejus cultores *Hiberni* (de quâ nuncupatione quædam suprà notavi) tanquam propriis olim nominibus signari consueverint; sed insuper *Scotiæ*, ac *Scotorum* nomenclaturam sibi propriam, per multa sæcula vendicarint: cujus appellationis his verbis primam tradit originem Giraldus Cambrensis, quem sequuntur Ioannes Maior, & Hector Boëtius, in historia Scotica. *Quoniam igitur Hibernienses ab istis, ut aiunt, originalem lineam ducunt, à Gathelo, & Scota* (filia Pharaonis) *Gatheli & Scoti, sicut & nati sunt, sic & nominati.* Ita Gyraldus, cui consonat memoratus vitę S. Abbani scriptor in hæc verba: *Habitatores ejus*, inquit, nempe Hiberniæ, *bino nomine nominantur, id est ab Hibero flumine* Hibernia *& ab Hibernia* Hibernienses *vocantur*; *Scoti verò à Scota matre ejusdem gentis dicuntur, quæ fuit filia Regis Aegypti. Quomodo de Aegypto ipsa venit ad Hiberniam, causâ brevitatis omitti-* Origo appellationis Scotiæ.

emittimus, quia invenitur de illa in libris qui narrant quomodo in primis temporibus habitata est Hibernia. Quibus ultimis verbis ostendit author, se vetustos Hiberniæ Annales hac de re consuluisse, quibus omninò credendum, quidquid dicant in contrarium Gulielmus Camdenus, & Henricus Fitzimon in suo de Scotici nominis ambiguitate Tractatu, à Scythis Germanicis, seu Scotis (ut eos vocat Huntingdoniensis pag. 73) ex Hispania ulteriori (quâ teste Seneca de consolatione ad Albin. & Orosio Silvio lib. 3. & 5. potiebantur) in Hiberniam velut in locum à Romanorum irruptionibus tutissimum, ipsorum tyrannidis declinandę causâ, confugientibus, ibique sedes figentibus, *Scotorum & Scotiæ* nominis in Hibernia primum usum profluxisse existimantes; quę Scotorum, seu Scytharum in Hiberniam transmigratio, contigit quartâ mundi ætate, ut citatus Huntingdoniensis, & Nennius apud Capgravium pag. 148. laudatus affirmat.

14 Verùm quacumque demum illud occasione contigerat, manifestum est Hiberniæ & Hibernis *Scotiæ Scotorum*que nomen olim attributum, ita ipsis multis annorum centuriis proprium inhæsisse, ut nulli alteri ab Hibernia regioni, vel genti communicatum inveniatur; quod luculentissimè demonstrarunt contra quosdam modernę Scotiæ scriptores Richardus Stanihurstus in historia Hibernię, Illustrissimus Dominus Petrus Lombardus totius Hiberniæ Primas in suo doctissimo de rebus Hiberniæ Commentario cap. 2. Donatus ORoirck in sua Hibernia resurgente dist. 3. per totam, Henricus Fitzimon tam in Præfatione contra Riderum, quàm in speciali hac de re tractatu, nondum edito; Illustrissimus piæ memoriæ noster Hugo Cavellus in vita sui conterranei *Ioannis Duns Scoti*, Ordinis & patriæ nostræ Doctoris eximii; *Hugo Magnesius* in Apologia, pro sui magistri præfati Hugonis defensione contra Nicolaum Jansenium conscripta: postremò D. Thomas Messinghamus in suo *Florilegio* satis copiosè, aliique gentis nostræ scriptores, prolatis in medium clarissimis antiquorum testimoniis, Hiberniam & Scotiã pro synonymis usurpantium; quæ licet manifestissimũ sit, de sola Hibernia superiùs descriptâ intelligi debere; præter quam nulla alia ejusdem nominis ullibi gentium reperitur; tamen propter nuperum, de quo infra, cujusdam fabulonis inventum, & insulsum planè commentum, placuit hoc ipsum, expensis attentè singulorum verbis, expressiùs ostendere, ut omnis imposterùm hac in parte proterviendi tollatur occasio per adhibitam tot fidelissimorum testium subscriptionem.

15 Primus hujus rei testis S. Hieronymus in prologo lib. 3. in Jerem. de suo quodam obtrectatore loquens in hæc verba: *habet* (inquit) *progeniem Scoticæ gentis de Britannorum vicinia.* de Britannorum, ait, *vicinia*; ergo non de ipsa Britannia, non de aliqua ejus parte, non de Anglia, non de Walliâ, non de modernâ Scotiâ: unde ergo? de vicinâ certè aliqua Scoticæ gentis patriâ: at quę patria Scoticæ, Scoticævè gentis prope Britanniam, ab eaque discreta, pręter Hiberniam? quæ autem Britanniæ adjacens regio *Hibernia* aliquando dicta præter insulam superiùs descriptam? Itaque obtrectator ille ex Hieronymo, de Hibernia insulâ, Britanniæ proximâ, Scoticę gentis altrice, progeniem habuit; atque adeò Hibernos Scotorum nomine Hieronymus comprehendit. Idipsum insinuat Porphyrius apud Hieronymum Epist. ad Ctesiphontem cap. 4. cum ait: *Neque Britannia fertilis provincia tyrannorum, & Scoticæ gentes, omnesq; usque ad Oceanum per circuitum barbaræ nationes, Moysen prophetasq; cognoverunt.* Vbi Scotica natio à Britannia secernitur; quod de hodierna Scotia non est verum. Idem affirmant cum Hieronymo Ethicus, & Claudianus; ille in sua Cosmographia Europę, hic Panegyr. in 4 consul. Honorii; quibus addi possunt Ammianus, Prudentius, Sedulius (qui se in principio suarum epistolarum Scotigenam appellat, ut testatur Trithemius; in præfixo autem Operibus ipsius titulo inscribitur *Hiberniensis*) quorum omnium verba brevitatis studio prætermitto.

Porphyrius, Ethicus, Claudianus, Prudentius, Sedulius,

16 Egesippus junior, seu quis alius author operis de excidio Ierusalem l. 5. c. 15. nobis suffragatur, de Romanis Britanniæ subactoribus verba faciens, de Hibernia postea mentionem inducit, horum famâ & potentiâ tremefactâ; *Tremuit*, inquit, *hos Scotia, quæ terris nihil debet.* Quæ verba manifestum est de Hibernia intelligi, quę mari undique cincta terris nihil debet, quęque Romanorum nondum subjecta, subjugari tá-

Egesippus junior,

Mm

gari tamen pertimescebat imperio; & non de hodierna Scotia, quę nimirum Anglię continenti juncta, unius tantum fluvioli discreta limitibus, non una per se insula, sed unius insulæ, nempe Britanniæ Magnæ, portio censetur; quæque tum Romano juri parebat, ut citatus tradit Egesippus: *Quid attexam*, inquit, *Britannias, interfuso mari toto orbe divisas, à Romanis in orbem terrarum redactas?* & subdit: *tremuit hos Scotia, quæ terris nihil debet.*

Orosius. 17 Huic veritati subscribit Orosius Magni Augustini discipulus lib. 1. hist. c. 2. his verbis. *Et quoniam oceanus habet insulas, quas Britanniam, & Hiberniam vocant, in aversa Galliarum parte ad prospectum Hispaniæ sitæ sunt, breviter explicabuntur.* Et interjectâ Britanniæ descriptione, sic de Hibernia prosequitur: *Hibernia insula inter Britanniam & Hispaniam sita, longiore ab Africo in Boream spatio porrigitur.* Et infra. *Hæc proprior Britanniæ, spatio terrarum angustior, sed cœli soliq; temperie magis utilis, à Scotorum gentibus colitur.* Ecce diversas facit insulas Orosius Britanniam & Hiberniam. Ast quis ab hominum memoria dixit recentiorem Scotiam, insulam à Britannia distinctam? Annon illam Britanniæ insulæ partem dumtaxat efficere, omnium librorum, ac linguarum concordat authoritas? Igitur per Hiberniam hîc nullam Britannię partem intellexit Orosius, sed illam insulã, quam Britannię proximam affirmat cum ipso V. Beda infra citandus. Cum autem hujus Hiberniæ incolas in fine vocat Scotos, cum ait ipsam à Scotorum gentibus coli, eo quo ipse Jonas sermonis usus exemplo, clarum est quod Hibernos & Scotos pro synonymis usurpet. Orosio jungamus Isidorum ejusdem sententiæ, qui l. 14. orig. c. 6. Hiberniam ita describit *Scotia eadem & Hibernia proxima Britanniæ insula*; Isidorus. ergo non aliam regionem ab Hibernia vocat Scotiam. Ast à qua Hibernia? ab illa, inquit, quæ *Britanniæ proxima*, quæ non alterius insulę partẽ, sed unam per se ipsa constituit insulam, & quidem à Britannia distinctam.

18 Adductis hucusque consonat author quidam vetustissimus vitæ S. Patricii, qui circa ipsius sancti tempora, ut ex historię progressu colligitur, floruit (cujus mihi copiam fecit R. P. Stephanus Vitus Societatis Iesu, sedulus antiquitatum perscrutator, & lector indefessus) qui author post initium historię, sequentia de occasione captivitatis S. Patricii; & prima ejus in Hiberniam abductione subjungit: *Causa hæc erat prima peregrinationis atque adventus ejus in Scotiam. Scoticnsis exercitus* (adverte lector) *classiario more, conductâ, stipataq; multitudine navium, cum frequenter transnavigassent in Britanniam, multos inde ducebat captivos, & hoc idem solito faciens, casus tulit, ut ipse cum sorore sua inter alios captivos deprehensus duceretur in Scotiam.* Cæterùm ad quam Scotiam fuerit ductus, mox declarat, & quidem ipsius sancti Patricii testimonio: *Eo autem tempore*, inquit, *Patricius erat annorum sedecim, ipso manifestè attestante, qui in libris suarum epistolarum ita ait: Quando ego captus sum, annorum eram ferè sexdecim &c. & ad Hiberniam adductus sum in captivitate cum tot millibus hominum secundum merita nostra, quia à Deo recessimus, & præcepta ejus non custodivimus, & sacerdotibus nostris non obedientes fuimus &c.* Hæc ille. Quibus in locis si quam illis nominibus designabat Hiberniam, intellexisset Scotiam hodiernam, partem septentrionalem Britanniæ, non dixisset extra Britanniam deportatum esse Patricium. Quomodo enim extra illam regionem dici poterat captivus transportari, si ad alteram dumtaxat ejus partem transferebatur? Deinde qua ratione, dici potuit exercitus ille Scotensis transnavigasse in Britanniam, ut inde captivos duceret, si ipse de Britannia erat, nec extra ipsos Britanniæ fines captam prædam exportare intendebat? Præterea quòd non de alia regione, quàm de Hibernia ibi sit sermo, ipse author multis aliis in historię progressu indiciis declarat: nam passim illam Scotiam, quam dixerat Hiberniam, vocat insulam, ut legenti patet. Item in ea statuit regionem Connactorum, hoc est *Connactiam*, seu *Connaciam*, quam supra ostendimus Hiberniæ provinciam esse: *vidit*, inquit, *virum ad se venientem* (nempe Patricius) *quasi de Hiberione insula cum epistolis multis, & erat hoc scriptum in eis: hæc est vox Hiberniensium; & cum hoc principio audivit simul in eodem momento vocem infantium ex uteris matrum ex regionibus Connactorum &c.* Denique illam Hiberniam testatur non ita multò post à Patri-

Vetustus vitæ S. Patricii scriptor anonymus.

Patricio ad Christi fidem conversam. Quæ omnia quis non videat de Hiberniæ suprà scriptâ debere intelligi, quibus ista per omnia conveniunt, & non de Albania, seu hodierna Scotia, quæ tantum insulæ pars est, quæ nullam continet Connaciam, quæ demum *Victori*, vel *Columbæ*, non autem *Cælestino*, vel *Patricio* fidem suam acceptam refert? Huic authori & alius concordat Vitæ S. Patricii pariter scriptor, qui magnam spirat antiquitatem, & fidem, quem vidi in monasterio S. Huberti in Ardenna, inter alias probatas Sanctorum historias. Ita ille de Palladii in Hiberniam ingressu: *Palladius terram Scotorum intrans, in Lageniensium fines pervenit, ubi Nathi filius Garchon Comes erat &c.* Quid potuit clarius, quid significantius dici? terram in qua sita est Lagenia, atque Hiberniam suprà descriptam, vocavit terram Scotorum.

19 His adjungo alium non ignobilem gestorum S. Patricii Notarium *Probum* Hibernum, qui de ipso sequentia refert: *surgens igitur Patricius venit in Hiberniam, statimque vaticinati sunt prophetæ Hiberniæ, quod venisset Patricius illuc.* Et infra declarans quis in insula ingrediente Patricio regnabat: *In diebus illis fuit quidam Rex in iisdem regionibus, magnus, ferox, & gentilis, imperator barbarorum hominum, regnans in Temoria civitate, ubi etiam tunc regni Scotorum erat caput, Logareus nomine filius Nel, origo stirpis regiæ insulæ illius.* Et subdit, ut Regis magi & aruspices de Patricii adventu, sicut ante dixerat, vaticinati sunt. In quibus locis satis clarè Hiberniam in qua præcesserunt de Patricio vaticinia magorum, in qua sita noscitur *Temoria*, quæ demum insula ab omnibus describitur, *Scotorum* regnum appellat Probus. At quis in Scotia Britannica ejusmodi vaticinia unquam de Patricio facta somniavit? quis in ea *Temoriam*, in *Midia*, seu *Media* Hiberniæ regione constitutam, collocavit? Quis inter ejus recensuit reges *Leogarium* filium *Nel*? quis denique ipsam dixit insulam? Cum ergo nihil horum ei quadret, restat authorem hunc de Hibernia suprà descripta, cui omnia hęc ab ipso expressa signa conveniunt, esse locutum. Cum vitæ S. Patricii scriptoribus consonat Officium ipsius Ecclesiasticum, in quo legitur quòd S. Patricius *missus ad Hiberniam, tenebras idololatriæ Scoticæ gentis abstulit.* Notum autem est ad suprà memoratam Hiberniam missum esse Patricium.

Vita Probus.

20 Hinc transeamus ad egregium S. Brigidæ encomiastem *Cogitosum*, ipsius Sanctæ virginis, ut creditur, nepotem, qui in Prologo narrationis refert, ut suum ipsa *monasterium, caput penè omnium Hiberniensium ecclesiarum, & culmen præcellens omnia monasteria Scotorum, cujus parochia per totam Hiberniensem terram diffusa, à mari usque ad mare extensa, in campestribus campi Liffei supra fundamentum fidei firmum construxit*, & infra subdit: *sua cathedra Episcopalis, & puellaris, ac si vitis fructifera, diffusa undique ramis crescentibus in tota Hiberniensi insula inolevit, quam semper Archiepiscopus Hiberniensium Episcoporum, & Abbatissa, quam omnes Abbatissæ Scotorum venerantur, felici successione & ritu perpetuo dominantur.* Hæc Cogitosus. quæro cujus regionis erant illi Hibernienses, illi Scoti, quorum Archiepiscopus, & Abbatissæ omnes summâ veneratione Brigidam colebant? cujus terræ, quorum Scotorum asylus erat Brigidæ monasterium? quorum ibi Regum thesauri condebantur? Nonne ejus regionis erant omnes hi, in qua præfata Brigidæ ecclesia fuit erecta? per quam ejus parochia à mari usque ad mare fuit extensa? in qua pręclaræ Virginis fama inolevit? quæ denique caput penè asseritur omnium Hiberniensium Ecclesiarum? Hæc autem regio non alia esse potest ab Hibernia; in qua nimirum visuntur campestria *Liffei* (qui fluvius in illa Hiberniæ parte quæ *Lagenia* dicitur, situs esse dignoscitur) quæ præterea sola dici potest Hiberniensis insula, cùm Scotia Britannica, ut sæpè monui, insula non sit. Igitur à primo ad ultimum, de Hibernia, ejusque incolis intelligendus *Cogitosus*, cùm terram illam quam vocat *Scotorum*, nunc insulam *Hiberniensem*, ejusque habitatores nunc *Hibernienses*, nunc *Scotos* indistinctè denominat.

Cogitosus in vita S. Brigidæ.

21 Congruo satis ordine præcitatis subnectimus *Adomnanum*, qui tertii Hiberniensis Ecclesię Patroni, magni videlicet Columbæ, laudes enarravit. Ille, si quis alius antiquorum, hanc Hibernię nomenclaturam evincit, cùm in toto suę historię decursu, Hiberniam de qua loquimur *Scotiam*, Hibernos quoque similiter *Scotos* passim appellet, ex

S. Adomnanus.

qua quædam loca proferemus. Igitur l. 1. c. 1. de transitu S. Columbæ in Britanniam in hæc verba loquitur Adomnanus, cujus dicta magnam apud Ven. Bedam authoritatem obtinuerunt, & in præsenti veritate indubitatam habent fidem, quippe qui in ipsa Columbæ patriâ Hiberniâ natus, & in illo, quod fundavit, Hiensi cœnobio successit, non curę tantum, sed & sanctitatis hæres effectus, à quo procul abesse debet omnis imperitiæ, vel ignaviæ suspicio in commemorandis utriusque loci, nativitatis scilicet & peregrinationis, quæ tunc erant in usu, nominibus. *Hic* (nempe Columba) *anno 2. post Culedreibhne bellum, ætatis verò suæ 42, de Scotia ad Britanniam pro Christo peregrinari volens enavigavit.* Paucis verbis luculentum perhibet assertioni nostræ testimonium. Asserit enim de illa regione egressum esse Columbam, in qua gestum fuit bellum illud iam dictum; in Hibernia verò peractum esse omnia Scotorum Hiberniæ monumenta & historiæ consentiunt. Præterea ait Columbam navigasse ex *Scotia* in Britanniam; igitur illa Scotia, unde solverat, distincta fuit à Britannia, sicque non ex hodierna Scotia, quæ in Britannia continetur, sed ex Hibernia quæ tum sola vulgò Scotia dicebatur, enavigavit. Postremò refert peregrinaturum ex Scotia natali solo discessisse S. Columbam in Britanniam: igitur extra Britanniã erat illa Scotia; nemo enim in sua patria rectè peregrinari dicitur. Deinde ipsemet Dempsterus in suo Menologio Scotico fatetur S. Columbam ex Hibernia insula, de qua suprà, oriundum; igitur vel invitus concedere debet, eandem Hiberniam dictam hic ab Adomnano *Scotiam*. Ad hæc ponderemus quæ cap. 2. ejusdem libri scripsit de S. Finteno. *Hoc propositum*, inquit, *in annis juventutis conversatus in corde habuit, ut nostrum S. Columbam, Hiberniam deserens, peregrinaturus adiret.* Et relata ejus ex Hibernia transitu, & ad Baitheneum S. Columbæ successorem accessu, rogatoque habitu monastico, prophetiam S. Columbæ de ipso subjungit, quæ inter alia hæc habet: *statim post meum de hoc ad Christum sæculo expectatum & valde desideratum transitum, quidam de Scotia frater, qui nunc bene juvenilem bonis moribus agens ætatem, sacra lectionis satis studiis imbutus, nomine Fintenus, ad te, inquam,* (loquebatur Baitheneo) *perveniens, humiliter expostulabit, ut ipsum suscipiens, inter cæteros adnumeres monachos.* Ecce quem prædicit S. Columba de Scotia venturum in Britanniã, Adomnanus id ipsum narrans, affirmat de Hibernia navigasse, ergo synonyma erant illi *Scotia* & *Hibernia*. Et ne putes de alia regione quàm de Hibernia suprà descripta locutum, audi sequentia, quibus à S. Columba Baitheneo prohibetur, ne Fintenum apud se remanere sinat: *Noli itaque memoratum virum in his nostris apud te retinere insulis, ne & Dei voluntati contraire videaris; sed hæc ei intimans verba, ad Scotiam in pace remittas, ut in Laginensium vicinis mari finibus monasterium construat.* Et tandem concludit Adomnanus: *his deniq; verbis Sanctorum obtemperans, & à Batheneo accipiens* (Fintenus) *benedictionem, in pace ad Scotiam transnavigavit.* Transivit itaque Fintenus ad Hiberniam, in qua Laginensium fines consistunt; hęc autem est illa ipsa, quam supra delineavi, cujus Lagenia provincia semper est habita. Legendũ adhuc caput 18. ejusdem libri ubi agitur de adventu gruis, quæ de terra erat nativitatis S. Columbæ, ex Hibernia in Britanniam, ejusq; denuò ad Scotiam, seu Hiberniam unde orta erat, regressu; quo in loco patenter Hibernia ab Adomnano & vocatur *Scotia*, cujus verba brevitatis studio ponderare prætermitto, sicut & alia evidêtissima hujus historię testimonia. Nobis etiam in hac suę patriæ nomenclatura, ipse de quo agimus in hoc opere S. Columbanus luculentissimè suffragatur, seipsum in secunda ad Bonifacium Papam epistolâ disertè *Scotum* appellans; *Rex gentilis*, inquit, *peregrinum scribere, Longobardus Scotum hebetem rogat* &c. Ast S. Columbanum Hibernũ fuisse ex Lagenia oriundum inferiùs ex communi antiquorum consensu demonstrabitur, & ipsiusmet Sancti clarissimis testimoniis, se in quodam instrumento *servum servorum Dei, ex Hiberniæ partibus ortum*, & suos concives in epistolis nunc *Iberos*, nunc *Hiberos*, nunc etiam *Hibernicos* nuncupantis. Cum ergo ipse in Lagenia, notissima Hiberniæ Provincia natus, & proinde verè Hibernus, se suprà vocet *Scotum*, quis non videat *Scotum* & *Hibernum* temporibus illis fuisse synonyma?

S. Columbanus.

22 Audiamus nunc de hac causa V. Bedæ, testis omni acceptione majoris, judicium. Ita ipse l. 1. Hist. suæ gentis c. 1. postquam Britanniam descripsisset, ejusque populos distinxisset, de Hibernia subjungit: *Est autem Hibernia insula, omnium post Britanniam maxima, ad occidentem quidem Britanniæ sita, sed sicut contra Aquilonem ea brevior, ita in meridiem se trans illius finem plurimùm protendens, usque contra Hispaniæ septentrionalia, quamvis magno æquore interjacente pervenit.* Et postquam retulisset, quomodò *Scoti* Hiberniæ, duce *Rheuda*, sibi sedes in *Pictorum* parte recepissent, ibique tertiam Britonibus & Pictis nationem addidissent, inter alia, quæ de Hibernia commemorat encomia, refert, *quòd nullum ibi reptile videri soleat, nullus vivere serpens valeat*, ita ut *sæpe illò de Britannia allati serpentes, mox ut proximante terris navigio, odore aëris illius attacti fuerint, intereant.* Et tandem in hæc verba concludit: *hæc autem propria Scotorum patria est.* Hic disertè Beda Hiberniam, quæ insulam efficit à Britannia distinctâ, quæque nullum venenosum gignit animal; ac proinde regionem illam, cujus supra dedimus descriptionem, cui ista soli convenire noscuntur, *propriam Scotorum patriam* appellat. Si propria, ô Beda, Scotorum patria Hibernia, igitur in ea nati, tam propriè dici possunt *Scoti* genere, quàm *Hiberni*. Si per ea verba significare voluisti Hiberniam asylum dumtaxat fuisse advolantium ex Britannia Scotorum, cur *propriam* dixisti? Si Scotorum advenarum receptaculum, ut nuperrimè quidam Scotobritannus, verè ad extrema redactus, exposuit, & non incolarum, seu indigenarum sedem & habitaculum insinuare, cur *patriam* nominasti? Si Scotorum Britanniæ refugii locum, ut iste Neo-scotus contendit, Hiberniam patriam vocandum putasti, quo tandem nomine appellabis originis locum, ubi nimirum nati, ubi educati, unde egressi? An forte præpostero ordine de terra exilii, natale solum efficere intendis? Verè lector, in tenebris ambulant illi, qui in tam apertâ patentium verborum luce cœcutiunt. Verè defecerunt scrutantes scrutinio, qui verbis tam obviis, tam claris, tam devia adhibuêre glossemata. Multa hujusmodi loca clarissima Bedanæ historiæ non vacat nunc sigillatim expendere. Qui voluerit plura huc spectantia videre, legat caput 4. l. 2. & caput 3. l. 3. Item cap. 4. & 26. lib. 4. & cap. 16. l. 5. in quibus, & aliis multis passibus Hiberniam & Hibernos, sub Scotiæ & Scotorum nomine comprehendit. Et circa intelligentiam V. Bedæ observandum est, ubicumque in tota sua historia Scotiæ nomen usurpat; non de alia ipsum regione loqui, quàm de Hibernia, quæ tunc sola *Scotia* dicebatur; ubi verò Scotorum apud ipsum mentio recurrit, si nullam adhibet restrictionem vel modificationem, de Hibernis, quibus tum *Scotorum* nomen absolutè & sine determinatione prolatum, solis competebat, intelligendum esse, ut eruditissimè advertit Petrus Lombardus c. 2. sui *Commentarii*: ubi verò, addit, *Dalrheudini*, vel *qui Britanniam incolunt*, aut similem aliquam particulam restringentem, de Scotis, Britanniæ habitatoribus, interpretandum esse. Hujus rei exempla invenies l. 1. c. 34. l. 2. c. 5. l. 4. c. 26 & l. 5. c. 24.

Beda,

23 Cum Beda sentit ipsius concivis Alcuinus Caroli Magni magister, & Hubaldus in vita S. *Lebuini*; quorum ille, quam in vita S. Willibrordi tam carmine, quàm prosâ conscriptâ, vocavit Hiberniam, postea in Elegia de Wilgiso S. Willibrordi parente, disertè vocat patriam Scotorum: *ut dudum*, inquit, *cecini, fœcunda Britannia mater, Patria Scotorum clara magistra fuit.* Nec de alia regione fingi potest esse locutus, quàm de Hibernia insula; in qua nimirum S. *Wicbertus* sacerdos Christi (cujus exemplo permotum scribit Alcuinus Willibrordum, illuc relictâ patriâ perrexisse) spontaneus pro Christo exul agebat, quam constat ex Beda, & aliis multis fuisse Hiberniam de qua loquimur. Alter verò, nempe Hubaldus, ita loquitur: *Britannia Oceani insula, cui adjacet Scotia seu Hibernia. In ea sunt populi multi, Britones, Picti, Saxones, Angli &c.* Hæc verba per se clara sunt: nam non aliquam Britanniæ partem, sed Hiberniam, illi adjacentem, ab eaque discretam, *Scotiæ* appellatione donant.

Alcuinus.

Hubaldus.

S. Donatum hoc suæ patriæ Hiberniæ nomen attestantem suprà induxi his versibus. *finibus occiduis describitur optima tellus, nomine & antiquis Scotia scripta libris*, & ne de alia tellure, quàm de Hibernia

S. Donatus Fesulanus.

Hibernia ista acciperes, mox subjicit, quod ibi *nulla venena nocent, nec serpens serpit in herba, nec conquesta canit garrula rana lacu*; quod suprà latè ostendimus patriæ nostræ privilegium esse.

Officia Ecclesiastica.

Confirmantur hactenus dicta ex Officiis Canonicorum Lateranensium à Pio V. confirmatis, & vita *S. Silai* Episcopi nostratis, quam ex MS. Cod. monasterii *S. Iustinæ* Lucæ transumptam accepi. Officia alia in I. lectione de S. Frigdiano sic habent: *Frigdianus Ultoniæ Regis, quæ pars est Scotiæ, filius.* Cui consentit Vita ejusdem, quæ habetur *Lucæ* MS. sanè non possemus clariora pro nostra causa verba desiderare: nam ut suprà notavimus, constat Ultoniam patriæ nostræ Provinciã esse. Author autem vitæ *S. Silai* hæc de ipsius patria habet circa initium historiæ: *Hic namque Confessor egregius, altâ progenie Regum Hiberniæ, Scotorum siquidem insula, nativitatis originem ducens, à pueritia disciplinis est liberalibus institutus.* Quæ verba clarissima sunt, loquuntur enim de Hibernia insula, ut patet. Hîc adduci possent verba Baltharii monachi in vita S. Fridolini veteris Scoti ad Notkerum, qui inter alios huic veritati subscribit, sed ne sim prolixus, missa facio.

Martyrologia ut Bedæ, Rabani, Nótkeri.

25 Audiamus de hac causa & antiqua aliqua Martyrologia, quorum suffragiis prædictam veritatem confirmare possimus. Itaque V. Bedæ, & Rabani Martyrologia ad 8. Idus Julii de S. Kiliano & sociis ejus inter alia sic habent: *Qui ab Hibernia Scotorum insula venientes, nomen Christi in prædictis locis prædicaverunt.* Idem totidem fere verbis ad eundem diem in suo notat Martyrologio Notkerus; cum quibus de Kiliano loquens concordat Marianus Scotus, (sed ut ipsemet de se fatetur in exemplari MS. *Hiberniensis*) nobilis sui ævi polyhistor, qui altero post Rabanum, & Notkerum sæculo floruit. Hi omnes proculdubiò loquuntur de Hibernia, quandoquidem addiderunt *Insulam*, quod hodiernæ Scotiæ non quadrat. Præterea loquuntur de illa Scotorum insula, de qua ipse vetustus author vitæ S. Kiliani, de hac ipsa ejus peregrinatione agens, est locutus; at ipse clarè se indicat de Hibernia sæpè memoratâ loqui, cùm asserat Kilianum ex illa Hibernia venisse, ex qua Columbanus & Gallus prodierunt, quos ex patria nostra originem traxisse, de Columbano quidem inferius evidenter ostendã, de Gallo verò nunc ex Walafrido fiet manifestum; nam ipse natum ponit Gallum in illa Hibernia, quam citatus ab ipso ibi *Solinus* describit; *Solinum* autẽ sub nomine Hiberniæ non aliam, quàm insulam à me suprà descriptam delineasse, ad oculum patet inspicienti; tamque per se perspicuum est, ut ipse Camerarius alibi citandus, id apertè fateatur: igitur ex Walafrido Gallus erat Hibernus de patria nostra, ac proinde non aliam ab hac distinctam regionem adducti authores sub Scotorum insula sunt complexi. Videatur cum his Regino, & Petrus Pithoæus; quorum ille in Chronicis, hic in Annalibus Franciæ Hiberniam Scotorum insulam appellat. Hîc prætereo Malmesburiensem, Florentium Wigorniensem, Mariani chronici continuatorem, Huntingdonensem, Giraldum Cambrensem, aliosque Angliæ scriptores, qui sine controversia dictæ veritati subscribunt. Nunc superest, ut adducta hucusque veterum testimonia, gravium aliquot compendiosâ subscriptione claudamus.

Walafridus Strabo.

S. Bernardus.

26 Quorum primus est S. Bernardus, qui in vita S. Malachiæ asserit ipsum ex *ulteriori Scotia* ad Claramvallem moriturum cucurrisse, hoc est ex Hibernia, ut de se constat, unde, ipso S. Bernardo teste, & vitæ pariter & itineris Malachias sumpsit exordium. Manifestius adhuc ibi loquitur, cum Ultonienses quosdam septentrionales Hiberniæ insulæ populos, ut suprà ostendi, hæc ad Malachiam loquentes inducit: *Scoti sumus, non Galli.* quid clarius? Ultonienses vivente Malachia se Scotos vocabant, igitur tunc Hiberni *Scoti.* Cæterùm cur addiderit S. Bernardus, *ulteriori*, infrà explicabo. Alter hujus rei testis, nobis sese offert Cæsarius, & ipse monachus Cisterciensis, Dialog. lib. 12. cap. 38. in hæc verba:

Cæsarius.

Qui de Purgatorio dubitat, Scotiam pergat, Purgatorium S. Patricii intret, & de Purgatorii pœnis amplius non dubitabit. Ad quæ verba rectè adnotavit Nicolaus Serarius in Notis historicis ad Acta S. Kiliani, hæc sequentia. *Ubi Hiberniam quidem & Scotiam ille confundit, prout in margine à quodam rectè notatum; sed confusione illa vetere, qua idem sunt Scotia & Hibernia.* Ejusdem cum Cæsario sententiæ

Maurolycus. rentiæ est Maurolycus Siculus in suo Martyrologio ad 17. Martii. Ubi ita loquitur: *In Scotia Natale S. Patricii Episcopi, qui in Hibernia ad edomandos barbara gentis animos, barathrum* (loquitur de Purgatorio præfato) *fecit horrendum.* Vbi advertendum ipsum loqui de *Natali* more Ecclesiastico, quo per *Natale* intelligitur dies depositionis alicujus Sancti, vel transitus ejus ad æternam vitam, ut videre est in omnibus Martyrologiis; in Hibernia verò insula obiisse S. Patricium, omnes passim historici conveniunt. Manifestũ est ergo hos authores, non aliam illis in locis, quàm Hiberniam suprà scriptam (in qua nimirum singulari privilegio extare barathrum, seu Purgatorium illud S. Patricii communi gravissimorum Scriptorum consensu convici) Scotiæ vocabulo designasse.

27 Qui plura desiderat anteriorum temporum de hac veritate testimonia, legat Monachum Santgalleñ de Gestis Caroli Magni l. 1. c. 1. qui Hiberniæ nostræ cives, nempe duos illos monachos, *Claudium Clementem*, & *Ioannem Albinum* celeberrimarum universitatum Parisiensis & Papiensis fundatores, *Scotos de Hibernia vocat.* Item legi possunt de ejusdem Caroli vita Eginhardus ejus Cancellarius, prope finem, Gildas Sapiens de excidio Britanniæ, Hermannus Contractus in Chronicis ad annum 812. S. Bonifacius Moguntinus in vita S. *Livini* Gandavensis martyris Hiberni, & Vita S. Silai Episcopi item Hiberni, qui Lucæ in Tuscia colitur, in qua evidens hujus rei testimonium invenietur. Adso Abbas in Vita *S. Mansueti* veteris Scoti, quem cum in ejus Vita prosaica vocasset *Scotum*, in altera postmodũ ligatæ orationis opusculo, ex *Hibernia* insula scribit oriundũ.

Monachus San Gallensis.

Gildas sapiens, Hermannus Contractus, S. Bonifacius, Adso Abbas.

Insula Christicolas gestabat Hibernia gentes,

Unde genus traxit, & satus inde fuit.

Sigebertus Sigebertus de. illust. ecclesf. script. fol. 338. c. 60. Joannes Capgravius Anglus de Sanctis Britanniæ & Hiberniæ in vita S. Columbani, de quo agimus, & alii innumeri, quorum hîc dicta longum foret sigillatim prosequi. Sufficiat hactenus explicatas præcipuorum, qui de hac re locuti sunt, antiquorum sententias, in causæ nostræ patrocinium adduxisse, maximè cum illis posteriorum temporum Scriptores per omnia concordent, quibus prolixè recensendis supersedeo, quòd sciam paratas jam prelo pro hac ipsa patriæ nostræ nomenclatura vindicias, quibus omnia Scoto-Britannorum commenta, detectis imposturis & fraudibus, quibus veritatem obscurare nituntur, ad nihilum redigentur, & ab ovo totius controversiæ series deducetur. Unum tamen ex his adduco, nempe Thomam Bozium de Signis Eccles. l. 8. c. 1. quem nescio qua fronte ausus est Camerarius in sui erroris præsidium advocare, qui tam clarè pro nobis loquitur. Hæc ejus verba. *Nulla gens è borealibus tamdiu mansit in unanimi religionis unius consensu, ut Scotica. Constat ex Annalibus Prosperi, an.* 434. *missum a Cælestino Pontifice Palladiũ Episcopum ad Scotos; sed adjicit Prosper, jam credentes in Christum, Quocirca tradunt in Scotia, quæ tunc erat Hibernia, Christi cultum disseminatum eodem tempore, quo in Britannia, sub annum, scilicet* 203, *Victore sedente.* Et postquam subdidisset, adeò Pelagianam hæresim invasisse Britanniam, *ut quo tempore Augustinus missus est à Gregorio Magno, nullus in ea catholicus esset, ut ex ejus vita apud Bedam liquet. Missus est Augustinus an* 596, immediatè subjungit: *Non ita in Hiberuia, in qua tum Scoti degebant; in ea non modò semper Catholica religio perstitit (quamvis nondum è tota insula, antiquarum superstitionum falsitas esset extirpata omninò) ut ex ea viri sanctitatis illustrissima prodierint. In his Columbanus, Gallusq; Columbani discipulus, à quibus in Gallia Luxoviense monasteriũ, in Alemannia S. Galli, in Italia Bobiense extructa fuerunt.* Et tandem ita concludit: *Quocirca quantum colligimus ex historiis, nulla è Borealibus gentibus constantior Scotica fuit in eodem cultus unius sensu.* Hæc Bozius, quem evidens est de Scotia veteri, seu Hibernia insula loqui, quod multis indiciis ostenditur. Primò, quia ipse loquitur de illis, ad quos missus fuit Palladius: Palladium autem ad Scotos veteres missum inferius clarè probabitur. Deinde cùm ait, eodem tempore disseminatum Christi cultum in Hibernia, quo in Britannia sub *Victore*, manifestè indicat se de illa Scotia seu Hibernia loqui, quæ à Britannia secernitur; non de Scotia Britannica, quam sub Victore primo Christi fidem suscepisse Scoto-Britanni multis contendunt testimoniis. Quo namque sensu dixisset Bo-

Thomas Bozius.

Constantia gentis Hiberniæ in fide Catholica.

zius

zius, eodem tempore in Scotiam, quæ tunc erat Hibernia, fidem introductam, quo in Britanniam (hoc est Scotiam Albanensem), si de una eademque regione loquebatur: hoc enim nihil est aliud dictu, quàm quod eodem tempore, quo Scotia Britannica Christi fidem complexa est, etiam Scotia Britannica sit conversa; quæ est superflua & indigna tanto viro nugatio. Præterea si de Scotia Albanensi intelligatur Bozius, manifestæ contradictionis arguitur: nam dicit in ea Scotia quam ipse vocat Hiberniam, *non tantùm Catholicam religionem perstitisse, sed etiam ex ea viros Sanctitatis illustrissimæ prodiisse*, postquam superius dixisset, quòd eo tempore, quo missus erat à Gregorio Augustinus, nullus in Britannia catholicus esset, immediatè subdens: *Non ita in Hibernia, in qua tum Scoti degebant.* Si in Britannia tempore Augustini nullus catholicus, o Bozi, quomodò in Scotia Britannica catholica religio dicitur semper perstitisse? quomodo ex ea viri sanctitatis illustrissimæ prodiisse? Ecce qualem injuriam inferunt viri doctissimi scriptis glossæ Camerarii. Postremò hoc idem non obscurè colligitur ex Sanctis illis, quos nominat Bozius, Columbano & Gallo, quos infrà convincam in Hibernia insula natos.

Pro Scotica Hiberniæ nomenclatione scripserunt ex Recentioribus.

28 Eorum omnium, quæ hucusque diximus in hac causa, plurimi recentiores, non testes tantum, sed & vindices sese nobis exhibent, ex quibus sunt Guilielmus Cambdenus in sua Chorographia pag. 55. & seqq. ubi de Scotorum Albaniæ origine; Nicolaus Serarius Soc. Iesu in Notis ad Acta S. Kiliani Hiberni, ad illa vetusti authoris verba; *Scotia, quæ & Hibernia dicitur*, per tria integra folia hoc argumentum in nostrum favorem prosecutus; Jacobus Gretzerus l. 1. de benedict. c. 2. & 3. & passim in progressu, ubique lectorem monens, ut per *Scotum* intelligat Hibernum. Iacobus Sirmundus in Notis ad Capitula Caroli Calvi & aliorum pag. 187. Jacobus Desmaius Doctor Sorbonicus in Vita S. Furſæi à se Gallicè edita, Ioannes Molanus Doctor Louaniensis in observatione de patria S. Rumoldi 1. Iulii in Indicul. SS. Belgii: Aubertus Miræus in Fastis Belgicis ad 3. Decembris, & alibi sæpe, & alii multi, quorum etiam numero accenseri possunt ex ipsis Scotis Britannicis sanioris mentis historici, maximè verò Joannes Major, & Georgius Buchananus; quorum ille lib. 1. de Gestis Scotorum fol. 16. inquirens de origine Scotorum, sic habet: *Dico ergo, à quibuscumque Hibernici originem duxère, ab eisdem Scoti exordium capiunt, licet mediatè, sicut ab avo nepos. Verùm ab Hispanis Hibernici principium sumpsère, ut apud Chorographos notum esse arbitror: de Brigantia Lusitaniæ urbe, & ab Hibero principe fluviorum Hispaniæ potatrice, multi simul ad novas sedes inveniendas se conjunxerunt, & navigio in mare oceanum (sicut adhuc hac in tempestate faciunt) se posuerunt, trium dierum spatio insulam quandam mediocriter inhabitatam invenerunt: quibus, quia incolæ resistere non poterant, sedes illic locarunt, & insulam Hiberniam, quia major pars Hispanorum ab Hibero Hispaniæ flumine venerunt; vel à quodam milite Hispano, Hibero nomine, (prout aliis placet) cujus mater Scota vocabatur, nomen indiderunt, ita quod aliqui insulam ab Hibero Hiberniam, alii verò à Scota Scotiam appellaverunt. Apud majores vulgariùs* (nota Camerari) *Scotia appellabatur, temporis tamen successu, ad Scotos Britannos separandos, Hibernia, non Scotia denominatur.* Hæc ille. Et infrà virtutem terræ Hiberniæ contra serpentes commemorat. Nescio quid clarius à quoquam in favorem sententiæ nostræ dici potuit. Alter autem, nempe Buchananus lib. 2. hist. Scot. ita pro nobis loquitur. *Scoti, omnes Hiberniæ habitatores initio vocabantur, ut indicat Orosius; nec semel Scotorum ex Hibernia transitum in Albium factum nostri Annales referunt.* Et paulò post: *Principiò cum utrique, id est, Hiberniæ incolæ, & colonia eorum in Albium missa, Scoti appellarentur, ut discrimine aliquo alteri ab alteris distinguerentur, initio cœpêre alteri Scoti Ierni, alteri Scoti-Albini vocari.* Hic omitto brevitatis studio Hectorem Boëtium, & alios Scotobritannos pro eadem causa citare. Non solùm ergo externorum, tam veterum, quàm recentiorum, sed & ipsorum Scotobritannorum, nostræ de Scotica Hiberniæ appellatione priscâ assertioni communis consensus suffragatur.

Serarius, Gretzerus, Desmaius, Molanus, Miræus, Ioannes Major, Georgius Buchananus

29 Ex quibus colligas, benigne lector, quanta sit Thomæ Dempsteri, & Davidis Camerarii Scotobritannorum impru-

imprudentia, ne dicam, impudentia, qui ne domesticorum quidem suffulti censurâ, vel voto aspirante, non tantùm ausi sunt aliquos ex prædictis testibus in erroris sui patrocinium adducere, & contra mentem ipsorum clarissimis verbis expressam, Scotiæ Britannicæ, quæ dixerunt adscribere; sed insuper contra omnium monumenta temporum, omniumque scriptorum fidem, irritò labore pugnantes, prioribus sæculis incompertam, nulli hactenus mortalium cognitam, vel ante ipsos auditam, suæ Scotiæ nomenclaturam, ridiculâ inventione finxerunt, ipsam vel aliquam ejus partem, Hiberniæ appellationem obtinuisse mentientes. Atque ita præter illam, quam suprà descripsimus Hiberniam, quæque sola, hoc nomine designatur, alteram ipsi in Britannia, majori planè ipsorum dispendio, quàm lucro; ludibrio, quàm honore, Hiberniam constituunt; de qua præfata, aliorumque veterum testimonia, *Scotiam* & *Hiberniam* synonymè accipientium intelligenda esse contendunt; ad tales eos angustias redigente præpostero & immodico patrii honoris & gloriæ studio. Cum enim multa præclara sub Scotiæ & Scotorum nomine, Hiberniæ & Hibernis sanctitatis & eruditionis encomia à priscis scriptoribus tribui animadvertissent, nec ea cômodè ad suam Scotiam transferri posse vidissent; quippe nulli unquam scriptori, Hiberniæ nomine designatam, maluerunt novum suæ patriæ titulum effingere, sub cujus umbra cuncta Hiberniæ ornamenta sibi subdolè usurparent, quàm pristinam gentis nostræ gloriam, nullo sibi jure debitam, veris possessoribus relinquere. Quo quidem commercio, non tam nostro, quàm suo splendori detrahunt, ut quivis intelliget, qui ridiculam inepti commenti inventionem, & absurdissimam falsitatem, hucusque adductis satis explanatam, perpenderit, simulque cogitarit, quàm impium sit, & iniquum alieni nominis gloriam, sparsis ubique mendaciis & imposturis, velle sibi conquirere. Annon enim illâ libertate possent omnes Franciæ, Angliæ, Germaniæ, aliarumque regionum illustres sanctitate & doctrinâ viros ad se rapere, omniaque ab his præclarè gesta, Scotorum Tabulis & Annalibus consignare? Num faciliùs probabunt suam Scotiam, vel aliquam ejus partem dictam Hiberniam, quàm vocatam itidem *Galliam* vel *Angliam?* Quis ante Dempsterum, vel similem ipsi fabulonem, illud Scotiæ Albanensi nomen indidit? Cui hoc vel semel in mentem, non dico, in clamum, venit? Legantur omnes qui ab initio Britanniam delinearunt tam antiqui, quàm moderni, Cæsar, Propertius, Dio, Diodorus Siculus, Ptolomæus, Solinus, Tacitus, Eutropius, Spartianus, Capitolinus, Lampridius, Vopiscus, Aurelius Victor, Procopius, & alii antiquissimi, qui ex instituto Britanniæ incolas recensuerunt; & si unus ex his inveniatur, qui Scotiam Britannicam, vel ullam ejus partem, vocavit Hiberniam, de ejusmodi asserto queri desistemus impostorum. Legantur prætereà Orosius, Isidorus, Gildas Sapiens, V. Beda, & alii posteriores, qui de Britannicis rebus meminerunt, & nominetur nobis ex his vel unus, qui Hiberniam aliquam, non dico in hodierna Scotia, sed vel in tota Britannia collocavit. Postremò consulantur hac de re & reliqui usque ad hæc nostra tempora Geographi, Chorographi, & Historici, maximè verò Britannici, Polydorus Virgilius, Giraldus Cambrensis, Rogerus Hoveden, Henricus Huntingdonensis, Thomas Walsinghamus, Neubrigensis, Thomas Morus, Nicolaus Harpsfeldius, Guilielmus Cambdenus, & cæteri Angliæ scriptores. Perlustrentur curiosè tabulæ omnes Ptolomei, Munsteri, Opmeri, Mercatoris, & aliorum, qui terrarum loca quæque, regiones, & oppida accuratè pinxerunt. Examinentur cum his; & ipsi Scotobritannicarum rerum scriptores, Major, Boëtius; Lesleus, & ante omnes Buchananus, qui non contentus Provincias, civitates, oppida, & castella Scotiæ recensere, viculos etiam, ac villulas quasque propriis distinxit nominibus, inter quæ tamen nullam Hiberniã invenies. Quantam suæ genti irrogasset injuriam ipse, si patriæ suæ limites distribuens, Hiberniam illam, quæ tot exteris nationibus misit Predicatores & Apostolos;

De Hiberniæ nomenclatura Dempsteri & Camerarii commentum.

anterioribus Scriptoribus inaudita.

ftolos, quæ tot monafteriorum in alienis regionibus genuit fundatores, quæ denique, ut verbo dicam, tot Sanctiffimorum & doctiffimorum virorum ad omnes Europæ partes tranfmifit examina, in fua patria fitam, nominare prætermififfet? Tantâne animum ipfius patrii honoris inceffere potuit oblivio, ut Scotiæ fuæ nomenclaturam examinans, ne femel *Hibernicæ*, tam illuftris inter alias, appellationis inditæ faceret mentionem? Cur ô Dempftere, ô Camerari, Buchanani veftri in hoc non taxaftis ofcitantiam, non damnaftis infcitiam? Infpiciantur, inquam, hi omnes, interrogentur finguli, eorum libri pervolvantur, & nullum deprehendemus de Hibernia Britannica verbum, nullam memoriam, fed altũ apud omnes de hac nova Scotiæ Albienfis nomenclatura filentium; & tamen audent ifti Scotorum fuorum Catalogis, & Menologiis errorem tam abfurdum in confpectu folis afferere, & ita liberè regionum nomina confundere, quò toti mundo imponant, priftinam gentis Hibernicæ gloriam, fuæ Scotiæ Britannicæ tribuendam.

30 Neque cùm ifta fingunt & edunt, advertunt eò fe tandem anguftiarum adigi, ut in fua Scotia cogantur novas fabricare Provincias, *Lageniam*, *Momoniam*, *Connaciam*, *Ultoniam*, *Mediam*; quatuor erigere Archiepifcopatus, *Ardmachanum*, *Dublinienfem*, *Caffelenfem*, *Tuamenfem*; ac denique fingula, quæ de noftra Hibernia commemorant authores antiqui. Quomodo namque Columbanum, qui de Lagenia, aut Frigdianum, qui de Ultonia nofcitur oriundus, & ita de aliis, fibi affument, nifi hujus nominis Provincias in fua Scotia repererint? Aut quomodo in infula Hienfi, quam dicunt vocatam Hiberniam, probabunt monafterium *Bennchorenfe S. Comgalli* conftitiffe, nifi in ea *Ultoniam* quoque fitam effe demonftrent, in qua, S. Bernardo & Iocelino & toto mumdo occiduo teftibus, illud monafterium fuit extructum? Quod fi Ultoniam invenerint, pari ratione & *Lageniam*, *Connaciam*, cæterafque exiftentis Hibernię provincias exhibere compellentur. Et hinc quot abfurda?

quæ fequantur abfurda?

Infula illa perexigua, quæ juxta V. Bedam Hift. Angl. l. 3. c. 4. magna non eft, *fed quafi familiarum quinque fecundum æftimationem Anglorum*, in ampliffimum regnum excrefcet, & quod unum dumtaxat S. Columbæ cœnobium fuis finibus complectebatur, in quatuor evadet Archiepifcopatus; quæque nullum unquam regem habebat, jam ad quatuor, vel quinque Regum dominia dilatabitur. Mira hæc prodigia, magnaque portenta, nobis inducunt iftorum Scotobritannorum fomnia: quæ tamen ne videantur abfque ullo omninò fundamento conflata, locum quemdam Martyrologii Romani ad 16. Decembris, critici cujufpiam præcipiti manu depravatum, in fui erroris patrocinium adduxerunt, ubi fic legitur: *Aberdone in Hibernia depofitio S. Beani Epifcopi*: inde inferentes fuam Scotiam, in qua fita eft *Aberdonia*, dictam Hiberniam. Sed nihil miri: error errorem parit, & folent qui protervire volunt, leviffimas quafque conjecturas captare, quò fuam obftinationem velamine aliquo contegant: alioquin quis compofitæ mentis non ftatim intelligat, illud alicujus effe novatoris inventum? Nam neque illa verba habentur in antiquo Martyrologio Romano à Rofweydo excufo, neque apud Molanum, quem citat Baronius in Notis ad eundem locum his verbis: *Beani. Vetera manufcripta, ex quibus Molanus hac die. Fuit hic Epifcopus Aberdonenfis, ut idem teftatur.* Qui nimirum Molanus in Additionibus ad Vfuardum eodem die fic habet: *In Hibernia Natalis Beani, primi Epifcopi Aberdonenfis & confefforis.* Ifta ex antiquis Menologiis & Martyrologiis Molanus; quę longè alium reddunt fenfum à pręfatis fuprà verbis Martyrologii Romani corruptis: nam illa Natalem Beani in Scotia Albienfi reponunt; hæc autem in Hibernia. Licet enim *Aberdone* in Scotia effet Epifcopus *S. Beanus*, in Hibernia tamen natus & defunctus fuit ex fide veteris Martyrologii. Eundem errorẽ, alicujus imperiti vitio invectũ, notavit etiam in fua Topographia ad Martyrologiũ Romanũ Philippus Ferrarius; pręter quem & alię nonnullę in eodem Martyrologio mendæ irrepferunt, quę correctione indigent, inter

quas

quæ est, quòd Natalem *S. Burgundoforæ* ad 3. Aprilis reponat in Anglia; quam tamen in suo cœnobio Briegensi in Gallia diem obiisse ex Iona in ejus Vita colligitur. Item quod in monasterio Luxoviensi *S. Attala* depositionem statuat, quem tamen idem testatur in Bobiensi decessisse, ubi adhuc ejus Reliquiæ asservantur. Et sane mirum est, Scoto-britannos tali contra nos usos argumento, ad quod si ipsorum uti stilo liceret, facilè respondere possemus, etiam in Hibernia aliquam extitisse *Aberdoniam*: potiori namque jure, & majori probabilitate, nos unam in Hibernia urbem, quam ipsi in Scotia unam Hiberniæ regnum, collocaremus: possemus, inquam, hac via eorum commenta eludere, nisi mallemus sinceritate magis uti, quàm fraudibus; ac nisi indignum putaremus talibus effugiis, vel rudes decipere, vel doctis ludibrio nos exponere. Mirum, inquam, est, quod illi Martyrologii verba nobis obtrudant, cum tamen ipsi alibi nullis nixi fundamentis, ab ejus authoritate recedant. Nam Camerarius de sanctis Regni Scotiæ ad 1. Julii contra expressum Martyrologii testimonium ad eundem diem, S. Rumoldum *Episcopum Dublinensem* appellantis, asserit illum, *non Dublinii in Hibernia, sed Dumblani in Scotia olim fuisse Antistitem*, quod tamen falsissimum est, ut doctè Molanus in Indiculo demonstrat. Itaque si licet Scotopictiis, vel Britannicis, correctum Martyrologii textum, & quidem vera referentem, respuere; cur non esset nobis integrum, corruptum, & falsa nunciantem, veritatis studio deserere? Postremò tandem inquirimus, quo Rege intravit Hiberniæ nomen ad Scotos? quamdiu permansit, quovè interim signo ab ipsâ distinguebatur Hibernia? An forte ipsi in suis reperient Annalibus, ab *Hiberia*, aut *Ibero* flumine suam Scotiam *Hiberniæ* sortitam appellationem? Cum ergo per hucusque adducta ex universa probatum sit antiquitate, accedente etiam posteriorum temporum communi consensu, præcipuos tam antiquorum, quàm modernorum scriptores, qui Hiberniam Scotiæ nomine exprimunt, non de alia regione quàm de Hibernia, quam suprà descripsi, nostrâ, fuisse locutos; sed nec de alia posse intelligi, cùm nullam aliam reperire sit Hiberniam, vel in tabulis chorographicis, vel historicis, ut suprà ex omnium silentio monstravi; nunc superest breviter explicare quamdiu Hibernia illud sibi *Scotiæ* nomen proprium retinuerit; quamdiu item commune cum hodierna Scotia seu Albania.

3. Pro quo sciendum quòd cum Scoti Hiberniæ crebros olim in vicinam Britanniam irruptiones, vel affinibus Pictis opis ferendæ contra Britannos Romanis vectigales, vel ex Britannorum gente, hominum & pecorum prædæ secum in Hiberniam avehendæ causâ, exercere solerent, duce tandem *Rheuda* (ut refert V. Beda l. 1. c. 1.) à quo *Dalreudini*; quem citatus suprà Henricus (an verè, modò non discutio) eundem putat cum *Ædano* filio *Gabrani* de stirpe *Fergusij*, quem Ædanum testatur Jocelinus c. 137. *Scotiam quæ dicitur Albania subegisse*: vel cum sex *Muredi* Ultoniæ Regis Filiis, ut vult Cambrensis in Topographia Hiberniæ dist. 3. c. 16. de Hibernia egressi, sibi inter Pictos, sive amicitiâ, sive ferro sedes occuparunt, angustas tamen, ut ex ipso Beda, & Giraldo constat; in quibus sedibus, seu potius angulo, vel *Dal*, aut *parte*, ut loquitur Beda, *sic morabantur* (inquit doctissimus Lombardus) *ut quamvis suum haberent ducem, sive Regem, pro more, quo tunc singularium fere tribuum capita Reges dicebantur; tamen neque nomen imponerent regioni; neque per se Rempublicam constituerent; sed haberentur tamquam pars aliqua nationis Hibernorum, cum quibus commune retinebant Scotorum nomen, in Britannia recepti in societatem & auxilium affinium sibi Pictorum.* Et infra: *Ad hæc quòd Scoti in Britannia commorantes adhuc haberentur pars quædam nationis Scoticæ in Hibernia, id adeò verum, ut non possit aliter intelligi historia Bedæ, quàm sumendo Scotos Hibernos pro unâ integrâ natione, tam in Hibernia tota, quàm extra illam in Britannia, ita delata, ut ibi aliquam sui haberet partem in Pictorum regione commorantem, nempe eodem modo, quo ante paucos annos Anglicana natio ultra Angliam, etiam in Gallia in provincia Picardiæ aliquam occupabat partem, nempe Caletum, & ditionem ejus, ita nimirum, ut qui ibi morabantur, adhuc vocarentur Angli, tametsi in Gallia*

Crebræ olim Hibernorum in Britanniâ irruptiones.

in Gallia nati; neque sua nativitatis, sive habitationis loco imponerent nomen, neq; propriam ibi rempublicam constituerent, sed unà cum suo præfecto particulari subjecti adhuc essent Anglorum Regibus.

32 Porrò sedes illas angustas *ceperunt* temporis successu, (ut idem narrat) *in eadem parte* Pictorum *ferro dilatare, & aliquandò quidem à Pictis sunt repulsi; sed tandem ita valuerunt, ut Pictis deletis, seu devictis, totam septentrionalem Britanniæ regionem, qua Græcis Albion, vulgò Albania nuncupatur, nationi suæ subjecerint.* Hæc ille; quibus concordant verba Camdeni edit. Londinen. an. 1607. pag. 89. & seqq. dicentis, quod *in eo, quo appulerunt angulo diu delituerunt Scoti, donec intestinis malis, & Danorum incursionibus confecto Northumbriæ regno, Pictos internecione delevissent.* Quam Pictorum extinctionem ipsi Scotorum Britanniæ Historici non multum ante annum nongentesimum contigisse scribunt, & lapso inde uno aut amplius sæculo, Scotiæ nomen ad septentrionalem Britanniam paulatim intrare cœpit, passu tamen ita lento, quòd Hibernia apud scriptores, maximè verò externos, per multos postea annorum circulos, certè ad minus ad annum circiter millesimum centesimum, si non sola, saltem principalius Scotiæ nomine signaretur; Quod vel satis colligitur ex Mariano Scoto, Hermanno Contracto, Wigorniensi, & aliis qui post annum millesimum, sub nomine Scotiæ & Scotorum absolutè & sine determinatione aliquâ additâ intellexerunt Hiberniam. De Scotia verò Britannica si qui tunc loquebantur, solebant tesseram aliquam adjungere, nempe Scotiæ *minoris* vel *recentioris*, *Albanensis*, aut quid simile, sine quo eorum verba ad Hiberniam referebantur, tanquam, quæ illis adhuc temporibus absolutè *Scotia* dicebatur. Et huc spectant verba Eborensis to. 2. tit. de intemperantia. *Britannia insula pars septentrionalis, recentiore nomine Scotia appellatur.* Vbi ponderandum illud *recentiore.* Rarus itaque, & planè obscurus nominis *Scotia* usus pro ea parte Britanniæ usque ad annum salutis 1098. quo regnabat in illa Rex *Edgarus*, qui solemni edicto suum regnum, Scotiæ nomine deinceps appellari præcepit, ut testatur Genebrardus ad an. 1110. edit. ult. Parisiens. qui Scotis titulum, nomen & unctionem Regis obtinuit, quique regiâ authoritate Scotiæ nomen indidit. Et ab hoc maximè tempore ille Britanniæ tractus propriè Scotia dici cœpit, ita tamen quòd Hibernia adhuc idem nomen retineret commune cum illa, ut ex S. Bernardo & Cæsario, supra citatis, Iure canonico edit. antiq. tit. de dolo & contum. in 2. Decretal. tit. 14. Malachia Hibernico Minorita c. 11. de veneno peccati, & aliis colligitur, qui circa vel post ea tempora, sub Scotiæ vocabulo designarunt Hiberniam. Et ne ista nominum communio confusionem pareret, solebant à Scriptoribus certæ quædam addi differentiæ vel à situ desumptæ, ut *ulterior* & *citerior*; vel à quantitate, ut *major & minor*: vel à tempore, ut *vetus & nova*. Primam usurpat Bernardus in vita S. Malachiæ, secundam amplectitur Mauritius à Portu in tit. *Scripti Oxoniensis*, eamque ait Camdenus pag. 63. edit. Francofurten. Historicis usitatam; tertiam denique in usu fuisse testantur Gretserus de benedict. & maledict. non semel, & Matheus Raderus in *Bavaria Sancta*. Quibus adhibitis particulis, rectè etiamnum Hiberniam vocaveris & scripseris *Scotiam*, juxta morem solertiorum doctiorumque nostri temporis Scriptorum, passim hodie sub nomine *Scotiæ veteris* vel simili exprimentium Hiberniam. Itaque ut sparsim hactenus dicta colligantur; sciendum, nullam regionem præter Hiberniam, ante undecimum Christi seculum dictam esse *Scotiam*, nec ullam etiam gentem absolutè *Scotorum* nomine fuisse comprehensam præter Hibernicam, saltem usque ad finem noni sæculi. Qui verò exinde usque ad *Edgari* tempora sine restrictione ad Scotos Britannicos, absolutè *Scoti* nuncupantur, Hiberni sunt accipiendi; sicut è contra, qui post Edgarum *Scoti* sine addito inscribuntur, de Scotorum Britanniæ gente censendi sunt, nisi aliunde constet authorem de Hibernis loqui. Ex quibus infertur ad restitutionem teneri Scotobritannos illos qui viros illustres nostræ gentis, dictos vel irrestrictè Scotos usque ad tempora *Edgari*, vel *Scotos de Scotia insula*, vel *in qua est Purgatorium S. Patricii*, aut *in qua nullum vivit animal venenosum*, vel denique cui additur, *major*, *vetus*, *ulterior*, aut aliquid hujusmodi, leguntur oriundi, nobis fallaci

Quando Picti deleti, & Scotiæ nomen Albaniæ tribui cœptum.

Quis regum Scotiæ primus Albaniam Scotiæ nomine iussit appellari

fallaci appellationis titulo surripuerunt. Quæ omnia modernis quibusdam Scriptoribus nostrorum temporum magnoperè consideranda sunt, qui antiqua utriusque regionis nomina, ex hodiernæ appellationis usu metientes, quotquot vel sanctitate, vel eruditione celebres viros in vetustis legunt codicibus dictos *Scotos*, Britannicæ Scotiæ, non absque magnâ nostræ gentis injuriâ tribuunt, cùm alioquin re verâ in Hibernia sint nati, propriâ veterum Scotorum patriâ.

Demonstratur S. Columbanum ex Hibernia suprà descripta oriundum.

33 *Colūbanus igitur natus in Hibernia.* Ita omnes cōmuni confessione Historici, hunc authorē sequentes, nec de re ulla potest esse controversia, vel dubiū cū fundāento suscitari. Nihilominus quidam Britannici, ut Ioannes Pitseus, & Nicolaus Harpsfeldius Angli; Tomsonus, Dempsterus, Camerarius, Scotobritanni, Sanctorum Hiberniæ fures, seu verius raptores, ex præpropero, vel præpostero nimis in suam gentem affectu, illi in Angliam, hi in Scotiam, Columbani incunabula transferentes, occasionem nobis dederunt, hîc prolixius immorandi, & indubitatam veritatem in controversiæ formam & ordinem redigendi. Conabor itaque in sequentibus ex priscorum fide demonstrare, non aliunde Columbanum, quàm ex Hibernia nostra traxisse originem. Hoc itaque ipsius imprimis Ionæ testimonio probemus, de cujus in hac historia fide nullus hactenus dubitavit, cujus hæc in principio hujus Capitis verba de Columbani patria loquentis. *Columbanus qui & Columba, ortus est Hibernia insula*, & similiter illa cap. 2. ejusdem Historiæ; *relicto ergo natali solo, quod Lagenorum terram incolæ nuncupant, ad virum venerabilem, nomine Senilem perrexit.* Hæc Ionas. Quæramus nunc ex his Ionæ verbis, ubi natum scribat Columbanum. Respondet ipse se in Hibernia ejus nativitatem statuisse. At in qua? *in Hibernia* (inquit) *insula, quæ est in extremo oceano sita, & spectat Titanis occasum.* Vlteriùs in qua parte Hiberniæ? in ea, inquit, quam *Lagenorum terram incolæ nuncupant.* Igitur natus est Columbanus in Hibernia suprà descriptâ, in qua sita est Provincia Lageniæ. Pergamus ulterius cum eodem, & videamus an ex tempore, quo nativitatem Sancti viri reponit, colligi possit argumentum pro veritate hac. Affirmat sanè ille eodem capite natum ipsum circa primordia fidei gentis illius, nempe Hibernicæ. Hoc autem nulli Britanniæ parti convenire potest. Nam primordia fidei partis illius, quæ hodiè Anglia dicitur, sub *Eleutherio* primùm Papa, & *Lucio* Britannorum Rege, anno Domini 156, aut circiter promicarunt, ut testatur V. Beda l. 1. c. 11. In altera verò Britanniæ regione, quæ modò Scotia dicitur, contendunt Scotobritanni Christi fidem plantatam fuisse sub *Victore* primo, & *Donaldo* Rege ipsorum; & tunc primùm, hoc est anno salutis 203, Scotiam Albiensem totam factam Catholicam. Quomodo ergo Columbanus potuit in una vel altera harum regionum dici natus, cum ipse trecentis & amplius annis utriusque gentis conversionem, & fidei primordia fuerit subsecutus; natus quippe fuit post annum Christi quingentesimum, circa quæ tempora plantatæ & receptæ per universam Hiberniam, religionis Christianæ florebant exordia, gloriosi Patricii Apostoli nostri prædicatione introducta. Inter quę quoque vitæ ibi principium accepit Columbanus. Idem ex cap. 3. declaratur, in quo Ionas tradit Columbanum ante susceptam ex patria peregrinationem, *monasterium cujus vocabulum est Bennchor petiisse, in quo Præsul virtutum ubertate cluebat B. Comgellus.* Et in fine ejusdem capitis ait, ipsum cum sociis *properantibus Zephyrorum flabris pernici cursu ad Britannicos pervenisse finus.* Ex his intentum ita concludo. Natus est ibi Columbanus, ubi primùm habitum suscepit monasticum, & unde peregrinari cœpit: atque hæc in Hibernia nostra contigêre, in qua nimirum, testibus Bernardo & Iocelino, aliisque infrà citandis, stetit celeberrimū illud *Benchorense* cœnobium sub Abbate Comgello, & cujus limites à Britannia interjacens mare disterminat, per quod ipse navigabat in Britanniam *pernici cursu properantibus Zephyrorum flabris*, quod de nulla Britanniæ parte rectè

S. Columbanus. Hibernus est Ionæ.

rectè dici potuit. Ineptè namque dixisset Ionas, ipsos per mare ad Britannicos pervenisse sinus, si in ipsa iam Britannia erant; si ex una dumtaxat ejus Provincia in alteram ejusdem commigrabant; quemadmodum qui responderet, Italum Mediolano Romam appulsum, ad Italicos pervenisse sinus, nihil per hoc interrogantem de alterius itinere redderet certiorem, quousque videlicet Romam ipsam suo vocabulo exprimeret. Itaque si quam meretur fidem præsentis author Historiæ Ionas, Columbanus erat Hiberniæ nostræ civis. Nunc ad alios testes transeamus.

V. Beda

34. Primum igitur hujus nostræ causæ patronum statuimus V. Bedam, qui l. 2. Hist. c. 4. refert epistolam quandam à Laurentio, & Mellito Episcopis ex Britannia ad Scotos Hiberniæ transmissam, in qua inter alia hęc leguntur: *Scotos per * Daganum Episcopum in hanc* (nempe Britanniam) *quam superius memoravimus insulam, & Columbanum Abbatem in Gallis venientem, nihil discrepare à Britonibus in eorum conversatione didicimus*, quia videlicet hi, sicut & Britones, contra Romanæ Ecclesiæ ritum Pascha celebrabant. Hanc epistolam ad suos Scotos Picticos directam contendit Camerarius, proindeque citata verba ad confirmandum S. Columbani in Scotia Albanica ortum inducit. Ceterùm quàm id falsò adstruat, quicumque Bedam inspexerit, clarè intelliget. Nam ecce luce clariora ejus verba in eodem capite, in quo fragmentum illud ejus Epistolæ refertur. *Denique non solùm novæ, quæ de Anglis erat collecta, Ecclesiæ curam gerebat, sed & veterum Britanniæ incolarum, nec non & Scotorum, qui Hiberniam insulam Britanniæ proximam incolunt* (legisti in hæc verba, Camerari?) *populis pastoralem impendere sollicitudinem curabat; si quidem ubi Scotorum in præfata ipsorum patria, quomodo & Britonum in ipsa Britannia, vitam, ac professionem minus Ecclesiasticam in multis esse cognovit, maximè quòd Pascha solemnitatem non suo tempore celebrarent; sed, ut suprà docuimus, à 14. luna usque ad 20. Dominicæ Resurrectionis diem observandum esse putarent* (nota quæ sequuntur Camerari) *scripsit cum Coepiscopis suis exhortatoriam ad eos Epistolam, obsecrans eos, & contestans unitatem pacis & catholicæ observationis cum ea, quæ toto orbe diffusa est Christi Ecclesia tenere;* *cujus videlicet Epistolæ principium, hoc est: Dominis clarissimis Fratribus Episcopis, vel Abbatibus per universam Scotiam Laurentius, Mellitus, & Iustus Episcopi, servi servorum Dei. Dum nos sedes Apostolica more suo, sicut in universo orbe terrarum, in his occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret, atque in hanc insulam, quæ Britannia nuncupatur, contigit introisse antequam cognosceremus, credentes quod juxta morem universalis Ecclesiæ ingrederentur, in magna reverentia sanctitatis, tam Britones, quàm Scotos venerati sumus; sed cognoscentes Britones, Scotos meliores putavimus; Scotos verò per Daganum Episcopum*, &c. ut suprà recitavi. Quibus Epistolæ verbis relatis subjungit: *misit idem Laurentius cum Coepiscopis suis, etiam Britonum sacerdotibus, literas suo gradu condignas, quibus eos in Unitate Catholica confirmare satagit.* Hæc ibi Beda: ex quibus patens est, ad nostrates Hibernos memoratam Epistolam fuisse transmissam. Missa namque fuit ad Scotos *qui Hiberniam insulam Britanniæ proximam incolunt*, ut clarè verba illa indicant: *scripsit cum suis Coepiscopis exhortatoriam ad eos Epistolam*, nempe iam recitatam; quę verba ad alios Scotos referri nequeunt, quàm ad Scotos Hibernię ibi expressos, cùm de aliis Scotis in illo capite nusquam mentio pręcesserit. Hoc est clarum. Ast illam Hiberniam Scotorum illorum, quibus missa fuerat illa Epistola, patriam, non esse ullam Britanniæ partem, ac proinde nec modernam Scotiam, ęquè est manifestum, cum illam Beda vocet insulam, & à Britannia separet, addens: *Britanniæ proximam*; quæ de Scotia Albiensi vera esse non possunt, quæ non insula per se, sed insulę Britanniæ portio censetur, quęq; non extra Britanniam posita, vel ei proxima tantùm, sed intra limites ejus inclusa, ejusque pars magna reputatur. Igitur ad Hiberniæ nostræ, cui ista Bedę verba per omnia quadrant, Scotos illam scripsit *Laurentius* Epistolam, ac proinde *Daganum* & *Columbanum* nostrum in ea epistola nominatos evidens hinc habemus ex Hibernia fuisse oriundos. Præterea de illius Scotiæ Episcopis, & Abbatibus loquitur inscriptio literarum, quæ genuit *Colmanum* Episcopum, qui præsente Rege *Oswi* & filio ejus *Alchfrido*, disputavit cum *Wilfrido* de controversia Paschæ (quam dispu-

* Beda impressus mendosè Dagamum

& apud Bedam SS. Laurentio, Mellito, & Iusto Episcopis

ut evidens est ex ipsorum epistola.

ejusque inscriptione

disputationem refert Beda (satis prolixè l. 3. c. 25.) Hanc autem Scotiam fuisse Hiberniam manifestè indicat in eodem capite ipse *Wilfridus*, cùm inter alia, quæ Colmano majorum suorum authoritati ac traditioni nitenti objecerat, sequentia addidit: *Etsi enim Patres tui Sancti fuerunt, nunquid universali, quæ per orbem est, Christi Ecclesiæ, eorum est paucitas uno de angulo extremæ insulæ præferenda?* Quæro quam hîc vocat Wilfridus extremam insulam? Nemo, ut arbitror, dicet Britanniam, cùm extrema nequaquam sit; igitur Hiberniam intelligit, quæ omnium occidentalium insularum ultima esse dignoscitur, & cujus pars dumtaxat tunc temporis præposterum Pascha servabat, illa videlicet, quæ S. Columbæ institutis & legibus regebatur; reliquis Hiberniæ Provinciis, utrâque videlicet Momoniâ, & maximâ parte Lageniæ & Connaciæ, iampridem admonitione Sedis Apostolicæ, & memoratis *Laurentii* literis ad catholicam Paschæ observantiam reductis, ut ex Bedę Historia colligitur. Postremò id non obscurè concluditur ex ipsarum tenore literarum, ubi habent: *Scotos verò per Daganum Episcopum in hanc, quam superius memoravimus, insulam* (nempe Britanniam) *& Columbanum Abbatem in Gallias venientem, nihil discrepare à Britonibus in eorum conversatione didicimus.* Certum est enim locum unde isti venerant, fuisse Scotiam, cùm dicat se *Laurentius* ab illis didicisse quomodo Scoti, ipsorū utique conterranei & concives, conversarentur. Sed hęc Scotia non fuit ulla Britanniæ pars, quia tunc non dixisset, *Daganum* in Britanniam insulam venientem, sed potius in Britannia degentem: qui enim accedere dicitur ad locum aliquem, supponitur ab illo distare, igitur manifestum est ab aliquâ regione distinctâ à Britannia istos Sanctos venisse, idque intendisse *Laurentium.* At quærimus, de qua? Fortè, inquies, ex Iona insula, quæ una Hebridum est, ex qua oriundum dicit Camerarius Columbanum, & consequenter ad hujus incolas missa fuit Epistola illa. Quod si verum est, ubi Episcopi? ubi Abbates? ubi denique tota Scotia? de quibus omnibus loquitur inscriptio. Insula *Iona*, quasi familiarum quinque, ut antè notavi, quomodo Episcopos, aut Abbates capere dicitur? Exigua omninò est, & Scotiæ Britannicæ adjacens, qua ratione universæ Scotiæ titulum obtinuit? Itaque fatearis necesse est, Camerari, ibi de nostra Hibernia *veteri Scotia* esse sermonem, quę multos tunc habebat Episcopos, & Abbates, quibus, & non aliis illam direxerat Epistolam Laurentius, & ejus Coëpiscopi. Epistolæ authographum, si, ut tu narras, in *Dumblanensis* Ecclesię scrinio fuit repertum, non aliunde eò illatum fuit, quàm ex Hibernia, quò primitùs missum demonstravi. Et si Angli, vel tui Scotobritannici, computare velint inter suorum opera, vel furto, vel rapinâ ad se devoluta Hibernorum monumenta, quis non videat iniquum esse tale commercium? An si forte *baculum Iesu*, quem è cœlo S. Patricius accepit, Hibernis ereptum, in aliquo Scotiæ tuæ angulo reperires absconditum, continuò hinc publicares, non Hiberniæ, sed tuæ Scotiæ Apostolum egisse Patricium? Hujusmodi apud nos argumenta parvam vim habent, incertis aliquibus popularium tuorum rumusculis excitata. Tantum ergo abest, ut Scotobritannis pręfato loco faveat Beda; ut efficacissimum ex ejus ibi verbis consurgat argumentum pro traditâ hîc de Columbani patriâ veritate. Ex hactenus dictis videas benigne lector imposturam Camerarii, qui prioribus illis Bedæ, quæ de Scotis Hibernię insulę disertè loquuntur, resciffis, posteriora dumtaxat in quibus de Dagano & Columbano inseritur mentio, quæ suæ causæ utcumque favere videri poterant, in medium adduxit, & contra mentem scribentis, ad suam distorsit intentionem; consuetâ nimirum hæreticis astutiâ, qui Sanctorum dicta truncantes, ea solum verba proferunt, quæ ex superficie literę, quoquo modo ipsorū instituto deserviunt, de germano verborū sensu, & authoris mente promendâ nihil solliciti.

35 Demonstratur ulterius eadem veritas ex vita S. Audoëni Episcopi, quæ habetur apud Surium ad 24. Augusti, conscriptâ, ut ipse ibi testatur, à Fridegodo *S. Odonis* Diacono, anno salutis 956. in qua sequentia de Columbani patria leguntur. *Contigit autem eo tempore virum Deo dilectum Columbanum, genere Scotum, cœnobiorum Luxoviensis in Gallia, Bobiensis in Italia fundatorem, ex* Fridegodo.

rem, ex Hibernia insula in Gallias pervenire; qui relicto paterno solo, parentum domo, cunctisq; quibus mundi amatores pro magno utuntur, voluntariam paupertatem, & saluberrimam peregrinationem pro amore Christi, & regni cœlestis arripuit. Quibus nescio quid in rem nostram clarius dici potuisset, cùm in Hibernia insula, quam latè supra descripsi, Columbani genus, ac paternam domum constituat, ejusque inde transitum, saluberrimam peregrinationem appellet. Ex quibus, cùm eum Scotum genere vocat, manifestum est, id quod suprà latè ostendimus, Hibernos Scotorum olim appellatione signatos.

Walafrido Strabone,

36. Fridegodo subjicio Walafridum Strabonem hujus rei clarissimum testem, ex quo sic concludo propositum. Ex illa terra duxit originem Columbanus, ex qua S. Gallus præcipuus ejus discipulus & peregrinationis ex Hibernia comes, ut omnes etiam Scotobritanni admittunt; sed Gallum ex Hibernia insula oriundum ex Walafrido Strabone fit evidens, & ipse Camerarius vel invitus fateri cogetur; igitur & Columbanum. Fit, inquam, evidens: nam in illa Hibernia natum scribit Gallum Walafridus, quam citatus ab ipso ibi *Solinus*, *Orosius*, & alii describunt; Solinum verò non aliam sub Hiberniæ nomine regionem delineare, quàm Hiberniam suprà descriptam adeò est manifestum, ut ipsemet Camerarius expressè id affirmet pag. 300. de *sanctis regni Scotiæ*. En ejus verba: *Solinus, qui ex instituto agit de Irlandia ipsorum* (hoc est, Hiberniâ nostrâ) *manifestè distinguit à Britannia.* Si agit ex instituto Solinus de Irlandia, ut ipse hîc fateris Camerari; igitur ex intentione Walafridi de Solini Irlandia, seu Hibernia loquentis, *Gallus* Irlandus, *Columbanus* Irlandus est. Iterum, si de Irlandia Solinus ex instituto, quomodò tu pag. 290. Walafridum de eadem cum Solino loquentem Hiberniâ, velut de tua locutum Scotia interpretaris, nisi fortè velis tuam Scotiam *Irlandiæ* quoque sibi nomen aliquando vendicasse? solve nodum, si potes.

authore vitæ S. Walerici, apud Surium 1. April.

37 Prædicta confirmant duo antiquissimi magnæ fidei Scriptores, qui non multùm post Columbani, & Ionæ tempora floruerunt, quorum primus, author scilicet vitæ S Walerici Abbatis, ita de Columbano meminit, *ubi* (in monasterio Luxoviensi) *venerandus & admodùm sanctus, insignisq; sacra religionis cultor B. Columbanus ex Hibernia insula ortus, ducentorum & viginti plus minus monachorum Pater morabatur.* Et infrà monet, ut qui plura de Columbani virtutibus nosse velit, *ad eruditi discipulorum ejus discipuli Ionæ Abbatis, præclari sanè viri, opusculum perlegendum se conferat, quod ille de tanti Patris vita conscripsit.* Ipse autem testatur solû eas se virtutes illi narrationi inseruisse, *quas à viris fide dignis, benè conscius, aut peritis, quippè ab ipso Sancto viro* (Walerico) *& eruditis & institutis audiritione accepit.* Ex quo apparet hujus historiæ fides & antiquitas. Alter autem, qui nimirum post Ionam vitam *S. Faræ*, seu *Burgundoforæ* (quam ipse Columbanus Christo consecraverat) precibus nobilissimæ *Bertradæ* Abbatissæ, aliarumque sororum monasterii *Evoriacensis*, seu *Briegensis*, quam dicta *Fara* fundaverat, prima ejus loci mater, compulsus edidit, hæc in suæ narrationis exordio de S. Columbano notavit: *Ionas quidam, ut ipse prodit, ex Hibernia, vitam B. Columbani, qui fuit ex memorata insula, componere aggressus, materiam præbuit* &c. Et infrà in Columbani laudes expatians, inquit: *multiplex, & uberior dictu gratia Dei Columbanum multorum monachorum salutarem patrem futurum ab Hibernia excitavit, qui transgressus Oceanum Britannicum, in Galliam venit.* Ecce hi duo clarè patriæ nostræ adstruunt Columbanum: nam de illâ loquuntur Hiberniâ, quæ insula est oceani, ex qua Britannicum mare, inter Hiberniam & Galliam positum, transgressus Columbanus, in Galliam venit; de qua denique in vita Columbani Ionas ab utroque citatus, & tantoperè commendatus (quem suprà evidenter ostendimus de Hibernia insula fuisse locutum) verba fecisse dignoscitur; hæc autem omnia soli competunt Hiberniæ suprà descriptæ, adeoque in ea secundum hos authores statuenda erit nativitas Columbani.

extat hæc historia unà cum Actis S. Mariæ Ægyptiacæ, Germani & Cypriani eodem volumine comprehensa in monasterio Fossatensi seu S. Mauri in territorio Parisiensi.

Theodoro Papa;

38. Suffragantur nobis inter alios duo quondam orbis capita, *Theodorus* Papa, & *Carolus Magnus* Imperator; quorum ille in privilegio Boboleno Abbati Bobiensi à se concesso ita loquitur: *in quo* (Bobio) *vir venerabilis Columbanus ex partibus Hiberniæ, in quibus ortus fuerat, sanctis studiis fervens cum largi-*

largitate regia in regno gentis Longobardorum, postquam alia fundavit monasteria, accedens, monasterium contruxisse perhibetur. Hæc ille. Habebis hoc privilegium in Notis ad caput ultimum vitæ Sancti Viri inferiùs. Carolus autem in suis pro munimine Luxoviensis Ecclesiæ collatis literis, quas infrà damus suo loco, ita habet: *Cum jam per totam Galliam Divinæ religionis fervor torperet, Redemptor mundi Deus, & Dominus noster Jesus Christus, diu dolens Ecclesiam suam ob multorum desidiam penè jam obfuscatam, ad repellendas ignaviæ tenebras, de Occiduis Hiberniæ partibus splendidissimum radium Gallicis finibus emergi præcepit, B. videlicet Columbanum, egregium Scotigenam.* Ubi certum est de nostra patria, præter quam, aliam nusquam agnoscunt scriptores *Hiberniam*, esse sermonē. Habemus ergo à parte nostra & Catholicæ caput Ecclesiæ & Romani culmen Imperii, Pontificem summum, & primum Regum; quis igitur contra nos poterit amplius prævalere, maximè cùm hi nunquam soli, sed magnâ semper stipante catervâ soleant incedere, ex quo comitatu aliquos hic recensebimus.

Carolo Magno.

Exemplar, malè *Scotigenarum.*

39 Audiamus itaque Notkeri Balbuli de patria Columbani sententiam. Ita ille in suo Martyrologio ad 17. Calend. Novembris. *Ad æternam vitam natalis dies Beatissimi Galli Confessoris festivè celebratur, qui de insula Hibernia, quæ inter Britanniam & Hispaniam sita est divini amoris instinctu cum magistro & Abbate suo Columbano peregrinaturus, per Gallias iter agens, Alemanniam ingressus est.* Peregrinaturi Columbanus & Gallus Hiberniam deseruerunt, utique patriam suam. At quam Hiberniam? insulam, inquit, quæ nec Britanniæ, nec Hispaniæ limites intrat, sed inter utrumque. & ab utraque distincta jacet. Nihil clarius. Cum Notkero sentit Ratpertus & ipse Monachus Sant-Gallensis *de Casibus monasterii S. Galli c.* 1. Hermannus Contractus in Chronicis, & Marianus Scotus de Hibernia ad an. Christi 589. Ordericus monachus Uticensis in sua historia Eccl. fin. Aimoinus de gestis Francorum l. 3. fol. 54. & alii innumeri, quorum verba superius invenies in serie Elogiorum S. Columbani.

Notkero Balbulo.

Ratperto San Gallensi, Hermanno Contracto, Mariano Scoto, Orderico Uticensi, S Bernardo, Jocelino.

40 Pro eadem quoque veritate stant S. Bernardus & Jocelinus, tempore ferè æquales, quorum prior de restauratione loquens per S. Malachiam factâ Bennchorensis monasterii, cujus ipsi possessiones cesserat, Princeps quidam in Ultonia, in cujus ditione sita erat *Bennchor*, ipsi Sancto carne propinquus, inter alia, quę de pristina ejus monasterii gloria, & professorum in eo sanctitate encomia protulerat, ista de Columbano nostro subjungit. *E quibus ad has nostras Gallicanas partes S. Columbanus ascendens, Luxoniense construxit monasterium factus ibi in gentem magnam.* Jocelinus autē in Vita S. Patricii c. 98. de eodem monasterio verba faciens, postquam nominasset *S. Luanum*, illius almæ domus, alumnum, quem S. Bernardus centum monasteriorum fundatorem fuisse testatur, mox de Columbano prosequitur in hæc verba: *Alter verò Columbanus dictus, vir Sanctissimus, & omnium plenitudine charismatum repletus, qui prius egregio monasterio Luxoviensi in Galliis, deinde Bobiensi ultra Alpes præfuit.* Hæc ille. Itaque ex horum duorum unâ voce Columbanus monachus in Bennchor. Annō ergo Hibernus? Inter monachos Hibernos in cœnobio Bennchorensi in Provincia Ultonię, seu, ut vocat Bernardus, Ulidiæ, ac demum in regno Hibernię, cujus Ulidia pars est, educatus & professus, nonne credendus Hibernus? Verum quidem est, inquies, Bennchorense monasterium in Hibernia situm esse, poterat tamen in eo externus recipi, poterat Anglus, poterat Scotobritannus; poterat, inquam, Columbanus, tametsi in Anglia, vel Scotia Britannica natus, celebri illectus famâ ejus monasterii, eo proficisci, ibique, velut in peregrinationis secessu receptus, suam salutem operari. Fateor quidem, nam & Beda testatur tam nobiles, quàm mediocres de gente Anglorum, in Hiberniam ad sacras litteras discendas olim confluxisse solitos. Verùm non ita Colūbanus. Nam audi Jonam cap. 3. *Peractis itaque annorum multorū in monasterio* (Bennchorensi) *circulis, cœpit peregrinationem desiderare, memor illius Domini imperii ad Abraham: exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram, quam monstravero tibi.* In Hibernia positus peregrinari desiderat Colūbanus, igitur in eâ non peregrinus, sed domesticus; non advena, sed indigena; non exul, sed civis agebat: deinde peregrinationis iter ingressus, in Britanniam transivit & Galliam ex Hibernia. Igitur Sancte Columbane in Hibernia terra tua, cognatio tua, do-

mus Patris tui: nam si peregrinationis locus Gallia & Britannia, jam nativitatis erit Hibernia. Pergamus ad alios.

Sigeberto. 41. Prædictis subscribit Sigebertus, qui in libro de illustribus Ecclesiæ scriptoribus Columbanum inter alios recenset his verbis fol. 338. c. lx. *Columbanus Abbas Luxoviensis, in Hibernia Scotorum insula natus, & in Gallias pro Christo peregrinatus.* Similia leguntur apud Marianum Scotum suprà citatum, cujus hæc sunt verba ad annum 589. *S. Columbanus Pater ex Hibernia insula cum S. Gallo, aliisque probatis discipulis venit in Burgundiam.* Capgravius Anglus in Vita S. Columbani, his idem verbis expressit: *B. Columbanus in Hibernia Insula in Oceano sita, quam Scotorum gens inhabitat, ortus est; Hibernia enim antiquitùs Scotia dicta est; de qua gens Scotorum Albaniam, Britanniæ majori proximam, quæ ab eventu modò Scotia dicitur, inhabitans, originem duxit, & progressum habuit.* Priores duo affirmant Columbanum in Hibernia insula natum, postremus addit ulteriùs, Scotiam Albiensem ab Hibernis traxisse originem.

Capgravio.

Ipsoque demum S. Columbano. 42. Sed quid externos testes tam operosè congerimus, ipsum pro nobis, audiamus de sua patria, & gente loquentem Columbanum. Ita ipse in litteris oblationis, qua tradidit Monasterium Bobiense in protectionem Sedis Apostolicæ, quod instrumentum asservatur in Bobiensi cœnobio cum aliis ejusdem loci privilegiis. *Ego Columba servus servorum Dei, ex Hiberniæ partibus ortus, Papæ dixi.* Item in Epistola ad Patres Synodi Gallicanæ, quam suo loco exhibuimus, inquit, *Sive Britanni, sive Iberi, sive quæque gentes*; ubi *Iberos* ad se suosque ex Hibernia comites refert. Item in *Fragmento* cujusdam *Epistolæ* ipsius ad Bonifacium Papam: *Discipuli sumus* (inquit) *toti Heberi, ultimi habitatores mundi. Heberi* pro *Hiberni.* In quadam quoque ad S. Gregorium Epistola idem insinuat, asserens à *suis Magistris & Hibernicis antiquis Philosophis Victorium non fuisse receptum.* In quibus locis manifestè fatetur se Hibernum, seu Hiberum esse natione, idque non de aliqua Britanniæ parte accipiendum, præterquam quòd de se clarum sit, ipsemet claris adhuc prodit indiciis. Nam in primis Hibernicam illam gentem, unde se descendisse affirmat, à Britannia distinguit: *sive*, inquit, *Britanni, sive Iberi.* Quod verum non esset, si de ulla Britannica gente sermo fuisset, ac proinde sub *Iberorum* ibi nomine veros dumtaxat Hibernos comprehendit, quos notum satis est à Britanniæ populis distingui. Præterea Hibernos illos, quibus se connumerat, vocat *ultimos habitatores mundi*, quod non Britannis, sed Hibernis competit, quorum patriam, omnium Occidentalium regionum & insularum ultimam, Chorographi & Cosmographi constituunt. Postremò ab illis censendus est Hibernicis originem duxisse Columbanus, quos magistros, & sapientiæ habuit instructores; sed ab Hibernis quorum suprà patriam descripsimus, qui soli apud omnes hoc nomine censentur, ipsum Sacris litteris, & monasticis institutis imbutum fuisse, non solum Jonas, & alii ipsum secuti scriptores, sed & ipse sanctus *Sermone*, seu *Instruct.* 2. manifestè declarat, cùm *S. Comgellum, Latinè Fausti nomine illustrem*, ut loquitur Notkerus ad 9. Junii, Bennchorensis Congregationis fundatorem, notissimum Hiberniæ insulæ civem, ut ex ipsius Actis, Bernardo, & Jocelino constat, suum doctorem fuisse fateatur his verbis: *Non nostræ parvitatis fundamenta jacere præsumimus, alicujus magni Doctoris authoritatem quærentes, Sancti scilicet* Fausti, *luculentissimam, elegantissimamq; doctrinam, de cujus dictis, pauca ad initiandum opus nostrum satis convenienter elegimus, utpote qui de eisdem monitionibus, de quibus dicere cupimus, & nos, viles licet, commissos sibi, docuit, & quasi tempore, & merito & scientia me prior, quasi pro me impugnaturus ignaros quosque, & ignavos prius loquatur.* Quibus verbis disertè exprimit *S. Comgellum* à quo monasticæ vitæ instituta suscepit. Alium verò ejus ante susceptum habitum monachalem, in Sacris Scripturis instructorem, nomine *Senilem*, itidem Hibernum, Jonas cap. 2. nominat. Itaque ut singula jam sparsim dicta contrahamus in unum, Columbanus se dicit de Hibernia natum, quæ à Britannia distinguitur, quæ est occidentalium insularum & mundi ultima, quæ demum Sanctissimis ejus magistris *Senili*, & *Fausto*, seu *Comgello*, patria fuit, &, ut planè dicã, quæ à me superius descripta est, in quam dumtaxat universa superiùs dicta concurrunt. Res est aperta, nec multâ eget probatione; Et sanè qui veritatem, tam luculentis tot antiquorum

uti & ejus magistro S. Comgallo.

sententiis

ſententiis, & ſuffragiis comprobatam, auderet protervâ garrulitate impugnare, cuncta figmentis & leviuſculis animi protervientis effugiis eludens, non ratione, ſed fuſtibus eſſet excipiendus. Hîc de induſtriâ prætereo recentiorum verba referre: nam qui priſcorum reſpuit fidem, minimè credo modernorũ authoritate flectendum, qui ex illorum ſenſu, & cõſenſu ſua dicta de re hiſtoricâ cõficiunt, & confirmant. Si quis tamẽ en ea videre voluerit, ſuprà in allatis de hoc ſacto viro elogiis collecta reperiet.

43. Nunc tandem videamus quid pro ſe citati authores adducant. Sanè Angli ne verbum quidem pro ſua ponunt aſſertione, ſed abſque ullâ ratione, vel teſte Columbanum ſibi aſſumunt, quaſi in confeſſo eſſet, nec probationem requireret, ipſum in Anglia natum; qua in re exiguâ ſanè ſinceritate procedunt. Ego quidem exquirens, quodnam ſubeſſe poſſet hujus figmenti fundamentum, non potui aliunde ſuſpicari profectum, quàm vel ex affinitate appellationis monaſterii *Bangorenſis* in Britannia, de quo Beda, cum noſtro in Hibernia *Bennchorenſi*; vel certè ex verbis quibuſdam ambiguis Vitę *S. Switberti*; quæ vulgò *Marcellino* tribuitur authori, quibus Columbanus adſcribitur Anglis: *eodem tempore*, inquit, *tanta erat devotio hominum Angligenarum, poſtquam tota inſula fidei Sacramentis erat imbuta, ut non ſolùm nobiles, ignobiles, Clerici, Laici, verumetiam Reges, & filii Regum de gente Anglorum, ſpretis regnis & delitiis mundi, eligerent ex maxima devotione ad tempus peregrinari pro Chriſto in terris; quidam ad docendum indoctos, ut Columbanus Abbas, qui cum duodecim clericis Galliam perluſtravit, & in fide confirmavit.* Ubi videtur inſinuare S. Columbanum ex Anglorum gente procreatum. Circa primum non eſt quod hîc hæream, cùm nulli, qui S. Bernardum in vita S. Malachiæ, vel Jocelinum in vita S. Patricii, alioſque antiquos legerit, in mentem venire queat *Bennchorenſe* Comgelli & Columbani in Britannia ſitum eſſe, nec ullus hactenus alicujus fidei ſcriptor id aſſeruit. Solus Harpſfeldius & Pitſeus cum illis Scotobritannis, (qui ſibi quodlibet aſſerendi licentiam aſſumpſerunt) *Bennchor* illud ex Hibernia tranſtulerunt, de quo infra latius.

Fundamentum erroris, quo Columbanus adſcribitur Anglis, ſumptum ex Vita S. Suith...

44. Quod verò hiſtoriam illam vitæ *S. Swithberti* ſpectat, liberè dicam, non videri opus eſſe *Marcellini*, tantæ authoritatis & ſanctitatis viri; quod mecum facilè dicet, qui tot in ea contentos errores conſideraverit, *Marcellini* nomine prorſus indignos; quos errores primus omnium deprehendit ſolertiſſimus noſter Stephanus Vitus, & ab eo poſtmodùm Iacobus Gretſerus admonitus evulgavit in ſuo doctiſſimo libro de *Epiſcopis Eyſtetenſibus* pag. 791. Dicit itaque eſus hiſtoriæ author cap. 1. *Engiſtum* (qui fuit unus ex Angloſaxonum Ducibus, quos Britones in ſubſidium contra Pictos & Scotos advocarant) inſulam pro Britannia, Angliam nominaſſe; cùm tamen hoc nomen multis poſt Engiſtum ſeculis inditum conſtet ab Egberto rege occiduorum Saxonum, qui ſeptem Britanniæ regna in unũ redegit, & heptarchiam, quam occuparant ibi ab initio Saxones, promulgato edicto, *Englelonth*, hoc eſt Anglorum terram, vocari juſſit circa annum Domini 810. & exinde apud latinos, illa Britanniæ pars *Anglia* dici cœpit; de quo videri poteſt Cambdenus pag. 75. & alii plures. Itẽ cap. 6. vult miſſionem Willebrordi, & Swithberti factam ab Egberto Archiepiſcopo Eboracenſi, quam tamen ex V. Beda *l.* 5. *c.* 10. & 11. manifeſtè conſtat ab Egberto Anglo, non Epiſcopo, ſed presbytero peractam, qui tum in Hibernia pro ęterna vita ſpontaneus exul agebat, ut tradit Beda *l.* 3 *c.* 27. & *l.* 5. *c.* 10. Præterea *cap.* 14. *Wironem* Hibernum facit Epiſcopum *Deirorum*, & ſocium ejus *Plechelmum*, Epiſcopum *Candidæ Caſæ*, vel, ut ipſe loquitur, *Maſſæ candidæ*, cui tamen non hunc, ſed alium præfuiſſe *Plectelmum*, ex Beda ab ipſo ibi citato *l.* 5. *c.* 19. & 24. & Actis S. Wironis apud Surium ad 8. Maii, ſatis clarè colligitur. In eodem deinde capite *Levinum Gandenſem* Martyrem noſtratem connumerat illis, qui poſt Concilium Trajectenſe à Suitberto, & Willebrordo celebratum, diſperſi fuerunt ad prædicandum, qui tamen illius Concilii tempora non attigit; martyrium namque paſſus eſt pridem autem annum 697, quo Concilium illud habitum fuit: quomodo igitur illi potuit intereſſe? Inter alios ejuſdem errores refert Gretſerus, & meritò, quòd Columbanum noſtrum Anglis adſcribat. Ex quibus, & aliis multis, quæ inibi continentur, probatis hiſtoriis contraria, ſatis apparet, longè alienam eſſe à Marcellini eruditione, fi-

Variis erroribus inſperſa.

de, gravitate, narrationem istam, ac proinde non ipsi, sed alicui ejus nominis Pseudo-Marcellino posteriori scriptori imponendam, rerum istarum parum perito. Quam conjecturam non parum probat, quòd ille author passim utatur nominibus regionum post S. Marcellini tempora inventis, qualia sunt *Hollandia, Brabantia, Flandria, Westphalia, Lotharingia, Brunswicum, Monasterium, Anglia* pro altera Britanniæ parte, *Embrica, Daventria*, & similia, de quorum recentiore institutione videri possunt Iacobus Meyerus 10. Annal. Flandrēsium, Petrus Bertinus Cosmographus, Camdenus in sua Chorographia, Crantzius l. 2. Saxon. cap. 31. & l. 1. Metropol. c. 5. & alii plures. Itaque vel illa historia non est opus Marcellini, vel si est, necesse est, ab aliquo impostore fateri corruptam, qui tot mendas insperserit; neque enim aliâ viâ salva consistet authoritas Marcellini. Cæterùm qualiscunque fuerit illius author, non est audiendus in his, in quibus à communi Historicorum consensu recedit, maximè in eo quod de S. Columbani patria asseruit, contra adducta superiùs ipsius Sancti Columbani testimonia. Nunc ad Scotos transeamus.

Quæ aut Marcellini non est aut à posteriori aliquo est depravata.

45 Ex quibus Thomsonus quidem locum nativitatis Columbano constituit in montanâ Scotiæ parte; *cujus tamen assertionis* (inquit Illustrissimus Dominus Lombardus pag. 222. sui Commentarii) *tam patens est & plana falsitas, ut ad eam tegendam montes ipsi non sufficiant: quod clarissimè perspexerit, quisquis authores istos, qui de hoc viro scripserunt, vel leviter aspexerit.* Illos authores jam copiosè citavi, qui concorditer approbant verissimam hanc Lombardi censuram. Camerarius autem natum ponit Columbanum in insula *Huy*, hoc est, *Hiensi*; de quo suprà latè. Verùm quia hucusque manifestè convici, natalium Columbani honorem Hiberniæ insulæ, & non ulli Britanniæ parti deberi, non videtur in hujus veritatis probatione ulteriùs immorandum; tantùm Authores, quos pro se adducit Camerarius, ab errore vendicandi sunt & impostura. Jam suprà Bedam pro nobis loquentem, clarissimè ostendimus ab ipso traductū; nunc & Trithemium falsò quoque allegatum, demonstremus. Verba itaque Trithemii ab ipso citati de *vir. illust. ord. S. Bened.* l. 2. c. 3. sunt hęc. *Columbanus fundator & primus Abbas Luxoviensis, natione Scotus, vir meriti & sanctitatis eximiæ, multos pro Christo sustinens labores, cum adhuc in Hibernia degeret in monasterio, tantum in Scripturis studendo confecit, ut non contemnenda Opuscula ediderit, è quibus extat opus insigne limato sermone in totum Psalterium. Lib. I.* Et in fine. *Construxit multa cœnobia, tam in his nostris regionibus, quàm in Hibernia.* Hæc ille. Camerarius duas primas lineas dūtaxat recitavit, reliquis omnibus ubi de Hibernia erat mentio, rescissis, eadē fide, qua superiùs Bedæ verba truncaverat. Porrò ne quis putet ex hoc loco Trithemiū Scotiā Britannicā Colūbano patriam assignasse, libet audire quæ de eodē Colūbano habet. l. 3. c. 26. *Columbanus* (inquit) *Abbas & pater multorū monachorum, de Hibernia veniens in Burgundiam, permittente Rege Theodorico, monasterium Luxoviense fundavit.* De Hibernia venit Columbanus, utique patriâ suâ: nam peregrinaturus venit inde; quod ergo priori loco dixit Author *Scotum*, intelligendum est, ex *Hibernia insula*: quo modo, ipse cap. 131. de *S. Kiliano* loquitur: *Kilianus ex monacho, Herbipolensis in Franconia Episcopus, natione Scotus, ex insula Hibernia, vir sanctus & Deo dilectus.* Igitur cùm *Scoto* jungit Trithemius *Hiberniam*, accipiendus est de Scotia veteri, sicut hîc de *Kiliano*, ita & ibi de *Columbano*. Ex quibus satis clarè constat, non ex fide productum à Camerario Trithemium, nostræ sententiæ tam disertum assertorem.

In qua parte suæ Scotiæ natum fingunt Scoti S. Columbanum,

quem in Hibernia editum cū veteribus testantur Trithēius

46 Genebrardus quoque, quem pro se adducit Camerarius, nobis magis suffragatur: ubi enim de Columbano ejusque peregrinatione agit, ad an. scilicet 618, omnium quæ dixerat, testem postea subjicit Jonam Abbatem, quasi illo sensu cuncta accipiens, quo Ionas, penes quem dictorum suorum de Columbano fidem esse voluit: Ionam autē non alibi, quàm in Hibernia nostra statuisse locum nativitatis S. Columbani, suprà evidenter est ostensum; igitur nec Genebrardus ipsúm Scotum appellans, nempe de Hibernia, *quam & Scotorum gens incolit*, inquit supra Ionas. Franciscum Sansoninum deinde pro nobis loquentē in *lib. illust. famil. Italiæ* pro se adducit. Ita ille: *Donato Vescovo de Bobio, edificò la chiesa di S. Brigida in Piacenza, & la donò à un monasterio di Frati di Bobio di S. Columbano, non solamente por l'amor di Dio-*

Genebrardus,

Sansoninus,

di Dio, ma anco, perche S. Columbano fu di Hibernia isola della Scotia. Hoc est *Donatus Episcopus Bobiensis ædificavit ecclesiam S. Brigidæ Placentiæ, & tradidit monasterio cuidam, Fratrum S. Columbani de Bobio, non solum ex divini amoris intuitu, sed etiã quia S. Columbanus fuit de Hibernia insula Scotiæ.* Cur obsecro contulit Ecclesiam illam monachis S. Columbani *Donatus*, nisi quia S. Brigida virgo erat ex Hibernia, & illius loci in ea speciali titulo Patrona colebatur, in quo S. Columbanũ noverat natum, nempe *Lageniæ*, quæ est Hiberniæ insulæ Provincia, & hinc Columbani sectatoribus ejus Ecclesiæ possessionẽ committendã congruè judicavit? An autem præfatus *Donatus* Sansonini sententiâ originem traxerit ex familia *Duglassiorum* in hodierna Scotia, ut asserit Camerarius, eaque ratione dictam Ecclesiam Columbani monachis contulerit, quòd ipsum ex eadem Scotia crederet oriundum, non est nobis ad manum ipse Sansoninus ut veritatẽ discamus, neque Camerarii allegationi credemus, quousque authoris verba protulerit. Certè verborum adductorum Sansonini, germanior longè videtur ille sensus, quem elicui, & veritati conformior, quem, & non alium, ab authore intentum postrema ejus verba non obscurè indicant, quibus ait, S *Columbanum fuisse de Hibernia insula Scotiæ*, id est, ex Hibernia insula, quæ alio vocabulo *Scotia* appellatur, vel insulâ Scotię, seu Scotorum; est enim *appositio*, ut vocant Grammatici; vel *constructio intransitiva*, ut loquuntur Logici; eo nimirum stilo sermonis, quo quis hodiè diceret, aliquem venisse ex Gallia regno Franciæ, vel Salisburgo, civitate Juvaviæ, vel ex *Hu* insula Ionę; quibus loquendi formulis non censeretur diversa loca distinguere, sed eorumdem locorum varia nomina designare. Ex quo deducitur, quàm ridicula sit interpretatio, quam illis verbis adhibet Camerarius, affirmans de Iona insula ibi sermonem esse, in qua ipse natum fingit Columbanum; de quo figmento suprà quędam obiter notavi. Sixtus Senensis, & Possevinus ab eodem testes adhibiti, dicunt quidem Columbanum *Scotum*; sed ut ab errore excusentur, intelligi debent antiquorum more locuti, qui illo vocabulo Hibernum designabant, ut supra demonstravi. Quod si de hodierna Scotia potiùs accipiantur ipsorum verba, non multũ curamus, cũ moderni sint, qui ubi in re historica antiquitati cõtraveniunt, nullã habent fidẽ. Et sanè Possevinus, si de moderna Scotia locutus fuit, ex Thomsono, quem legit, & non examinavit, errorem hausit; sicut & alii externi scriptores, quos hujus temporis Scotobritanni suis fabellis seducunt; quod ex parte de se ingenuè fatetur Philippus Ferrarius mox citandus, & expertus est doctissimus Gretserus, qui Thomsoni primùm lectione incautè seductus, in suo ad Regem Angliæ libro, Brigidam ex moderna Scotia ortam scripsit, sed posteà deprehensâ fraude fabulonis, in libris de *benedict. & maledict.* errorem revocavit, atque in omnibus suis exinde operibus, ubi sanctum aliquem ex stilo antiquorum vocat *Scotum*, mox ad cautelam subjungit, *id est Hibernus*, vel cùm dicit *ex Scotia* natum, similiter addit, *id est, de veteri*, quod in in toto illo libro de benedict. & maledict. ubique observat.

Sixtus Senẽsis, Possevinus.

aliique recentiores, quibus aliisque imponunt Scoti moderni,

47. Et quia de horum Scotobritannorum fraudibus in alienis, maximè Hibernorum, Divis & illustribus viris usurpandis incidit mentio, libet vel ex ipso Camerario, quocum in præsenti potissimùm res est, pauca subjicere, ex quibus prudens lector intelliget, quã cautelâ et moderatione legendi sint *Fasti* & *Menologia Scotica* ab hodiernis Scotobritannis contexta. Itaque Camerarius pag. 274. Dempsteri vestigia secutus, ut probet tempore Adriani Cæsaris suam Albaniam dictam *Scotiam*, quosdam *Flori* versus in Adrianum ludentis, contra sensum & decorum invertens, ita recitat: *Ego volo Cæsar esse, ambulare per Britannos, Scoticas pati pruinas*; ubi tamen non affirmando, sed abnuendo loquitur *Florus* sic: *Ego nolo Cæsar esse, ambulare per Britannos, Scithycas* (non Scoticas) *pati pruinas.* Cui Adrianus, in hunc modum ludens, vicem reddit: *Ego nolo Florus esse, ambulare per tabernas, lustrare per popinas, culices pati rotundos.* Ubi vides lector antiquam Flori lectionem in duobus corrumpi. Hæc Dempsteri & Camerarii fides, hic candor, hæc in adducendis authoribus sinceritas; sed hoc parum est, audi plura. Idem Camerarius ad 7. Februarii de Sanctis regni Scotię, *S. Tressani* vitam ex Codice monasterii S.

inter quos magni impostoris Camerarii deteguntur fraudes aliquot.

circa Sanctos natione Hibernos, Tressanum,

rii S. Remigii apud Remenses commemorans, totum vitæ initium, ubi de Hibernia, Sancti viri patriâ, fit mentio, ad suum sensum invertit, reliquis omnibus usque ad finem verbatim ex codice fideliter transumptis. Codex ille sic incipit historiã S. Tressani. *Beatus igitur Tresanus, ex Hibernia insula Scotorum generatus, cum sex Fratribus, tribusq; sororibus, natali terrâ relictâ, omniq; possessione suâ, in Galliam venit; audierat enim Dominum dicentem Abrahæ; egredere* &c. Hujus loco Camerarius longè aliud affinxit exordium, ita namque habet: *S. Tresanus confessor apud Remenses in Campania Galliæ, miraculorum gloria celebris. Hic Dei servus honestis simul & sanctis in Scotia* (vide lector imposturam) *natus parentibus, à tenellâ ætate religiosis viris traditus educandus; quapropter tanta ejus animum cœlestis gratiæ, & spiritualium dulcedo rerum possederat, ut jam tum loca ab omni strepitu remota quæreret, ut liberius Deo omnium creatori inserviret; cumq; multa ad id assequendum in paterna domo obstacula cerneret, cum sex fratribus, tribusque sororibus, tribusque sororibus, relicta Scotia, in partes Galliarum venit; audierat enim Dominum &c. Reliqua deinceps* codicis verba prosequitur, & tandem in fine concludit: *Hæc fere ad verbum ex codice monasterii S. Remigii apud Remenses.* Sed quare bone vir vel unum verbum immutasti? nullus ibi error, nulla incongrua locutio, ipsa tibi verba favebant authoris, cur tua intrusisti? inculcasti toties *insulam Scotorum* tuæ patriæ encomium esse, quare codicis verba abjecisti ita loquentis? Scotorum insulam exprimebat, de tua loquebatur, quid quærebas amplius? An forte quia *Hiberniam* addidit? Sed quid eâ adjectione offecit causæ tuæ? Iam dudũ enim & tu in tua Scotia Hiberniam Dempstero conditore fabricatam, agnoveras. Cur ergo pro Hibernia intrusisti Scotiam? cur insulam dicere præteriisti? Sed quid tam curiosè inquiro? Pergamus ulterius. Pag. 143. ad 5. Febr. Scotiæ suæ Sanctis adnumerat *Buonem* Islandiæ Apostolum, & ad id testem inducit Arngrimum Ionam in Historia Islandiæ, qui tamen ita clarè illum nostræ Hiberniæ adscribit, ut non sit relictus de ejus mente altercandi locus. Ejus verba sunt hæc l. 1. c. 6. ubi de plantatæ in eo regno fidei primordiis agit: *Helgo cognomento Bido, Baronibus Norvegicis oriundus, Ethnicus tamen, hominem Christianum exulem in viciniam recepit, Ernulphum nomine, cum suis familijs, nec recepit solum, sed & ædem D. Columbæ sacram extruere permisit in sua villa Esniberg. Ejusdem quoque Provinciæ* (Irlandiæ scilicet) *juvenis quidam Buo dictus* (forte Camerarii textus aliter habet) *sacratissimum illud humanarum victimarum fanum (solebant enim incolæ suis dijs, præsertim Iovi, quem Thors, unde & Anglicè Thorsday, litare, & sacrificare victimas, quadrupedum, & aliquandi victimas humanas) & deos universos incendio delevit.* Hęc Ionas ad annum 900. Ecce benigne lector, *Buo* Scotus asseritur; qua ratione? testimonio Ionæ, qui vocat *Irlandum.* Hoc ipso nomine ipsimet Scotobritanni, & maximè Camerarius iste Hibernos nostros appellitant, & Ionam, qui *Buonem* disertè *Irlandum* nuncupat, pro se adducunt. Quid tandem cum hujusmodi hominibus honesti commercii potest exerceri? quid ab eis fidei, quid sinceritatis expectari? Hoccine est Sanctos illustrare, historicum agere, veritatem quęrere? quomodo hujusmodi tam fallaci negotiatione poterunt humani convictus jura servari? Sed pertranseamus: nam motos præstat componere fluctus. Pag. 217. ad 8. Iulii S. Kilianum Scotum facit ex Trithemio de vir. illust. ord. S. Bened. l. 3. c. 131. sic loquente: *Kilianus ex monacho, Herbipolensis in Franconia Episcopus, natione Scotus,* omissis his quæ immediatè sequuntur verbis: *ex insula Hibernia.* Item pag. 291. ait Ionam in vita S. Columbani de sua Scotia loqui, cum tamen Ionas addat *terram Lagenorum,* quam in Hibernia sitam totus mundus agnoscit, ut latè suprà ostendi. Item Herebertum Frisingensem Episcopum probat authoritate Trithemii Scotum fuisse, qui tamen, ubi de ipso agit, l. 4. de vir. illust. ord. S. Bened. nihil de eo habet, quàm quòd fuerit discipulus S. Bonifacii, quasi omnes S. Bonifacii auditores essent natione Scoti. Sed quid his insisto? Si vellem singula istius mendacissimę scribliginis recensere figmenta & imposturas, in grande volumen excresceret opusculum; si singulos nominare ibi inscriptos alieni juris Divos, paucos postea Catalogus ille, seu Menologium Sanctos retineret. Ibi Gallis eripiuntur *S. Arnulphus* Metensis

Kilianum

Buonem, Ernulphum

Episcopus

Item circa Sanctos quosdam Gallos,

Episcopus & *Pharo Meldensis*, *Attalus* & *Bobolenus* Abbates, *Bertinus* Sithivensis Abbas, *Walericus* Arvernensis, & alii plures, qui antiquorum omnium communi consensu Gallicano solo debentur. Germanis subtrahuntur *Ioannes Constantiensis* Episcopus, *Gebehardus Ratisponensis*, cum aliquot aliis, quos Acta S. Galli, aliaque vetusta monumenta demonstrant origine fuisse Germanos. Trahuntur etiam extra Angliam natale solum in Scotiam Britannicam quamplurimi, *Bonifacius* Archiepiscopus Moguntinus, contra sui oris testimonium in Epistola quadam ad Zachariam Papam, cum aliis sociis ejus; *Willibrordus* Episcopus Traiectensis cum suo parente *VVilgiso*; *VVillibaldus* Eystetēsis Episcopus cum sua sorore *VValpurga*, *Burchardus* Herbipolensis, & *Modesta* S. Bonifacii soror, contra horum sanctorum Acta, & omnes antiquas historias. Nolo hic nominare quos genti nostrę surripit, ne cogar totum ejus Catalogum exscribere. Prolixum foret hîc Thomsoni & Leslæi fraudes detegere, & artes quibus utuntur ad authores externos in suas partes trahendos. Cujus sint genii istius gentis homines, quamque cæco ferantur in suam patriam affectu vel ex hoc quod modò subiicio apparebit exemplo, cujus ipse testis sum oculatus, & alii mecum quamplurimi. Vidi in Bavaria, & exscripsi penè integrum Codicem quemdam, in multis quidem apocryphum, tractantem de fundatione Ecclesiæ *Consecrati Petri*, & *S. Iacobi Scotorum* Ratisbonę, aliorumque pro iisdem constructorum in Germania Cœnobiorum, origine & progressu; in quo libro, per totum de solis Hibernis agitur, pro quibus monasteria illa primitùs erecta sunt, & ubique eos disertè suo nomine Hibernos author appellat. Ne ergo institutio istorum monasteriorum Hibernis ex hoc tribui posset, Scotobritanni isti insincerum, ne dicam à Christiano pectore alienum, consilium amplexi, ubicumque ferè in toto libro de Hibernis mentio recurrit, verbum *Hibernus*, aut *Hibernia*, vel *Hiberniensis*, oblitterarunt, vel stilo abraserunt, & in margine, aut in textu, expunctorum loco substituunt, *Scotiam*, vel *Scotum* & similia, quo sic contra mentem authoris, omnia ad ipsorum Scotiam trahantur. Sed id frustrà: nam jam apud omnes antiquos scriptores notum est monasteria illa primitùs pro Scotis Hiberniæ fuisse constructa, quod alibi fusiùs probabitur Deo concedente; neque ipsi illa via consecuti sunt intentum. Nam verba illa quantumvis abrasa, adhuc legi possunt multis in locis dicti codicis, ut sufficienter deprehendi queat fraus malignè attentata. Hæ sunt artes, hi doli, Christiane lector, quibus Scotobritannici nostri temporis Historici, externis authoribus imponere satagunt, quibus sanctos sibi vendicent, quibus Scotiam illustrent: cùm monumenta ipsis desunt, figmenta construunt: cùm authores non suffragantur, verba corrumpunt, non intelligentes interim sibi hinc ignominiam, Sanctis irreverentiam, & testibus quos tam turpiter depravant, gravem injuriam irrogari. Hujusmodi falsographię toties repetitæ effecerunt, ut Annales & Censuales Scotici non majorem hodiè obtineant apud probatos, & solertioris studii scriptores fidem, quàm Æsopi fabulæ, vel Ovidii Metamorphoses. Testis hujus rei Serarius, testis Gretserus, testis Raderus; testis inter alios locupletissimus Philippus Ferrarius Servita, à Dempstero primùm seductus, qui in sua, quam *Catalogo Generali Sanctorum* præmisit ad lectorem admonitione, restituens Hibernis eos Sanctos quos ex fraudulentâ Dempsteri informatione, deceptus abstulerat, ita loquitur: *Illud quoque te admonendum duxi, me nonnullos Sanctos Hibernos, alios scriptores secutum, Scotiæ sive Angliæ tribuisse; cujus rei causa est quòd olim Hibernia Scotia dicta est, & Hiberni Scoti sunt appellati, uti apud D. Prosperum, Orosium, D. Isidorum, Cogitosum, Adomnanum, Jonam, antiquos scriptores, Bedam, & D. Bernardum Abbatem, aliosq; vitæ Sanctorum Hiberniæ Scriptores, videre est. Quis enim SS. Patricium*(connumerat ipsum Hibernis, quia fuit ipsorum Apostolus) *Brigidam, Brandanum, Columbam, Columbanum, Gallum, Magnum, Virgiliū, Kilianū, Rumoldum, Dymphnam, Fiacrium, Fursæum, Malachiam, Laurentium & alios, Hibernos esse ignorat? qui tamen Scoti, & in Scotia nati à scriptoribus vitæ eorundem dicuntur. Martyrologium quoque Romanum Brigidam virginem (quæ in Hibernia nata, defuncta, tumulata est) & alios quosdam in Scotia reponit, quod te admonere libuit propter quosdam Αγιοκλέπτας.* Quos hîc alios vocat Αγιοκλέπτας, seu fures Sancto-

Anglosque:

Cujusmodi fallendi astu usi Thomsonus, Leslæus,

& qui alii Scoti Albienses in Chronico Consecrati Petri Ratisbonæ Hibernorum & Hiberniæ nomina obliterarunt

Sanctorum, quàm Thomsonum, Leslæum, Dempsterum, & alios Scotobritannos fabulones, quorum se ipse technis & dolis serò tandem, nempe post librum jam pro majori parte excusum, deceptum sentiens, ingenuo animo & veritatis zelo, in illa sua ad lectorem animadversione, quæ in suo libro, à Dempstero, ut ipsemet Ferrarius ore suo mihi testatus est, accepta, incautè suo libro inseruerat, compendiosè revocavit & correxit.

48 Cæcus iste horum hominum aliena jura invadendi impetus non tantùm externos, sed ipsos etiam Scotiæ domesticos sincerioris fidei ita commovit, ut gravi eum censurâ perstrinxerit Doctissimus Theologus *Edmundus Hajus*, cujus erudita de Calvini contrarietatibus elucubratio multorum manibus teritur, seriò questus magnam à gentilibus suis, nempe Boetio, Leslæo, Thomsono, & aliis, injuriam factam nationi Hibernorum, quòd Sanctos & illustres viros illis præreptos, in suos referrent Censuales & Catalogos, deceptis utique, vel decipere volentibus umbrâ nominum communionis, quòd utraque natio Scotorum notione aliquando signaretur, & utraque insula priscis Scriptoribus inter Britannicas censeretur. Cum delectu itaque & judicii recti libramine legendos esse authores, Annales consulendos, annos, ætates, & tempora discernenda his, qui errores non amant, & sponte nolunt cæcutire in astruendo honore patrio, monuit venerandus ille censor suorum, & verus assertor natalitii decoris & dignitatis, quantum per veritatem licere sibi putavit. Quid dicturus fuisset ipse si Thomæ Dempsteri Menologium, vel Davidis Camerarii de Sanctis Scotiæ mendaciorum farraginem vidisset, qui non Hibernis tantùm; sed & Germanis, Gallis, Anglis, aliisque nonnullis Europæ nationibus injurii esse noscuntur; quas omnes obnixè rogamus, ut sicut nobiscum injuriarum participatione junguntur, ita & defensionis societate cohæreant, quò sic omnium virtute in unum concurrente, illorum hominum licentiâ coerceatur, & impudentia funditùs reprimatur, & tandem belli finis & pacis concordia consequatur. Parce lector quòd tam prolixè hîc hæserim: dissimulare non potui manifestas imposturas, quibus nostri nobis contra jus fasque eripiuntur. Credo neminem, qui supradicta de Columbani patria legerit, crediturum, vel ipsum, vel ullum ex ejus de Hibernia comitibus, ex moderna Scotia fuisse oriundum. Prosequamur ergo reliqua capitis hujus.

Quas suorum popularium imposturas reprehendit Edmundus Hajus.

De Primordiis fidei Catholicæ in Hibernia.

49 Inter primordia fidei gentis illius. Circa primam Evangelii prædicationem in Hibernia variæ feruntur authorum sententiæ. *a* Aliqui dicunt *S. Iacobum* Apostolum inter alias regiones, quas sua prædicatione illustravit, etiam Hiberniam visitasse, ibique aliquos ad viam veritatis reduxisse. Alii primam religionis in Britannicis insulis plantationem (inter quas censetur Hibernia, Isaico in Lycophronem *occidentalis Britannia* dicta) *b Sancto Petro* id adscribunt: *c* nonnulli *S. Andreæ*; *d* alii qui etiam *S. Philippo*, qui *Iosephum* ab *Arimathia* eò cum sociis duodecim destinasse traditur. Alii verò *S. Simoni* Zelotæ id attribuunt. Verùm per quoscumque demum illud præcones, certum est aliquam fidei notitiam ad Hibernos perlatam ante Missionem *S. Patricii*, cum multi ibi etiam sanctitate claruisse reperiantur ante ipsum, ut *S. Mansuetus* Apostolus Tullensium, discipulus *S. Petri*, *Declanus*, *Colmanus*, *Ailbeus*, *Ibarus*, *Hildebertus*, *Sedulius* Poëta, *Elisius*, *Eucherius*, *Liberta*, *Menna*, *Susanna*, & *S. Cathaldus* Tarentinorum in Italia Apostolus, si vera sunt, quæ de eo Bartholomæus Moronus in ejus vita refert, qui ipsum secundo post Christum sæculo natum, sanctitate in Hibernia claruisse tradit (cujus rei veritatem modò non examino) ex quibus omnibus satis colligi videtur, ibi nonnullos fuisse fideles ante Missionem Palladii in Hiberniam.

a Legenda Anglicana in vita S. Patricii. Stanihurstus in vita ejusdem, Petrus Lomb. in Comment. de reb. Hiberniæ. Henricus Fitzimon. præfat. contra Riderũ.
b Nicephorus de S. Petro.
c Catalog. script. Brit. teste Wione l. 5. c. 101.
d Ferculphus Lexovien. & Dorotheus Tyr. Episc. in sua Synopsi Apostol.

Aliqua fidei notitia ad Hibernos ante S. Patricium perlata.

50 De hujusmodi tamen fidei in Hibernia plantatione non est author intelligendus hîc; quippe quæ non nisi privata erat, & quorumdam dumtaxat locorum in Hibernia verius, quàm ipsius Hiberniæ conversio, sed ad totius patriæ & gentis conversionem non inchoatam tantum, sed plenè consummatam & perfectam respexit, ac proinde de S. Patricii prædicatione jam expletâ,

pletâ, accipienda sunt verba citata. Qui nimirùm à Cœlestino primo Pontifice in Hiberniam missus, anno Domini 431, vel sequenti inchoato, totam insulam quà latè patet ad fidem Christi perducere cœpit: unde in ipsum & non in alium primordia fidei suæ & integræ conversionis referunt Hiberni. Licet enim ante ipsum missus fuerit ab eodem Cælestino *Palladius*, paucos tamen ibi convertit; quia non ipsi, sed Patricio Deus Hiberniæ conversionem reservavit, ut habet Hibernicum proverbium. Neque certè rectè sentiunt, qui putant, non ad Hibernos, sed ad Scotopicticos, seu Britannicos ex officio legationis amandatum esse Palladium. Nam Sigebertus, & Marianus Scotus ad ann. 432. clarè asserunt ad eosdem Scotos missum esse Palladium & Patricium, & ex MS. Vita S. Patricii vetustissima (quam vidi in Bibliotheca monasterii *S. Huberti* in Ardenna) fit manifestum; in qua de missione Palladii, & Patricii, leguntur sequentia: *Palladius terram Scotorum intrans in Lageniensium fines pervenit, ubi Nathi filius Garchon Comes erat, qui sibi contrarius erat, alii verò divinâ misericordiâ stimulante ad divinum cultum, B. Palladius nomine S. Trinitatis baptizatis, tres Ecclesias in eodem pago construxit, unam, quæ dicitur Cell-fhine, in qua usque hodiè libros suos, quos à S. Calestino accepit, reliquit, & capsam reliquiarum B. Petri & Pauli, Sanctorumq; aliorum, & tabulas, in quibus scribere solebat, quas ex ipsius nomine Scoti Palleire, id est, onus Palladii, vocant, cum veneratione habentur. Alteram, id est, Tech Roman. Tertiam Domnach Ardee, in qua sunt sancti viri de familia Palladii, Silvester & * Salonius, & ibi honorantur. Post parvum intervallum defunctus est Palladius in campo Girgin, in loco qui dicitur Forddun; dicunt verò alii martyrio coronatum esse eum illic.* Signentur verba immediatè sequentia: *Patricius ab eodem Papa Cœlestino in Hiberniam transmissus, pervenit ad ostium ejusdem fluminis, id est, * Dea: idem verò iniquus Comes Nathi filius, qui sancto Palladio ante resistebat, B. Patricio & e us doctrina contradicebat. Sinell filius Findcatho per prædicationem S. Patricii omnipotenti Deo credidit, & à S. Patricio primus ex gente Scotorum baptizatus est, propter quod & sibi, & semini ejus benedixit.*

Palladius ad eosdem à Cælestino missus.

Ecclesias aliquas in Hibernia extruxit.

* al. Salonius.

* MS. mendosè Clees.

51 Quæ verba evidenter evincunt missionem Palladii ad Hibernos, in quorum nempe patria sita est Lagenia. Idem affirmant alii antiqui scriptores vitæ S. Patricii, præsertim Jocelinus, & Probus, & quotquot antiqui de horum missione meminerunt. Qua de re Prosper, attentè legendus in Chronicis, & contra Collatorem in fine, quibusdam recentioribus malè intellectus. Vide Richardum Vitum l. 1. hist. annot. 5. pag. 36. 18. Ex his ergo, & aliis multis, ad eos Scotos missus est Palladius, ad quos Patricius; at Patricium ad Scotos Hiberniæ missum esse à Cælestino tota clamat antiquitas, (quidquid dicat sine ullo teste Thomas Rivius homo hæreticus) & res est manifestior, quàm ut adductis indigeat testibus comprobari; igitur & Palladius; quem ideò ad Scotos in Christum credentes missum dixit Prosper, quia fuerunt ante ingressum Palladii aliqui fideles in Hibernia, ut superius ostendi, ad quos in fide conservandos, & alios de novo convertendos ex gentilismo, missus fuerat Palladius; cui succedens Patricius incœptum Evangelicæ prædicationis opus, totâ insulâ, ad Catholicam Ecclesiam reductâ, complevit in signis, & mirabilibus multis, benè suo labore apud Hibernos omnes & nomen & Apostolatus honorem promeritus. Natus est ergo Columbanus *intra primordia fidei gentis illius*, non solùm prædicatæ, sed & introductæ in tota insula, expulsis ubique gentilium superstitionibus & falsorum deorum cultu, stabilitæ; quod non ante S. Patricii mortem perfectè fuit adimpletum, quæ contigit anno Domini 493, à quo tempore, usque ad plures annos sequentes (inter quos natus est Columbanus) computari possunt & extendi primordia fidei gentis Hibernicæ.

Ei successit S. Patricius.

Quomodo accipienda primordia fidei Hiberniæ, de quibus hic Jonas.

52 *Vidit è sinu suo rutilantem solem procedere.* Similia leguntur de multis aliis sanctis. Parentes S. Peregrini, filii regis Hiberniæ, ante partum viderunt infantem ex ipsis nasciturum cum antiquo hoste pugnantem, & vincentem; quam adversus malignos spiritus virtutem editus in lucem puer mirificè exercuit, ut Acta ejus pleniùs enarrant, quæ penes me habeo. Mater quoque *S. Bernardi* vidit catellum candidum totum, in dorso rufum, &

latrantem se gestare; quæ visio nascituri infantis in Ecclesia Dei custodiendâ vigilantiam & contra hæreticos defendendâ constantiam præsignabat. Simili penè præsagio sibi visa est *S. Dominico* gravida parens in utero continere catulum, ore facem præferentem, qua orbem terrarum incenderet, qua visione significabatur fore, ut natus orbi *Dominicus*, eximio eruditionis ac sanctitatis ardore gentes multas Christi amore inflammaret. Ita nimirùm divina clementia solet virtutum, & gratiarum prærogativâs, quibus electos suos in hac vitâ clarificare disponit, in eorum nativitate futuras prænuntiare, ut tàm in eorum ortu, quàm occasu, laudetur ipse, qui dat omnibus rectè incipere, & feliciter consummare cursum humanæ peregrinationis.

Multorum antequàm nati essent prænuntiata Sanctitas.

IN CAPUT II.

53 VEnit ad cujusdam religiosæ, ac Deo dicatæ fœminæ Cellulam. Quænam fuerit hæc religiosa mulier non est nobis compertum, verùm quæcumque illa fuerit, virilem eam animum in sexu fragili gestasse, flammantia verba, quibus sanctissimo consulebat adolescenti, satis demonstrant. Et quidem in Hibernia temporibus illis frequens virorum, ac mulierum concursus, solitaria loca quærentium amica mœroribus, quò faciliùs quisque à mundanæ conversationis strepitu semotus, internæ quieti, ac divinæ contemplationi vacaret. *Nulla* (inquit Jocelinus c. 174. vitæ S. Patricii) *eremus, nullus penè terræ angulus, aut locus in insula tam remotus, qui perfectis monachis, & monialibus non repleretur.* Ex horum numero erat sancta illa tam constantis animi mulier.

Amor solitudinis in primitivis Hibernis.

54 *Ille limitem, matremq; transivit.* Nempe Hieronymum legerat (epist. ad Heliod. post princip.) Heliodoro monacho salutis verba scribentem, & piam erga parentes crudelitatem mellifluo instillantem eloquio: *licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine & scissis vestibus, ubera, quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola; solum pietatis genus est in hac re esse crudelem.* Quod sapientissimum divini viri consilium quàm sagaci animo compleverit Columbanus hic & alia multa hujus historiæ loca declarant.

55 *Relicto natali solo quod Lagenorum terram incolæ nuncupant.* Ex hoc loco evidenter colligitur, Sanctum Columbanum in sæpè memoratâ natum Hiberniâ, in qua nimirum sita est Lageniæ Provincia (de qua hîc est sermo) ad orientalem plagam, quæ olim, sicut & aliæ Hiberniæ regiones, suum habebat Regem. In ea sedet civitas Dubliniensis, nobilissimum totiùs insulæ emporium; & à multis annis prima regni sedes, ejus Archiepiscopus in consessu Episcoporum post Ardmachanum totius Hiberniæ Primatem, locum habet. Plurimos præter Sanctum Columbanum genuit hæc Provincia illustres sanctitate viros & virgines, ut S. Brigidam, *Caimginum*, vel, ut alii scribunt, *Coëmginum*, aut *Kevinum*, *Gallum*, *Deicolam*, *Columbanum* alterum, prioris cognatum, de quo infrà, *Laurentium Archiepiscopum Dubliniensem*, ut alios multos omittam, de quibus non est hujus loci tractare.

Lagenia, Hiberniæ insulæ provincia, sanctorum feraax.

Ad virum Vener. nomine Senile perrexit, aliàs *Senillum, seu Senellum*, cujus nominis plures in nostris Martyrologiis Sancti celebrantur, *Senillus* de semine *Liathani* 15. Junii; *Sinellus de Druim-broan* 25. Sept. *S. Senellus Maghbiliensis Episcopus* 1. Octob. *Sinellus de Claon-inis* 12. Nov. aliique aliis diebus; quorum quis fuerit Columbani magister non assequimur.

56 *Psalmorum librum elimato sermone exponeret.* Exposuit sanè, & utinam nobis vel auro obrizo redimendi tam præclari monumenti copia fieret. Trithemius ait extare Commentarium istum l. 2. de vir. illust. S. Bened. c. 5. & in MS. Bibliothecę Sant-Gallensis inventario, inter alios vetustos codices ad idem monasterium spectantes, inibi notatos, vidi *Commentarium S. Columbani super Psalmos*; verùm in ipsa bibliotheca Opus ipsum quæsivi, & non inveni; simul, proh dolor! cum aliis multis selectissimis ejusdem monasterii codicibus temporum injuriâ periit.

Commentarium super Psalmos.

57 *Multaq; alia.* Nam præter memoratum Commentarium, & sermones, aliaque hoc *Collectaneo* comprehensa, tres tomos de quæstione Paschæ ad *Arigium* scripsit Episcopum, ut ipsemet in epistola ad Patres Synodi Gallicanæ testatur. Et quia pravorum hominum acerrimus erat insectator, volumen

aliaque opera S. Columbanus edidit.

volumen unum composuit *Epistolarum ad Theodoricum* Regem adulterum, qui eum ex Burgundia crudeliter expulit, de quo Possevinus in *Appar.* Aliud preterea insigne Opus contra Arianos Mediolani elaboravit, de quo Jonas cap. 29.

IN CAPUT III.

De Pristino splendore & gloria monasterii Bennchorensis in Ultonia Hiberniæ Provincia.

58 **M**Onasterium, cujus vocabulum est *Bennchor petiit.* Hujus nobilissimi monasterii laudes fusè prosequitur Antonius Yepes in *Chronicis S. Benedicti, Cent.* 1. ad an.557. ubi inter alia hæc habet: *Circa hæc tempora jacta sunt fundamenta unius ex majoribus monasteriis Ordinis S. Benedicti, & non solùm ex majoribus, imò omnium, quotquot in Europa fundata sunt, maximis; vocatur autem Bennchor.* Et infra: *filii hujus almæ domus materiam ministrabunt hanc historiam lecturis, laudandi Altissimum, eiq; immensas gratias agendi, quòd de uno terræ angulo, tot micantia eduxerit sidera, quæ Sanctam illuminassent Ecclesiam. Totum autem redundat in gloriam primi parentis & magistri S. Comgelli, viri sanctitate & doctrina illustris, quas ipse suis discipulis communicavit. Alumni enim hujus domus per omnem terram miraculosum effundebant virtutum odorem; & qui inde ad prædicandum Evangelium prodierunt, (prodierunt autem plurimi) Provincias & Regna suâ prædicatione nobilitârunt.* Quod quàm verum sit doctissimi viri testimonium, ea quæ in progressu de hujus sacræ Congregationis antiquâ gloriâ sumus dicturi, satis clarè commonstrabunt; cujus alumni non suæ, aut suorum tantùm, sed & exterarum gentium salutis procurandæ studiosissimos sese semper exhibuerunt. Illis enim *Lombardia*, & *Burgundia*, totaque ferè *Francia* restitutam; *Helvetia*, *Rhætia*, cum fide simul acceptâ referre debent monasticæ disciplinæ observantiam, in qua propaganda, firmandaque præ reliquis Europæ monachis, hujus almæ domus filii fœlicissimè sunt versati; quippe, qui propriis non contenti finibus, ultrò se totos alienis regionibus Evangelicæ perfectionis luce illustrandis consecrarunt. Digna sanè plantatio, cujus locum cœlesti luce perfusum Angelica visio præmonstraret, quemque jam exorientem Spiritus Sancti gratia ad uberiorem proventum & incrementum irrigaret.

Celeberrimum olim monasterium Benchorense.

multos protulit illustres viros.

qui magnû in alienis etiam regionibus fructum fecerunt.

59 Ipsam ergò loci originem, sic Sancto Patricio longè antè à Domino præostensam, ex Jocelino fideli scriptore in vita S. Patricii, c. 98. accipe. *Circuibat S. Patricius sæpius Ultoniam, & perambulabat eam, ejusq; incolas docens attentius fidem Catholicam, divertit aliquoties quiescendi gratiâ cum suo sanctissimo comitatu ad quendam monticulum, non longè situm à valle, in qua posteà constructum est Beanchorense cœnobium. Considentes ergò conspexerunt de colle vallem illam æthereâ luce, ac multitudine militiæ cœlestis repletam, auribus nihilominùs haurientes Angelicis vocibus prolatam cœlestis celeumatis hymnodiam. Omnes igitur videntes visionem hanc magnam, unanimi devotione rogabant Sanctum Patricium, ut in eo loco cœlitùs sacrato ædificaret Ecclesiam. Sanctus abnuit, sed verbo vatidico illis ait: annorum sexaginta circulo completo, nascetur quidam filius vitæ, Combgallus nomine, quod interpretatur pulchrum pignus, etenim dilectus Deo & hominibus; atque ob morum meritorumq; pulchritudinem intendens, prosperè, procedet, & regnabit cum Christo, inter ipsius pignora computandus. Ipse verò in loco luce præostenso Ecclesiam Sanctorum ædificabit, in qua innumera filiorum agmina lucis & vitæ, Christi servitio mancipanda, coadunabit.* Quæ omnia qualitèr posteà suo tempore completa fuerint, mox subjungit, inquiens: *Omnium horum, quæ S. Patricius prædixit, nec iota unum incompletum præteriit. Tempore verò prophetato natus Combgallus, processuq; annorum & virtutum, posteà adultus in loco præfato Beannchor nominato, nobilissimum cœnobium extruxit, in quo multa millia monachorum perfectorum per Evangelium Christo genuit, & in Christo parturivit. Locus ille Sanctus Sanctorum fœcundus, quasi vitis fructificans suavitatem odoris, extendit palmites suos usque ad mare, & ultra mare sui propagines, quia Hiberniam, Scotiam, Insulasq; multas, monasteriis, monachisq; perfectis repleverunt germinina ejus, & etiam transmarinas regiones*

ut futurum prædixit S. Patricius.

& completum testatur Jocelinus.

nes; sicut enim relatu atque scriptis Sanctorum didicimus, unus ex filiis Bennchorensis cœnobii, Luanus nomine, centum cœnobiorum solus fundator fuit. Alter verò Columbanus dictus, vir sanctissimus, & omnium plenitudine charismatum repletus, multa monasteria fundans & construens, innumerabilium quasi monachorum Pater extitit. Qui prius egregio monasterio Luxoviensi in Galliis, deinde Bobiensi ultra Alpes præfuit, ubi miraculis multimodis gloriosus, ac præfulgens in pace requiescit, sicq; prophetia S. Patricii adimpleta clarescit. Hæc Jocelinus: quæ ex S. Bernardo clarè confirmantur (à quo ipse prædicta hausisse pro majori parte videtur) qui antiquam hujus cœnobii gloriam elegantissimè describit c. 5. Vitæ S. Malachiæ his verbis. *Vir dives & potens* (in Provincia Ultoniæ) *qui locum Benchor, & possessiones ejus tenebat, inspiratus à Deo, confestim in manu sua omnia dedit, & se quoque; & is avunculus ejus, sed Malachiæ spiritus, quàm carnis propinquitas, pluris fuit; ipsum quoque locum Benchor,* Et S. Bernardus. *tradidit ei Princeps, ut ædificaret ibi monasterium, vel potiùs reædificaret. Nempe nobilissimum extiterat ante sub primo Patre* * Congello, *multa millia monachorum generans, multorum monasteriorum caput, locus verè sanctus, fœcundusq; Sanctorum, copiosissimè fructificans Deo, ita ut unus ex filiis Sanctæ illius Congregationis, nomine Luanus, centum solus monasteriorum fundator extitisse feratur; quòd idcircò dixerim, ut ex hoc uno conjiciat lector, quàm ingens fuerit reliqua multitudo. Denique ita Hiberniam, Scotiamq; repleverunt genimina ejus, ut ea potissimùm tempora Davidici illi versiculi præcinuisse videantur:* Psal. 64. Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam; flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus: Rivos ejus inebrians multiplica genimina ejus, in stillicidiis ejus lætabitur germinans: *Et in hunc modum cæteri qui sequuntur. Nec modò in præfatas, sed in exteras etiam regiones, quasi inundatione factâ illa se Sanctorum examina effuderunt. E quibus ad has nostras Gallicanas partes Sanctus Columbanus ascendens, Luxoviense construxit monasterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnam fuisse, ut succedentibus sibi vicissim choris, continuarentur solemnia divinorum, ita ut ne momentum quidem diei * ac noctis vacaret à laudibus. Hæc de antiqua dicta sint Benchorensis monasterii gloriâ.* Quam mirum in modum illustravit gloriosum nongentorum eadem die monachorum martyrium, de quo etiam meminit idem mellifluus Doctor Bernardus, de eodem monasterio loquens: *Hoc olim destructum à piratis, ob insigne dignitatis antiquæ, Malachias veluti quendam replantaturus paradisum, amplexus est; & quia multa corpora Sanctorum ibi dormirent. Nam, ut taceam illa, quæ in pace sepulta sunt; ferunt nongentos simul unâ die à piratis occisos.* Idem testatur Trithemius de vir. illust. Ord. S. Bened. l. 3. c. 336. qui non rectè Columbanum vocat fundatorem monasterii Bennchorensis: *Monasterium fuit olim in Hibernia, quod S. Columbanus ædificavit, nomine Benchor, in quo multa millia monachorum habebantur; ita ut succedentibus sibi vicissim choris, continuarentur solemnia divinorum, & nec ad momentum à divinis laudibus cessaretur. In hoc monasterio nongenti monachi simul à piratis interfecti, martyrio coronati ad regna cælorum pervenerunt.* Idem referunt Antonius Yepes supra citatus, & alii multi.

* Congello.

* f. ante Addens 300. ibi uno die Martirio affectos

& Trithemius, tradens multa millia monachorum, & laudem perpetuam viguisse ibidem.

60 Cæterùm, quod monachorum in Bennchor degentium numerum spectat, nihil determinant Authores antiqui jam citati Bernardus & Jocelinus, qui solùm indefinitè multorum millium monachorum cœnobium appellarunt, quemadmodum & Acta S. Comgalli apud Rosweydum, in quibus ipse *multorum millium monachorum Pater inscribitur.* Yepes memoratus existimat tria ad minus ibi millia conversari consuevisse, id quod ex adductis Bernardi verbis probabili satis conjecturâ colligit. Nam quod dixit *dixit, multa millia monachorum generans Deo,* non tam ad successivam per varia sibi tempora succedentium monachorum posteritatem, quàm ad Fratrum uno eodemq; tempore ibi commorantium & conviventium conventum & consortium referri debet; alioquin quid tantoperè mirandum, aut laudandum, quòd una aliqua monachorum Congregatio quotidianâ advenientium successione progrediens, multorum decursu sæculorum, multa etiam millia produceret? Oportuit ergo in Bennchor multa, ac proinde tria ad minus millia simul vixisse, ut S. Bernardus insolitum aliquid & rarum illis verbis expressisse credatur. Atque huc spectat, quod refert ipse Vitæ S. Comgalli

galli author, infra exhibendus, asserens in cœnobio Bennchorensi & aliis ipsi annexis Cellis tria millia monachorum sub cura S. Comgalli vixisse. Neque hoc mirum, aut incredibile cuipiam videri debet post ea, quæ de Tabennensium in Thebaide cœnobio scribit Cassianus lib. 4. instit. c. 1. in quo testatur plusquam quinque millia Fratrum simul habitasse: & quæ de monasterio in loco Nitriæ in Epistola ad Eustochium refert Hieronymus, affirmans quinque circiter millia divisis Cellulis ibi congregatos vixisse. De Lerinensi quoque in Provincia Narbonensi monasterio (quod ingens Fratrum cœnobium appellat Cassianus in præfat. ad 7. collat. Patr. in Thebaide) memoriæ proditum est, ibi 20. millia monachorum aliquando cohabitasse; qua de re videndus Eucherius in libello de ejus loci laude conscripto, & Cæsarius Arelatensis homil. 25. Non debent, inquam, incredibilia cuiquam videri quæ de multitudine monachorum in Bennchor dixi, post hæc, & alia similia, quæ de altero ejusdem ferè cum hoc nostro nominis in Britannia cœnobio scripta reliquit Ven. Beda,* quod *Bangor*, seu *Bangor-naburg*, ut habet Capgravius, in *quo tantus fertur fuisse numerus monachorum, ut cum in septem portiones esset cum Præpositis sibi rectoribus monasterium divisum, nulla harum portio minus, quàm trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum suarum vivere solebant.* Quæ V. Bedæ verba non tantùm probant potuisse tria millia in nostro Bennchorensi cœnobio, velut multò illustriore, simul habitare, verum etiam modum suprà tactum, quo regebantur, exponunt, cum per Præpositos divisum dicunt monasterium, suâ cuilibet assignatâ portione; & licet Beda de Bangorensi Britanniæ fuerit ex instituto locutus, frequentia tamen Britonum monachorum cum Hibernis commercia, cum quibus nimirùm communem Paschalis observantiæ ritum à 14. videlicet lunâ usque ad 20. aliasque Ecclesiasticas consuetudines retinebant, satis ostendunt, illam administrationis formam in Hiberniæ Bennchorensi monasterio viguisse, quam tam Hibernos, quàm Britones ex Ægyptiorum monachorum institutis primùm mutuatos fuisse crediderim. De multitudine monachorum in monasteriis antiquis vide Azorium Instit. Moral. lib. 12. Cæterum cursus laudis perpetuæ, quam hic viguisse tradunt suprà Trithemius, Yepes, & alii, quamque inde in Gallias traduxit Columbanus, ita peragebatur, ut quælibet portio, seu turma monachorum, vicissim in Ecclesia cum suo Præposito divinis laudibus vacare tenerentur; quibus, expletis officiis, è Choro egredientibus, succedebant Fratres alterius cohortis, cujus erant vices, & his similiter alii, & ita consequenter per ordinem usque ad ultimos, atque ita succedentibus sibi invicem choris, ut loquitur S. Bernardus, continuabantur solemnia divinorum, ita ut ne momentum quidem diei, aut noctis Ecclesia vacaret à laudibus. Plura de hujus cælestis Collegii dignitate cognoscet lector ex Actis SS. *Luani & Mochœmogi*, quæ ad majorem hactenus dictorum lucem, & multorum illa avidè expectantium desiderium, in calce hujus Commentarii subjiciam.

* Lib. 2. c. 2.

61 Et quidem in suo splendore diu mansit Bennchorense cœnobium, quousque tandem à Piratis destructum, & monachis trucidatis, profanatum, ac rebus omnibus spoliatum, ex toto desolaretur, in qua desolatione diu mansit locus sanctus, donec tandem *ob insigne dignitatis antiquæ Malachias, veluti quendam replantaturus paradisum, amplexus est. Erat quidem ingens loci illius possessio, sed Malachias solo contentus loco Sancto, totas possessiones & terras alteri cessit. Siquidem à tempore, quo destructum est monasterium, non defuit, qui illud teneret cum possessionibus suis. Nam constituebantur per electionem etiam, & Abbates appellabantur, servantes nomine, etsi non re, quod olim extiterat.* Hæc S. Bernardus, qui narrare pergit quomodò locum hunc restauràrit Malachias: *Itaque ex mandato Patris Imarii, assumptis secum decem circiter Fratribus, veniens ad locum cœpit ædificare.* Et relato miraculo, quo unus ex operariis securi in spina dorsi percussus, Malachiæ meritis illæsus permanserit, subdit: *Porrò Oratorium intra paucos dies consummatum est, de lignis quidem levigatis, sed aptè firmiterq; contextum, opus Scoticum, pulchrum satis, & exinde servitur Deo in eo, sicut in diebus antiquis, simili quidem devotione, etsi non pari numero.* Hæc de restauratione facta per S. Malachiam Bennchorensis monasterii Bernardus. Sed proh dolor!

Idem monasterium diu desolatum restauravit S. Malachias.

novo hoc Sanctuarium restauratore, altero indiget Malachiâ; jam non est de eo dicere, quod servitur Deo in eo sicut in diebus antiquis, simili devotione, etsi non pari numero: Nam *lapides ejus dispersi sunt in capite omnium platearum, luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est; manum* quippè *suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus, & gentes ingressæ sunt, de quibus præceperat Dominus, ne intrarent Ecclesiam suam, & polluerunt templum Sanctum* ejus. Psal. 78. Jerem. c. 12. *dederunt portionem Domini desiderabilem in desertum solitudinis, & posuerunt eam in desolationem. Ibi defecit sacrificium & libamen & sacerdos, nec est qui inhabitet amplius.* Sed tu Domine, qui mandas salutes Jacob, respice de cælo, & visita vineam istam, quam plantavit dextera tua, & qui potens es de lapidibus suscitare filios Abrahæ, excita virum dexteræ tuæ, excita Comgellum, aut Malachiam alterum, qui templum solutum reædificet, & congreget ibi de nationibus filios Israël ad confitendum nomini sancto tuo, & gloriandum in laude tua, ut lauderis ibi cum hæreditate tua sicut in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

Thren. 1. & 2

62 Visuntur adhuc hodiè in loco ubi constiterat Bennchorense cœnobium, nonnulla ædificia, murique amplissimi ex albo lapide, ambitus varii, omnia amplitudinis antiquæ vestigia. Nunc ad S. Comgallum, tam illustris congregationis primum Patrem transeamus, prius tamen hic obiter ad lectoris instructionem notandi sunt Harpsfeldius, & Pitseus, qui nescio quo abrepti præpostero suæ gentis affectu, commemorata superiùs de nostro Bennchor, in Angliam transferunt, contra expressa Jonæ, Bernardi, Jocelini, Trithemii, Yepes, & aliorum verba, omniumque historicorum, vulgatam consensionem, qui in Hibernia monasterium illud constituunt, longè diversum ab illo, de quo suprà, Bangorensi Britanniæ cœnobio, ut doctè adnotavit Yepes citatus, cui non Comgallum, sed Dinoothum Abbatem præfuisse testatur loco citato V. Beda, & quod non in Ultonia Hiberniæ provincia, in qua extructum fuit illud Bennchorense Comgalli cœnobium, sed in terra Britonum, quæ Britanniæ portio censetur, erectum fuit. Sanè hæc fabella tam futilis & inanis suâ ipsâ absurditate concidit, & eam retulisse, refutasse est. Quapropter ne videamur manifestissimam veritatem in dubium, initâ disputatione, vel prolixiori hac de re animadversione, vocare, ad alia sermonem transferemus.

& quidam malè confundunt cum monasterio Bangorensi in Britannia.

De S. Comgello monasterii Bennchorensis Fundatore.

63 IN *quo præsul virtutum ubertate cluebat Beatus Comgellus.* Aliqui corruptè *Congallus* & *Comogellus* scribunt; alii *Comgellus*, alii *Comgallus*, utrique hi-rectè, ad Hibernicam nomenclaturam accedentes, quâ vox hæc *pulchrum pignus* interpretatur. Unde in mox exhibendâ ejus vitæ historiâ pro *Congallus*, quod librariorum errore irrepsit, substituemus *Comgallus*, quæ vox vicinior est hodiernæ scriptioni & pronuntiationi vernaculæ, tametsi altera *Comgellus*, usitata S. Adamnano, melius repræsentet jam præmissam nominis interpretationem. Multi reperiuntur ejus nominis sancti. Tabulæ Bobienses meminêre *S. Comogelli*, qui quintum ordine locum habet inter Abbates Bobienses; & MSS. Hibernica plures exhibent. Sed de his in præsenti non est sermo; sed de celeberrimo illo Abbate, & primo Patre cœnobii Bennchorensis, de quo hæc habet Richardus Whiteford in Martyrol. ad 10. Maii. *In Hiberuia festum S. Comgalli Sancti Abbatis, cujus nativitas revelata est S. Patricio quadragesimo* (imò sexagesimo) *anno antequam nasceretur, atque alteri etiam Sancto Episcopo, multis antè annis; qui dum baptizaretur, è terra fons erupit, & cœco presbytero visus est redditus. Ad summam posteà perfectionem perveniebat, & mortuos decem aut duodecim ad vitam revocabat, & revelationibus pollebat, multisque & magnis clarebat miraculis* &c. Compilatio quoque Fratris de Kirkested monachi & martyris, quam ex MS. codice Vaticano in pluteo 11. transumpsi ita de hoc sancto habet: *Comgallus monachus & Abbas de * Bangor submersos in mari suscitavit, & siccis pedibus per mare ambulare fecit.* De eo quoque meminit Notkerus in Martyrologio ad 9. Junii, & ante omnes S. Columbanus *Instruct.* 2. *Sancti* sui magistri *Fausti luculentissimam elegantissimamque doctrinam* ad dictorum

Comgellus variè scribitur.

Comgalli varii.

* rectius Bennchor.

Benchorensis, dictus quoque Faustus.

ctorum suorum confirmationem adducens. Transmisit ad me R. P. Heribertus Rosweydus, Antuerpiæ nuper cum magno piorum mœrore defunctus, quoddam Fragmentum vitæ S. Comgalli, quod cum sequenti pleniori ejus historiâ ad marginem collatum habes, quam ex præfato codice Armachano hic integram subjicere placuit, ut ex ea colligat prudens lector Congregationem Bennchorensem suprà laudatam, dignum suâ magnificentiâ & splendore caput, & clarissimos discipulos *Columbanum*, *Luanum*, *Mochamogum*, *Lacteanum*, *Finbarrum* aliosque similes, suæ sanctitati & sapientiæ consonum assecutos magistrum. Ita porrò Vita illa se habet.

VITA S. COMGALLI ABBATIS ET CONFESSORIS

Ex MS. Codice Ardmacano transcripta.

10. Maii.

Patria & parentes S. Comgalli:

a *Beatus ac venerabilis Abbas Comgallus nobilissimo Aradentium genere ortus, patre Setnee, matre Briga editus est.*

b *Diligebant.*

1 DE Aquilonali Hiberniæ regione, nomine *Dail-nary*, quæ est contra mare in Aquilonari Provinciæ plagâ Ultorum, *a* Sanctus Abbas Comgallus ortus fuit, cujus pater *Setna* vocabatur, qui fuit miles Ducis *Dail-nary*, & ipse in senectute sua genuit S. Comgallum. Sanctus jam Comgallus nutritus est diligenter in domo parentum suorum. Valdè diligentes *b* eum parentes sui quasi unicum filium suum.

Ejus adhuc pueri intuitu bellum pace commutatum.

2 Quodam tempore cum esset Sanctus Comgallus puer in domo patris sui, Dux *Dailnary* congregavit exercitum suum ad bellum contra hostes suos, & *Setna* pater S. Comgalli à Domino suo Duce ad illud bellum vocatus est, sed ipse propter nimiam senectutem ad bellum ire non poterat, sed S. Comgallus adhuc puer vice patris sui, licet nolebat, tamen jussione parentum suorum ad Ducem volentem bellare cum suis perrexit; sed omnipotens Deus volens famulum suum S. Comgallum servare, ne vel manus vel oculi ejus effusione sanguine violarentur, nutu divino hostes illi inter se fecerunt pacem; & B. Comgallus integer corpore & animâ ad parentes suos rediit cum suis.

Ipse jam Clericus literas didicit.

3 Post hæc Sanctus puer Comgallus sæcularem habitum deseruit, & habitum Ecclesiasticum suscepit; & litteras apud quendam Clericum, qui habitabat in quadam villa in rure, didicit. Et ille Clericus naturâ fragilis erat in voluptatibus; sanctus verò Comgallus suum magistrum per parabolas docebat, de quibus una est. Quadam enim nocte cum Clericus ille cum muliere dormiisset, sanctus itaque Comgallus orans & vigilans tunicam suam involvit in ovium stercore: crastino autem die magister suus dixit S. Comgallo: ô Comgalle, quare tunica tua sordida est? respondit ei S. Comgallus, periculosius est tibi magister, animam habere sordidam, quàm tunicam; deterius enim verè est stercus, in quo te præterita nocte involvisti corpore & anima, quàm istud. Ille autem Clericus non contradicens tacuit, sed tamen vitam suam noluit emendare. Jam pius juvenis Comgallus videns quia magister suus in errore

Dein monachus fit S. Fintani de Cluain eidhneach,

in errore adhuc maneret, deseruit eum cum patriâ suâ; & direxit viam suam ad Australem Hibernię plagam, & intravit Provinciam Lageniensium, & venit ad *Sanctum Fintanum* Abbatem monasterii nomine *Cluain-Ednach* regentem in plebe *Laighes* positum in Aquilonari Lageniensium plaga, juxta radices montis *Bladhma*; recepitque S. Fintanus B. Comgallum in suam Congregationem.

cujus precibus tædium excutit:

4 Cumque ibi S. Comgallus in sancta conversatione, durâque vitâ esset, immisit diabolus tædium magnum in corde ejus circa patriam suam & parentes, sustinens laborem magnum & durum, confessusque est suam tentationem Sancto Patri Fintano; fuditque Pater Sanctus preces & orationem ad Deum pro eo, & expulsus est illicò diabolus à Comgallo per orationem sui Senioris. Nam cùm S. Comgallus juxta crucem, quæ est in occidentali parte Monasterii *Cluain-Ednach* cum lachrymis orasset, lux superna circumfulsit eum, & repletum est cor ejus magnâ spirituali lętitiâ, & ex illa hora in omni vita sua nunquam tædium spiritualium in eum irruit.

Nasciturí Comgalli nomen & sanctimoniam prænuntiavit S. Maccnessius,

5 Recapitulamus alia de nativitate & pueritia S. Comgalli. Sanctus jam (c) *Maccnesii* Episcopus, qui jacet in sua civitate nomine *Connere*, quæ est in Regione *Dailnarii*, prophetavit de nativitate S. Comgalli. Nam cum quadam die *Setna* pater B. Comgalli & uxor ejus nomine *Brig*, in uno curru vecti venissent per locum in quo erat Episcopus, ipse audiens sonitum currus, dixit ministris suis: videte qui sunt in curru, quoniam sub homine, in quo gratia Dei abundat, sonat. Ministri iam aspicientes dixerunt Episcopo: Domine, miles *Setna* & uxor sua devehuntur in curru. Quibus Sanctus Episcopus ait: verè illa fœmina habet in utero suo filium, cujus gratia magna erit in cœlo & in terra. Ipsa jam mulier *Brig* crastino die, oriente sole, filium reverendissimum, cujus nomen dicetur *Comgallus*, pariet, in oppido de *Murue*, & ipse magnus coram Deo erit, atque in modum clarissimi radii solis in Hibernia fulgebit: & illa concepit & peperit sicut dixit Episcopus *Maccnesii* (d)

(c) Audiens Macnisius, equorum & currus transeuntis sonitũ, assistentibus ait: currus iste regem portat. Hoc illi audito, gradu concito videre Regẽ exeunt. Sed nullũ ibi praeter Sedneum, eiusque uxorem Brigam, quos antea satis noverant, invenientes, ad virum Dei redeunt stupefacti; dicentes Pater Sancte Setneus & eius uxor in curru soli sedent. Tunc Episcopus, filii, inquit, ne me in hoc quod dixi mendacem æstimetis; illa enim in ventre regem portat, quem crastino die, orto jam sole virtute ac miraculorum claritate, in hoc mundo vice solis fulgentem, pariet, cui non solum multa millia monachorum, sed & Reges, innumeraque plebium multitudo, quæ Regi, deservient &c. (d) Hoc quoque non est prætereundum, quod per totam noctem antecedentem diem, in qua natus est infans, in regione circumjacente locum nativitatis ejus, ab idoneis testibus lux magna fulsisse perhibetur.

Sacrâ intinxit undâ S. Fedlemius tunc repentè diutina cęcitate liberatus:

6 Die quodam postea ductus est Sanctus infans ad quendam Presbyterum nomine *Fedhlim*, ut baptizaret eum; & ille Presbyter multis annis cæcus erat; sed tamen ordinem Baptismi memoriter retinebat (e). In illo iam loco aqua antea non erat; in adventu autem Sancti infantis Comgalli fons illicò lucidus de terra surrexit: & hoc audiens presbyter cæcus, lavit ibi faciem suam, & statim aperti sunt oculi ejus, & in lumine suo post longam cæcitatem ordinem baptismi relegit, & gratias agens Deo, Sanctum infantem, salutis suæ authorem, baptizavit; et in domo parentum suorum ipse sanctus puer Comgallus nutritus est.

(e) Fons aquæ vivæ in loco ubi baptizari debuisset, per virtutem Domini nostri Jesu Christi de terra ebullivit, ut in ea Sanctus infans Angelis ministrantibus baptizaretur. Presbyter autem prædictus & visum illico recuperavit, ac postea sanctum infantem invocato Trinitatis nomine baptizavit, eumq; Comgallum, quod clarum pignus dicitur, secundum quod à S. Patricio Hiberniensium Apostolo ante sexaginta annos de eo, quod ita vocaretur, prophetatum est, nominavit.

Columna ignea dormientem illustrat,

7 Quodam die crescente beato puero Comgallo, solus ipse foris operabatur aliquod opusculum, & ecce irruit sopor super eum, & dormivit; mater autem ejus visitans eum, vidit columnam igneam à cœlo porrectam usque ad sanctum puerum dormientem, & perterrita iam mulier, nesciebat quid faceret: nam accedere ad puerum non audebat, & eum ab igne cremari putabat. Tum illa divino nutu patienter sustinens, Sanctus puer evigilabat à somne, rubicundam habens faciem, oculosque rutilos, & ait matri suæ: Vide mater, ne alicui dicas citius quod vidisti. Illa quoque ad tempus tacens, postea narravit omnibus secundum ordinem quod sibi apparuit.

Inter nives servatur intactus,

8 Alio tempore erat S. Comgallus cum Duce *Dailnarii* in castris, & nix magna super castra quadam nocte pluit; ad Sanctũ autem Comgallum cum suis, in medio castrorum manentem, nix nullo modo pervenit, sed in modum parvi castelli nix undique circa sanctum ambiebat, & de hoc omnes admirantes, tunc ait eis Dux: ab hac iam die Sanctus puer Comgallus cum suis, liber erit à me, & ab omni seculari potestate; Sanctus enim Dei ipse est. Postea S. Comgallus, acceptâ libertate & licentiâ, & data ab eo vicissim benedictione Duci, reversus est cum suis ad domũ suam: et ille Dux, potens & generosus propter benedictionem S. Comgalli effectus est.

Eximitur à potestate sęculari.

9 Comgallus die quodam & pater suus

suus perambulabant agrum suum proprium, & ait ipse patri suo: Pater, hanc terram cum suis curis deserere debemus. Non consentiens ei pater suus, ait illi iterum: tu hanc modicā terrā, pater chare, exerce; ego autē vadam, & aliam terram meliorem & majorem diligentissimè à Domino Deo meo quæram. Postea deseruit ipse parentes suos, & didicit litteras ad tempus in patria sua; deinde venit ad S. *Fintanum* in Provincia Lageniensium, in suo monasterio *Cluain-eidhneach* habitantem, & receptus est ibi.

MS mendosè *discedere*

Mundum deserit,

10 Die quadam in monasterio prædicto *Cluain-eidhneach* quidam vir cæcus ductus est ad S. Comgallum, postulans ipse cum suis in nomine Christi lumen oculorum ab eo. Tunc S. Comgallus digito suo, super oculos ejus salivam in Christi nomine posuit, & statim saliva sancti, Dei gratiâ, sanavit oculos cæci, lumenque recepit, & in lumine suo gaudens reversus est.

Saliva cæcum illuminat.

11 Post multum jam tempus jussus est S. Comgallus à S. Fintano, ut rediret ad patriam suam, causâ ædificandi Cellas ad Christi famulos nutriendos. Tunc jam S. Comgallus adhuc post multos annos sine Ordine erat (nolebat enim gradus accipere) & acceptā benedictione & oratione S. Patris *Fintani*, S. Comgallus cum discipulis sibi ordinatis cœpit pergere ad patriam suam; & venit ad sanctam Congregationem, quæ erat in monasterio S. Kierani in sua civitate *Cluain-micnois*, & mansit ibi aliquo tempore in magna sanctitate. Deinde ad patriam suam perrexit, congregantes ad eum viri Catholici de die in diem. Sanctusque *Lugidus* Episcopus ordinavit ibi S. Comgallum magna suasione Diaconum, & post intervallum temporis Sacerdos ordinatus est. Postea S. Comgallus patriam suam circuibat, prædicans populis ad tempus semina Evangelii.

adit monasterium S. Kierani,

Sacris initiatur.

12 Volensque S. Comgallus caduca despicere, desideransque æterna amplecti, perrexit ad stagnum *Erne*, & intravit in quadam insula, quæ dicitur *Custodiaria insula*, & ibi habitavit in vita durissima, sine ulla sollicitudine de terrenis, & monachi sui post eum in illam insulam intraverunt; & non valentes rigidissimè vivere, sicut suus Abbas, septem ex eis fame & frigore mortui sunt. Hoc audientes sancti Patres venerunt ad eum, & rogaverunt eum, ut pro vera charitate pauló lenius nimium relaxaret rigorem, causâ corporis sui Deo nutriendi, & Fratrum in Christi servitio salvandorum. Sed S. Comgallus quod pro Deo cœpit tenere, pro homine de rigore suo noluit relaxare; de rigore autem Fratrum piè laxavit, & concessit eis vivere & operari sicut cæteri monachi.

mirabilem vitæ ejus austeritatem assequi non valentes septem monachi, moriuntur,

13 Post hæc Beatus Comgallus totam deserere Hiberniam, & pro Christo peregrinari trans mare in Britanniam voluit, & ibi manere; sed Deo concedente, precibus & flebili rogatu *Sancti Lugidi* Episcopi consecratoris sui, & aliorum Sanctorum victus, retentus est in Hibernia, & eduxerunt eum foras, ut ipse per suam patriam cellas & monasteria Deo construeret. Constituitque magnum monasterium, quod vocatur *Bennchor* in regione, quæ dicitur *Altitudo Ultorum*, juxta mare Orientale, & maxima multitudo monachorum illuc venit ad Sanctum Comgallum, ut non potuissent esse in uno loco, & inde plurimas cellas & multa monasteria, non solum in regione Ultorum, sed per alias Hiberniæ Provincias, & in diversis Cellis & monasteriis tria millia monachorum sub cura Sancti Patris Comgalli erant; sed major & nominatior cæteris locis prædictum monasterium *Bennchor* est, ubi clara civitas in honore Sancti Comgalli ædificata est.

construit monasteriū Bennchor, aliaque.

14 Quadam die cum ibi esset Sanctus Comgallus in quodam loco solus, expandebat manus suas ad cœlum, post jejunium trium dierum lassus & sitiens & salivas in pavimentum projiciebat; (vir enim miræ abstinentiæ erat Sanctus Comgallus) & ecce elevans Sanctus vultum suum sursum in in cœlum, quidam leprosus mendicus petens auxilium venit ad eum tacitè, vidensque salivas Sancti super terram, perrexit paulatim, & de pavimento eas collegit, & commiscuit eas in aqua, lavansque se inde, plenus fide, statim à lepra sua sanatus est, & cum gaudio magno venit ad Sanctum Comgallum, adhuc illud nescientem, & confessus est ei quod fecerat: cui sanctus ait: vade in pace, & nemini dixeris, sed gratias Deo salvatori tuo age

ejus salivæ lepram abstergunt,

Ille autem exiens, multo magis omnibus narrabat.

15 Nocte quoque quadam unus juvenis de Fratribus, nomine *Meldanus*, venit ad Sanctum Comgallum solum in Cella habitantem, volens aliquid indicare ei; cumque propè accessisset, vidit totam domunculam intrinsecùs flammis ardere, & plenam luce in modum Solis, & per omnes fenestras & foramina habitaculi radii Solis foras erumpebant. Tunc juvenis ille prudens, non ausus propiùs accedere, signavit se signo crucis Christi, & paulatim reversus est. Sciens jam Sanctus Comgallus quæ gesta erant, crastino die vocavit ad se Fratrem illum, & dixit ei: vide fili, ne alicui alteri dixeris in vita tua quæ vidisti; sed ille tamen celare non potuit.

Cella coelesti fulgore irradiat.

16 Alio quoque die cùm Sanctus Comgallus de tabulis ligneis lectulum suis manibus fecisset, ut moreretur ibi unusquisque Fratrum, dixit ei unus de Fratribus, nomine *Enanus*: ô sancte Pater, bonum opus facis Fratribus morituris in hoc loculo, quia valdè eis proderit ad veniam inveniendam; utinam meruissem in hoc loculo de hoc sæculo migrare! Cui Sanctus Comgallus ait: fiet tibi Frater sicut vis; nam de isto lectulo ad cœlum ibis. Accidit autem, ut Frater ille mitteretur longè à monasterio *Bennchor* ad quendam locum, ibique habitans mortuus est, & corpus ejus, jubente S. Comgallo, gelidum portatum est ad monasterium *Bennchor*. Quod Sanctus Pater Comgallus post duos dies resuscitavit; vixitque ipse Frater posteà multis annis, & in fine vitæ suæ de lectulo suo prædicto migravit ad cœlum, sicut Sanctus Comgallus prædixit. Hic jam Frater qui fuit resuscitatus, nunciavit frequenter Fratribus, quod vidit & audivit, dicens: Ego à duobus Angelis à Deo missis, ad cœlum ductus sum: cumque inter eos in itinere medio essem, ecce alii Angeli venerunt obviàm nobis dicentes: reportate istam animam ad suum corpus, quia servus Christi Comgallus eam à Deo petit sibi donari; ideò reducite eam ad corpus suum, & maneat apud Sanctum Comgallum usque ad senectutem suam, & sic factum est.

oratione *Enanum*, monachum resuscitat, ac voti compotem reddit.

17 Fures & latrones quidam olera & poma Fratrum furtivè tollebant. De hoc Fratres condolentes, querimoniam ad Sanctum Comgallum fecerunt, dicentes: laboravimus frustrà Pater, quia labor noster nec Fratribus, nec hospitibus prodest, tollentibus sexaginta novem maleficis illud à nobis. Sequenti nocte Sanctus Comgallus signo S. Crucis hortum benedixit, dicens: Excæca Domine Deus omnipotens fures huc venientes, & errent hîc intùs, donec suum reatum sciant, quia tu Domine omnia potes. In illa itaque nocte fures pervenientes, hîc illic excæcati sunt, & circumeuntes multis vicibus hortum intrinsecùs, nullum ostium vel foramen invenerunt, ut foras exirent. Ad extremum autem cum oneribus suis in curiam venerunt, & depositis sarcinis ibi in conspectu monachorum genua flectentes, pœnitentiam egerunt, & ibi monachi à Sancto Comgallo facti sunt.

Fures quoque ad monasticum statum convertit;

18 Senex quidam sanctus & anachorita & venerabilis, nomine *Critanus*, vocatus est ad Sanctum Comgallum ad festum Paschæ, & ipse vidit in sancto Paschate Angelos splendidos juxta Sanctum Comgallum offerentem, qui tangebant & benedicebant nunc altare, nunc calicem, nunc manus Sancti Comgalli, & os ejus & verticem, atque oblationem cum eo benedicebant. Hæc videns sanctus anachorita *Critanus*, post jejunium valdè sitiens, dixit in corde suo: utinam Domine mî, ut de quodam liquore à Sancto Comgallo prius gustato sitim meam extinguerem! Sciens Sanctus Comgallus spiritu Prophetiæ cogitationem beati anachoritæ, consummato ordine offerendi, ingrediens domum, statim gustavit liquorem, & advocans ad se quendam ministrum, nomine *Segenum*, ait ei: hunc liquorem porta sancto seniori *Critano* sitienti multùm, & bibat benedicens Deum, & dices ei à me, quia vir fidelis & patiens est. Et ille senex de his omnibus gratias Christo egit.

Desiderium S Critani in spiritu cognoscit & explet:

19 Quadam nocte Frater, qui erat S. Comgalli minister, *Crimthannus* nomine, postquam dimisisset Patrem Comgallum in suam cellulam ad quiescendum & clausisset ostium de foris, abiit

abiit ipse ad dormitorium. Volens iam ille explorare si dormiret Sanctus, reversus est post modicum intervallum, & tunc Sanctus quiescebat. Cum ille Frater ante januam tugurii mansisset, vidit post intervallū claram lucem totum habitaculum implentem, & vidit S. Comgallum dicto citiùs expergefactum, cum mira & pulchra facie surgentem, lætantem, & orantem. Postea dixit ad Fratrem foris manentem: ô *Crimthanne*, quid illic agis, noli ibi esse, sed citò discede, & nemini dixeris quod vidisti, & pro tua audacia cras tibi debita pœnitentia imponetur: & ille Frater pavidus discessit, & crastino die egit pœnitentiam.

orantis Cellam lux cœlestis implet

20 Ambulans quodam die S. Comgallus, occurrit ei quidam vir in via, nomine *Bæganus*, portans filium suum parvulum mortuum in sinu suo, & dixit ad S. Comgallum: O Pater Sancte, rogo te in Christi nomine, ut unicum filium meum resuscites: scio enim quia quæcumque petieris à Deo dabit tibi. Tunc S. Comgallus aspiciens in cœlum oravit ad Dominum, & post orationem ait illi patri: si Deus voluerit, filius tuus vivet, & expecta hic donec Sanctus Abbas *Cannicus* ad te veniat, & da illi filium tuum, ut benedicat eum signo sancto: ipse enim hodiè per hanc viam veniet. Veniens ergo *S. Cannicus* ferè post unam horam, dixit ei ille homo lugens: ecce unicus filius meus mortuus est, obsecro te domine, ut benedicas eum per signum crucis Christi. Sanctus iam *Cannicus* conversus ad illum hominem aspexit in cœlum orans, & ait illi: Filius tuus iam vivet: nam S. Patri Comgallo à Deo donatus est, & statim ille revixit, sanus & validus, qui vocabatur *Glassanus*, & gratias agens recessit cum patre suo.

Glassanus ejus meritis ad vitam revocatur,

21. Erat quidam homo crudelis & tyrannus, durus & malignus valdè de nepotibus *Tartaraidhe*, nomine *Croidhe*, cuius mater *Luch* vocabatur, quod sonat latinè *mus*: cumque iam Fratres S. Comgalli in angustia sine frumento essent, dixerunt S. Comgallo: Ecce illud argenteum vas, quod vobis missum est in eleemosynam, si placet tibi vendatur pro frumento, ut possint vivere Fratres. Tunc supradictus tyrannus *Croidhe* vocatus est ad S. Comgallum, & ait ei sanctus: ecce argenteum vas, quod Deus misit Fratribus, & da frumentum pro eo (ille enim abundabat frumento). At ille malignus cum superbia dixit: quod vestrum est nolo, & quod meum est, non habebitis: *Mus* iam vellem potius comedere frumentum, quàm vos (: hoc de matre dixit). Cui iratus S. Comgallus dixit: sicut dixisti, ita fiet tibi: omne enim frumentum tuum mures comedent, & nihil tibi proficiet. Quod ita factum est: nam duos aggeres, quos habuit ille, in quibus erant quindecem plaustra, mures comederunt, & nihil ex eis in diem tertium remansit, præter stipulas & paleas, sicut dixit Sanctus.

mures absumunt frumentum divitis avari:

22. Septimo quoque anno postquam monasterium Bennchor fundatum est, Sanctus Pater Comgallus in Britanniam navigavit, volens quosdam Sanctos ibi visitare, & ibi manere ad tempus, & constituit ibi monasterium in quadam villa in regione *Heth*, ibi mansit ad tempus. Quodam die cum esset sanctus Comgallus solus in agro foris operans, posuit chrismale suum supra vestem suam. In illa die gentiles latrunculi multi de Pictonibus irruerunt in villam illam, ut raperent omnia quę ibi erant, sive homines, sive pecora. Cum ergo venissent gentiles ad S. Comgallum foris operantem, & chrismale suū super cappam suam vidissent, putaverunt chrismale illud deum S. Comgalli esse, & non ausi sunt eum tangere latrunculi causâ timoris dei sui. Fratres autem S. Comgalli cum omni substantia ad suas naves illi prædatores duxerunt. At verò sanctus Pater Comgallus hoc videns, commotus dixit: *Dominus firmamentum meum & refugium, & liberator meus* & adorans Dominum, signavit cœlum & terram & mare, & statim gentiles cæcitate percussi sunt; ac insuper mare terribiliter intumescebat, ita ut naves in littus rejiceret, & corpora gentilium acriter vulnerata sunt. Tunc illi dimittentes omnia quæ rapuerant, postulaverunt veniam magnis precibus à S. Comgallo. Sanctus iam motus misericordiâ, oravit pro eis; at illi lumen suum receperunt, & factâ tranquillitate vacui reversi sunt & infirmi. Posteà S. Comgallus à multis viris Sanctis reductus est in Hiberniam

In Britannia monasterium construit: prædones cæcitate percussi & denuò sanati,

Psal. 17.

23 Mos erat in monasterio sancti Patris Comgalli, ut si quis alium increparet,

ret, quamvis ille esset culpabilis aut incupabilis, statim qui increpabatur, genua humiliter flecteret. Igitur cum ipse Pater Comgallus in quadam insula in Aquilonari Hiberniæ plagâ esset, quodam die Fratres in medio stagni navigantes, gubernator navis unum de Fratribus increpavit. Ille jam Frater statim, nihil curans de periculo aquæ, exilivit de navi, ut genua flecteret coram illo, postulans veniam: navicula enim angusta erat; sed illum Fratrem aqua illicò deglutivit. Tunc Fratres in tristitia magna venientes ad S. Comgallum ei nunciaverunt quę gesta fuerant. Quibus S. Pater sine perturbatione ait: potens est Deus servare Fratrem nostrum vivum sub aquis; recedite vos & quærite eum ubi devoratus est. Redeuntes Fratres ad locum ubi ille mersus est, unus ex eis qui erat peritissimus super aquas & sub aquis natare, misit se in profundo laci, & invenit illum juvenem jacentem vultu ad terram, & elevavit eum secum sursum vivum & sanum; & ipse sub aquis erat à primâ horâ diei usque ad horam nonam, & dicebat coram senioribus: nihil habui molestiæ sub aquis, sed jam eram quasi super aridam terram. Et hoc Fratres audientes confirmati sunt in humilitate ad opprobria sustinenda.

Monachus humilis sub aquis servatus illæsus;

24 Erat in monasterio S. Comgalli quidam juvenis, obediens valde & humilis & mitis, quem Fratres cognominaverunt *Obedientem*; qui jussa omnium illicò faciebat, & prohibita quasi venenum vitabat. Quodam igitur die Sanctus Pater Comgallus iter agens, ille juvenis cum cæteris erat in comitatu ejus; cumque venisset trans quoddam littus, in quo inundatio veniebat maxima, unus de Fratribus increpavit prædictum juvenem *Obedientem*. Ille autem audiens, statim in faciem suam cecidit in littore, & ipse calceamenta S. Comgalli habebat: consuebat enim ille Frater multum obsequi sancto Patri. Fratres autem, nescientes quod Frater ibi jacuisset, perrexerunt in viam suam (ille jam Frater cæteris posterior erat;) cumque pervenissent ad aridam terram de littore, interrogavit S. Comgallus, ubi esset Frater *Obediens*; & cum non esset inventus, sanctus Senior dixit suis, nunquid aliquis ex vobis Fratrem increpavit? Tunc unus confessus est quòd illum increpasset, jussitque S. Comgallus, ut redirent Fratres ad illum quærendum. Illis autem festinantibus occurrit inundatio maris, & invenerunt Fratrem in littore prostratum, & mare replens totum littus; ad illum autem latitudine domus inter se & terram non accessit; & excitantes eum Fratres, venit cum eis ad Sanctum Comgallum. Sanctus Pater cum illo cæterisque Fratribus laudem Deo reddiderunt.

Alius obediens intra marinum æstum immadidus.

25 Quadam die cùm esset S. Comgallus in itinere, quidam puer in monasterio morte subitanea mortuus est, & in eadem die venit S. Comgallus ad monasterium; & cum hoc nunciatum esset ei, ait: mea culpa est, quòd puerulus in meo monasterio ante tempus subitò moreretur. Et hæc dicens perrexit ad locum ubi corpusculum gelidum erat, cumque ibi orasset, mortuus revixit; & ait ei Pater sanctus: vis filiole in hac vita manere? Cumque pius puer mori elegisset, benedixit eum S. Comgallus, & sic emisit spiritum in pace.

Puerum resuscitat, & denuò mori eligentem, in pace dormire sinit.

26 Vir quidam sæcularis graviter rogabat S. Comgallum, ut aliquam suam possessionem reciperet in oblationem; sed vir Dei noluit recipere. Novissimè autem cùm ei molestus esset, ait illi: ut quid lepram tuam super me projicere vis? Ille jam homo percussus hoc verbo, iratus abiit. Item rex iniquus venit ad S. Comgallum, habens capsellam auro & argento plenam, ut offerret ei illam. Stans autem Rex ante januam loci, hoc per nuncium misit ad S. Comgallum; sed vir sanctus ne quidem oculis dignatus est capsellam aspicere, dicens: ut quid vult peccator peccata sua super nos effundere? habeat ipse iniquitates suas & fructum earum. Inde Rex ita confusus cum suâ capsellâ recessit.

munera sibi ab impiis oblata respuit.

27 Venit aliquando ad monasterium S. Comgalli vir vitæ venerabilis *S. Finbarrus* Episcopus, qui jacet in miraculis multis in sua civitate *Maghbile*: & gavisus est Pater Comgallus cum suis Fratribus in adventu tanti ac talis hospitis. Cœnantes autem Episcopus & Comgallus cum suis, quidam indicavit Comgello, quod vellet Episcopus modicum lactis propter suam infirmitatem bibere: panis jam & aqua, atque olera tantùm erant in illa cœna: lac enim & cætera alimenta in monasterio S. Comgalli

Lac cœlitus obtinet.

galli visu & gustu anteà incognita erant. Tunc S. Comgallus sciens lac non esse in monasterio, tamen misit ad Cellarium, & inventum est ibi vas plenum lacte optimo tam magnum quòd omnibus sufficeret, & eo posito coram Episcopo, ipse jussit omnibus dividi. Reportato jam vase in cellarium, ultra non apparuit. Postea suadente Episcopo & aliis sanctis per rationem charitatis lac receptum est in monasterio S. Comgalli senibus & infirmis.

Lactis usum senibus & infirmis permittit.

28 Puer quidam discebat scribere, sed nemo potuit eum docere, quia quod scribebat, vix agnosci poterat utrum manus hominis, aut ungula avis illud depinxerat, & ita erat multis diebus. Postremò autem veniens ad S. Comgallum, vir sanctus benedixit oculos ejus ac manus, & illicò scriptio ejus meliorata est, ut cæteros scriptores præcelleret, & in ipsa arte author & doctor in vita sua fuit.

Pueri manum ad scribendum ineptam sua benedictione aptissimâ reddit:

29 Quadam nocte cum Fratres ad Ecclesiam convenissent, dixit eis S. Comgallus: oremus charissimi pro anima Sancti Patris nostri *Finbarri* Episcopi, quæ nunc ad cœlum ab Angelis portatur. Et inventum crastino die est sicut S. Comgallus prædicebat.

videt in spiritu animam S. Finbarri in cœlos ferri.

30 Alio tempore quando S. Columba navigasset, unus de Fratribus in navi mortuus est; cumque pervenissent ad portum qui dicitur *Invirbeg*, festinaverunt de navi ad monasterium S. Comgalli, & cum gaudio suscepti sunt ab eo, & ipse senex Comgallus lavit pedes eorum, & interrogavit eos dicens: est ex vobis aliquis extra? Cui S. Columba dixit: unus remansit ad navem custodiendam & ad sarcinas. Comgallus ait: Frater veniat ad nos, navis autem cum sarcinis benè custodietur. Sanctus jam Columba prævidens virtutem S. Comgalli dixit: ille Frater non veniet de navi, nisi tu ipse vocaveris eum. Tunc Pater Comgallus perrexit ad navem, & inveniens Fratrem in naui mortuum, oravit ad Deum pro eo, & ait: in nomine Domini nostri Jesu Christi surge fili & veni ad Fratres tuos. Ad hanc vocem jam ille surrexit quasi de somno, ipse scilicet erat luscus. Ambulantes ad monasterium S. Comgallus & ipse, vidit illum luscum fuisse & ait: nunquid luscum à Domino Deo meo petivi? Dixitque Fratri: lava Frater faciem tuam in aqua; aqua autem juxta eos non erat ibi, sed nutu Dei ad verbum sancti fons è terra ibi erupit, & lotâ inde facie oculus visum habuit; & ille oculus pulchrior alio erat, atque acies ipsius in senectute diminuta non est. Videntes Fratres hæc miracula, mens eorum in amore Dei accensa est. (f)

Monachum luscum defunctum, oculo & vita donat, fonte repentè de terra producto.

(f) Hic idem beatus vir alios quatuor mortuos per Dei virtutem vitæ restituit, aliaque miracula perplurima Deo cooperante fecit mirabilia.

31 Die quadam Fratribus operantibus, unus ex eis multum laborans, mortuus est, & à media hora diei usque ad nonam exanimis jacebat. Sanctus verè Comgallus ægrè ferens subitam Fratris sui mortem, oravit ad Deum, & resuscitavit eum, venitque cum Fratribus sanus ad cellam suam. Veniens aliquando S. Columba ad S. Comgallum, intraverunt Ecclesiam & celebraverunt ibi Horas suas, deinde redeuntes ad refectorium cœperunt cœnare. Tunc S. Comgallus jussit cuidam Fratri, ut afferret quoddam alimentum quod non erat in monasterio. Ille autem obediens, nec cunctatus, exivit ad cellarium, & invenit Dei gratiâ quod jussit sanctus afferri. Portavit illud ad sanctos; illud sumentes servi Dei gratias Deo egerunt. Sanctus verò Columba, intelligens illud donum Dei esse, dixit S. Comgallo: alimentum tuum Sancte Pater non imprudenter accipiendum est: non enim ab homine factum est, sed ab Angelo Dei ministrante paratum est. Cæteri autem hoc scientes, dixerunt: Benedictus Deus in donis suis.

monachum alium vitæ restituit,

Optatum alimentum cœlitùs accipit:

32 Alio die cum sancti Christi, scilicet Comgallus & Columba, ad mensam sederent, viderunt dæmonem sobriè sedentem in sede coci sui. Tunc S. Columba ait: quid vides Pater Comgalle? S. Comgallus ait: video dæmonem sedentem. S. Columba dixit: nunc probabimus qualis sit cocus vester, in cujus sella dæmon sedet. Cocus jam vocatus advenit, & videns ipse dæmonem in sede sua, eum torvis increpavit oculis, dicens: infælicissime dæmon, quid hic agis? qua temeritate in sede mea sedes? certè nec novi me à juventute tibi acquievisse; alioquin tu profer modo; igitur fuge quantocius in profundum maris, sive in desertum, ubi nemini nocere possis: & statim dæmon nihil dicens discessit. Tunc S. Comgallus pœnitentiam & S. Columba egerunt, quòd Fratrem per illusionem dæmoniacam culpabilem tenere voluerunt. Cæteri autem in illo ædificati sunt.

ejus cocus dæmonem fugat.

 33 Qua-

Alius Fratrum ſiccis ſedibus per ſerum ambulat; alius benedictione S. Comgalli ferrarius faber evadit;

33 Quadam die pro aliqua neceſſitate S. Comgallus uni de Fratribus dixit: citiùs recto tramite Frater trans fretum feſtina. Tunc Frater obediens nihil cunctatus perambulavit ſiccis fretum pedibus, & incolumis redivit ad S. Comgallum. Cæteri hoc ſcientes firmati ſunt in humilitate & obedientia. Alio die cùm faber monaſterii non eſſet propè, S. Comgallus uni de Fratribus dixit: vade Frater in officinam fabri & fac nobis craticulam ad aſſandos piſces, benedixitque Pater ſanctus manus Fratris illius. Tunc Frater obediens, quaſi à pueritia hanc artem didiciſſet, fecit uno die craticulam optimam & alia utenſilia.

S. Comgallus mittit per Angelum cymbalum ſuis ſanctis nepotibus,

34 Soror S. Comgalli ſanctos habebat filios, qui longè à S. Comgallo in ſua Cella habitabant; & illi ſancti miſerunt ad S. Comgallum germanum matris ſuæ, ut donaret illis cymbalum. Tunc benignus largitor Comgallus miſit illis cymbalum, videlicet Angelo illum portante. Illi ſancti accipientes ab Angelo Dei cymbalum, gratias Salvatori egerunt. Quidam pauper venit ad S. Comgallum, poſtulans ab eo aliquid in eleëmoſynam. Tunc Beatiſſimus Comgallus nihil habens quod daret ei, ſalivam ſuam laſſus ab oratione in ſinum pauperis projecit, & ſtatim verſa eſt in aurum, & illud ſ[illegible]ctum eſt annulus in ſinu pauperis ſecundum velle viri Dei, in quo erant quatuor ſcrupuli & dimidium. Ille homo gaudens exivit, narravitque omnia quæ ei acciderant.

Salivam vertit in annulum aureum:

Frater obediens lapidem ardentem manu illæſa portat:

35 Aliquando Comgallus Fratri *Obedienti* dixit, ut lapidem ardentem ab igne ad ſe portaret; & ille Frater tenens lapidem ab igne ardentem, portavit manu illæſa ad S. Comgallum, dans gloriam Deo. Beatiſſimus Abbas Comgallus cum diſcipulis ſuis juxta littus ſtagni *Feabhail*, viderunt cygnos natantes & dulciter cantantes ſuper aquas. Tunc Fratres rogaverunt ſanctū ſenem, ut vice ſolaminis cibi deduceret ad ſe cygnos, & ſuis eos manibus tangerent; tunc enim Fratres debebant comedere, ſed commeſtio non erat eis in promptu. Pius Pater ait eis: ſi voluntas Dei eſt, fiat. Ad hanc vocem cygni, divino nutu coacti, volaverunt ad ſervos Chriſti, & unus eorum volatu ſtetit in ſinu ſancti ſenis Comgalli, & iterum acceptâ licentiâ redierunt ad lacum.

Cygni ad Comgallum & ſuos mirè advolant:

Eiſdem in adventu S. Columbæ Angelus piſces ſuppeditat.

36 Quadam die cum S. Comgallus divinitùs adventum prævidiſſet S. Columbæ cum ſuis diſcipulis in remigio laborantibus, petivit à Domino eſcas hoſpitibus ſuis. Tunc Angelus à Deo miſſus, gregem piſcium in mari congregavit, & perduxit eos ad littus ante monaſterium S. Comgalli. Sciens vir ſanctus hoc factum, juſſit ſuis, ut adducerent piſces, & multi piſces allati ſunt ad monaſterium, de quibus ſancti hoſpites, ſanctaque familia ſatiati ſunt.

** Dermitii latinè.*

37 Cormacus filius *Diermoda*, Rex Lagenienſium, de gente *Cenſelach* ortus, obtulit ſe cum tribus caſtellis in regione Lagenienſium poſitis, *Ceatharlach* ſupra ripam fluminis *Bearva* poſitum, & *Foibren* & *Ardcrema* Deo & S. Comgallo; venitque ad Provinciam Ultorum, & factus eſt apud S. Comgallum in monaſterio ſuo *Bennchor* monachus. Poſteà inimicus antiquus in corde ejus magnum tædium erga patriam & filios, cognatos, & charos immiſit. Tunc ille cum ingenti anxietate mentis ad S. Patrem Comgallum venit, & confeſſus eſt ei, ſe non poſſe ſuſtinere ibi, niſi patriam ſuam viſitaret & videret. Sanctus jam Comgallus ſciens quia non poterat eum retinere, dimiſit eum & quoſdam Fratres ſecum: & cœpto itinere ſtatim ſupra eum, orante pro eo ſancto ſuo Abbate, ſopor, à Deo miſſus, irruit in colle imminenti aſylo *Bennchor*, & dormivit ibi à prima hora diei uſque ad nonam, taleque ſomnium vidit. Vidit enim ſe fines Lagenienſium ambulaſſe, & civitates permultas & caſtella luſtraſſe, & campos floridos & amœna prata circuiſſe, & electos currus & regnum ſuum tenuiſſe, & Duces & optimates & præpoſitos & reliqua regni ſui inſignia circa ſe ſediſſe, & cum de his omnibus eſſet ſatiatus, in magno tædio expergefactus eſt horâ nonâ, & odivit omnia quæ viderat Dei auxilio, & ſuam voluntatem implens, reverſus eſt ad ſanctum Abbatem Comgallum, narravitque ei hæc omnia, manſitque ibi deinde in vita religioſa uſque ad obitum ſuum.

Comgallus miraculosè expleri impetrat Cormaci Regis deſiderium.

38 Quodam quoque die magni frigoris ambulans ſanctus Pater Comgallus cum Fratribus ſuis, invenerunt quandam domum in via vacuam ab hominibus, & intrantes in eam collegerunt frigidi Fratres titiones inventos ad S. Comgallum, rogantes eum, ut per

a Chriſti

Christi potentiam ignem haberent. Tunc Sanctus Pater titiones in Dei nomine benedixit, & sufflans ex ore suo, ignis in titionibus exarsit, & accenso rogo calefacti sunt Fratres, gratias Christo agentes. Item alio die S. Comgallus cum monachis suis erat in quadā valle: nox tenebrosa & frigida in deserto cecidit super eos. Tunc Fratres nimio frigore afflicti, rogaverunt Patrem Comgallum, ut solatium ignis per Dei gratiam haberent: non enim habebant ferrum igniferum. Illicò Sanctus Dei flatu oris sui, lignum ante oculos situm insufflavit, ignisque in eo exarsit, tenebras & frigus depellens, illuminans & calefaciens. Crastina autem die nec ignis, neque vestigium ejus in illo ligno apparuit, sed frondosum, sicut cætera, cum ramis integris & cortice visum est, nihil adustionis habens; & de hoc Fratres multum admirabantur, dantes Deo laudes.

Semel.

Iterumque ignem efflatu excitat;

39 Venit aliquando S. Comgallus ad arcem *Trahim*, & jejunavit ibi illa nocte contra Ducem sibi immitem. In medio jam noctis conquassavit Dominus arcem à fundamentis, donec arma de parietibus & alia caderent. Tunc Dux Dei nutu coactus, egit pœnitentiam, placens Dei sancto multùm.

Ducem quemdam ad pœnitentiam miraculo compellit;

40 Monachus quidam juvenis, nomine *Conath*, venit ad S. Comgallum, volens videre conversationem Dei famuli (ille siquidem Frater nullum putabat fuisse ultra se plus laborantem) & rogavit S. Comgallum, ut viveret in conspectu ejus consuetâ conversatione nihil celans. Medio jam noctis S. Comgallus suo more in flumine exiit propinquo, & ille monachus cum eo descendit; & non potuit ille Frater esse suprà inter Sanctum Comgallum & flumen, præ nimio aquæ frigore; neque infrà præ calore aquæ, quæ de sancto sene descendebat. Tantam ille Frater gratiam in Sancto Comgallo videns, egit pœnitentiam de tumore mentis suæ, mansitque deinceps sub regula S. Comgallli.

Conathum monachum à mentis tumore sanat.

41 Quodam tempore venit S. Comgallus ad arcem *Moen-magh*, & ibi jejunavit contra Regem illic habitantem; Sed Rex ille durus & asper, noluit audire sanctum Dei; in fine autem jejunii Sanctus senex salivam suam super magnam petram projecit coram filiis Regis & amicis Regis, & petra illicò in quatuor partes scissa est, præsentibus amicis & filiis Regis. Hoc audiens Rex, timuit valde, & veniens humiliter egit pœnitentiam, & donavit sponte S. Comgallo quod quæsivit.

Petram injectâ salivâ in quatuor partes scindens, regem flectit ad pœnitentiam;

42 Alio die cum Sanctus Pater Comgallus navigasset in quodam freto, ipse juvenem quendam de Fratribus increpavit, *Crimthannum* nomine, & statim ille exivit de navi & prostravit se super mare, flectens genua, & erat unda sub eo quasi stabilis terra, fuitque ibi prostratus donec S. Comgallus vocavit eum in navem, suaque vestimenta sicca erant: vento jam flante & velo extenso, Dei magnâ potentiâ navis stetit in uno loco donec hoc totum agebatur. Postea gratulantes in Deo navigaverunt.

Crimthannum ejus discipulum unda sustinet immadidum.

43 *Ronanus* filius *Aedha*, Dux gentis *Branain*, habuit conjugem pulchram & charam, quæ genuit filium, nigram faciem habentem. Videns ille Dux puerum indecentem, ait: iste indecorus non meus erit filius, nec matrem ejus habebo in conjugem; & expulit filium cum matre sua. Quæ statim perrexit ad S. Comgallum, nescia sceleris, narravitque ei causam expulsionis suæ. Auditâ causâ ex confessione illius fœminæ pudicæ, vir Deo plenus benedixit faciem pueri & oculos, & illicò toto corpore & facie, habens hyacinthinos oculos, pulcherrimus apparuit: antè enim turpior in oculis, quàm in cæteris membris erat; & revertentes recepti sunt gratanter à Duce *Ronano*. Cum S. Comgallus Cellā voluisset ædificare in insula nomine *Reachrain*, venerunt triginta milites & tenentes manum ejus, eum inde expulerunt, & in vindictam hujus sceleris ipsi omnes ante terminum mensis mortui sunt.

Puer deformis ejus benedictione fit formosus

44 Venerunt aliquando beatissimi tres Abbates, scilicet S. *Comgallus*, *S. Columba*, & *S. Cannicus*, ad regem gentilem, nomine *Bridæum*, & ille jussit januas castri contra eos claudi. Sed S. Comgallus valvas signo sanctæ crucis signavit, & ceciderunt fractæ in terram. Sanctus autem *Columba* valvas domus regalis eodem signo fregit; sanctus quoque *Cannicus* signavit manum regis vibrantem gladium ad eos occidendos, & statim arefacta est manus regis, & ita erat donec ipse in Deum credidit, & * effectus est in Deo fidelis, manus ejus soluta est.

unà cum SS. Columba & Cannico Bridæū Regem miraculis convertit.

* *deest f. tum.*

Regina

45 Regina regis *Fiachna*, qui regnavit in castro, quod dicitur latinè *Atrium magnum*, Scoticè autem *Rath-mor*, in campo *Linia* positum, quique erat de gente Ultorum, scilicet de Regione *Dailnàray*, venenum bibebat & gravissimis doloribus torquebatur, & illa cum amicis suis nesciebat à quo traditum est ei venenum. Ipsa jam Regina *Cantigerna* vocabatur, quæ erat fidelis & pudica fœmina. Congregatis undique medicis, nullo potuerunt modo Reginam curare. Postremò potiori consilio vocatus est S. Comgallus ad Reginam pro ea causa; & vir sanctus jam benedicens Reginam, dixit ei: gratiâ Dei recipies sanitatem, & scies hominem tibi tribuentem venenum: & statim Regina sanata est. Post verò parvum tempus, diabolus in unam de ancillis Reginæ intravit, & effecta est insensata, & confessa est se dedisse venenum dominæ suæ. Volentibus omnibus ancillam tradere tormentis, non permisit Regina, donec S. Comgallus, author suæ sanitatis, judicaret illam. Sanctus senex Comgallus, mittens per nuncium, liberavit illam à morte, & à servitute; & ipsa jam ancilla postea placidam Deo pœnitentiam egit. Supradictus Rex *Fiachna* regnum in Hibernia fortissimum tenuit, apud quem Reliquiæ multorum Hiberniæ Sanctorum elevatæ sunt, & reconditæ honorificè.

Reginâ veneno potatâ sanat.

46 Cum senex S. Comgallus aliquando ad Cellam cujusdam sanctæ & religiolæ virginis venisset, audivit ibi magnam querimoniam, quod quidam vir crudelis & raptor, nomine *Fergus*, jumenta loci illius per vim rapuisset; pergensque S. Comgallus ad eum, ait ei: dimitte mihi pecora, quæ ab ancillis Christi rapuisti. Sed ille superbus & tyrannus despiciens sanctum senem, non solum jumenta non dimisit, sed ore pestifero, verbisque asperrimis famulum Dei calumniavit. In sequenti scilicet nocte ascendens ille infœlix in lectum dormire cum sua uxore, morte pessimâ in vindictam sui sceleris mortuus est.

Comgalli calumniator repentè moritur.

47 Juvenis quidam *Ædanus* nomine, nepos *Dunlainge*, legens duodecim minores Prophetas apud *S.* * *Finellum*, vidit in somnis vestimenta sua circa quendam leprosum de genere suo; cumque evigilasset ille de somno, corpus suum vidit leprâ percussum; qui ex consilio *Beati Finelli* magistri sui ad sanctum festinavit Comgallum, postulans ab eo sanitatem. Tunc beatissimus senex Comgallus, in maxima infirmitate erat, & cogebatur à sanctis Patribus ad usus balneorum propter nimios dolores suos, & jussit S. Comgallus prædicto juveni *Ædano*, ut lavaret se in balneo, ex quo ipse senex tunc egressus est. Cumque ille se lavaret ibi, mergens corpus suum totum sub aqua, mundatus est ab omni lepra sua, & cum gaudio magno gratias Deo agens, reversus est ad sua. Sæpè catervæ dæmonum visibiliter contra S. Comgallum pugnabant, & nec valebant saltem mentem ejus mutare ab interna intentione ad Christum.

* rectius Sinellum.

venerator Ædanus lepram exuit:

ipse Comgallus acies dæmonum imperturbatus expugnat:

48 Appropinquans jam exitus beatissimi senis Comgalli, immensis & variis doloribus ipse torquebatur: nam aures ejus conclusæ sunt sine auditu, & quod difficilius est, venter ejus conclusus est sine effusione urinæ, aliosque graves dolores patiebatur, fuitque in tali cruciatu famulus Christi Comgallus ab initio hiemis usque ad Pentecosten. Alii jam dicebant, quòd tanti dolores super eum à Deo dati sunt propter duritiam & asperitatem Regulæ ejus in monachis suis. Alii autem dicebant, quòd propter nimios dolores suos sine discretione in corpore suo, sponte suâ, ut in eodem corpore contra voluntatem suam pateretur. Alii aliter dicebant. Intereà *S. Meldanus* Abbas, de gente Scotorum natus, à Deo missus de cœlis, apparuit cuidam monacho sancto, nomine *Colmano*, in somnis dicens ei: Non ideò propter quod dicunt homines tanti dolores in corpore S. Comgalli missi sunt, quamvis causæ eorum veræ sunt; sed pro amore ejus à Christo ad augmentum meritorum ejus cruciatur. Sicut enim cruciatus coram hominibus immeritò patitur, ita in conspectu Angelorum æternis præmiis præ multis coronabitur.

moriturus variis & diuturnis morbis torquetur,

ad gloriæ augmentum ut S. Colmano revelavit tunc beatus S. Meldanus.

49 Monachi siquidem S. Comgalli aliquibus diebus ante obitum suum volebant quotidiè divinam Eucharistiam, & alia divina sacrificia ei dare; quibus S. Comgallus ajebat; à nullo sacrificium accipiam donec veniat ad me à Deo missus *S. Fiachra* Abbas de Provincia Lageniensium. Venitque Angelus Domini ad *S. Fiachra*, cujus monasterium est juxta

Angelo monitore eum invisit S. Fiachra Abbas

est juxta fluvium *Bearva*, in fine Lageniensium, in plebe scilicet *Huadrona*, quod vocatur *Earard*, & misit eum ad S. Comgallum, in doloribus multis laborantem ut accipiat de manibus ejus corpus & sanguinem Christi. Cum jam *S. Fiacra* ad monasterium *Bennchor* venisset, dedit statim communionem Dominicam beatissimo Patri Comgallo. Postea *S. Fiacra* rogavit famulum Dei Comgallum, ut aliquid de Reliquiis ejus congruo tempore acciperet, & promissum est Sancto *Fiacra* à discipulis Patris Comgalli quod quæsivit. Deinde præsentibus multis Sanctis Patribus Sanctissimus senex Comgallus, Spiritu Sancto plenus, fœlicissimè 6. Idus Maii post cursum admirabilis vitę suum emisit spiritum, sepultusque est cum debito honore in suo clarissimo monasterio *Bennchor*, ubi beneficia Dei per eum omni tempore patrantur.

de cujus manu accepto viatico obdormivit in Domino,

Sepultus Beanchori,

50 Transacto jam multo tempore post obitum Sancti Patris Comgalli, supradictus *Sanctus Fiachra* venit ad monasterium *Bennchor*, & elevatis de sepulchro honorificè Sancti Comgalli Reliquiis, elegit *S. Fiachra* brachium Sancti Comgalli, portavitque ad fines Lageniensium, suam scilicet Provinciam. Dum autem iter ageret in regione Lageniensium, pervenit ad arcem cujusdam Ducis ibi, qui dicebatur *Ædus*. Hinc filius ipsius Ducis *Ædi* ductus est ad *S. Fiachra*, ut baptizaret eum, aperiensque jam Sanctus *Fiachra*, scetam suam ad ducendum inde librum baptismi, brachium Sancti Comgalli in aërem sursum velociter avolavit. Ibi viri jejunantes, & genua flectentes, & orantes longè, tandem venit ad eos de cœlo brachium Sancti Comgalli, & ingrediens terram inter illos, nusquam apparuit inde. Per triduum itaque foderunt terram & non invenerunt. Hoc videns Dux *Ædus*, illam arcem cum suis agris obtulit Reliquiis Sancti Comgalli in æternum, ibique jam *S. Fiachra* Abbas clarum monasterium in honore nostri Patroni Comgalli construxit, & in nomine Sanctæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti, cui est honor & potestas in sæcula sæculorum. Amen.

&longè post elevatus à prætato S. Fiachrio, à quo illius brachium in Lageniam delatum,

repentè in aërem sublime avolat, dein descendit, seque in terra recondidit, ubi in Comgalli honorem erectum pòst monasteriũ.

Sequuntur miscellanea quædam de Sancto Comgallo, ex præfato MS. Codice Ardmachano collecta.

64 EX *Vita S. Coëmgeni*. Quadam die manens *S. Coëmgenus* foris super lapidem, apparuit ei diabolus cum magna modestia in forma pulcherrima, transformans se quasi in Angelum lucis, & dixit viro Dei, ave vir sancte Dei, ecce sum missus tibi à Domino, ut dem tibi consilium: magnum jam laborem semper sustines, & laudant te Sancti Angeli ante conspectum Domini, & imperat tibi Dominus amans te, ut de hac valle montanâ ad terram habitabilem monachis tuis post te, discedas; & benedicens diabolus Sancto Coëmgeno, illicò post tale imperium in tenues evanuit auras. Sanctus autem Coëmgenus admirans de pulchritudine & modestia illius, si dæmon esset, & cur imperavit ei, ut discederet à loco ubi vita sua à Deo & Angelis suis laudatur, si ille Angelus lucis esset, quia Deus potens est servis suis ubique bona præparare, ait, in hac valle Deo permittente, ubi vita mea sive ab Angelo, sive à Dæmone laudatur, cursum hujus vitæ consummabo, & postea ille Satanas cum turba dæmonum ultra montem *Fuaid* in Aquilonari plaga Hiberniæ, in regione scilicet Ultorum, Sancto Comgallo Abbati apparuit, & ait ei Sanctus Comgallus: unde modo venisti Satanas? Satanas respondit; de finibus Lageniensium, de valle videlicet duorum stagnorum, ubi ille rigidus *Coëmgenus habitat*, venimus; in illo jam loco, ille rusticus cum miserabili cœtu meis discipulis septem annis multum nocuit indesinenter; ego autem post omnes exivi ad eum, & ut de suo loco discederet persuasi ei, sed non profuimus, quia stabilitas illius nos omnes superat: nunc jam ego cum mea familia ad nostrum locum inanes vadimus, & vexilla nostra fracta esse ab illo narrare ibi cupimus: volumus enim adhuc tentare eum: tunc Sanctus Comgallus ait ei, reverte Satanas cum meis monachis ad S. Coëm-

Demon; qui bonum Angelum mentitus S. Coëmgenũ nisus est seducere,

S. Comgallus remittit cũ suis monachis ad S. Coëmgenũ.

S. Coemgenum, & nec post, nec ante eos venias ad eum, sed simul cum illis, & insidias tuas, tuumque dolum contra eum, præsentibus monachis meis, manifesta illi, hoc tibi impero in Christi nomine. Et venientibus S. Comgalli monachis ad S. Coëmgenum, apparuit simul cum eis satanas, & narravit omnia S. Coëmgeno secundum ordinem, sicut jussit ei S. Comgallus. Tunc S. Coemgenus gratias Deo egit, benedicens amico suo Comgallo, & imperavit diabolo, ut nefarium cœtum suum de illa valle semper tolleret. Dæmones jam statim imperio Sancti Coemgeni discesserunt de valle, ululantes terribili clamore, & perhibentes se nunquam acturos stationem in ista valle.

65. *Ex vita S. Cannici Abbatis.* Quodam tempore S. * *Cannicus* ad Beatum Comgallum venit, & ab eo cum magna lætitia susceptus est. *Comgallus* autem in die Dominico dixit Fratribus suis: oportet *Sanctum Cannicum* hodiè prædicare nobis: rogatus verò *Sanctus Cannicus*, mirabilem valde prædicavit prædicationem populo: omnis verò populus vehementer flevit. Tunc *Sanctus Comgallus* dixit; frequenter iste populus prædicatione flevit, sed talem ac tantum fletum usque hodiè non effudit. Tunc omnis populus audivit vocem desuper dicentem; hesterno die istam prædicationem ab ore Angeli Dei *Sanctus Cannicus* audivit. Tunc omnes gratias Deo egerunt, benedicentes *Sanctum Cannicum. Et infra.* Quadam verò die *Sanctus Cannicus* & *Sanctus Columba* Sanctusque *Comgallus* erant congregati in uno loco, & tunc pluvia nimis pluit super eos, sed vestimenta duorum Sanctorum *Columbæ & Comgalli* humida valdè erant, Sancti autem *Cannici* vestimentum à pluvia erat intactum. Tunc *S. Columba & S. Comgallus* interrogaverunt *S. Cannicum*, cur illorum vestimenta humida erant, illius autem vestimentum siccum erat? Respondit ei *S. Cannicus*; vos dicite mihi quid in hac hora cogitastis. Tunc *S. Columba* ait, cogitavi in ista hora, revelante mihi Spiritu Sancto, de mea familia periclitante in navigatione. Sanctus Comgallus dixit, mens mea modò sollicita est de Fratribus meis in messe laborantibus. Sanctus autem *Cannicus* dixit: scit Filius Virginis, quia mens mea inter Angelos in cœlo fuit à die qua in cœlestibus cogitationibus eam devoveram, iterum in terrenis cogitationibus non deduxi eam.

* rectius *Cannechus.*

S. Cannechus concionem ab Angelo dictam in monasterio S. Comgalli pronunciat.

SS. Columbæ & Comgalli vestimenta imber madidat, Cannici verò non attingit.

66. *Ex vita S. Carthagi seu Mochuddæ Episcopi.* Sanctum Carthagum nasciturum Angelus Domini antequam nasceretur, seniori *Comgallo* prædixerat; dicens; nascetur, beate senior, filius in occidentali Hiberniæ regione, qui à fonte baptismatis *Carthagus* vocabitur, eò quod amabilis Deo & hominibus in cœlo & in terra erit; & post multum tempus veniet ad te, cupiens *Romam* ire, & ne derelinquas illum; quia hoc mandatum à Domino est; sed maneat annum integrum tecum; quod ita posteà completum est. *Et infra.* Intereà Angelus Domini venit ad *S. Comgallum*, monasterii Bennchorensis Abbatem, & dixit illi: venit Presbyter iuvenis & sanctus ad te, volens trans mare pro Christi nomine ire, quem prædixi tibi quondam antequam natus esset, & ne dimittas illum, quia hoc mandat tibi Dominus, sed maneat tecum usque ad finem anni. *S. Comgallus* ad Angelum dixit: quomodo potero cognoscere eum? Respondit Angelus; qui retrorsum ab Ecclesia usque ad hospitium ibit, ipse est: volebat enim S. Mochudda Ecclesiam Dei semper aspicere. Deinde *S. Comgallus* dixit discipulis suis: veniet in hac die ad nos hospes venerabilis, qui est Deo amabilis, Angelus enim Domini bis eum indicavit mihi. Posteà S. *Carthagus* repentè pervenit ad monasterium Bennchor, & fecit sicut Angelus Domini de eo prædixit, & cognoscens eum *S. Comgallus*, gavisus est valdè, audiensque S. Mochudda à S. Patre *Comgallo* mandatum Domini, sibi per Angelum suum, mansit apud illum usque ad finem anni; finito autem anno per consilium Sancti Patris *Comgalli*, de mandato Domini reversus est *S. Carthagus* ad Provinciam suam, & multa loca Domino ibi ædificavit, & magnas virtutes fecit in eis, & multi homines se sibi obtulerunt, factaque est parrochia ejus magna in sua patria: ipse enim episcopatum regionis *Kiarraigi* accepit.

S. Comgallus cœlitus noscit S. Carthagum nasciturum,

seque invisurum;

dein venientem agnoscit & suscipit.

Ex vita

67 *Ex vita Sancti Munna seu Fintani Abbatis.* Quodam tempore Sanctus Abbas *Comgallus* venit propè ubi erat pius puer *Munna*, & volens à puerili ætate esse sub magisterio magnorum virorum venit ad eum, & pius Pater *Comgallus* suscepit eum gaudens; cumque quodam die in via ambulassent, tertiam Horam celebrantes juxta vadum *Feime*, postulavit puer Beatus *Munna* potum aquæ bibere, calor enim nimius Solis erat. Cui *S. Comgallus* dixit: sustine fili usque ad meridiem. Et cùm Sextam celebrassent juxta rivulos *Assail*, iterum petivit puer poculum aquæ; & dixit Sanctus Pater, expecta paulisper usque ad Nonam. Complentes ipsi Nonam prope *Comerglas*, præcepit *S. Comgallus* Beato *Munna*, ut sine potu usque ad Vesperam expectaret. In illo autem die B. Comgallus cum suo populo nihil habuit in victualibus, & nemo vocavit eos ad prandium, vespere autem appropinquante invenerunt in via cœnam magnam sibi paratum ab Angelis Dei cum optimo liquore. Tunc dixit Sanctus Comgallus; modò prodest quod hodiè fecimus, id est, ut athletam Christi castigaremus in siti; quia pro ejus siti hæc optima cœna nobis post magnam esuriem missa est à Christo. Et ait: implete calicem ex quo bibo, & date puero, ut ipse prius gustet cœnam sibi missam à Deo: ejus enim gratiâ nobis esurientibus hanc cœnam Pater annuit. Agentesque ibi gratias Deo, acceperunt cœnam illam, & comederunt, & per aliquod tempus *Munna* cum *Sancto Comgallo* mansit, legens apud eum, & addiscens Regulam ejus. Deinde acceptâ licentiâ à *Sancto Comgallo*, venit *B. Munna* ad scholam *S. Columbæ*, qui tunc erat magister in loco, qui dicitur Scoticè *Ceall mor dithribh*, id est, *Cella magna remota*, & ibi *Sanctus Munna* legit apud virum sapientem *Columbam*.

Exercet patientiam S. Munna, seu Fintani, cujus intuitu cœna cœlitus missa.

Plurima alia ex variis hinc inde de Sancto Comgallo colligi possunt præsertim ex Actis Sancti Luani & Sancti Mochœmogi inferiùs exhibitis, sed ad præsens ista sufficiant; quæ omnia & reliqua ab hoc nostro authore prætermissa, copiosâ sine dubio narratione prosequitur locupletissima hujus sancti vitæ historia, quæ adhuc in Hibernia visitur, & cum edita fuerit, plenius lectorem de hujus sancti virtutibus instruet; interim nos adductis hactenùs contenti, aliquid de Sancti Patriarchæ successoribus, ex quatuor vetustissimorum Hiberniæ Menologiorum indubitatæ fidei collectione & aliis MSS. codicimus subjiciamus.

Nomina quorundam Abbatum Sanctorum, qui S. Comgallo in celeberrimæ Bennchorensis Congregationis regimine successerunt.

68 S. Finnchuo, primus post *Sanctum S. Comgallum* Bennchorensi Cœnobio & Congregationi præfuit, ad hoc ab ipso Sancto Patriarcha ex tot monachorum millibus ante suum ex mundo transitum designatus, vir administratione & honore tanto dignissimus, propter eximiam vitæ sanctitatem, & admirandam, quam à Sancto Patriarcha hausit, austeritatem. *Scanlani Ulidiæ* Regis equos in saxa convertit, & in septem diversis præliis victoriam suis clientibus à Deo impetravit. In Cella saxea, veluti in sepulchro, integro septennio stetit, ferreis uncinis hinc inde sub axillis, non tam suffultus, quàm suspensus, utpote pedibus à terra levatis, & in aëre pendentibus. Cum quolibet in suo monasterio sepulto; per primam noctem in sepulchro jacebat, aliaque stupendæ sanctitatis exempla reliquit, quæ recitat Vita ipsius Hibernicè scripta. Cum septem annos illud nobile Archicœnobium rexisset, confluentium quotidiè supra loci capacitatem monachorum multitudine, compulsus, *Brigovandum* in Momonia monasterium, magno Bennchorensium cœtu instructum, erexit. Ejus festum celebratur 25. Novembris, ipso quo obiit die.

Mira S. Finnchuonis austeritas.

Finnchuonem excepit *Sanctus Beoghnaus*, cujus festum agitur 22. Augusti.

S. Maclasreus 16. Maii, obiit anno Domini 645.

S. Berachus 21. Aprilis, anno Domini 663.

S. Kennfœlus 8. Aprilis, anno Domini 678.

S. Mœlrubhius 21. Aprilis, qui obiit anno Domini 721, ætatis 80, fundator & patronus monasterii Apor-Crossani in Albania, seu hodierna Scotia.
S. Cumeanus 17. Septembris.
S. Columbus 1. Octobris.
S. Cronanus 6. Novembris.
S. Saranus 1. Augusti.
S. Torannanus 12 Junii; qui etiam benedixit in *Colle Fortigerni* in Lagenia & in *Druim Cliabh* in *Carbrea*, ubi & colitur eodem die tanquam Abbas & Patronus.
S. Seghinus filius O-Cuind 10. Septembris.
S. Sillanus magister 28. Februarii.
S. Florentius seu Flandus 15. Decembris.
S. Daniel 11. Septembris vocatur Episcopus Bennchorensis, utique juxta consuetudinem illius temporis, quâ solebant aliqui simul & Episcopi & Abbatis curam exercere.
S. Regulus Bennchorensis 11. Junii, an Abbas, an monachus tantum fuerit, ignoro.

Hi omnes in præfata Martyrologiorum Hibernicorum compilatione reperiuntur, sed an illo, quo recensiti sunt, ordine & tempore processerint, non est nobis compertum, nec hîc vacat curiosiorem ejus rei disquisitionem inire ad alia festinanti.

69 Ex hactenus dictis rejiciuntur Scotobritannorum quorundam & aliorum eos cæco ducatu sequentium commenta, qui locum nativitatis S. Comgalli & monasterium Bennchorense ab ipso constructum in Britannia constituunt, inaudita sanè apud veteres, & apud recentiores ridiculâ prorsus impostura. Quantum enim ad ipsum spectat monasterium, certissimum est ex S. Bernardo & Iocelino citatis illud in septentrionali Hiberniæ parte, nempe Ultonia fuisse extructum, ut etiam in recitata jam historia vitæ S. Comgalli clarissimè exprimitur, constituente monasterium Bennchorense in Regione, quæ dicitur *Altitudo Vltorum*, juxta mare Orientale, Ulidiæ populis notissimâ. In Ultonia similiter statuit idem author locum nativitatis S. Comgalli, cùm ait, *de Aquilonari Hiberniæ regione nomine Dailnarii, quæ est contra mare in Aquilonari Provinciæ plaga Vltorum* ortum esse Comgallum. Ubi *Dailnarii* Nativitatis ipsius locum ponit in Ultonia, quod etiam postea in eadem historia disertè repetit, asserens Regem *Fiachna* fuisse de gente *Ultorum*, scilicet de regione *Dailnarii*. Ex quibus manifestum fit, S. Comgallum fuisse Ultoniensem genere. Quod etiam ulterius ex illo Rosweydi Fragmento infertur, in quo S. Comgallus ex nobilissimo *Aradensium* (hoc est, *Clannaruriana* seu *Rodericianæ stirpis*) sanguine descendisse scribitur, qui ex communi Historicorum Hibernicorum & unanimi consensu multis ante & post Christum natum annis totius Ultoniæ patriæ suæ principatum continuâ temporum & Regum successione tenuerunt, & aliquos etiam toti Hiberniæ dederunt Monarchas, atque ad hæc usque tempora in illustri *Magnesiorum* in Ultonia familia fœliciter perseverant; quę de *S. Comgallo*, veluti singulari patrono & eximio suæ prosapiæ ornamento, meritò gloriatur. Denique *S. Macniseus*, Episcopus *Connerensis* in Hibernia constitutus, pridiè quàm nasceretur vir Sanctus, currum in quo sedebant *Sedneus* & *Briga*, nascituri infantis parentes, transeuntē advertens, de S. Comgallo, matris adhuc alvo inclusо vaticinium protulit. *Connerensem* autem Episcopum suffraganeum *Ardmachani* Archiepiscopi, totius Hibernię Primatis, in Ultonia suam Sedem habere omnes fatentur; igitur inde fuit S. *Comgallus*, qui sequenti die in eadem regione natus est, orto jam sole, ut supra legitur. Absit contra tam evidentia argumenta protervia. Sanè cui pauca hæc tam aperta veritatis hujus indicia non sufficiunt, plura non proderunt vel à ratione motiva, vel ab authoritate prolata priscorum monumenta, quæ non hic, sed in fusiori de S. Comgalli Actis Commentario expectanda essent.

Comgallus cum suo monasterio Bennchorensi debetur Vltoniæ.

70. Porrò conjunctam in hoc Sanctissimo Patriarcha cum tanta sanctitate eruditionem & sapientiam loquuntur *Methodus vitæ regularis* (ex quo forsan Operea sunt illa, quę recitat suprà *Instruct.* 2. Columbanus, fidelis discipulus, tanto magistro dignus, sivè doctrinam, sive elegantiam spectes) & *Epistolæ quædam* ad suorum monasteriorum rectores, quas ipsum præter methodum præfatam scripsisse testatur Possevinus.

Scripta S. Comgalli

Spirare

Spirare cœpit & cordi anteponere. Ita Impressa exemplaria ex quibus correxi nostrum Codicem, ubi habetur: *quod cordi.*

De ætate S. Columbani.

71 *Vigesimum ergo ætatis annum agens.* Ex hoc, & aliis hujus historiæ locis, quadraginta quatuor dumtaxat anni assignandi erunt vitæ S. Columbani; quorum seriem ex vulgata, tam impressorum, quàm MSS. codicum lectione *Ionæ* ita deduces, ut viginti in patria, prout hic habetur, & alios totidem annos in eremo Vosagi, ut c. 19. exprimitur; tres deinde ad lacum Brigantinum, & postremò annum unum in monasterio Bobiensi transegerit. Atque ita, cum juxta Baronium, & alios probatos Historicos, obierit anno Domini 615, nativitatis ejus annus statuendus erit, Christi 571. ad summum, egressûs ex Hibernia 591 transitûs verò ex Luxovio in Germaniam annus 611, ac tandem decessûs ejus in Bobio annus 615.

Computus annorum S. Columbani juxta vulgatam Ionę lectionem

72 Verùm plurima offeruntur tum ex ipso *Iona*, tum ex aliis circumstantiis, quæ clarè persuadent, corruptum fuisse hunc *Jonæ* textum: nam *Jonas* c. 1. natum scribit S. Columbanum circa primordia fidei gentis Hibernicæ, hoc est, exordia stabilitæ per universam Hiberniam, (expulso ubique gentilitatis ritu) religionis Christianæ; quod primùm contigit circa annum salutis 491. vel sequentem, vel circiter, quo tempore obiit S. Patricius gentis Apostolus. Unde videtur indicare natum fuisse Columbanum circa initium sexti sæculi, hoc est, aliquantulum post annum Christi quingentesimum, qui cum aliis viginti vel 30. sequentibus juxta moralem hominum æstimationem, referri potest ad primordia fidei gentis illius, intra quæ natus dicitur Columbanus. Quod si verum est, quomodo potuit Columbani ætas defuncti anno 615. 44. tantum annorum limitibus contineri? Deinde idem Jonas cap. 3. dicit virum sanctum, *peractis annorum multorum in monasterio Bennchorensi circulis*, peregrinationem cogitasse, ac suscepisse. At quomodo multos potuit annos in eo cœnobio peregisse, si anno solùm vigesimo ætatis ex Hibernia recessit? Nam antequam monasterium intravit, fuit ad minus octodecim vel amplius annorum, ut ex ipsomet *Iona* deducitur, qui cap. 2. narrat ipsum pueritiæ & adolescentiæ tempus usque ad virilem ætatem in liberalium artium studiis traduxisse, à * *Senile* magistro sacras litteras didicisse, intra adolescentiæ annos *librum Psalmorum* exposuisse; quæ omnia maturam ordinariè requirunt ætatem. Et post hæc cap. 3. subdit, dedisse deinde ipsum operam, ut monachorum necteretur societati, nempe absolutis jam illis, quæ commemorata sunt, litterarum studiis. Quis credat ipsum jam monasticum amplectentem Institutum, tantâ eruditione, & prudentiâ praeditum, non habuisse ad minus 18, vel 20, ætatis annos? Certè hoc mihi apparet manifestum; & tunc ubi sunt illi multi anni, quos dicitur in monasterio peregisse? Nonne decem ad minus ipsius in Bennchor conversationi erunt concedendi, si Jonæ verba recipiantur?

rejicitur ex eodem,

* rectius *Senello* vel *Senello*

73 Præterea hoc ipsum colligitur ex ipsius S. Columbani verbis in fine Poëmatis ad *Fedolum*; ubi sic habet, de se loquens: *Nunc ad olympiadis ter senos venimus annos*, in quo versu non ducit computum ab olympiade omnium prima, nec ab olympiade Nativitatis Christi, ut est ex se evidens, sed ab illa in qua ipsemet natus est, à qua usque ad illam, sub qua dictum carmen scribebat, fluxerunt ter senæ, seu octodecim olympiades, hoc est, ut minimum 72 anni, ad quos tempore dati Poëmatis se pervenisse testabatur illo versiculo; vel 90. secundum aliorum opinionem, olympiadi quinque annorum spatium assignantium. Item sub rege Childeberto venisset in Burgundiam Columbanus contra correctiora Jonæ exemplaria dicentis, venisse sub Sigeberto, qui vivere desiit anno 575, vel 578, ut volunt Sigebertus, & Haræus, quo adhuc anno in Hibernia agebat Columbanus, ex qua primùm recessit anno Christi 591 juxta præfatum computum. Postremò Sanctus Gallus obiit ex Walefrido l. 1. vitę S. Galli cap. 28. anno ætatis nonagesimo quinto, qui fuit Christi Salvatoris annus 640, ut volunt aliqui, vel 655, ut malunt alii; ergo nasci debuit anno 545. vel 560. hoc est, viginti sex, vel undecem aut circiter ante natum Columbanum annis, quem ex præfato Jonæ textu diximus in lucem

Ipsoque Columbano.

Strabone.

in lucem editum anno Domini 571. quæ videntur contra ea, quæ habet Walafridus c. 1. vitæ S. Galli, ubi dicitur, S. Gallum adhuc juvenem, à parentibus traditum disciplinæ, curæ, & magisterio S. Columbani, jam tum proculdubiò maturæ ætatis, & famâ per universam Hiberniam celeberrimi. Item contra historiam vitæ *S. Magni* per *Theodorum*, & Catalogum veterem Sanctorum Diœcesis *Constantiensis*, in quo legitur: *S. Gallus nepos Columbani, filius regis Callernach, & S. Deicola frater S. Galli.* Qua namque ratione congruè dici, aut credi potest discipulus, & nepos, magistrum, & patruum, vel avunculum ætate superasse? Ex quibus & aliis multis gravissimis conjecturis manifestum est ibi pro *vigesimo* substituendum numerum aliquem majorem.

& Theodoro Campidonensi.

74 In *Lectionario* Chori Luxoviensis, in quo Vita S. Columbani authore Jona per lectiones distribuitur, pro *vigesimo* legi *trigesimo*. Quæ lectio majorem habet probabilitatem, & cum temporum circumstantia concordiam; quo etiam modo videtur alius textus legendus, quo infrà asseritur post annum vigesimum incolatus eremi *Vosagi* Columbanus in exilium Luxovio pulsus. Et secundum hæc sic taxanda erit S. Columbani ætas, ut anno Christi 520. sit natus, intra videlicet primordia fidei gentis Hibernicæ, & ad annum usque 615 vitam produxerit, qui fuit ætatis ejus nonagesimus quintus; quorum annorum distributionem ita confeceris. Vixit in Hibernia Columbanus triginta annis, viginti in sæculo, & decem in monasterio Bennchorensi; alios deinde triginta *Luxovii*, reliquos triginta quinque insumpsit in peregrinatione, per Britanniam, in qua uno fortè anno hæsisse credendus est, cùm inde secum discipulos duxisse legatur, & per Galliam, in qua forsan 28. vel circiter; vel triginta octo (si viginti tantum annos incolatui ejus Luxovii cum Jona tam in ipsius S. Columbani, quàm in Eustasii Actis ita scribente, tribuamus) partim extra *Anagratem*, ante videlicet perlatam sanctitatis ejus famam ad aulam Sigeberti Regis, (quo tempore facilè crediderim ipsum Romanæ peregrinationis iter executum) partim etiam intra, ante constructum Luxoviense cœnobium, peregit. Reliquos verò sex annos complevit in peregrinatione per Germaniam ad lacum Brigantinum, & per Italiam, tum Mediolani apud Agilulfum, tum in suo Bobiensi cœnobio, in quo tandem expleto anni circulo vitam beatam finivit, ad beatiorem translatus.

Quæ verisimilior est supputatio nixa Lectionario Luxoviensi,

75 Cum qua quidem distributione facilè concordari possunt tempora Regum *Sigeberti, Childeberti,* & *Theodorici,* sub quibus in eremo Vosagi vixit Columbanus. Nam ab anno septimo regni *Sigeberti*, quo Burgundiam intravit Columbanus, ut habet catalogus Abbatum Luxoviensium; vel 13, ut notatur in quodam MS. Codice ejusdem monasterii, usque ad mortem Theodorici, quo tempore vir Sanctus Italiam est ingressus, fluxerunt regni Burgundici anni 32, vel 34, vel 40, aut ad summum 47, juxta diversas scriptorum de horum Regum ætate sententias. Nam Sigeberto Regi 13. annos Gaguinus, quatuordecim codex ille Luxoviensis administrationis annos concedit: Childeberto filio dictus codex annos 20, Sigebertus * verò Gemblacensis viginti duos: Theodorico autem assignat idem codex undecem tantùm, octodecim imperii annos Sigebertus & Gaguinus, ad quos Baronius accedit, * qui obitum Childeberti statuens anno Christi 596, & Theodorici successoris in anno 613, tribuit Theodorico 17 regni annos. Nunc ergo si unum, vel sex, vel tredecim annos pro varietate opinionum jam explicatâ, illis 28, vel (si ita ponis) 38. annis, quos ante constructum Luxoviense cœnobium exegit in Galliis Columbanus, subtractos, assignaveris moræ ejus in *Anagrate*, & adjectis tribus, vel quatuor annis, quos in peregrinatione per Germaniam ad lacum Brigantiæ insumpsit, triginta annis Luxovii transactis adnumeres, taxatum jam annorum vel 34. vel 40, aut 47. cursum perfectè compleveris. Si ponatur S. Columbanus viginti tantùm annis mansisse Luxovii, tunc quatuordecem vel circiter ex annis regum istorum tribuendi erunt incolatui cœnobii Anagratensis. Itaque secundum primum computum assignantem triginta quatuor annos trium regum prædictorum imperio, Columbanus nascitur anno Domini 520. peregrinationem ingreditur anno 550, ætatis suæ 30: Anagratem incolere cœpit anno Domini

quæ temporibus Regum Franciæ conciliatur.

* ad annum 600. & 618.

* lib. 2. Hist. Franc.

mini 578, ætatis 55: vel si adventus ejus ad Sigebertum contigisse dicatur anno regni ejus septimo cum Catalogo Luxoviensi, anno salutis 571, Luxovium ædificat anno 579, vel sequenti inchoato, inde pellitur anno 610, Italiam ingreditur anno 613, ac tandem translacto forsitan anno uno vel circiter Mediolani in congressu contra Arianos, in constructo à se cœnobio Bobiensi moritur anno 615, nonagenario major. Qui voluerit ponere calculum secundum alias opiniones de ætate dictorum regum, vel de incolatu 20 tantùm annorum in cœnobio Luxoviensi, facilè poterit ex prædictis. Computus iste magnam videtur habere probabilitatem, verùm adhuc subest difficultas: nam si S. Columbanus 28, vel 38 annos ante constructum Luxoviense cœnobium in Gallia transegit, mirum est Jonam, exactum rerum ab ipso gestarum Notarium, tacuisse locum mansionis ipsius ante incolatum Anagratensis cœnobii, modum quoque conversationis, & miracula per ipsum procul dubio plurima patrata siluisse.

uti & alia Stephani Viti.

67 Propter hanc forsan rationem doctissimus Pater Stephanus Vitus, hatum rerum, si quis alius, peritissimus disquisitor, maximam ætatis S. Columbani partem in ipsa Hibernia translactam existimat, putans citato loco pro *Vigesimo* legendum, *Sexagesimum* ætatis annum, quo egressum ponit ex Hibernia Columbanum, hoc est, ut ipse computat, anno Christi circiter 576, quo etiam ad Regem Sigebertum in Gallias venit; deinde Luxoviensis cœnobii exordium refert ad annum 595; à quo non multùm recedit memoratus Codex, qui anno sequenti Luxovium construi cœptum tradit; & ita secundum ipsum ætas S. Columbani ab anno 516, quo natus est, ad annum 615, quo ipsum obiisse superius dictum est, centum annos uno minus amplectitur. Huic sane conjecturæ fidem aliquā adferre posset quòd facilè potuit per imperitiam scriptoris qui forsan ex *VI*gesimo duos primos apices ad numerum 60 signandum præmissos pro litteris habuit, priorem illius vocabuli syllabam conflantibus.

Et quidem dictæ lectioni, aut in ea fundatæ annorum Columbani distributioni judicaret forsan aliquis non obviare, deductam illam ex Jonæ de Columbani Actis ante erectum Luxoviense cœnobium silentio conjecturam. Nam peregrinationem Romanam, in qua proculdubiò non paucas virtutes patravit, similiter tacuit; quam tamen Columbanum, (& fortè ante stabilitum in Burgundia fixum habitationis domicilium) peregisse, tam ex ipsomet sancto in Epistola ad *Gregorium*, ubi dicit quòd ipse denuò Romam proficisceretur, nisi senectus & Fratrum cura retraherent; tum deinde ex hydria, quæ à S. Gregorio Romæ ipsi tradita fuit, quæque adhuc in monasterio Bobiensi visitur, & aliis multis indiciis colligitur. Præterea S. Columbani cum suis in aliquo deserto latitantis ante obtentam à Sigeberto *Anagratem* conversationi convenire diceretur illa descriptio, quam cap. 4. Jonas instituit, Angelicæ eorum in terris vitæ. Unde propter solum Jonæ silentium forsan aliqui putarent non rejiciendam illam lectionem.

etsi utràque faciliorem clarioremque statuimus.

77 Mihi verò, quidquid sit de hoc, omnibus consideratis illa annorum Columbani ordinatio clarior & facilior apparet, qua ejus in Hibernia conversationi 60 anni cum Patre Vito conceduntur, alii verò triginta incolatui eremi Vosagi, ex quibus decem forsan in Anagrate, & viginti in monasterio Luxoniensi (quod ultimum tradit Catalogus Abbatum Luxoviensium) transacti fuere; reliqui denique quinque in peregrinatione per Germaniam, & Italiam assignantur. Et sic nativitas Columbani referenda erit ad annum 520 Christi, suscepta peregrinatio in annum 580 ineuntem, accessus ad Sigebertum ad finem ejusdem, fundatio cœnobii Luxoviensis ad annum 590, transitus in Germaniam ad annum 611 jam inchoatum, ejus denique felicissimus ex hac vita exitus ad annum 615. Et hæc supputatio conformior etiam videtur Jonæ, qui ait Columbanum, multorum annorum in monasterio Bennchorensi circulos exegisse: certè novem, vel decem dumtaxat anni, multorum annorum curriculo ægrè intelligendi veniunt. Deinde quomodò missus ad opus tam arduum Evangelicæ prædicationis, & tot monachorum in religione monasticā exercitatorum dux & Abbas constitutus, non fuisset maturioris & provectioris ætatis? Quomodo saltem non fuisset tricenario major? Quia tamen ea quæ in senibus desiderantur,

derantur, & rarò reperiuntur, prudentia videlicet, ac sapientia cum morum maturitate conjuncta, in Columbano adhuc annorum numero minus provecto relucebant, non ausim deductum superius ex Lectionario Luxoviensi ætatis hujus Sancti viri computum, tanquam long aut veritati contrarium omninò damnare.

78 Ex hactenus dictis corrigendus Aimoinus, qui anno 14 *Theodorici* & *Theodoberti* Columbani in Galliam adventum ponit; item Sigebertus, qui transitum ejus ex Hibernia refert ad annum Domini 602, & alii plures. Rejiciendi quoque sunt illi, qui mortem S. Columbani extendunt ad annum Christi 622, qui ex ipsius Epistola ad Bonifacium Papam IV. convincuntur errare. Nam in fine illius testatur se ad eam scribendam inductum à Rege Longobardorum *Agilulfo* (ut ego lego) ac proinde jam tum in Italia existebat, ubi Mediolani reliquias Arianorum profligabat, agens interim cum Rege de loco fundandi monasterii obtinendo. Jonas autem exprimit Columbanum, expleto anni circulo in monasterio Bobiensi è vita migrasse; nec ullibi legitur ante constructum Bobiense cœnobium, alibi in Italia diu hæsisse: sanè si Mediolani annum integrum exegit; hoc est summum. Unde reor epistolam illam scriptam fuisse anno ultimo Pontificatus Bonifacii, hoc est, anno Christi 613. vel sequenti; & deinde à morte Bonifacii, anno uno evoluto, sub Deusdedit Papa obiisse Columbanum, hoc est, ut anteà sæpè repetii, an. 615.

De duodecim sociis S. Columbani ex Hibernia.

Hiberni olim ad prædicandum missi duodecim socios assumebant ad exemplum Salvatoris:

79 Cum duodecim Fratribus, Christo duce, ad littus maris accedunt, &c. Moris quippe erat olim priscis Hiberniæ Sanctis magni nominis, ad Evangelizandum præcipuè externis Nationibus missis, ad exemplum Christi Salvatoris duodecim discipulorum, seu sociorum cœtum colligere, quod præter Columbanum hunc, fecisse legitur S. *Columba Hiensis*, qui duodecim secum duxit Evangelicæ prædicationis socios, cùm ex *Hibernia* in *Britanniam* ad septentrionalem *Pictorum* gentem convertendam se contulit; & S. *Willibrordus* Anglus, qui ex eadem Hibernia cum totidem comitibus ad antiquorum *Saxonum*, aliorumque *Germaniæ* populorum gentes in Christi fide instruendas profectus fuit. Idem de *S. Forannano* Episcopo Hiberno, & *Valciodorensis* in *Belgio* monasterii fundatore, tradit ex antiquis ejusdem loci monumentis Molanus in *Indic. ad* 30. April. Qui sanctus ligna duo ad formam crucis disposita conspiciens, cum duodecim sociis conscendit, & stupendo miraculo, flante Sancti Spiritus aurâ, salvus ad *Galliarum* littora pervenit. Plurima hujus rei exempla in Legendis, & Menologiis Hibernicis nostrorum Sanctorum occurrunt, quæ hîc non vacat adducere. Ad Evangelizandum præcipuè, ajebam; quia ubi nostrorum olim præcipuus scopus peregrinationis non fuerat conversio infidelium; sed aliud, v.g. peregrinatio ad limina Apostolorum, vel terram sanctam &c. aut solitariæ vitæ studium, non habebatur determinati comitum numeri ratio, ut multis ostendi posset exemplis. Scopus primarius *S. Columbani* fuerat prædicatio Evangelii. Cæterùm quinam fuerint illi duodecim, quos secum duxit *Columbanus*, nec *Jonas*, nec alii ulli distinctè exprimunt. Visebatur aliquando in Tiburio Bobiensi vetusta pictura *S. Comgalli*, *Columbanum* & comites ejus ex Hibernia ibidem depictos benedicentis, effigiem præferens, qui recensentur hi, *Aldanus* Episcopus ex monacho creatus, *S. Deicola* Abbas, *S. Culianus* Abbas, comes S. Columbani Romam euntis, *S. Calboaldus* monachus; accensentur etiam prædictis, *Ado*, *Dado*, *Eustasius*, *Walericus*, *Amatus*, *Romaricus*, & alii non Hiberni. Verùm huic picturæ non est fidendum. Nam notissimos apud *Jonam*, & alios omnes scriptores, *Columbani* ex Hibernia comites, *S. Gallum*, & *Columbanum* juniorem, Luxovii defunctum, prætermittit, & *Eustasium*, *Romaricum*, & alios inserit, quos constat non venisse ex Hibernia cum Columbano, sed Luxovii primùm monasticam professionem emisisse. In Chronicis Consecrati Petri Ratisbonensis inter socios *S. Columbani* & peregrinationis comites numerantur sequentes, *S. Gallus*, *Magnus*, *Florentius*, *Maximianus*, *Albeus*, *Neemias*, *Columbanus*, *Finnanus*, & alii (inquit

(inquit author) *plures sancti, qui in comitatu mysterium S. Evangelii fideliter adimpleverunt.*

à S. Columbano assumpti recensentur.

80 Quantum ego vel ex vetustis Ecclesiæ Bobiensis tabulis & scripturis, vel ex antiquis hisce Chronicis (quoad multa alioquin apocryphis) aliisq; conjecturis potui colligere, duodecim illi, de quibus loquitur *Jonas*, fuere *S. Gallus, Deicola, Sigisbertus, Columbanus junior, Cumminus, Eunochus, Ecconanus, Domitialis, Culianus, Neemias, Lua*, vel *Potentinus, Florentius*, vel *Albeus*, aut aliquis ex illis, quos exprimit Chronicon illud *Consecrati Petri*.

S. Gallus.

S. Gallus, cujus festum agitur die 16. Octobris, Helvetiæ fuit Apostolus & celeberrimi San-Gallensis oppidi & cœnobii, totius Germaniæ facilè principis, fundator & patronus: de quo quia infrà prolixior habendus est sermo, & ejus Acta à Walefrido copiosè conscripta, passim edita reperiuntur, hîc plura congerere superfluum existimo.

S. *Deicola*, cujus Natalem Martyrologia reponunt 18. Januarii, germanus Frater *S. Galli*, ut habet Catalogus Sanctorum Diœcesis *Vindonensis*, postquam multos *Luxovii*, sub Columbano annos in eximia vitæ sanctitate duxisset, inde cum aliis posteà Hibernis monachis à *Theodorico* pulsus, cùm senio confectus longioris peregrinationis molestias ferre non posset, *S. Columbano* permittente, in ipsa *Burgundia* remansit, & juxta pagum Sutriensem, non multis à Luxovio milliaribus, resedit; ubi post multas à quodam Presbytero, invidiæ stimulis agitato, injurias patienter acceptas, tandem Domino patientiam ipsius præmiari volente, *Uuefarium* quendam nobilem defunctum, suis precibus ad vitam præmisit æternam, ob memoriam tanti beneficii Ecclesiam *S. Martini* (cui dictus Presbyter præerat) cum annexis prædiis & possessionibus sibi oblatam accepit, & in monasterium, *S. Martini* nomine consecratum, erexit; quod posteà Clotharii Regis & aliorum nobilium munificentiâ dotatum, Apostolicæ Sedis privilegiis, ipsi Sancto Romę concessis communitum, nobilissimum evasit, & per multa tempora in suo splendore permansit, licet hodiè, proh dolor! paucos habeat Monachos. Ferunt loci habitatores tantis Sancti Fundatoris ossa clarere miraculis, ut vix magnis voluminibus comprehendi queant quæ adhuc in dies per ipsius merita patrantur.

S. Deicola.

S. Sigebertus.

81 De *S. Sigiberto*, *Descrtinensis* in *Rhetia* monasterii fundatore, quia nulla penè ejus apud scriptores reperitur memoria, placuit ex Breviario Curiensi (in quo Episcopatu situm est illud monasterium) proferre quæ sequuntur. *Tempore Arnolphi Regis Longobardorum, præsidente Beato Papa Gregorio, Columbanus cum Gallo & Sigiberto, patriam suam* Scoticam *propter Christum relinquens, venit Ursariam, & construxit ibi Ecclesiam, quæ Columbæ dicitur. Ibi reliquit Sigibertum eremi amatorem. Columbanus verò cum Gallo propter prædicationem in Sueviam ivit: Sigibertus verò in Alpibus vasta solitudinis, quæ Desertina nuncupatur, B. Virginis Oratorium construxit: ubi ipse vitam Eremiticam duxit, imitator Eliæ, & Joannis Baptistæ: ubi multi ad eum causa doctrinæ veniebant.* Et paucis de crudelitate ac impietate cujusdam in ea Provincia tyranni, nomine *Victoris*, interpositis, subjicit immane crudelitatis ejus exemplum, sancti videlicet *Placidi*, ipsius Sigisberti discipuli, gloriosum martyrium. *Quadam die* (inquit) *Victor Placidum fecit decollari: decollatus verò Placidus, sicut Fœlix & Regula, surgit, & suffragantibus Angelis, in suis manibus proprium caput accepit, & ad locum ubi Sigibertus erat, deportavit. Tunc mulier sibi occurrit, à qua velamen, quod fuit in ejus capite, ad involvendum suum caput petiit. Tunc illa nimio terrore perterrita, velamen sibi projecit, & fugit. Igitur martyr Dei Placidus glorioso sui triumphi signo refulgens, ad locum destinatum, & à Deo sibi præparatum, miro, & inusitato gressu pervenit; quem servus Domini Sigibertus admirans, deflens, gaudensq; suscepit; & cum Psalmis & hymnis collaudans mirabilem Deum in Sanctis suis, digno cum honore juxta Oratorium Sancti Martini, quod ad latus Basilicæ genitricis Dei fuerat, sepelivit, assiduè super eum orans ad Deum. Post paucos deinde dies tyrannus, non victor, sed victus, Rhenum fluvium cum transire vellet, de alto ponte cecidit, & mortuus est.* Filius verò ejus, *nomine Tollus, cùm esset Curiensis Episcopus, tyrannidem patris arguens, exitum pertimescens, memoriam sancti Martyris diligenter excoluit, & de suo patrimonio largiter honoravit. Post non multum verò temporis Sanctus confessor Domini Sigibertus de terris ad cœlum migravit, sepultusq; est in tumulo sancti martyris, ut* quorum

qui in Rhetia in suo monasterio colitur 11. Julii.

Eodem sepulchro, quo ejus discipulus S. Placidus Martyr, sepultus.

quorum una mens fuerat in Domino, uno ambrum corpora tegerentur & loculo. Exinde ſacer ille locus tantis à Domino ſignorum miraculis eſt illuſtratus, ut ipſi Reges & Principes ſummo honore eum dignum ducerent, & de longinquis regionibus clariſſimi viri & matronæ confluerent, & maximis muneribus atque poſſeſſionibus ditarent. Et ſubdit poſt pauca deſolationem ſacri loci ab Hungaris factam.

Poſt hæc impia gens Hungarorum de vagina ſua crudelitatis educta, in ſervos Dei ſanctos, qui habitabant in Deſertina, graviter eſt graſſata: nam omnes, quos in monaſterio invenerunt, gladio peremerunt, & ablatis rebus omnibus, locum prius habitabilem, deſertum fecerunt. Exinde poſt annos aliquot Francorum exercitus tranſiens, & locum deſertum inveniens, incautè equos infra muros Eccleſiæ clauſit, & in mane mortuos invenit. Quo ſigno perterriti, venientes ad Regem, quæ paſſi fuerant, nunciaverunt, & Regis animum ad inquirendum de loco iſto non mediocriter excitaverunt. Hæc ex illo Breviaro ad 11. Julii; quibus conſonant ea quæ de eiſdem leguntur in quodam ejuſdem monaſterii MS. Codice. Miracula porrò ipſorum copioſè ſignata viſuntur in appenſis ad ſacrum ſepulchrum tabulis; ex quibus quanti fuerint ſancti illi apud Deum meriti, facilè prudens lector intelliget.

Columbanus junior,

De S. Columbano juniore agit Jonas cap. 16. ubi glorioſum ejus ad cœlos tranſitum deſcribit, & Martyrologium Luxovienſe ad 22. Novemb. Arnoldus Wion, Yepes, & alii.

Cominus, Eunochus, Ecconanus, Domitialis,

Alii quatuor, qui ſequuntur, notati reperiuntur inter illos, qui ſubſcripſerunt inſtrumento, quo S. Columbanus monaſterium Bobienſe tradidit ſub protectionem Sedis Apoſtolicæ: tres primi, de quibus diſertè Jonas meminit cap. 12. ita ſe ſubſcribunt: *Ego Cominus monachus. Ego Eunochus Sacerdos & monachus. Ego Ecconanus Sacerdos & monachus.* Domitialis autem ſic: *Ego Domitialis humilis Diaconus Scotus & monachus.*

Cullanus,

Culianus Abbas forſan eſt ille, quem Petrus Caniſius in ſuo Martyrologio ad 13. Martii vocat Culanum.

Neemias,

Neemias ille alius eſt ab Epiſcopo Hiberno, de quo S. Bernar. in vita S. Malachiæ, & Vincentius in viſione Tondali.

Lua, Potentinus,

Luam Jonas c. 20. *Virum Sanctiſſimum & omni religioni deditum* appellat. De Potentino in eodem capite meminit, *qui*, inquit, *adhuc ſupereſt, & in Armoricano loco in ſuburbano Conſtantiæ urbis monachorum cohortem adunavit.*

Florentius, Albeus, Maximianus, Sinianus.

De Florentio, Albeo, & aliis ſuprà memoratis ita codex ille Conſecrati Petri. *S. Florentius apud* Lors *venerabilis habetur. S. Maximianus apud* Hersfeld *reverendus habetur. S. Albeus cum ſociis ſuis apud* Eluange *in pace quieſcit. S. Sinianus in Auguſta celebris prædicatur.* Qui quidem quatuor adhuc nobis ignoti ſunt. Ille Florentius, alius proculdubiò eſt ab Epiſcopo Argentinenſi, de quo Surius, Gulimanus, & alii: & Albeus ab Albio Epiſcopo, de quo Martyrologium Subenſe ad 30. Decembris.

Quomodo leguntur plures quàm duodecim Columbani ex Hibernia diſcipuli.

82 Neque arguendum quiſquam putet Jonam erroris cum plures, quàm duodecim legit Hibernos monachos Columbani diſcipulos. Cum enim in Gallia, longè lateque diffusâ Columbani famâ, Congregatio Luxovienſis ſimul augeri cœpiſſet, & monachorum creſcente multitudine, monaſteria multiplicari, veriſimile planè eſt, vel ipſum Columbanum ex Hibernia ſibi in auxilium plures operarios advocaſſe: vel certè ipſos Hiberniæ monachos ſpe lucri ſpiritualis, & animarum zelo, vel peregrinationis amore permotos, ſponte voluiſſe ad ipſum commigrare. Ex quorum numero fuiſſe creditur S. Magnus cum ſuo collega Theodoro, qui celebri Columbani fama illectus, ad ipſum ex Hibernia Luxovium venit, ubi monaſticū induit habitum, ut ex Theodoro in ipſius S. Magni Actis colligitur.

Breviarium antiquum relatum à Serario in Notis ad acta S. Kiliani.

Sunt nonnulli qui ſcribunt, S. Kilianum Franconiæ Apoſtolum redeuntem ex urbe reliquiſſe ex ſociis ſuis S. Columbanum in Italia, & S. Gallum in Helvetia, quaſi uno commeatu fuiſſent ex Hibernia profecti Columbanus & Kilianus. Verùm hi manifeſtè convincuntur errare ex temporum utriuſque Sancti diſtantia.

Columbanus S. Kiliani Herbipolenſis ſocius eſſe non potuit.

Sanctus ſiquidem Columbanus ut ſupra vidimus, migravit ad Chriſtum anno Domini 615. ſub Deuſdedit Papa, & Kilianus Romam profectus eſt anno 696. ſub Conone Papa, (ut habet Baronius ad eundem annum,) à quo ordinatus eſt Epiſcopus & Apoſtolus Franconiæ, adeoque ab obitu Columbani ad profectionem & ordinationem S. Kiliani octoginta unus anni fluxerunt. Quomodo ergo Kiliani ſocius eſſe potuit Columbanus, qui forſitan mortuus eſt, antequam ille naſceretur.

IN

IN CAPUT IV.

83 *Tanta humilitatis ubertas, ut de humilitatis cultu alter alterum niteretur prævenire.* Sciebant quippe viri sanctissimi, ita se invicem honore prævenientes, præclaros virtutum fructus, quos carpere satagebant, non nisi ex humilitatis radice posse prodire: *Siquidem unusquisque, humilitate supposita, tutißimè cuncta superponit ædificans: hæc vero subducta, etiamsi ad ipsum usque cælum conversationis sublimitate pervenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem peßimum relabuntur: nam sive orationem, sive jejunium, sive misericordiam, sive pudicitiam, sive aliud quid bonorum absque humilitate congreges, statim cuncta diffluunt cunctaq; depereunt.* Quod optimè author attendens, beatorum virorum Angelicam descripturus in terra conversationem ardens eorum ad humilitatem studium præmisit, & exinde pietatem, mansuetudinem, charitatem, patientiam, paupertatem, in quarum continuo versabantur exercitio, postremò velut ex illa radice nascêtes enumerat.

Chrysost. hom. 15 in Matth.

IN CAPUT V.

84 *Sigeberti Regis ad aulam.* Hic est Sigebertus filius Clotharii hujus nominis primi, Francorum regis, avus Theodeberti & Theodorici, de quibus infrà Jonas c. 17. Gaguinus l. 2. fol. 11. tredecim, Codex verò Luxoviêsis infrà citandus, ipsi 14. assignat regni annos; mortem ejus refert Sigebertus Gemblacensis ad annum 578. Catalogus Abbatum Luxoviensium infra recitandus, Columbani adventum ad Sigebertum statuit anno 7. regni ejus, Codex verò præfatus anno 13; qua de re infrà habendus est sermo. Ex quibus & aliis multis corrigendus est codex S. Maximini, in quo legitur pro Sigeberto *Childebertus*, contra imprimis alia omnia tam MSS. quàm impressa Jonæ exemplaria, & tabulas Luxovienses & Bobienses. Item contra Carolum Magnum in suo pro monasterio Luxoviensi edito privilegio, Walafridum Strabonem c. 2. vitę S. Galli, Hermannum Contractum in Chronicis, & alios antiquos unanimi consensione S. Columbani adventum sub Sigeberto Rege statuentes. Denique contra hunc ipsum S. Maximini Codicem, in quo cap. 17. conformiter ad alia exemplaria hæc leguntur: *Sigebertus Rex, cujus superius fecimus mentionem, apud victoriacam villam publicam interfectus est.* Ubi cum Jonas testatur se antea meminisse Sigeberti, clarè satis ostendit in hoc loco, in quo duntaxat de Sigeberto loquendi offerebatur occasio, non Childebertum, sed Sigebertum se scripsisse, & proinde non nisi librariorum errore mendam illam irrepsisse, qui facilè poterant ex illorum nominum affinitate decipi.

Duobus regnis Austrasionum, Burgundionumq;. Regnum Austrasiorum, hoc est, Metense; cui idcirco *Austrasia* appellatio indita fuit, quòd Campaniæ Superioris partem continens, ad Alemannos usque protendebatur: Austrasia porrò ipsa sic vocitata, quòd *Austracus* Rex, vel ut aliis placet, *Auster*, eam incoluisset. Hujus vastissimi olim regni limites ab extrema Burgundia ad Alpes Orientem versus, & ad mare Frisonum in Rheni & Scaldis fluenta ducebant. Ipsius primariæ sedes per temporum intervalla fuere *Aquisgranum*, & *Metis*. Comprehendebat *Trajectum*, *Coloniam*, *Treviros*, *Moguntiam*, *Brabantiam*, *Geldriam*, *Cliviam*, *Hollandiam*, *Zelandiam*, *Hannoniam*, *Haspaniam*, *Alsatiam*, *Leodium*, *Lemburgum*, *Comitis Palatini quæ citra Rhenum sunt loca*, *Arduennam*, *Barrum*, & eam regionem, quam hodiè *Lotharingiam* dicimus. Et hoc regnum Austrasię hisce finibus conseptum, prisci *Orientalem Franciam* appellabant: qua de re Gaguinus l. 5. fusius, ex quo hæc ferè verbotenus descripta sunt. De Burgundionum verò origine & regno sic idem Gaguinus l. 1. f. 5. habet: *Augusto imperante cum Vandalorum gens in extremis Germaniæ locis, ubi consederant, tumultuarentur, Tyberius & Drusus Octavii jussu in eos expeditionem duxerunt: Quos victos partim ultrà Rheni ripas in Galliis per vicos, quos Galli Burgos vocant, distributos habitare fecerunt. Inde à Burgis Burgundiones primò appellatos fuisse comperio: Qui sequenti tempore Sequanos, Allobroges, Provinciamq; partim Narbonensem & Lugdunum occupavêre; Arelate siquidem, atque Aurelia regni sui sedem aliquando posuerunt. Nam Otho quartus Germanus Imperator, se Arelatensem Regem appellavit & possedit.* Hæc ille, quę hîc placuit annotare, quòd horum in progressu hujus historiæ sæpiùs mentio recurrat.

Gaguin. l. 2. f. 17. & l. 5. f. 42.

Origo & latitudo regni tum Austrasiorum tum Burgundionum.

Inclytus regnabat Francis. Aliqui æstimant hoc genti nomen impositum à

Valentiniano juniore, qui ob reportatam de *Alanis* imperio rebellibus * victoriam, solitam tributi pensionem ad decem annos Francis remisit; à qua remissione *Franci*, hoc est, liberi, dicti sunt; vel à victoria *Franci*, hoc est, feroces, à Valētiniano appellati. Verùm rectius fortasse loquuntur, qui à *Francione* nomen sortitos autumant, quo Duce Franci primùm *Sicambriam*, urbem Pannoniis finitimam, extruxerunt. Nam Francorum nomen ante Valentinianum apud Flavium Vopiscum, & Ciceronem in Epistola quadam ad Atticum legitur.

* Gaguinus l. 1. fol. 1.

Franci unde appellati?

De eremo *Vosago*, & *Castro Anagrates*, de quibus in hoc capite fit mentio, nihil notandum occurrit. Hoc solum sciendum, monasterium illud *Anagratense*, licet origine primum, tamen à Luxoviensi fuisse dependens, sicut & *Fontanense*, quod post monasterium Luxoviense, extructum fuit, quæ tria loca in eadem eremo sita sunt, ut ex progressu Historiæ constat.

IN CAPUT VI.

85 *Monuit Carantocum.* De Carantoco legitur sic apud Kirkested in suis Monasticis (quod Opusculum ex MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ pro majori parte transcripsi) *Carantocus monachus & Abbas Hiberniæ.* Item in Indiculo quodam MS. Sanctorum Angliæ & Hiberniæ, à quodam Patre Carthusiano Anglo, collecto, hæc ex Richardo Whitfordo ad 16. Maii annotata reperi. *In Hibernia festum S. Carantoci (qui etiam Cernacus vocatur) Regis Angliæ filii. Ab ineunte ætate totus virtuti erat deditus, & cum jam pater ejus ætate provectior esse cœperat, illi tanquam hæredi diadema regni sui resignare volebat. Sed ille clam se abducebat, & vestem cum mendico commutans, in qua preces ad Dominum effundebat, ut illum, quo vellet duceret & dirigeret; atque illicò advolabat Angelus sub specie Columbæ & ad locum solitarium, illum ducebat, in quo magna cum sanctitate vivebat. Postea idem Angelus in eadem forma in Hiberniam illum transferebat, ut Sanctum Patricium visitaret, atque inde ad multa alia loca, in quibus semper magna edebat miracula, & fidem multùm ædificabat, in qua tandem fœlicissimè obibat.* De hoc eodem Carantoco meminit Capgravius in vita S. Bregwini Episcopi, qui ait, ipsum in Hibernia peregrinantem diem obiisse 17. Calend. Junii, *Et sepultum in civitate quæ à nomine suo vocata est Cernac.* Ceterùm an hi duo de hîc memorato Carantoco loquantur, necne, mihi obscurum est. Sanè, quod huc spectat, non videtur Jonas de ullo in Hibernia tunc degente hujus nominis, sed de aliquo, qui in Gallia, vicina Anagrati loca incolebat, Carantoco fuisse locutus, cujus neque patria, neque monasterium illud *Salicis*, de quo Jonas, mihi compertum est.

Carantocus in Hiberniam ab Angelo translatus.

85 *Ut famulo suo Columbano necessaria deferret.* Hoc & alio in eodē capite suprà relato luculentissimo divinæ providētiæ circa suorū servorū necessitates exēplo docemur, ne simus soliciti in crastinum, *quid edamus, aut quid bibamus*; cùm Pater cœlestis, cui est cura de nobis, sciat his nos indigere. Similia his exempla leguntur in vita S. Benedicti apud Gregorium lib. 2. Dialog. & S. Dominici apud Theodoricum de Apoldia. Præclarum quoque est, & memoratu dignum quod de quodam Hiberniæ monasterio referunt *Chronica Consecrati Petri Ratisbonâ*, cujus loci monachi, cum jam expleto Quadragesimalis abstinentiæ curriculo, ipso die Sancto Paschæ nihil, quo confecta jejunio corpora reficerent, domi residui haberent, præter unum panem, seniore jubente, eodem omnes animi fervore congregati, Psalterium decantare incipiunt, cujus primâ quinquagenâ recitatâ, jubet Abbas dispensatorem explorare, an quidquam Dominus providisset; quo nihil adesse respondente, 2am. & 3am. pari spiritus alacritate quinquagenam prosequuntur. Quibus expletis, missus à seniore tertiâ jam vice procurator, renuntiavit totum montem, in quo cœnobium consistebat, panibus, ovis, caseo, lacte, tauris, porcis, altilibus, vino, medone, cervisia, aliisque ciborum generibus esse refertum, quæ divinæ misericordiæ larga benedictio summo cum stupore, & gratiarum actione percepta, sanctis viris famem pepulit, & fiduciam auxit in eum qui dat escam omni carni, & pullis corvorum invocantibus eum. Fuerant autem ista omnia, ut eadem Historia refert, decimæ Regis Hiberniæ, quas ex omnibus, quæ pro mensa regia parabantur, sumi jusserat, & collectas posteà in unum, seorsim alicubi includi, divino consilio,

Varia divinæ providentiæ exempla.

consilio & dispensatione egenis distribuendas. Ex quo loco deinde Angelico ministerio eductæ, & ad illum montem, qui *Silex S. Michaëlis* dicitur, translatæ sunt. Quo in loco multa alia mirabilia, meritis ibi aliquando habitantium monachorum operatus est Dominus virtutum, quorum aliqua copiosè prosequitur præfatum Chronicon.

IN CAPUT VII.

86 ORa *vestimentis ejus jungunt.* In hoc capite de luporum ad viri Dei conspectum sedatâ rabie, & ursi obedientiâ agitur. Talem didicerunt ursi obedientiam sancti viri discipulis *Gallo & Magnoaldo*, velut perfectis ejus innocentiæ sectatoribus, exhibere. Multa quoque de affectu bestiarum in Sanctum Patrem nostrum *Franciscum*, ut de sensu ovium, leporum, & avicularum applausu, passim S. Bonaventura commemorat. Et inferius in hac eadem Historia cap. 14. corvi S. Columbano chirothecam sublatam restituentis profertur exemplum. Nempe obedientia creaturarum in sanctis viris, quibus exhibetur, justitiæ originalis & innocentiæ reparatæ indicium est. Quamdiu enim Adam in se puram Dei conservavit imaginem, bestiæ dominium, homini in ipsas collatum, agnoverunt & observarunt; postquam verò faciem peccatis turpavit, illæ velut incognitum fugientes, aversatæ sunt, & ut eleganter S. Chrysostomus Homil. in Psal. 3. *Quæ servæ erant ei, hostes evaserunt.* Itaque *non desperandum* (ut cum Philone Judæo l. de præmiis & pœnis, loquar) *mansuefactis nostris moribus, posse cicurari animalia. Tum demum opinor leones, ursos, pardos, & Indicos elephantes, atque Tygrides, cæteraq; invicti roboris, à solitario victu transitura ad sociabilem, paulatim depositâ ferociâ, & more gregalium latura consuetudinem hominum, cum quadam velut erga dominos, magistrosq; suos reverentiâ; nonnulla etiam eò processura, ut heris gestu, caudaq; adblandiantur, in morem catulorum Melitensium.* Qui cupit ergo dominari creaturis, serviat Creatori. Nunc ad caput octavum transeamus.

Acta SS. Galli & Magni.

Sanctis viris interdum feræ bestiæ obediunt & applaudunt.

IN CAPUT VIII.

De origine & progressu celeberrimi Luxoviensis monasterii.

87 L*Uxovium prisca tempora nuncupabant.* Hic est ille locus eremi Vosagi, in quo Sanctissimus monachorum Patriarcha Columbanus, excisis inanium deorum simulachris, trophæa crucis Christi, & sanctorum fixit imagines; aras & antra dæmonum convertens in Ecclesias Christi, & sanctorum habitacula monachorum. Hic, inquam, est ille locus, in quo nobilissimum illud Luxoviensis Congregationis caput extructum est, quod primi quidem vocabuli retento tenore, novo tamen mysterio, *Luxovium* fuit appellatum, cujus appellationis mysticæ rationem Carolus Magnus Imperator infrà citandus exposuit, & vetustus ille Codex Luxoviensis supra relatus in hæc verba depromit. *B. Columbanus apud Burgundiam in Vosago construxit nobile monasterium, quod vocatur Luxovium, id est, lux ovium, quia est initium & caput omnium monasteriorum Franciæ & Burgundiæ.* Quod nomen convenientissimè fuit impositum: erat enim olim sacratissimum hoc Collegium, lucerna ardens, & lucens omnimodæ sanctitatis & sapientiæ, cujus splendore illustrati innumeri monachorum greges, electi sunt à Domino ad illuminationem gentium, & gloriam plebis suę Israël, ut clarè prudens lector intelliget ex his, quæ in progressu de pristina hujus almæ domus excellentiâ dicemus. *Tantus in eo*, inquit Doctissimus Yepes erat, *numerus monachorum, ut novum Luxoviense cœnobium evaserit unum ex majoribus totius Franciæ, & ex præstantioribus & illustrioribus sanctitate eorum, quæ in Europa floruerunt. Et si dixissem posse cum excellentioribus & celebrioribus quibusvis in gignendis illustribus, & Sanctorum Catalogo adscriptis viris comparari, nullatenus me excessurum crederem.* Hæc ille Hispanico idiomate, quo suam scripsit historiam; quæ verissima sunt. Nam agente adhuc ibi sancto fundatore Columbano, ducentorum & viginti plus minus monachorum numerus, vel ut aliis placet, trecentorum censebatur; qui omnes (inquit Gotfridus Viterbiensis ad ann.

Luxovium congruum sibi nomen adeptum.

Yepes cent. 2. ad ann. Christi 611. c. 3.

ornavit monachorum ingens numerus.

laude perpetua.

583, *Sancti esse creduntur*, *excepto uno Hebroino.* Et hic numerus quotidianis proficiens incrementis, tempore successoris ejus *Eustasii* ad sexcentos excrevit; & quia tanta erat ipsorum multitudo, tantusque omnium corda sacræ devotionis fervor accenderat, chorus continuò in voces psallentium, & Deo cantantium monachorum resonabat juxta præscripta Sancti fundatoris, qui Angelicam hanc ibi consuetudinem introduxit, prout testatur Catalogus Abbatum Luxoviensium, qui de Eustasio sic loquitur: *Rexit Ecclesiam Luxoviensem per 40 annos, sexcentos monachos statuit in laude perpetua: jam enim constituerat B. Columbanus in dictam Ecclesiam perpetuam laudem.* Quibus sequentia S. Bernardi verba in vita S. Malach. concordant: *ex quibus* (sermo erat de monachis Bennchorensibus in Hibernia) *ad has nostras Gallicanas partes B. Columbanus ascendens, Luxoviense construxit monasterium, factus ibi in gentem magnam: tantam fuisse ferunt, ut succedentibus sibi invicem choris, cotinuarentur solemnia divinorum, ita ut ne momentum quidem diei, ac noctis Ecclesia vacaret à laudibus.* Quo ordine ista in divinis laudibus successio agebatur, superius, ubi de monasterio Benchorensi tractavimus, explicatum est. Quā Angelicæ successionis vicissitudinem non in monasteriis virorum tantùm ordinis S. Columbani, sed & in domibus sacrarum virginum (ubi numerus sufficiebat) sub ejus instituto viventium, ex *Amato* monacho Luxoviensi viguisse colligitur, qui in monasterio religiosarum Dominarum, quod ipse unà cum *Romarico* in monte *Vosego* annuente S. *Eustasio* Abbate, construxit, laudem perennem, sicut in Luxoviensi didicerat, stabilivit, & omnes Moniales, ut refert antiquus author vitæ S. *Amati* apud Sur. 13. Septemb. & ex ipso Yepes ad an. 620, in septem distribuit Decanias, quarum singulæ duodecim continebant, quæ omnes per vices suas choro interesse tenebantur. Porrò quanto tempore apud Columbani monachos perduravit status iste perpetuæ laudis nobis indicat præfatus Catalogus Luxoviensis, qui de B. *VValberto* tertio loci Abbate, loquens, sermonem ita prosequitur: *Post hunc* (nempe Walbertum) *fuerunt quamplurimi Abbates, qui statum laudis perpetuæ servaverunt, videlicet VVandalogus Berthoaldus, Ingofredus, Cunctanus, Resticus, Seifarius, Addonus, Anulfus, Rendinus, Regnebertus, Gerardus, Ratto, Villeneranus, Mellinus. Tempore istius venerunt Vandali & Vngari, & interfecerunt Fratres conventus & Abbatem, & cessavit laus perpetua, nec Abbas fuit per 15. annos*, Hęc ibi. Et ad marginem notatur annus 732, quo videlicet ista tam luctuosa desolatio contigit, de qua *Carolus* Imperator in Privilegio Luxoviensi monasterio collato, seu verius, in ejus appendice aliquis Notarius, de quo infrà.

ad 8. Christi Seculum continuatā.

88 Cæterùm cum hac ardentissima tam copiosæ multitudinis devotione, quanta consonantia præclara cæterarum virtutum, maximè verò paupertatis Evangelicæ, & fraternæ charitatis ornamenta in hac Congregatione conspirarent, elegantissimâ narratione describit pervetustus author vitæ *S. VValerici* Abbatis discipuli *S. Columbani*, vicinus illorum temporum, & ipsi *VValerico* ferè ęqualis, referens ut *S. VValericus* cum suo discipulo *Bobone*, nobili & opulento viro, Luxoviense monasterium adierit. *Et ne missa semel*, inquit *ad aratrum manu, retrò respicere videretur* (*supple Bobo*) noluit domum reverti, sed cum magistro suo S. Walerico pari religionis fervore, Luxovium usque profectus est, ubi venerandus & admodum sanctus, insignisque sacræ religionis cultor B. Columbanus, ex Hibernia insula ortus, ducentorum & viginti plus minus monachorum pater morabatur; in cujus cœnobiis nemo sibi aliquid ceu proprium vendicabat, præter diurnos labores, nocturnasque vigilias, omnibus omnia erant communia, idem velle ac nolle, cor unum & anima una in Domino, atque tametsi nihil mundi hujus apud se haberent, prӕter parcissimum & tenuem victum & corporis simplicia atque humillima indumenta; at nihilo minus in Christo omnia possidebant, Atque his delitiis & divitiis contenti vitam vivebant Angelicam. Huc spectant ipsius Jonæ verba cap. 4. cælestem in terris vitę rationem S. Columbani suorumque discipulorum ante constructum Anagratense cœnobium, describentis: *Tanta*, inquit, *erat humilitatis ubertas, ut versa vice sicut de honoribus homines sæculi conantur quærere dignitates, ita*

multisque virtutum ornamentis.

res, ita iste cum sodalibus suis de humilitatis cultu alter alterũ niterentur prævenire. Et post pauca: *tanta pietas, tanta charitas omnibus inerat, ut unum velle, & unum nolle esset omnibus, modestia atque sobrietas, mansuetudo & lenitas æque in omnibus redolebat. Execrabatur ab his desidiæ atque discordiæ vitium, arrogantiæ aut elationis supercilium duris castigationum ictibus feriebatur, iræ ac livoris noxa sagaci intentione pellebatur.* Et paucis interjectis: *si quemquam in his labi in vitium reperissent, simul omnes æquo jure negligentem correptionibus cædere studebant, communia omnia omnibus erant: si quispiam aliquid proprium usurpare tentasset, cæterorum consortio segregatus, pœnitentiæ ultione vindicabatur. Nullus proximo contrarietatem rependere, nullus asperum sermonem audebat proferre, ita ut in humana conversatione Angelicam vitam agi crederes.* Hæc monachorum Columbani vitæ ratio, hoc institutum. O quanta viguit in tali scholâ virtutum diligentia! quanta charismatum meliorum æmulatio! quantus horum insederat animis mortificationis amor! quantum disciplinæ studium! quanta demum in omnibus eorum cum divina voluntate concordia! Quis poterat inter hos esse desidiæ, quis torpori locus? Quod corporali commoditati, quod sensualitati præsidium? Scholam hanc verè appellavit quidam in appendice ad privilegium quoddam Caroli Magni Imperatoris infrà citandum *Scholam spiritualem*, in qua nimirum postpositâ corporis curâ, spirituali duntaxat emolumento studebatur, atque ubi, præter exercitia hæc præclara virtutum, sacrarum etiam litterarum & sapientiæ studia singulari splendore fulgebant. Quorum plantator ipse Columbanus effectus, nobilissimi Gymnasii jecit fundamenta, in quo ipse sacris lectionibus discipulorum animos imbuebat. *Contigit inde,* inquit præfatus author vitæ S. Walerici, *ut Beato Columbano Fratres sacris lectionibus instituente, & divini verbi semina inter illos spargente, de improviso limen domus illius S. Walericus calcaret; ad ejus verò introitum B. Columbanus admirandæ suavitatis odorem persensit; cumq́; didicisset, quisnam tum in eo fuisset ingressus, fertur ita dixisse; tu jure es Abbas monasterii & senior mihi diligende.* Ex quibus colligitur S. Columbanum publicè Luxovii sacras litteras docuisse. Porrò

& Angelica in terris conversatione insigniũ.

Schola itidem florentissima sacrarum litterarum.

Scholam hanc non segniter post Columbanum fidelissimus ejus per omnia sectator Eustasius, aliique succedentes Magistri irrigârunt. *Sanctus Columbanus* (inquit Yepes) *illustrissimus ille Sanctus Hibernus, & excellens discipulus ejus Eustasius, & alii multi monachi Almæ Domus Luxoviensis publicè legebant in suo monasterio, & per aliquot sæcula viri doctissimi Franciæ discipuli fuêre eorum, qui in schola didicêre Columbani.* Itaque scholæ huic à Columbano plantatæ, ab Eustasio & successoribus irrigatæ, quantum dederit Deus incrementum, uberrimi postmodùm fructus exorti testantur.

cent. 2. ad an. 118. c. 2.

89 Qua in re imprimis audiamus Ordericum monachum Uticensem *in sua Historia* de S. Columbani schola loquentem: *Hic* (Columbanus) *admirandæ Sanctitatis Pater, inter præcipuos laboravit, signis & prodigiis gloriosè inter terrigenas effulsit, & Spiritu Sancto edoctus, monachilem Regulam edidit, primusq́; Gallis tradidit. Florentissimi de schola ejus monachi prodierunt, & in mundo, velut astra in firmamento, virtutibus micuerunt. Eustasius enim Luxoviensis, Agilus Resbacensis, Faro Meldensis, Audomarus Bononiensis, Philipertus Gemeticensis, aliiq́; plures Episcopi & Abbates excellentissimæ processêre religionis, quorum sanctitas evidentibus miraculis cœlitùs ostensa est; ipsorumq́; studio in filiis, Ecclesia insigniter propagata est.* De Columbani verò successore Eustasio ita in ejus Vita Jonas. *Fuit autem hoc illi studium, ut multos suâ facundiâ erudiret, & quidem complures ex eis posteà Ecclesiarum Præsules extiterunt, Chagnoaldus Lugduni, Acharius Viromandorum & Noviomensis ac Tornacensis Episcopus, Rhatnacarius Augustoduni & Basileæ, Audomarus Bononiæ & Toraonensis oppidi.* Quibus adjungi possunt ex Antonio Yepes doctissimus *Amularius Fortunatus*, Archiepiscopus primùm *Trevirensis*, & exinde S.R.E. Cardinalis, S. *Donatus Vesontiensis* Episcopus, de quo Jonas infra. *Drogo* quoque Archiepiscopus, Caroli Magni Cæsaris filius. His quoque adnumerari possunt ipsi Sancti Columbani ex Hibernia & Britannia comites, qui Scholam hanc primùm suâ eruditione & sanctitate collustrarunt, & exinde ferè omnes nobilissimorum ipsi cœnobiorum extitêre fundatores; de quibus, aliisque infrà opportuniùs. Hinc demum,

mum, ut plurimos prætermittam, prodiére Mellinus Abbas, *Elmo*, *Leodegarius*, aliique innumeri, martyrii gloriâ illustres, & nobilissimus scriptor *Angelomus*, de cujus præclarissimis in libros Regum Commentariis præclarum extat Trithemii judicium. Et, ut paucis totum dicam, ne longum cogar texere catalogum, tantâ celebritate hujus familiæ fama per omnes Galliarum provincias increbuerat, quod, teste Yepes, *illa se Ecclesia & Episcopatus reputabat illustrem, qui poterat unum de Luxoviensis Cœnobii alumnis sibi Prælatum accipere.* Quod ipse in suæ historiæ progressu multis declarat exemplis, ad quæ nos curiosum lectorem remittentes, nonnulla hic de hujus almæ Congregationis amplissimâ propagatione subjungemus.

È qua multi illustres viri prodierunt.

90. Cum enim quotidianis accessionis novæ progressibus mirum in modum amplificari inciperet congregatio hæc, necessarium fuit, ut monasteria quoque nova suscipiendis apta seminibus multiplicarentur; qua de re ista Jonas de Eustasio loquens. *Porrò monachorum sub ejus obedientia degentium in prædicto monasterio ingens creverat multitudo, ut iam multa per vicina loca Cœnobia construerentur, quæ ejus successor B. VValdebertus firmavit, atque ædificavit.* Quippe jam tum (ut in eodem capite Jonas exponit) *Abelenus & cæteri Galliarum Episcopi post* (perspectâ videlicet S. Columbani, & ab eo institutæ Regulæ sanctitate, per *Eustasii* industriam ab Agrestii calumniis in *Concilio Matisconensi* vendicatæ) *ad roboranda Columbani Instituta adspirant, & multi jam amore B. Columbani & ejus Regulæ monasteria construunt, Fratres adunant, greges Christi congregant. Inter quos fuit illustris vir Eligius, qui modo Viromandensi Ecclesiæ Pontifex præest, qui cum adhuc superstit, non meo judicio fulciendus est, ne adulationis insimuler. Is verò apud Lemovicensem urbē monasteriū nobile super fluvium Vincennam, Soleniniacum nomine, extruxit, distans ab ea urbe millibus quatuor, & alia multa iisdem locis cœnobia, sed & Parisiis puellarum monasterium, quod regio munere acceperat, ædificat, cui Christi virginem Auream præfecit. In Bituricensi verò urbe, puellarum monasterium secundum B. Columbani Regulam,* * *Bertuara, nobilis genere, & religione fœmina, construxit. In suburbio Brituricensi vir venerabilis Theodulphus, cognomento Babelenus, monasteria ex Regula B. Columbani religione omni pollentia extruxit, primum in insula super fluvium Milmandram, ubi religiosorum virorum adunavit catervam, aliud Gaudiacum nomine, haud procul à fluvio Albeta; tertium Christi virginum in loco dicto Carantonio super fluvium iam dictum Milmandram, item aliud Christi virginum iuxta Nivernense oppidum sub eadem Regula construxit.* Vbi memorantur qui inter alios de S. Columbani Instituto benè meriti fuerunt.

Galliarum Præsules S. Columbano devoti.

* al. *Bertrada* varia sub ejus Regula extruxére cœnobia.

91 Monasterium illud *Soleuniacense* ab *Eligio* constructum, centum & quinquaginta Fratres alebat, cujus præclaras laudes invenies apud S. Audoenum in vita S. Eligii c. 2. qui inter alia de ipso hæc habet c. 21. *Præter Lussedium* (Luxovium intelligit,) *quod solum, ut dictum est, districtionem Regulæ solerter tenebat, Solenniacense monasterium in partibus occiduis hujus religionis extitit caput: Ex quo demum multi sumpserunt & initium & exemplum, adeo ut nunc quoque propitiâ divinitate innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur sub regulari disciplina alma utriusq; sexus cœnobia.* Ex quibus apparet inditum illud nomen summæ fuisse solemnitatis præsagium, inter multos autem nobilissimos hujus cœnobii filios *S. Remaclus* emicuit, qui ex monacho primum Solenniacensi creatus Tungrensis Episcopus, multorum posteà monachorum Pater extitit: nam inter fines Arduennæ duo nobilissima cœnobia extruxit, *Stabulense*, & *Malmundariense*, quorum illud inter Imperiales Abbatias computatur, ejusque Abbas Principis Imperii titulo gaudet. Discipulos habuit S. Remaclus *Theodardum* & *Lambertum* Episcopos & martyres, *Adelinum* quoque ac *Trudonem* presbyteros. Nec non & *S. Papolenum*, qui sub ipso primum Malmundariensi cœnobio Abbas præfuit, & ipsi postea defuncto successit in Stabulensi. Vide de ipso plura apud Notgerum, qui ejus vitam conscripsit. Prolixum foret alios Solenniacensis cœnobii illustrissimos viros recensere.

Ut Solemniacense cœnobium, multorum monasteriorum per Galliam caput.

92 De alio illo ab eodē Eligio in urbe *Lemovicensi* constructo, vulgò *S. Martialis*, dicto mira extat * Petri Venerabilis Cluniacensis commendatio, qui inter cætera ait, à monasterio suo Cluniacensi, usque ad montes Pyrenæos, qui Franci-

Lemovicense S. Martialis olim nobilissimum,

* l. 6. epist. 15.

Franciam ab Hispania dividunt, nullum se monasterium, neque Cluniacense, neque aliud cognovisse sui Ordinis, in quo sic firmiter, & constanter rigor & observantia traditi ab antiquis Patribus Instituti viguerit, sicut in hoc monasterio S. Martialis. Porrò Collegium illud Parisiense sacrarum Virginum, quod ex munificentia Dagoberti regis, extruxit idem Eligius, *Aureamq;* nobilissimam virginem præfecit, trecentarum extitit monacharum, ut testatur *Sanctus Audoenus* l. 2. vitæ S. Eligii, cap. 5. ubi & de alio virginum Christi collegio *Novioduni* erecto mentionem facit. Quibus & aliis multis beneficiis suam erga Sanctum Columbanum, ejusque Ordinem devotionem abundè testatum reliquit Eligius.

Parisiense, & Noviodunense Monialium, fundata à S. Eligio;

93 Pari quoque in Sanctum Columbanum devotione fidelis Eligii amicus Audoenus, cognomento *Dado*, Rothomagensis Episcopus, nobilissimum illud *Resbacense* cœnobium sub Regula Sancti Columbani condidit, sanctumque *Aglium*, seu *Agilum*, ex ejusdem sancti schola monachum, præfecit Abbatem; de quo monasterio, sicut & de alio ab ejusdem Audoeni Fratre *Adone*, intra Juranum saltum extructo (quod originē dedit insigni *Calensi* cœnobio, regiarum virginum, aliarumque solemnium personarum communi collegio), quia infra est habendus sermo, plura hic notare prætermittimus.

Resbacense à S. Audoëno;

94 Inter alios piissima regina Franciæ *Bathildis*, optimè de Luxoviensi Congregatione merita, longè celeberrimum *Corbeyense* monasterium construxit, accito ad ejus fundationem & institutionem *Theodefredo* monacho Luxoviensi, qui primus ibi Abbas extitit; unde ad Episcopalem honorem fuit assumptus. Hæc Abbatia connumeratur principalibus Imperii monasteriis, ejusque rector Principis titulum & honorem obtinuit. Plurimùm opibus & potentiâ crevit; & aliud à suo nomine in Saxonia *Corbeiense* cœnobium, transmissâ eò monachorum coloniâ, suscitavit. Multi hic insignes viri floruerunt. Nam præter sanctum Theodefredum hinc prodière *Sanctus Adelardus* Abbas, Pipini Regis consobrinus, cum duobus Fratribus *Walaco* & *Barnario*, *S. Ansgarius*, qui vulgò Septentrionis Apostolus appellatur, *Carolus* Pipini Aquitaniæ regis filius, & Ludovici Pii Imper. nepos & alii innumeri; ex quibus multi ad varias Ecclesias regendas electi fuère. Hic, sicut in Luxoviensi matrice Ecclesiâ, publica litterarum exercitia vigebant, cujus rei testis locuples adhuc superest instructissima MSS. codicibus bibliotheca. De Calensi virginum præfato collegio ab eadem gloriosa regina constructo infrà suo loco.

Corbeyense S. Bathildis,

95 Ad hæc, non parva suscepit incrementa Columbani Institutum per operam eximii ejus discipuli *Wandregisili*, qui de nobilissima Regum stirpe procreatus, *Sancto Arnulpho* Episcopo *Metensi*, sanguine conjunctus, & Regis Dagoberti Comes Palatinus, cum monasticæ vitæ desiderio ferveret, divinâ revelatione per Angelum admonitus, ut rigidioris ac strictioris observantiæ cœnobia lustraret, *Bobiense* in Italia Sancti Columbani monasterium petiit, ibique aliquamdiu moratus, postea multis monasticæ vitæ documentis instructus, in Galliam reversus est, ubi illustre illud *Fontanellense* in Normannia trecentorum monachorum collegium adunavit, multorum posteà monasteriorum caput. Vide Acta Sancti Wandregisili apud Surium 22. Julii.

Act. S. Wand. apud Sur. ad 22. Jul.

Fontanellense in Normannia;

96 Monasterio prætereа Luxoviensi suam debet originem opulentissimum ac toto Belgio famosissimum *Sithiuense* cœnobium Audomaropoli. Cum enim Sanctus Audomarus (à quo *Sant-Omer*, seu Audomaropolis, Artesiæ Civitas) qui Luxovii sub Eustasio Columbani successore monasticam professionem emiserat; in Teruanensi oppido, Morinorum Metropoli, esset Episcopus constitutus, sibi in subsidium Evangelicæ prædicationis adscivit tres sanctissimos viros, ejusdem monasterii professos, nempe *Mommolenum*, *Bertramnum*, & *Bertinum*, & constructo *Sithiuensi* cœnobio *Sanctum Mommolenum* ordinavit Abbatem, quo non multò post ad *Noviodunensis* Ecclesiæ regimen, in locum sanctissimi Eligii tunc defuncti, evocato, subrogatur in Abbatis ministerio *S. Bertinus*, (*Bertramno* ad nobile *S. Quintini* monasterium regendum translato) sub quo tantis profecit incrementis domus Sithiuensis, ut meritò ab ipsius sancti nomine *S. Bertini* monasterium fuerit appella-

Sithivense Audomaropoli,

Vide Act. S. Audomari apud Surium ad 9. Sept & Molanum in Bettins.

tum, ubi tandem vir Sanctus in senectute bona quievit; de quo, & monasterii hujus encomiis plura *Fulchardus* Bertinensis, qui Sancti vitam edidit.

Gemeticense,

97 Veniamus nunc ad *S Philibertum*, egregium hujus Congregationis propagatorem, qui *Resbacense* cœnobium (cui tunc Abbas præerat *Agilus*, monachus Luxoviensis ex schola Columbani) ingressus, monasticum suscepit institutum; nec multò pòst, perlustratis omnibus S. Columbani, velut Patris & Patroni, monasteriis per Galliam & Italiam, & celebrioribus aliorum Patrum in iisdem locis cœnobiis, *Gemiticensis* ipsemet in territorio Rothomagensi monasterii prima jecit fundamenta, ubi Ecclesiam in formam crucis erexit, in qua Altare majus sacratissimæ Virgini, prima verò collateralia duo S. Joanni Baptistæ ab una parte, & S. Columbano ab alterâ dedicavit. Hoc insigne cœnobium caput fuit multorum ab eodem posteà conditorum, utriusque sexus Collegiorum, & in tantam temporis successu multitudinem excrevit, ut sub Philiberti successore *S. Aichardo*, ut refert *S. Fulbertus*, testis omni acceptione major, ad nongentorum monachorum numerum ascenderit, ut excludam famulos & familiares monasterii, quos Meyerus ad an. 1392., & Yepes ad an. 624. asserunt fuisse mille quingentos. Narrat autem præfatus Fulbertus ex illo monachorum cœtu quadringentos quinquaginta eodem die ad cœlestem gloriam placidâ morte translatos.

vita S. Philiberti apud Sur. ad 20. Augusti S. Fulbertus vita S. Aichardi c. 17.

quo uno die 450 monachi simul placidè defuncti, cœlos pariter subierunt:

98 Cum enim die quadam *S. Aichardus* senio jam confectus, in cellula solitarius, anxiâ secum mente cogitaret, quod viribus jam exhaustis, veterana ætas sibi non videretur sufficere ad tantam Christi familiam regendam, nec ex altera parte numerum illum minuendum judicaret, qui tetragonâ similitudine novem choros Angelorum repræsentans, beatam multitudinem ad eorum videretur societatem incitare, ecce, sole jam occumbente, Fratribus in dormitorium receptis, Angelus Domini apparet, ita Sanctum Abbatem alloquens: media pars horum jam ad expeditionem ascripta est, & eos omnes, quos hâc virgâ preteriens signavero, jube nominatim mox esse paratos. Quod ubi vir Sanctus monuisset, nemo dicere sufficit, quantâ se Sancti illi pœnitentiæ austeritate affecerint, cum totum illud triduum, atque etiam quartum expectati obitus diem, absque ullo corporeo alimento transegerint. *Iam quarti diei aurora illuxerat* (inquit S. Fulbertus) *& Fratres universi in monasterium conveniunt, divini Sacramenti percepturi viaticum, qui ut Missam Dominicam & sacra mysteria expleverunt, dehinc sacramentis cœlestibus communicati, pacem sibi osculantes dederunt, sicq; in capitulare sessorium se, subsequente Patre, contulerunt; ibi se, suasque animas sibi invicem commendaverunt, cum nihil superesset, nisi horam vocationis expectare, vir Sanctus singulis adhibuit custodes, qui obeuntes attentius observarent; & exitum eorum divinis psalmodiis præmunirent. O dignum memoriâ spectaculum! etenim ante ipsum animæ exitum videres facies singulorum indicibili claritatis specie clarescere, ut nulli dubitandum foret, in eis jam futuræ resurrectionis gloriam, demutatâ carnis specie demonstrari. Iam hora diei tertia inclaruerat, & ecce pars una, tanquam somno quietis resoluta, dulci quievit in pace; horâ autem sextâ pars altera, manibus in cœlum erectis, seipsam Domino commendabat; simili modo horâ diei nonâ pars tertia spirans, obdormivit in Domino; Vespere autem facto subsequenter pars, quæ residua erat, factâ oratione spiritum reddidit.* Et infrà. *O felix locus! ô tellus, ô ager pretiosus, tot beatorum corporum thesauro ditissimus! nescit appretiari humanum genus, quanta in te virtus, quàm salutaria mentis & corporis medicamenta in te lateant, si fides exigat.* Hæc S. Fulbertus. Quò spectat quod refert Yepes ad an. 684, nempe nongentos simul monachos in eodem monasterio à Normannis destructo, martyrio coronatos fuisse, sicque monasterium *Gemiticense* duorum dierum spatio, mille trecentos & quinquaginta Sanctos cœlo dedit. Quod totum monasterio Luxoviensi & Resbacensi, non secus ac fonti rivi puritas, refundendum est.

nongenti in eodem monasterio simul martyrio coronati

99 Quid hic memorem *Campidonense* cœnobium, cujus Abbas secundum inter Abbates Principes locum obtinet, quod à *S. Theodoro*, monacho S. Columbani, Sanctorumque *Galli* & *Magni* discipulo, exordium sumpsit? Quod de ipso dicam *S. Galli* Seminario, itidem imperiali, Principis titulo & honore insigni? Illud

Varia alia sub Columbani regula cœnobia

Illud est, de quo cecinit olim ejus loci Decanus ad ingressum illuc Cæsaris: *Istud Sanctorum concludit millia templum.* Istud est, unde velut ex fonte, ut testatur *Balthanus* in vita Sancti *Fridolini*, ad reliquos Europæ partes doctrinæ & sapientiæ fluenta derivantur. Quid pretere hic referam de constructis in monte Vosago per *Romaricum*, & *Amatum*, annuente Patre *Eustasio*, cœnobiis? Quid de *Ambianensi* loquar per *S. Walericum* eximium S. Columbani sectatorem erectâ congregatione, qui tantæ lenitatis, & innocentiæ fuisse legitur, *ut aviculæ indomitæ crebrò ex ejus manibus cibum sumpserint, absque ulla formidine, digitisq; illius, quoties libitum ei esset, se attrectari permiserint?* Quid tandem de Lutrensi *S. Deicolæ*, *Fussensi* S. Magni, *Desertinensi S. Sigiberti*, *Constantiensi Potentini*, notissimorum Columbani monachorum industriâ fundatis Collegiis verba faciam? Quid, inquam, de his & aliis innumeris sermonem protraham, quæ de gremio Luxoviensis Ecclesiæ, velut ex arbore rami processerunt? Major est horum gloria, tum sanctitatis, tum sapientiæ, quàm ut modicæ digressionis angustiis queat comprehendi.

vita S. Waler. 1. April.

100 Ex his, quæ hactenus de hujus Congregationis propagatione disserui, facilè quivis intelliget, quàm gloriosa olim *in splendoribus Sanctorum* extiterit Luxoviensis ecclesia, quàm *abundans in egressibus suis*, in generationibus suis fœcunda mater. Si namque nitor & punitas fontis, ex scaturientium rivulorum claritate probatur, & ex multitudine virtuteque prolis, non secus, quàm arbor ex ramis, maternæ fœcunditatis & dignitatis honor agnoscitur; luculenter apparet, magnæ virtutis & gloriæ fuisse locum illum, qui tot nobilissimos partus effudit, tot terras monasticæ vitæ fluentis irrigavit, qui tam latè extendit ramos, & palmites suos. Apparet, inquam, quanta sit veneratione digna, quantis encomiis celebranda Ecclesia illa, quæ monasteriis illis, de quibus tanta prædicantur magnalia, originem & initium dedisse cognoscitur. Hæc qui maturè cuncta perpenderit, facilè intelliget, quàm verè de *Columbano*, horum omnium primo authore, dixit Martyrologium Romanum, cui alia passim consentiunt, fuisse videlicet eum, *multorum cœnobiorum fundatorem*, *plurimorum*, vel ut alia habent: *innumerabilium* seu, ut loquitur Trithemius de Script. Eccles. p. 99. *multorum millium*, patrem *extitisse monachorum.* Intelliget etiam quàm verè S. Audoenus dixerit *Lussedium*, hoc est *Luxovium*, cunctis suo tempore Galliæ monasteriis fuisse *eminentius atque districtius*, *illudq; solum districtionem Regulæ solerter tenuisse.* Vide ipsum cap. 21. lib. 1. vitæ S. *Eligii* & alios, quos hic prætereo, qui plura de amplitudine Luxoviensis Ecclesiæ.

ad 21. Nov.

101 Nunc exponendum breviter putamus, quantos domus hæc Regum & Principum favores & munificentiam fuerit olim experta, ut Christianus lector hinc percipiat, quærentibus primùm regnum Dei, cætera largâ benedictione à pio Domino adjici consuevisse. Qua in re declaranda, uno dumtaxat, at luculentissimo Caroli Magni Imperatoris testimonio contenti erimus, qui in collato huic Ecclesiæ privilegio, claram exhibet notitiam pristinæ, & tantæ monachorum multitudine consonæ monasterii Luxoviensis opulentię, ejusque apud Romanos Pontifices, Imperatores, & Reges prædecessores suos æstimationis & famæ. Privilegium, igitur illud sic se habet:

 PRIVI-

PRIVILEGIUM CAROLI IMPERATORIS

FRANCORUM REGIS,

Qui multa Ecclesiæ Luxoviensi concessit.

MInimè latere credimus sensus & corda fidelium, quemadmodum sancta LUXOVIENSIS *Ecclesia rebus quondam fuit necessariis adornata: sed successorum cessante justitiâ, præfatæ ecclesiæ status multum vacillat. Tempore igitur Sigiberti Regis* FRANCORUM, *cum jam per totam Galliam divinæ religionis fervor torperet, Redemptor mundi Deus & Dominus noster* JESUS CHRISTUS, *diu dolens Ecclesiam suam, ob multorum desidiam, penè jam obfuscatam, ad repellendas ignaviæ tenebras, de Occiduis Hyberniæ partibus splendidissimum radium Gallicis finibus emergi præcepit, Beatum videlicet Columbanum egregium Scotigenarum, qui ad supradictum Regem Sigibertum veniens, honorificè susceptus, ut intra terminos Galliarum resideret, ab eodem devotissimè rogatur. Ille obtemperans Regis persuasionibus, heremum petiit, quod multorum vocabulo Vosagus nuncupatur. Est nempe in eadem locus admodum delectabilis, qui spiritaliter* LUXOVIUM *appellatur, in quo vir Dei cum suis angelicam vitam ducens, fama ipsius redolere cœpit per omnes partes Galliæ, ad quorum sustentationem, ut ex divitum habundantia illorum inopia sublevaretur, cœperunt nonnulli quicquid possidere videbantur, eidem loco contradere.* [Et non solum isti, sed etiam Reges atque Imperatores. Videlicet prædictus Sigibertus, Clodoveus, Clotarius, Pipinus, Carolus, Ludovicus, Lhotarius, Otho.] *Inter quos ego* CAROLUS *Pipini Regis filius, eisdem fratribus in eodem cœnobio sub regulari norma degentibus, ne eorum animus turbaretur, sed ut deinceps Regiâ securitate muniti, absque aliqua molestia Præpositorum vivere potuissent, & securiter orationibus & regulæ vacare valerent, & mensæ communis victualia, & corporum suorum sufficienter haberent indumenta: quædam prædiorum vel villarum loca eisdem Fratribus sub Abbatis imperio regulariter militan-*

S. Columbani patria & in Galliam transitus.

Regum & Principum erga cœnobium Luxoviense devotio & munificentia.

militantibus, ad usus necessarios deputata, per privilegium nobis congruum visum est delegare, ut in his securiter laborantes, nullo alieno dominio aliquid inde abstrahendum stringerentur. Concessimus igitur per nostræ authoritatis largitatem ad mensam & ad usus necessarios eisdem suprà nominatis Fratribus, per nostræ largitatis privilegium in Francia villam quæ vocatur Nanth, Herliacum, Chislam cum appenditiis suis, in pago Visano, Divionense, Belnensi, Cabinolensi, atque Matisconensi: Id. Flacciacum Soustriacum, Ambornacum, Sanz, Tonantia, Caziacum, Molesiacum. Incurtili Ecclesiam Vicum publicum cum. xi. *mansis. In Fesciaco apud sanctum Anthonium, mansum.* i. *In pago Alsasense & in pago Algagense, in loco qui dicitur Bethoniscurtæ, mansos.* xii. *cum Ecclesia. Similiter verò & in Englingeheim & in Roudeneskeim, & in VViterkeim mansos.* xxx. *& inter Ramengas & Haasiszera mansos.* v. *& inter Allericovillare & Susza, mansos.* ix. *& in Celeberchcultile indominicatum cum omnibus adjacentiis suis. Hoc sunt.* xxx. *&* i. *& in Bebonisuillare Ecclesiam qui est Vicus publicus in honore sancti Petri cum mansis.* v. *& in Rodesbeim, mansos.* xii. *cum capella: & Havagresheim Ecclesiam* i. *& ad.* c. l. *modios de terra arabili, & ad Arzenheim mansos.* v. *extra terram indominicatam. Similiter & quæ vocatur Sapinæ, mansos* xxxiii. *cum Ecclesia. Infra patriam verò, Granicas, Membriacum, Offiniacam villam, Iusseiacum, Gisuncurtem, Crinsinziacum, Campaniolam, Legoniscurtem, Vuambionisrivum, Ebroniscurtem, & Lidineuillam, Onoraciacum, VVauram, & Hayroscum, Frigidamconcam, Vilare, Nureicurtem, Quernum, Milesiacum, Dedoniscurtem, Maurilioniscurtem, Genebrarias, Ioranicas ad offerendam oblationem Domino, Briadiscurtem, villam monachorum dimidiam cum Ecclesia, Balcionachas, Aniocas, Maurinicurtem, Valerianam, Rodulphivilare ad sartatecta templi restauranda: Campanisum, Monasteriolum, Provincherias, VValdoniscurtem, Boloniacivillam, Ecclesiam Aynulfiville, Ansaldicurte, Siricicurte, Berlleuille medietatem. Ecclesias omnes de fisco VVambionisrivi ad mensam Fratrum. Cæteras verò res ad vestimenta emenda. In provincia autem has villas, id. Sels, Viridis calcis, sive VVapingas. In vallem quiriadem sita in pago Ebredunensi. In pago Lingonensi. Musciacum, Iorchemiacum, & quidquid ibi respicit. Hæc sunt.* c. l. *mansi ad indumenta Fratrum. Alibi Bayzum, ad indumenta Fratrum. Aiguualdicurtem cum Ecclesia in honore sancti Albini, Canziacum Fruninam & Rimiliacum, & quicquid ad istas villas pertinet. In pago Virensi villa quæ Bucciniaca dicitur. In pago Salinensi super*

si super fluvium Cernonem, Ecclesiam in honore sancti Martini cum mancipiis utriusque sexus, & loca duo in Marsali cum eneis suis & mansis. IIII. *In vico Mediano loca duo circa hunas sancti Apri. In vico Bodelio mansum unum cum universis appenditiis suis. Sanctum Bricium Ferrerias, Ficejum, Lambrejum, Kalmas, Ravinifontanam, Fulchericurtem, cum duabus tonis: Gundoniscurtem, Angolis vilare. Fontanas, Anagrates, Sanctum Valbertum, Trenoacum, cum appenditiis suis. Ecclesiam de Sanez cum appenditiis suis. Sanctum Egidium, Sanctum Sulpicium, villam Manfredi, Pometum, Boens, Adelens, Capellam, Perretivillam, Boletum, Bruscam, Baldoniscurtem, Huns.* * Amplissima monasterii Luxoviensis prædia & possessiones. *Hac igitur ratione, & discretione utiliter inspecta, jura, auctoritates, privilegia, libertatem à sanctæ Romanæ Sedis Pontificibus, sive ab antecessoribus nostris Regibus vel Imperatoribus supra nominatis Sanctæ Luxoviensi Ecclesiæ concessam, & contraditam: confirmamus, corroboramus, & auctorizamus. Insuper Imperiali auctoritate nostra per omnem ejusdem Ecclesiæ Abbatiam, tellariam omnimodis fieri prohibemus. Et ut homines ejusdem monasterii necessitatibus servientes ad diversa negotia per universum Regnum Imperiumq; nostrum nostro Imperiali banno liberè securè discurrant. Et nullus judex publicus, aut exauctor, nullum Theloneum, portaticum, pontaticum, gestaticum, de ipsis aut eorum hominibus undecunque fiscus accipere consuevit ullatenus exigere præsumat: Nec in pontibus, nec in aquis (sicut prædiximus) nec in mercatis, nec in quibuslibet locis, sed per quæcunque castella, portus, vel quælibet loca: homines & negotiantes ipsius Monasterii, ire, redire, vendere & comparare absque alicujus contradictione prævaleant. Si quis autem (quod absit) hanc nostræ corroborationis paginam violare præsumpserit, auri purissimi C. libras componat, & in scriniis Imperatoris reponat.* ¶ Taliter ditata atque exornata rebus, prædiis, religione diu floruit Luxoviensis Ecclesia. Cumq; ibidem spiritualis schola vigeret, post multa annorum curricula, subitò orta est tempestas lacrimabilis, cujus rabiem penè sensit totus orbis. Gens quippe Hungrorum ferocissima cum innumerosis pugnatorum copiis ad afficiendam Ecclesiam ultione divina erupit. Cumque Burgundionum regnum exercitus invaderet copiosus, contigit ut viri diabolici Luxovium venientes, locumque omninò desolantes, Abbatem & Monachos (quos ibidem repererunt) interfecerunt: Sicque Ecclesia Dei confunditur, jura rumpuntur, legum statuta violantur, possessiones Ecclesiæ ab impiis undique rapiuntur, Sacris non est reverentia locis, prævalente nequitia

quitia impiorum totus pariter concidit honor religionis. Nam villas & possessiones præfatæ Ecclesiæ in hæreditatem sibi diripuerunt manus alienorum, & in villis, ex quibus annuis censibus prædictæ Ecclesiæ Fratres vivere solebant, quidam perversus Hugo Chapes in quibusdam castra construxit: quædam uti erant, in usus proprios vendicavit. Cumque Rex non esset, qui verè intuitu justitiæ, hujus impii pravitati posset ex toto resistere, ejusdem Ecclesiæ Fratres compulsi sunt Sedis Apostolicę interpellare Pontificem. Romanus verò Pontifex illum, ejusque sequaces anathematis vinculo constrinxit, quousque malę ablata redderent. Itaque post multorum curricula annorum, Stephano Papa Romanæ Ecclesiæ prędidente, Ludovico Romanum Imperium regente, Vir venerabilis Ansegilus Luxoviensis Abbas, de prædictis villis atque castellis, diutissimè malè ablatis, talem concordiam fecit, denique ab utraque parte. In primis statutum est, & Apostolica authoritate prohibitum, ut de castellis & terris eidem Monasterio ablatis, aliis Ecclesiis vel monasteriis quippiam dari licitum esse. Similiter & decimas proprii laboris omnium dominiorum quoquo modo laborantium, & croacarum, bovariarum, jugerum, coloniarum, nemorum saginatorum, fiscaliæ, Merescaciæ, brolii, ancingiarum, & decimum omnium pascuumque, omniumq; animalium; sicque sint Ecclesiæ Luxoviensis homines & Parochiani. Et ut exhinc omnis * contraditio sopiatur, nominatim castra & villas exprimimus. Wambionisrivus cum omnibus appenditiis suis, Clarusmons, cum omnibus appenditiis suis: Geonisvilla, cum omnibus appenditiis, Jussez, cum omnibus appenditiis suis: Onorisiacus, cum omnibus appenditiis suis. Granicas, cum suis: Falconiacum, cum suis, Uvavrà, Membreiacum, Vitrejum, Reise, Siscis, Bugejum, Ongejum, Gisuncurtem, Agerium, Hayroscum, Offiniacam villam, Criscentiacum, Seuncort, Ebruncort, Lidinevillam, Milesiacum, Arsejacum, Gimbiniacum, Minurs. SI QUIS Igitur in futurum ex hæredibus hanc concordiæ pactionem ad damnum Ecclesiæ removere vel minuere ausus fuerit, si nō congrua satisfactione emendaverit, reum se divino judicio de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & Sanguine Dei & Domini nostri JESU CHRISTI alienus fiat, atque in extremo examine, districtu, & ultione subjaceat.

* f. contradictio.

jaceat.] *Acta sunt hæc anno ab incarnatione Domini.* VIII. c. XV. *Indictione octava*, [Stephano Papa Romanam Ecclesiam gubernante. Ludovico cognomento Pio FRANCORUM regnum strenuè regente, Ansegiso viro religioso LUXOVIENSE cœnobium pro viribus reformante]

En candide lector Caroli Diploma ad verbum & apicem respondens penes me existenti exemplari typis olim impresso, variisque inspersо mendis librariis aut typographicis, inter quas repono quòd datum dicatur anno 815. Indict. 8. à Carolo Magno, quem constat præceden. ti Indictione & anno, die 25. Ianuarii, Leone III Pontifice, decessisse. Cetera autem quæ septa cancellis, & diverso vides charactere impressa, imperitum aliquem è decimo aut viciniore seculo interpolatorem inseruisse inde colliges, quòd hic nominatus Otho, si sit primus ejus nominis Franciæ Rex, obierit anno Christi 898; si Imperator, anno 973, & Hugo Capes seu Capetus Rex Franciæ anno 998. Ceterùm ex ipso Diplomate, quâ parte incorruptum est, multa præclara colliguntur Columbani & Luxoviensis cœnobii encomia, quibus consona multa in aliorum Regum instrumentis, flammis absumptis, contenta fuisse non est dubium.

Circa communicationem orationum pro defunctis Fratribus, quæ intercessit monasterio Luxoviensi cum aliis aliquot Cœnobiis & Congregationibus, quædam seorsim notata reperiuntur in codice Martyrologii ejusdem monasterii, ubi scribitur talem societatem fuisse Luxoviensi cum monachis *Divionensibus*, *Deruensibus*, *Alchiacensibus*, *S. VValerici*, & Bobiensibus, de quibus (hoc est Bobiensibus) ita habetur. *Hæc est societas inter Luxoviensis cœnobii & Bobiensis Congregationes, ut tertiâ die post festum S. Columbani fiat officium pro defunctis solemniter utriusque cœnobii, tresque prebendæ integræ pauperibus erogentur.* Hæc ibi.

102 Nunc tandem aliquid de Rectoribus & Abbatibus hujus almæ domus ab initio dicamus, quorum Catalogum ex ipso monasterio accepimus, quem, quia multa relatu digna continet de statu & progressu hujus cœnobii à prima sui fundatione usque ad hæc tempora, integrum hic subjicio, ex fide Adronis & Joannis Soffredi loci Abbatum, qui omnia ferè in illo contenta consignarunt, ut in progressu legenti constabit. Ita porrò ab ipso S. Columbano primo Abbate & loci fundatore exordium sumit. Vixit Adro circa annum 1090.

Septimo anno regni Sigiberti venit B. Columbanus in Burgundiam 595, & inde fuit ejectus per Theodoricum 13. anno post mortem Sigiberti, Iustino imperatore, & Ioanne Papa II Ecclesiam regente, & rexit Ecclesiam per viginti annos. Catalogus Abbatum Luxoviensium. Antequam ulterius procedamus, hîc inserendam duximus ex vita *S. VValerici* apud Surium brevem eorum relationem, quæ post expulsionem S. Columbani, in hoc loco contigerunt de injusta bonorum monasterii invasione, & eorumdem postea per industriam Walerici, & Eustasii procuratâ restitutione, de qua etiam Baronius ad an. 613. Verba igitur illius antiqui scriptoris sunt hæc: *cum autem ab illo cœnobio S. Columbanus cum Fratribus suis esset expulsus, persequente eum Theodorico rege, malè persuaso à Brunichilde avia sua, qui tum Burgundionum regnum obtinebat, quemadmodum Austrasiorum Theodebertus, pastores quidam eum locum sibi vendicarunt; sed beatus VValericus Domini virtute, probatus, sivè secularibus hominibus inde expulsis, cœpit locum sacrum restituere, jamq; B. Eustasius à S. Columbano missus erat, ut illi cœnobio praeesset, licet ejus fines quosdam etiamnum homines seculares occuparent; qui cum litem intentarent, B. Eustasius & generis & morum nobilitate venerabilis, unà cum famulo Dei VValerico adeo illos efficacibus, & mellitis sermonibus, Domino illi opem ferente, ab jam dictis cœnobii finibus amovit, ut nullum prorsus inter illos contentionis scandalum extiterit.* S. Eustasius & Walericus recuperant bona monasterii Luxoviensis e manibus Laicorum. Hæc author ille vetustus: prosequamur nunc Abbatum seriem intermissam.

1 *Beatus* Eustasius *claruit sub Ioanne Papa III. Mauricio Imperatore, Clothario filio Chilperici regnante.* Rexit *Ecclesiam*

Sexcenti monachi Luxovii sub Eustasio.

siam Luxoviensem 40. annos, sexcentos monachos statuit in Laude perpetuâ (Iam enim constituerat B. Columbanus in dictam Ecclesiam perpetuam Laudem) natusq́; fuit Lingonen. ex genere Regum.

2 *Beatus* Vaulbertus , *Comes Pontinensis, & Vice-Comes Meldensis civitatis, relictâ Regentrude uxore suâ, cum suo filio, monachus humilis in Ecclesiâ Luxoviensi fuit: & posteà Abbas extitit per* 40. *annos. Et post hunc fuerunt quamplurimi Abbates, qui statum laudis perpetuæ servaverunt, videlicet,* Vandalogus , Berthoaldus , Ingofredus , Cunctanus , Resticus , Seifarius , Adonus , Arulfus , Rendinus , Regnebertus , Gerardus , Ratto , Villineranus , Mellinnus; *tempore istius venerunt Vandali & Ungari, & interfecerunt Fratres Conventus & Abbatem & cessavit laus perpetua, nec Abbas fuit per* 15 *annos.*

Quamdiu in monasterio Luxoviensi duravit status laudis perpetuæ.

Prima Hungarorum in Ecclesiam Luxoviensem irruptio

3 *Posteà fuit Abbas* Fruonaldus, Gaylenus , Aribrandus , Buoso , Gilmoaldus , Andreas , Docto. *Carolus Magnus regnabat.* Siliernus, Dademus; *Ludovicus pius, tempore istius anno* 815 * *Dagonis Abbatis fratris sui filii Caroli, tempore* Ansegisi *Abbatis*, Fulberti *Abbatis*, Gibarti *Abbatis*, *quem Saraceni de Saxonia interfecerunt; & sepultus est cum sociis suis in Ecclesia Martini-Villæ. Et Fratres Luxovienses similiter interfecti fuerunt , & monasterium cum omnibus ædificiis suis combusserunt. Et ita fuit locus desolatus per* 35. *annos. Et etiam destructæ fuerunt Ecclesiæ, Abbatiæ, Prioratus, & ferè omnes habitationes virorum Religiosorum in Alsasia , Lotharingia, & Burgundia; ita quòd per istos* 35 *annos, milites, & alii malefactores invaserunt Ducatus , Comitatus , Castella, Villas, Burgos, Abbatias, Prioratus, homines liberos, servos, & omnes redditus, & omnia bona, quæ Sanctis Patribus & monachis Luxoviensibus concessa fuerant à Regibus Franciæ Sigiberto, Theodorico, Theodeberto, Clotario, Dagoberto, Clothario, Pipino, Carolo Magno Martello, & ab Imperatoribus Pipino Gibboso, Carolo Magno, Ludovico dicto Pio; sicut idem Ludovicus testatur in Privilegiis suis.*

Drogo Ep. Mediomatrici

* forte deest & regnavit tempore.

Secunda monasterii Luxoviensis desolatio.

4 *Post triginta quinque verò annos Fratres qui aliquantulùm Luxovium reædificaverant, elegerunt sibi Abbatem* Udonem, *qui parum revocavit de dictis bonis Ecclesiæ. Post istum elegerunt* Adologum. *Iste recuperavit multa per Reliquias Beati Vaulberti. Post istum fuit Abbas* Adro, *qui ista narrat. Posteà* Millo *anno Domini* 1090. & 14. * *Post istum fuit* Giraldus *qui fecit templum*, Hugo *Abbas tempore Calixti Papæ II. & Henrici Imperatoris anno* 1102. Joceranus *Abbas tempore Innocentii II an.* 1136. Robertus, Guydo, Stephanus *tempore Cælestini Papæ II. anno* 1143.

Quando restaurari cœptum est monasteriū Luxoviense, & Ecclesiæ bona recuperari.

* f. annis rexit.

5 Joceranus, Hugo, Bocardus *tempore Alexandri Papæ III. anno* 1187. Symon *tempore Honorii Papæ III. an.* 1223. *Iste Symon non obiit Abbas Luxoviensis, sed Besmensis.* Theobaldus, Regnerius, Hugo *tempore Friderici Imperatoris anno* 1235: *Cui successit* Carolus *Abbas, qui obiit in Vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis anno* 1283. *Cui successit Dominus* Theobaldus de Faucogneyo, *qui confirmatus fuit in Curia Romana tempore Martini Papæ* 1284 *in Adventu Domini, & obiit in die Resurrectionis* 1308. *Cui successit Dominus* Stephanus *Luxoviensis. Is fuit de gremio monachorum Luxoviensium, tandem Prælatus & Abbas prædictæ Ecclesiæ, Canonicè ordinatus, qui confirmatus fuit Pictavia in Curia Romana* 1308. 14. *Kal. Septembris, tempore Clementis Papæ V. anno* 3. *sui Pontificatûs: & obiit anno* 1314 *in civitate Gebenna, prima die Augusti, sepultusq́; fuit ante Imaginem Crucifixi in Capitulo Fratrum Prædicatorum Gebennensium. Cui successit Dominus* Udo, *qui confirmatus fuit Avinione in Curia Romana anno* 1319 *tempore Domini Joannis Papæ* 22, *anno* 3. *sui Pontificatus.*

6 *Cui successit Dominus* Friomundus, *qui confirmatus fuit in dicta Ecclesia S. Petri Luxoviensis per Dominum Papam Clementem VI.* Gratiam specialem, *anno* 1345. *Philippo Francorum Rege regnante: sepultusq́; fuit in dictâ Ecclesiâ S. Petri* 22. *Martii anno* 1351.

7 *Dominus* Gulielmus *de S. Germano in provincia Alverniæ, nobilis genere; vir sapiens, providus, discretus & industrius, pro regimine dicti monasterii Luxoviensis missus a Domino Clemente VI. anno* 1351: *& rexit prædictum monasterium per spatium* 4 *annorum. Ipse ædificavit turrim excelsam in confinio Cameræ suæ, & in circuitu Abbatiæ restauravit muros Villæ. Obiit anno* 1365, 24 *Aprilis, sepultusq́; fuit in Ecclesia S. Petri dicti loci, post magnum altare.*

8 *Dominus* Aymo *de* Mouslan *ex parte patris, & de Borbona ex parte matris, qui confir-*

confirmatus fuit in Ecclesia Prioratus de Fontanis per Dominum Papam Urbanum. V. Gratiam specialem, anno 1366. regnante Rege Ioanne. Hic multa bona fecit in monasterio : nam aulam sicut nunc est ædificavit, & turrim excelsam juxta muros Villæ pro securitate & defensione Villæ. Rexit monasterium per 19. annos, obiitq; 20 mensis Aprilis anno 1382. sepultusq; in Ecclesia Beati Petri in Capella Sancti Nicolai.

9 Cui successit Domnus Gulielmus de Bufful, nobilis genere in provincia Aduensis, Ducatus Burgundiæ, Vir sapiens, prudens, discretus, missus à Domino Clemente Papa VII. anno 1382. rexit per spatium 36. annorum, & multa bona fecit in prædicto monasterio : nam fundavit Hospitale Sancti Romarici in Villa Luxoviensi : construxit Ecclesiam Beatæ Mariæ Virginis prope monasterium, fecit capsam argenteam, magnam Crucem, & Reliquias reparari fecit. Construxit magnam turrim & tres parvas in Castro de Bauldoncourt, claustrum suum de novo construxit, plures libros, multa vestimenta sacerdotalia fecit, plures grangias lapideas, & plura molendina de novo, plures terras, ac vineam de Vayure acquisivit. Sepultus est ante magnum altare dicti monasterii 7. mensis Augusti, anno 1416.

Fundator hospitalis S. Romarici in oppido Luxoviensi

10 Cui successit Domnus Stephanus Pierrexi de Lila, qui fuit confirmatus Constantiæ per Dominum Papam Martinum VI. an. 1418. Et à tempore Domni Gulielmi plures lites habuit in Curia Romana, multos sumptus, multaq; damna intulit prædicto monasterio. Rexit Ecsiam per sex annos. Obiit 3. Augusti an. 1424.

11 Post hunc electus fuit Guido Pierrexi ipsius Stephani sobrinus, qui per Symoniam electus, confirmationem à Martino Papa assequi non meruit Ipse antequam eligeretur, cum quibusdam hujus cœnobii monachis * Sacrilegia nocte thesauros Abbatiæ rapiens : quod malè sustulerat male partitus, obtentu sæcularis cujusdam militibus, cùm inter Francos atque Burgundos bella fremerent, occupavit monasterium istud per annos sex. Doctissimus namque Pater Ioannes de Ungellis Abbas Luxoviensis per S. D. Martinum pronunciatus, retrusus est per violentiam. Tandem cùm ipsius Guydonis Pierrexi scelera suo pondere hanc totam provinciam premerent, ejus ipse, & cui Deus mentem sustulerat in Castro de Bauldoncourt accersitum monachum, qui Symoniacæ factionis fuerat author, occidi coram se jussit, ut malus plecteret malum, & sceleratam scelestiùs incurrens concitaret vindictam scelerum. Quod quidem contigit : Nam tandem homicida ipse depulsus, à carcere fugiens, habitu rejecto, diu mendicus Apostata, vix post multas cohortationes resumens habitum, in luctu & squalore ad hunc usque diem per Caurinos saltus profugus latet. Hic Ecclesiam tantis oneravit debitis, & criminibus polluit, ut sui complices ferè biennio excommunicati fuerint : ita ut necesse fuerit per seculares Clericos officia divina expleri. Et quicquid sacrorum vasorum erat, quicquid in Ecclesia peculiare, Villæ redditus omnes vel essent subnexi pignori, vel in controversiam deducerentur. Atqui res omnibus sæculis intus memorandæ non defuit : nam quotquot ex monachis furtorum rapinæ Sacrilegæ, Symoniacæ quotquot electioni assensum dederant & operam, obierunt pessimam mortem. Nam ex eis quosdam invasit rabies, & ad mortem deduxit, * alius pestis absumpsit, alios per gladium subita mors abstulit, dotante tanta pœna similis peccati terrorem.

* fortè sacrilegè

Nota mirum cœlestis ultionis ordinem

* f. alios

Horribilis monachorum Symoniacorum exitus

12 Ioanni de Ungellis providus Vir Guydo Briffault successit, atque omnia quæ defluxerant penè restaurans, Claustrum, quod ille cordatus & frugius Gulielmus de Bufful semifactum reliquerat, perfecit : Aulam minorem, coquinæ proximam, struxit, argenteam capsam redemit, argenteam capitis effigiem dicavit Sancto Thaurino. Baculum pastoralem insignis operis & ponderis, & candelabrum fabrefactum ante majus altare statuit. Hujus tempore à Rege Franciæ Guardia ipsius Ecclesiæ in victoriosum Philippum Ducem Burgundiæ diffusa est. Rexit hoc monasterium annos decem & octo, & annum ferè octuagesimum exigens, obiit 15. Februarii. anno Domini 1449.

13 Ego Joannes Joffredi orator atque Legatus ab invicto Principe D. Philippo Burgundiæ & Brabantiæ Duce missus ad Reges Castellæ, & Portugalliæ, me suum pastorem à S. P. Nicolao Papa V. Luxoviensis Conventus præfici petiit, atque obtinuit. Natus in oppido Luxoviensi, Dolæ studui, atq; ex Aggripina Colonia Papiam profectus, Iuri Civili operam præstans, huc invita-

tus ad

*tus ad monasterium me dedicavi, sacrisq; fui vestibus decoratus, & ex dono Patris mei Abbatis, Prioratus de Anagrates mihi evenit. Repetens Papiam, ibi Doctor effectus in Jure Canonico, ordinariè legens, stipendia Ducis Mediolani triennio merui. Jussu S. P. Eugenii ad * Sanctas Tarranenci Concilio, ubi Constantinopolitanus Imperator, & Græci Patres centum quinque convenerant, solus ego Concilio tanto durante ordinarie * & in Palatio Præsulis fui. Ex tredecim ad Græcorum reductionem delectis adscriptus fui, & Reverendissimi Domini Vice-Cancellarii * factus, obtinui Decanatum S. Vincentii de Vergeyo, & Prioratum Arbosii, posteà verò Prioratum B. Mariæ.*

* ita MS. ad nos perlatum.

* deest hîc aliquid.

* hîc etiam deest aliquid.

14 *Deinde tractu temporis successit* Reverendus Pater Domnus Antonius de Novo-Castro, *Episcopus & Comes Tulliensis, ex utraque parte nobilitate propagatus, sed nobilior moribus atque virtutibus. In populo Christiano, & præsertim Luxovien. charissimus, Ecclesiam Sancti Petri restauravit. * Jube circa chorum de novo construxit, Sacellum retro majus altare construi fecit. Castrum de Bauldoncourt de novo reædificavit; multaq; alia bona circa divinum cultum peregit. Tandem plenus annis pro quadam infirmitate splenis ad medicos Parisiis curandi causâ accessit. Ibidem occubuit in Domino anno* 1494, *penultima Febr*

* ita MS.

15 *Cui successit quidem nobilis genere ex utroq; latere, Reverendus Pater Domnus* Ioannes de Palude, *nepos ex sorore prædecessoris sui, Sacrosanctæ Sedis Apostolicæ Protonotarius dignissimus, tanquam perpetuus Commendatarius, qui tanquam magnanimus pro juribus perennis libertatis monasterii Luxoviensis conservandis, graves sumptus in curia suprema Parlamenti Dolæ sustinuit.*

16 *Cui successit Reverendus Pater* Franciscus de Palude, *S. R. Ecclesiæ Protonotarius, qui principatum Carolo Quinto bonæ memoriæ Imperatori resignavit.*

Loquitur de principatu Abbatiæ Luxoviensis

17 *Deinde successu temporis eidem successit Reverendissimus Pater* Franciscus Bonvallot *S. R. E. Protonotarius Bisuntinus, qui Castrum de Bauldoncourt ædificiis ampliavit, & domum Abbatialem de novo construxit. Sed præventus morte non perfecit. Obiit Bisuntii an.* 1560. 13. *mensis Decembris.*

18 *Cui quidem posteà successit R. P.* Antonius Granuellanus, *S. R. E. Presbyter Cardinalis Bisuntinus. Hic primus à Consiliis Regis Hispaniarum Philippi, SS. Imper. Caroli Quinti filii, per sex annos apud Neapolim vices Regis gessit. Madriti obiit ann.* 1585. 19. *mensis Novembris.*

19 *Eidem successit R. P.* Ludovicus Maldruchius *Episcopus Tridentinus, S. R. E. Presbyter Cardinalis, qui per quatuordecim annos Ecclesiam rexit. Obiitque Romæ anno* 1600 *Jubilei*, 20. *Aprilis.*

20 *Post hunc ad Regimen ejusdem Abbatiæ accitus est piè recordationis Illustrissimus ac Reverendissimus Pater* Andreas *Cardinalis Archidux Austriacus, qui Romæ obiit ann.* 1600, *ante possessionis Abbatiæ acceptionem; per Belgium Vicarii generalis & Gubernatoris sub SS. Archiduce Alberto vices gerens.*

21 *Huic post biennium successit Reverendus Abbas Domnus* Antonius à Bauma, *qui per SS. AA. Albertum, & Isabellam Eugeniam Claram Infantem Hispaniarum à Baulmensi Abbatia vocatus ad regimen & restaurationem ejusdem Abbatiæ Luxoviensis præfectus est, & Abbas nominatus. Obiit in Castello de Bauldoncourt die... Septembris an.* 1622.

22 *Successit item post hunc Reverendus Abbas Domnus* Philippus à Bauma, *nepos prædecessoris sui ex parte Patris, qui illo adhuc vivente, Abbatiam Luxoviensem per Coadjutoriam ei contulit sub Sereniss. Principibus Alberto, & Isabella Ducibus, ac ipsis consentientibus.*

193 Ex hoc 68 circiter Abbatum Catalogo status utcumque apparet successionis Abbatiæ Luxoviensis, & causa defectionis à primâ illâ gloriâ. Bina illa Barbarorum irruptio magnam sacrorum Martyrum copiam cœlo dedit: fuêre sanè (quantum ex temporum circumstantiis colligi potest) octingenti illâ persecutione martyrii coronam adepti. Nam prima illa Vandalorum & Hungarorum contigit illo tempore, quo ibi perpetuæ adhuc laudis vigebat observantia, & sexcentos ad minus ibi tunc fuisse, satis videtur credibile. Nam S. Eustasio regente, sexcenti ibi reperiuntur simul vixisse, & vero simile videtur, ejus successores, crescentibus nimirùm jam in dies ex Regum devotione & munificentia monasterii proventibus, si non auxerunt certè non

mille vel mille ducentos martyres cœlo dedit Luxoviense cœnobium.

non diminuisse illum monachorum numerũ. Alteriùs verò irruptionis tẽpore credi potest trecentos, vel quadringentos interfectos fuisse. Nam Abbates à prima illa desolatione usque ad hanc secundam intercedentes non est dubium bona & possessiones monasterii recuperasse, sicque majorum suorum exemplo magnam ibi monachorum multitudinem aluisse; ac proinde mille vel mille ducentos binâ illâ irruptione martyrio coronatos, quorum exuviæ terram illam felicem fecerunt & summâ veneratione dignam, licet hodiè exigua sit earum ibi memoria, sicut & aliarum sacrarum loci Reliquiarum, quarum ibi olim magna copia extitit, ex quibus dicunt se hodieque Luxovienses habere brachium Sancti Columbani, cujus translatio in Martyrologio ejusdem cœnobii notatur ad Nonas Junii his verbis: *Eodem die translatio gloriosissimi brachii Patris nostri Columbani de Bobio ad Luxovium.* In eodem quoque Martyrologio de Ecclesiæ Luxoviensis dedicatione sic habetur: VII. *Idus Decembris ipso die apud Luxovium Dedicatio Oratorii in honorem Apostolorum Petri & Pauli.*

Quam dedicationem factam credo ab Episcopo Bisuntino (in cujus diœcesi situm est Luxoviense cœnobium) & nominatim à *Sancto Nicetio*, clarissimo Sancti Columbani amico, tunc ejus civitatis Archipræsule, qui multa legitur in Sancti viri Ecclesiis & monasteriis Altaria consecrasse. Sic namque de ipso in vetustis S. Joannis, S. Stephani, & Sancti Petri Vesontione codibus legitur: *Erat tunc temporis B. Columbanus Luxoviensis cœnobii Pater celeberrimus, cujus rogatu Beatus Nicetius Antistes Sanctissimus Anagrates, & Luxovium, & Fontanas adiit, & in utroq; cœnobio, ab eodem sanctæ memoriæ Columbano ædificatis Ecclesiis, quia in sua erant Diœcesi, altaria dedicavit, ibique de divinis dulci & admirabili confabulatione habita, post multarum lachrymarum sparsa flumina, post deosculationes creberrimas, Præsul ad civitatem rediit; Columbanus verò monachorum vitam educando apud Luxovium aliquanto tempore fuit. In utroque*, inquit, *cœnobio*, hoc est, Anagratensi, & Luxoviensi, cui Fontanense incorporatum, quasi unum cum eo monasterium censebatur, & ideò non erat contra alia duo distinguendum. Hæc sunt, quæ de origine & progressu Luxoviensis Ecclesiæ adnotanda videbantur, quæ idcircò tam prolixè deduxi, quòd cœnobium hoc, omnium aliorum, sub Columbani olim Instituto tam in Gallia, quàm Germania viventium monasteriorum, princeps & caput esset. Nunc ad alia transeamus.

104 *Regulamq; quam tenerent Spiritu sancto repletus condidit.* Aliqui putant hanc Regulam nihil esse aliud, quàm introductionem ad S. Benedicti monasticen, quod an ita sit, suprà, ubi de hac Regula egimus, explicatum est; sed copiosiùs in Dissertatione nostra de monastica professione S. Columbani, quam infrâ habes.

IN CAPUT X.

De Sancto Gallo & nobili ex ejus nomine in Helvetia cœnobio.

105 Unus tantum de Fratribus cum eo erat, *Gallus nomine.* Hic meritò præcipuus censetur Columbani discipulus, vir magni apud Deum meriti, insignis & ipse observantiæ monasticæ, & fidei Catholicæ propagator. Ipsum Helvetia Apostolum colit, & celeberrimum illud *Sant-Gallense* cœnobium cum nato inde oppido, quòd vulgò *Sant-Gallum* appellatur, fundatorem & Patronum. Quod monasterium ex humili in altum assurgens, ex Cella videlicet S. Galli in amplissimum cœnobium & urbem, congestis illuc *Pipini*, aliorumque regum munificentiâ opibus, eruditione, sanctitate, potentiâ immensùm crevit: ad quæ commonstranda hîc nonnulla subjicio. Ac imprimis quantum illic olim literarum studiâ floruerint luculenter ostendit Baltharius, seu Baltherus, antiquus author in præfatione Vitę *S. Fridolini* Hiberni ad *Notkerum* Sant-Gallensis Gymnasii tunc rectorem, cum ait: *Jam dudum verò, ut vos optimè nostis, dum in monasterio Sancti Galli juxta vestros, cæterorumq; pedes magistrorum, scholasticâ vacare disciplinâ desisterem, & cùm hoc, multò magis cogente miseriâ, quàm copiâ magistratus deficiente, mihi contigisset in damnum; nam inde fons infertur sapientiæ per cunctas totius Europæ provincias*

Monasterium Sant-Gallense, in Helvetia ex humili in angustam crevit.

Studia litterarum florentissima diu fovit.

vincias derivatus, omnibusq; hucusq; Dei nutu suavissimo se potabilem dulcorabat gustu, bonum mihi visum est, ut huiusmodi, ceu dictum est, fœlici solatio destitutus, occidentalis Galliæ magistros, licet socius gyrovagorum in mendicando, verecundiâ penitus posthabitâ aggrederer. Hæc ille. Ad quæ intelligenda sciendum circa Sant-Gallensis studii ordinem & formam, non tantum intùs in claustro pro monachis, quorum ingens erat multitudo, sed etiam foris in urbe pro sæcularibus, qui illuc ex omnibus non tantùm Germaniæ, sed totius Europæ partibus, discendi gratiâ frequentissimi confluebant, publica fuisse constituta gymnasia, in quibus liberalium artium & sacræ Scripturæ pandebantur arcana. Ibi non solum mediocres & plebei, sed etiam principum & nobilium liberi educabantur, ut testatur citatus Yepes, idque tanto concursu, ut temporis successu Collegium illud monachorum in celebrem evaserit Academiam & civitatem imperialem, quæ à primo loci incola *S. Gallo* nomen sortita, *Sant-Gallum* dici meruit.

106 Porrò in hoc celebri Seminario inter primos, qui scholas rexerunt & præcipuos extitit *S. Moengal* seu *Marcellus*, vir in omni genere scientiarum ut testantur antiquitates Sant-Gallenses, versatissimus, qui de patria erat SS. Columbani & Galli, & illuc cum *Marco* Episcopo venerat, ut author est *Ekerhardus* monachus de *Casibus monasterii S. Galli pag.* 36. qui refert temporibus *Grimoaldi* Abbatis, qui à *S. Othmaro* numeratur undecimus, circa annum 840 electus, *Marcum* Scotigenam, Româ redeuntem, divertisse cum suo nepote *Moengal* ad S. Gallum, suum compatriotam, visitandum, ibique remansisse precibus compulsum *Notkeri Balbuli* & Fratrum cœnobii, aliis comitibus in Hiberniam dimissis, talem separationem non sine magno doloris sensu & copiosâ lachrimarum effusione ferentibus, ut eadem historia narrat. Idem author, de eadem re iterum loquens in Vita *S. Notkeri* ait, *Marcello* traditas fuisse scholas claustri cum discipulis Notkero, & aliis monachis: quæ quantum ipso rectore claruerint, indicant ea quæ in Grimoaldo habet Bruschius. *Sub hoc Abbate* (Grimoaldo) *scripti sunt multi optimi libri, magnis sumptibus, & erat tunc temporis Abbatia hac Sant-Gallensis celeberrima schola, in qua & principum & nobilium liberi præclarè informabantur, ut essent posteà & sapientiâ instructi & ad omnes res gerendas aptiores.* Quæ omnia ad tempora magisterii *S. Marcelli* referenda sunt, qui, ut suprà dixi, sub Grimoaldo Abbate intravit, atque ubi Sant-Gallensium res suâ sanctitate & sapientiâ provexisset, tandem in ipso monasterio S. Galli beato fine quievit pridiè Kalendas Octobris, cujus animam ad cœlos evolantem, *Godefrido* monacho Sant-Gallensi, ipsiusque *Marcelli* aliquando discipulo, tunc *Lucæ* in Tuscia existenti, apparuisse; aliumque S. Galli monachum, ejusdem visionis factum participem testatur Judocus Metzlerus de *viris illust. monasterii S. Galli*; qui etiam scribit ipsum edidisse *Homiliam in lect. evangel.* quod opus extare dicitur.

doctore primùm Moengalo Hiberno

Vide Chron. Hirsaug. catalog. abb. S. Galli apud Gasp. Brusch. de monaster. Germ.

107 Hujus auditor extitit *Notkerus* cognomento *Balbulus* primus *Sequentiarum* Missalium inventor (cujus operum Catalogum texunt Trithemius & Possevinus) & post magistrum suum studiis Sant-Gallensibus præfuit. Ejus obitum refert *Hermannus* ad annum 912, & alterius ejus nominis *Notkeri*, monachi itē Sant-Gallensis, ad annum 1022, quem dicerem illum esse, qui 21mus numeratur S. Galli Abbas, de quo illud: *ô fortunatam Galli, te consule, Cellam*, nisi viderem ejus electionem in anno 973, & mortem in anno 981 reponi in Catalogo Abbatum S. Galli. Ad hæc notandum, distinctum ab his fuisse *Notkerum*, seu *Notgerum*, Episcopum Leodiensem; à primo quidem, quia ille, ut statim diximus ex Hermanno obiit anno 912; hic autem juxta tabulas Germanicas Ecclesiæ Leodiensis migravit anno 1007, vel, ut monacho Herveldensi placet, 1008: à posteriore verò, cùm ille referatur obiisse in S. Gallo, alter verò Leodii, ubi adhuc quiescit, cùm prætereà utriusque obitus non eodem anno contigerit; unde non rectè hos confundit Trithemius, & Yepes ipsum secutus. Extat Notkeri vita apud Henricum Canisium in Antiquis Lect. Notkerus discipulum habuit virum sapientiæ studiis deditum, nomine & re *Salomonem*, qui ex monacho Sant-Gallensi creatus est Episcopus Constantiensis. Scholam post Notkerum rexit

dein Notkero,

Salomone

Harmondo. *Harmondus*, multorum illustrium virorum, & inter alios *Ditmari* Abbatis celeberrimi, magister. Harmondo successit *Adelardus*, non inferioris litteraturę doctor, qui *Hilpericum* discipulum suum, & Ditmari collegam suæ successionis reliquit hæredem; cujus Hilperici præclara monumenta recenset Trithemius *de Scriptor. Eccles.* sicut & *VVaramberti* monachi itidem San-Gallensis & scriptoris eximii, de quibus & aliis hujus illustris collegii viris insignibus, qui plura nosse velit, legat Trithemium in Chronicis Hirsaugiensib. ad annum 860, & 943. & Antonium Yepes cent. 3. ad an. 720. Non est autem hic prętermittendus *Foillanus*, unus ex celebrioribus Sant-Gallensium Scholarum rectoribus, quem *Doctissimum & beatæ memoriæ magistrum* dixere Patres antiqui *Contractus*, *Hapidanus*, & MSS. ut refert citatus Metzlerus; quique ad exemplum Sanctorum Patrum Columbani & Galli, aliorumque veterum Scotorum, ex Hibernia natali solo peregrinandi causâ discedens, in S. Galli cœnobio locum sibi quietis elegit, ubi multos sapientiæ studiis instruxit. Non est etiam hîc omittendus *Eusebius* & ipse Scotigena, seu Hibernus, qui monasterium Sant-Gallense suâ sanctâ conversatione illustravit, &, ut tradit *Ratpertus monachus de casibus monast. S. Galli c.* 10. in monte S. Victoris apud San-Gallenses (quem Hiberni monachi incolebant) 30. annis inclusus, Domino servivit, & tandem ad gloriam translatus est pridiè Kal. Februarii. Quem Ekkerhardus junior *de cas. monast. S Galli. c. 2. S. Galli compatrianum & Virum Deo plenum appellat.* Nolo hîc ulteriorem texere catalogum illustrium hujus gymnasii virorum, cum innumera suppetant antiquæ ejus gloriæ testimonia, quæ ad ipsius S. Galli Acta oportunius exhiberi poterunt. Certe florentis illic olim litteraturæ fideles per multa sæcula testes remanserunt selectissimi codices MSS, quorum multitudine ac varietate San-Gallensis bibliotheca præ aliis Germaniæ scriniis eminebat, quorum potiorem partem temporum absumpsit injuria.

Adelardo,

Hilperico,

S. Foillano, Hiberno.

Ibidem S. Eusebius itidem Hibernus emicuit.

108 Tanta autem & tam copiosa hæc sapientiæ studia vitæ sanctitas adornabat, ut cum amore discendi devotionis fervor, & cum studentium monachorum numero, sanctorum multitudo certaret, quæ tanta illis temporibus in cœlesti hoc Collegio habebatur, ut teste *Judoco* memorato, *Valtramus* antiquus monasterii hujus Decanus in carmine, quo Cæsarem S. Galli templum ingredientem excipiebat, non dubitârit, inter alia sequentem de sanctitate loci versiculum inserere: *Istud sanctorum concludit millia templum.* Quod ab antiquitate prolatum de hujus cœnobii sanctitate testimonium, nobis videtur sufficere, ac proinde plura huc spectantia congerere supersedemus, quæ ad ipsius S. Galli Vitam, ubi de hac re ex instituto, Deo dante agetur, oportuniùs adferentur. Interim consulantur Ekkerardus, & Ratpertus de *casibus monasterii S. Galli*, *Notkerus*, *Bruschius de monast. Germ. cent.* 1. *Yepes* citatus, & alii, qui de hoc monasterio præclarè loquuntur. Quod si ad posteriora etiã tẽpora respiciamus, adhuc hodie ex divino munere, & S. Galli fundatoris benedictione, pristini splendoris ibi remanent vestigia, illorum temporum sanctimoniam, & sapientiam referentia: nam hujus cœnobii monachi, sicut Fratrum numero & eruditione, ita & monasticæ observantiæ rigore alia ejus instituti Germaniæ monasteria facilè antecedit; quod adeò verum est, ut inde nuper ad alia monasteria reformanda, & disciplinam monasticam secundum formam observantiæ & reformationis San-Gallensis in iis constituendam & stabiliendam, monachi plures emissi fuerint.

Antiqua sanctitas & veneratio monasterii Sant-Gallensis.

109 Hujus porrò loci Abbas inter Imperii Principes computatur, & in eorum consessu locum habet. Est primus & præcipuus inter confœderatos Helvetiæ, armis, & opibus, si quis alius inter Abbates Principales, potentissimus; proventus ejus annui ad centum millia ducatorum ascendunt. Ejus ditioni subest Comitatus Zogenbergensis, & alia nonnulla amplissimę jurisdictionis loca. Tot habet vasallos, ut confœderatis Helvetiis, cum opem petunt, duodecim millia armatorum militum subministrare possit. Testatur quoque Joachimus Vadianus Sant-Gallensis monasterium S. Galli olim monetales officinas habuisse, in quibus excusæ monetæ pro signo agnum vexilliferum primò præferebant, ut *docent*, inquit ille, *ferramenta, quæ in archivio*

Abbas San-Gallensis Imperii Princeps.

Hie... Roman. de republ. Helvet. c. 11. & Yepes cent. 3. ad an. 721.

de monast. Germ.

chivo senatus etiamnum cum aliis formis antiquis visuntur: successit ursus, sævum quidem & militaribus signis dignum animal, tamen receptum & adamatum, quia creditum sit Gallo recens eremum ingresso, ursum quendam ligna attulisse, quæ foco illius sufficerent. Qui plura desiderat de potentia Abbatum hujus cœnobii, legat Renatum Chiopinum *l.* 3. *de politia sacra*, cum aliis iam citatis, & Franciscum Gulimanum de *republ. Helvet.* qui *l.* 4. *c.* 1. huic monasterio *longè nobilissimi & tota Germaniæ principis* titulum tribuit.

110 Cæterùm, ut ad ipsum S. Gallum, primum loci fundatorem, à quo hactenus sumus digressi, revertamur, non est quod hîc aliqua de ejus notissima vitæ & doctrinæ sanctitate proferamus, cùm ejus Acta, doctè & copiosè à Walafrido Strabone collecta, apud Surium & alios passim habeantur. Solùm hic superest, ut lectorem admoneam de *Thomsoni*, *Dempsteri*, *Camerarii*, & aliorum Scotobritannorum hujus temporis malâ fide, qui Gallum nobis eripere moliuntur, contra ea quæ ex gravissimis authoribus, ubi de S. Columbani patria egimus, sunt adducta. Sanè non est nobis contra hos de longè quærendus testis: nam ipse Walafridus, qui vitam Sancti composuit, clarè scribit ex Hibernia nostra natum S. Gallum. *Et quia* (inquit) *provinciarum descriptiones attigimus, liceat paucis Hiberniæ insulæ, de qua nobis tantum decus* (S. Gallus) *emicuit, juxta eosdem authores* (nempe Solinum, & Orosium) *situm commemorare.* Ubi manifestum est de nostra patria prout suprà demonstratum est, esse sermonem, quæ nimirum insula est, ut sæpe antè repetii, quæque solùm à Solino sub Hiberniæ nomine comprehenditur, ut ipsemet Camerarius admittit, asserens Solinum ex instituto de Irlandia nostra locutum, ut ad cap. 1. ostendi. Præterea res est extra controversiam: nam ipse Walafridus describens Hiberniam, de qua hic agit, dicit quòd in ea *nullus* sit *anguis*, quod iam ad cap. 1 ex omnium Scriptorum consensu declaravi nostræ patriæ privilegium esse. Denique ipsam à Britannia distinguit constituens illam inter Britanniam & Hispaniam, quod de nulla Britanniæ parte verum esse potest, benè tamen de Hibernia. Quibus accedit quod cap. 2. afferat Gallum & Columbanum ex illa Hibernia de qua fuerat locutus, peregrinaturos ad Sigibertum in Gallias venisse; quod dici rectè non potuit, si illa Hibernia terra nativitatis ipsorum non fuit, à qua peregrinari quis dicitur cùm ad peregrinas nationes egreditur.

[Margin: to. 5, ad 16. octob.]

[Margin: Mala fides quorumdam Scotobritannorum S. Gallum Hibernis eripientium]

[Margin: in Prol. vitæ S. Galli]

[Margin: S. Gallum ex Hibernia insula duxisse origenem probatur]

Idem secundò demonstratur ex vita *S. Magni* per Theodorum ejus discipulum conscripta, qui cap. 1. dicit S. Gallum fuisse nepotem S. Columbani; quod etiam testatur Catalogus Sanctorum Diœcesis Constantiensis, de quo suprà: superiùs autem evici, si quæ fides priscis, Columbanum patruum vel avunculum fuisse ex patria nostra oriundum; igitur hoc idem erit sentiendũ de Gallo nepote, & eadem ratione de S. *Deicola* Galli fratre, & *Lutrensis* cœnobii fundatore. Quibus accedit quod Melchior Goldastus in Notis ad Vitam S. Galli referat ex quodam veteri Codice fuisse filium cujusdam Regis in Scotia seu Hibernia, & descendisse ex eadem Regum familia ex qua *S. Brigida* Kildariensis.

Tertiò id testantur vetustus author vitæ S. Kiliani, & Notkerus Balbulus ad 17. Calend. Novembris, quorum verba suprà de Columbano agens, adduxi, affirmantium S. Gallum ex *Hibernia insula* &c venisse, & ostendi non de alia regione intelligenda, quàm de nostra. Longum, & superfluum foret, & etiam præter institutum nostrum, qui non jam de Galli patria apologiam scribere intendimus, Ratperti, Mariani, Hermanni, aliorumque antiquorum, quos suprà nominavi, hac de re clara testimonia producere, quibus nullus sani judicii fidem denegare potest. Contentus ergo pro nunc iis, quæ pro Columbani patria congessi, quippè non Gallum tantùm, sed & omnes qui Columbanum ex Hibernia comitati sunt, manifestè probantibus *Hibernos*, seu ut Scotobritannorum notione loquar, *Irlandos esse* natione; nunc ad alia pertranseo, prius tamen hîc obiter signandum duxi numerum Abbatum, qui post S. Gallum in hoc loco præfuerunt usque ad annum Domini 1539, quo electus est *Dictelmus* Abbas, qui numerantur apud Gasparem Bruschium citatum suprà quinquaginta septem, ab *Othmaro* usque ad *Grimoaldum* de quo supra, undecim; cujus & successorum, maximè

verò

Numerus Abbatum San-Gallensium usque ad annum 1539.

verò *Arnudi* & *Bernardi* temporibus, multùm claruêre scholæ Sant-Gallenses, ut constat ex eodem Bruschio, qui de Bernardo, qui secundus fuit à Grimoaldo, loquens, hæc habet: *Erant tunc in S. Gallo multi doctißimi monachi, & ferè omnes nobiles optimæ vitæ, & honestißimorum studiorum, præcipui verò inter hos Notgerus & Radopertus, erant insignes chronographi, & poëta Tutilo. Item Harmanus, Eccardus, & Geroldus &c. Notgerus & Tutilo pro Sanctis posteà sunt habiti.* A Grimoaldo usque ad *Ulricum sextum* electum anno 1204, qui primus omnium Imperii Principis titulum, & Pontificalium usum in hac domo accepisse legitur, successerunt in S. Gallo viginti quatuor. Ab Vlrico verò usque ad præfatum Diethelmum, ultra quem non est prosecutus seriem Abbatum Bruschius, rexerunt viginti duo. Sed de his satis.

111 *Tantaq; copiâ piscium est rete impletum, ut vix præ multitudine trahi potuisset.* Alia hujusmodi obedientiæ simplicis exempla exhibui ad caput primum Regulæ S. Columbani, quibus indicatur, quod obedientia debet esse cæca: nam Dominus illuminat cæcos obedientium oculos, & captivantium intellectum in obsequium Christi & seniorum operibus benedicit: *vera* quippe *obedientia*, ut ait Climacus Gradu 4, *nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: nescit judicare, quisquis perfectè didicit obedire*; unde *Ægyptii monachi*, teste Cassiano, *universa complere quæcumque fuerint à præposito suo præcepta, tanquam si à Deo sint cœlitùs edita, sine ulla discußione festinant, ut nonnunquam etiàm impoßibilia sibimet imperata, ex fide ac devotione susciperent.* (l. 4. Instit. c. 10. 41.) Vide quæ supra hac de re ad caput primum Regulæ S. Columbani notavi. Sic ergo quamdiu Gallus in alio, quàm præscripserat Columbanus, fluvio piscabatur, totâ die laborans nihil cœpit, quia nimirum suo judicio nitebatur; at ubi ad designatum locum simplici fide, nihil discernens, nihil dijudicans ex Abbatis imperio pervenit, impletum est rete piscibus. In duobus sequentibus capitulis apparet qualiter hujusmodi obedientiæ filii, corporis sanitatem, & aëris serenitatem obtinuerint, cujus rationem cùm jam hîc planè tradiderim, ad caput 13. sermonem transferam.

IN CAPVT XIII.

112 Donatum nomen imponit. Conveniunt rebus nomina sæpe suis, sanè meritò vir Sanctus Donatum vocavit, quem suis à Deo precibus dono impetravit, quemque cœlesti imbutum sapientiâ, velut hominem è cœlo lapsum, sibi Vesontionensis Ecclesia Antistitem & Pastorem accepit, virum verè pium & deditum misericordiis pauperum. Nam, ut MSS. Vesontionensia * testantur, *fama eximiæ laudis ejus usquequaq; prolata præter solitum multos animabat ad videndum summi Evangelistæ Ioannis, & protomartyris Stephani limina, qui omnes recreabantur ejus consolatione, & benedictione roborabantur, & si quid Apostolico more suis offerebatur pedibus, nihil patiebatur in suorum expendi usus, sed cunctorum pauperum largiebatur neceßitatibus.* Hæc ex MSS. codicibus Chiffletius.

* Apud Ioannem Iac. Chiffletium consularem Vesontinum in ejus urbis hist. pag. 151. & 153.

S. Donatus Episcopus Vesontionensis

113 *monasterium construxit virorum quod Palatium nuncupant.* De hoc monasterio sic prosequitur codex ex quo supradicta de Donato desumpta sunt: *Præterea monasterium infra urbis mœnia condidit, & in honorem B. Pauli Apostoli sacravit, poßeßionibus ditavit, privilegio munivit, atque inibi fideles viros sub B. Benedicti, & B. Columbani Luxoviensis Regula victuros instituit.* Vbi sermo est de monasterio quod hic *Palatium* appellatur, & hodiè mœnibus civitatis adjacet, quibus à *Dubi* flumine dirimitur.

mon. Palatiense

114 *Flavia post mariti obitum monosterium puellarum construxit* &c. De hoc quoque monasterio dictus codex mentionem facit, cum relatis jam verbis subdit: *suo denique tempore, matre ejus Flavia cooperante, ex propria hæreditate aliud in eadem urbe nobile Sanctarum monialium in honore B. Mariæ est ædificatum cœnobium, in quo requiescit eadem Flavia in pace, & Sirudis* (una sine dubio ex duabus, de quibus hoc in loco Ionas) *ejus filia virgo sacratißima, ejusque loci Abbatißa.* Hoc monasterium *Iussanum* dicitur, fuitque monachis Benedictinis posteà traditum, ac *Balmensi* cœnobio subditum, quod ex chartis Friderici Imperatoris 1193. & Adriani IV. Papæ 1155. relatis in Bibliotheca Cluniacensi constat, cum omnibus suis pertinentiis (Inter quas Iussanum cœnobium

Monasterium Iussanum

nobium censetur) Cluniacensibus esse collatum. In alio instrumento *Bonævallis* Ordinis Cisterciensis, dato anno Domini 1264, Gauffridi Prioris monasterii Jussani mentio reperitur. Cæterùm anno 1604. istud cœnobium ad Minimos transiit. De Rameleno fratre S. Donati nihil reperio.

115 *In urbe Vesontione.* Vesuntio ex Remundo Merliano, *oppidum maximum Sequanorum, naturâ loci munitum inter Celtas, nunc Comitatu Burgundiæ circumseptum, civitas est Imperialis & Metropolitica: in illa sunt loca vetusta, qualia Romæ.* Vesontini codices produnt esse quadringentis triginta quatuor annis Româ antiquiorem, unde leguntur hi versus in armamentario Bisontino.

Vesontio civitas Imperialis antiqua.

Martia Romulidum senior Vesontio gente
Magnanimos habuit Martis in arte viros:
Nondum Cæsar eras, nec Lilia sceptra tenebant,
Cùm cessit jussis Sequana terra meis.

Vide Cæsarem in Commentariis, Paulum Merulam in Cosmogr. Ortelium, Belloforestium, & memoratum suprà Chiffletium, qui ædificia, hortos, Ecclesias, Bibliothecas, & alia id genus hujus civitatis ornamenta copiosè eleganterque describit.

IN CAPUT XV.

116 *Intuitus supra typrum cervisiam crevisse.* Iste Cellerarius, cujus obedientiæ promptitudinem Deus tam illustri miraculo comprobavit, fuit S. Magnus S. Galli collega (de quo infra) ut ex ejus vita à Theodoro monacho editâ constat, in quibus hoc ipsum plenius exprimitur. Hujusmodi olim in monasterio Sant-Gallensi exemplum contigit, cujus rei testes usque in hunc diem remanent versus aliqui, in porta capituli, ubi tum loci cella vinaria fuerat, appensi. Perfecta obedientia, sua imperfecta relinquit.

S. Magnus collega S. Galli.

IN CAPUT XVI.

117 *Unus è Fratribus, nomine & ipse Columbanus.* De hoc Columbano Calendarium quoddam MS. S. Benedicti de Mantua, & Petrus in Catalogo lib. 10. c. 95. & Arnoldus Wion in Mart. Benedict. ad 21. Novembris, qui est dies ejus Natalis secundum istud Calendarium à Wione citatum. Verùm non ita Luxovienses, qui ejus festum ad 2. Kal. Junii referunt, ut videre est in Martyrologio ipsorum, in quo de hoc sancto sic habetur. *2. Calend. Junii Luxovii transitus S. Columbani confessoris Christi, B. Columbani Abbatis discipuli.* Habentur de eo Luxovii particulares Lectiones, quæ ex hoc capite desumptæ sunt.

Columba junior S. Columbani discipulus.

IN CAPUT XVIII.

De Brunichilde Regina.

118 *Cui Brunichildis ait.* Fuit hæc filia Regis Hispaniæ, uxor Sigeberti, elati & crudelis animi mulier, Arianæ sectæ fautrix, decem Regum & aliorum cædibus rea, ex quibus ipsum (cui maximè semper favisse visa est) Theodoricum, ut aliqui credunt, veneno sustulit, & proprios nepotes filios Theodoberti innocentes immani crudelitate extinxit, ipsumque patrem Austrasiorum Regem Theodebertum, primò quidem in Clericum violenter attonsum, mox vitâ privavit; quorum & aliorum criminum condignas tandem justo Dei judicio pœnas tulit, in potestatem *Clotharii* redacta, quas infrà describit Jonas, & Aimoinus, ac Gaguinus in Clothario II. Meritò quidam crediderunt de ea *Sybillam* vaticinatam fuisse cùm dixit: *Veniet* Bruna *de partibus Hispaniæ, ante cujus conspectum gentes, vel gentium Reges peribunt; ipsa verò calcibus equorum dirupta peribit.* Nam hæc omnia in ipsâ completa cognoscet quisquis ejus crimina, & inflictam à Clothario pœnam consideraverit, quæ omnia huic vaticinio consonant, ut infrà clariùs apparebit. Cæterùm neminem movere debet, quòd tantis Brunichildem efferat laudibus Gregorius, cujus variæ ad eam miræ commendationis extant Epistolæ. Nam tot ipsa sacerdotum, monachorumque collegia apud Burgundos, Austrasiosque construxit, ut si impensam cum ejus fortunis conferas, mireris sanè tot ab ea uno sæculo templa, assignatis cuiq; proventibus, exædificari potuisse, propter quæ Christianæ pietatis opera ipsam meritò laudavit Gregorius, ignarus forsan intereà ejus, quàm ipsa in tot regũ cæde crude-

Brunichildis admodum facinorosa.

vide Sigebertum ad annum 578.

Aimoin. l. 4. c. 1. fin.

C. 35. Gregorio laudata.

crudelitatis exercuerat, & ejus quã postea in viros sanctos exercitatura erat, impietatis. Gregorii laudes nõ purgant crimina vel ignota, vel pòst commissa. Ea prætereà petebat ipsa cum suo nepote Theodorico Rege, missis ad Gregorium legatis, quæ magnam pietatis speciem præferebant, privilegia videlicet Ecclesiis & Xenodochiis à se constructis, quâ simulatæ pietatis specie magnam sibi apud Sanctum Pontificem religionis opinionem conciliavit, in hoc malos imitata politicos, qui cuncta, etiam religiosa, affectare solent, quò apud suos & externos æstimatione polleant. Atque ita petita omnia, velut ex pietatis zelo profecta, gratanti animo concessit Gregorius, per hæc eam ad altiora provocans charitatis opera. Vide de Brunichilde prçter nominatos, Ioannem Marianum lib. 3. rerum Hispan. c. 10. Reliqua huç spectantia infrà dicemus ad caput 28.

& Baronium ad an. 306

119 *Comminaturq́ excommunicationem.* Hoc non est intelligendum de censura excommunicationis, qualem solent Episcopi, vel alii prælati, Ecclesiasticam jurisdictionem habentes, in delinquentes subditos proferre. Nam Theodoricus non suberat Columbano in ullo foro; sed notatur consuetudo priscorum Sanctorum, qui in sceleratos & obstinatos homines, divinam indignationẽ graviter provocantes, maledictionis suæ sententiam rigidissimè pronunciabant, super ipsos etiam Psalmos aliquos mali imprecatorios, concorditer & publicè concinentes; vel contra ipsos ad Deum jejunantes; quod sæpissimè in Vitis nostrorum Sanctorum legimus, qui contra iniquos & crudeles Reges sæpè jejunabant. Sciendum tamen, quod hujusmodi maledictionis vindicta, non nisi in obstinatos, & jam à Deo judicatos & derelictos infligi solebat; quod benè de Theodorico cognovisse Columbanum credendum est; à quo nimirum ille toties admonitus, ab illicita concubinarum consuetudine abstinere contempsit. Et sanè viri sancti maledictionem in caput ipsius cecidisse, effectus maledictionis posteà subsecutus tam in ipso, quàm in tota ejus progenie & propagine radicitùs extirpatâ demonstrat. Cujus exemplo Deus Reges & Principes terrere voluit ab inferendis injuriis personis suo obsequio deputatis, de quibus ipsemet ait: *Psal.* 104. *nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.* Vel potest intelligi præfatus locus de censura excommunicationis ab Episcopo, vel Pontifice inferenda, suasu tamen, aut impulsu Columbani procurantis.

120 *Penes Vesontionense oppidum ad exulandum perducit.* Erat in hac Urbe tum Pontifex *Sanctus Nicetius*, alius à Nicetio Archiepiscopo Trevirensi, S. Gregorio Magno contemporaneus. Inter hunc & Sanctum Columbanum *quanta fuerit veræ concordiæ charitas, quantaq́ in oratione societas, non est dictu facile; die enim, noctuq́ desiderabant alter alterum videre, salutatorias epistolas sæpè sibi mittebant: de Dei servitio hortari & commonere invicem studebant.* Hic ergo fidelis beati Viri amicus perhumaniter ipsum exulantem suscepit, quâ de re ita codex ille Vesontinus. *Post hæc verò, accedente discordiâ inter Reginam Brunichildem & Beatissimum Columbanum (nulla enim concordia inter bonum & malum) jussu Regis Theodorici (Regina enim urgebat) pulsus à Luxovio per manus satellitum, ductus est ad Bisunticam civitatem in exilium; ubi videns eum Beatus Nicetius, mutuæ dilectionis alacritate perfunctus, & fratris adversitati solatium inferens, modestè condolebat, & multo gaudio replebatur, quia confabulandi copiam tali cum viro habebat; ubi diu eum honorificè tractans, salvâ Regis reverentiâ secum habuit, donec Dei voluntas, in cujus manu sunt omnia, suâ potentiâ ac dispositione Beatum Virum ab hoc exilio liberatum reduxit. Non videbatur Beato Columbano se exilium passum, sed Dei paradisi deliciis, quamdiu cum Episcopo mansit, interfuisse.* Hçc ex libris S. Ioannis, Sancti Stephani, & S. Petri Vesontinæ civitatis. Ex quibus corrigendus est Surius, qui mutato, ut assolet, authoris stilo, pro citatis Jonç verbis hçc reddidit: *juxta Vesontiense oppidum in exilium abegit*, cùm tamen non ad vicinum quempiam locum, sed ad ipsam Bisontinam civitatem, deductus fuerit Columbanus, ut clarè adducta jam de Nicetio verba, & ipse Jonas indicant.

IN CAPUT XX.

121 U*Num eorum, qui Lua dicebatur, percussit.* Hic Lua alius est ab illo celebri Sancto Luano, de quo Bernar-

Lua alius est à Luano, seu Molua.

Bernardus & Jocelinus, centum monasteriorum fundatore, quæ monasteria dicit *Florarium* in Gallia fuisse erecta. Sed hoc non videtur credibile: nam tanta monasteriorum plantatio omnes Galliæ scriptores latere non potuisset, qui nihil hac de re meminerunt, unde in Hibernia illa cœnobia extructa fuisse credendum est.

121 *Inde ad Aurelianensem urbem pervenit.* Hæc nobilissima est Galliæ Celticæ civitas, ab Aurelio Imperatore sic dicta, ad ripam *Ligeris* sita, quam à Cœnomanis olim inhabitatam quidam volunt Eam Carnutensiũ emporium vocavit Cæsar, à quo & *Genabum* appellatam aliqui referunt. Testatur etiam l.7. à se incendio vastatam. Vide Munsterum l. 2. Cosmogr.

IN CAPUT XXI.

123 *Et ipsum, & suos liberos intra triennii circulum esse delendos.* Non *deletos*, ut malè habet noster codex. Porrò hanc viri sancti de ruina stirpis Theodorici prophetiam esse completam omnes scriptores testantur cum Jona infrà. Vide Aimoinum, Gaguinum, Baronium, qui illam ad annum 611. refert, reprehendens eos qui ad alia eam tempora transferunt.

IN CAPUT XXII.

124 *Navis quæ Scotorum commercia vexerat.* Vel ex hoc ipso loco abundè confirmantur ea quæ cap. 1. de Hiberniæ nomenclatura tractavimus. Hic enim per *Scotos* Hiberniæ incolæ intelliguntur: nam in eodem capite hæc præmittuntur: *si navis quæ finibus Hiberniæ reddatur, adest*, & aliquibus interpositis ista sequuntur: *reperta ergo navi, quæ Scotorum commercia* &c. Hiberniæ indigenę vocantur disertè *Scoti*; igitur Hiberni *Scoti*. Quid clarius? quid manifestius?

IN CAPUT XXIII.

125 *Lis oritur inter Theodebertum & Theodoricũ, disceptantibus utrisq; de regni termino.* Fines illi, propter quos inter hos Reges orta est contẽtio erant Comitatus duo, Turoniæ videlicet & Campaniæ, quos Theodebertus, tanquam ad se hæreditario jure spectantes, à Theodorico repetierat. Cum enim non ex ullo justitiæ zelo, sed ex timore belli, quod Theodebertus ingentibus copiis collectis minabatur, Theodoricus, ut multò tum viribus impar, perterritus, ea dominia avertendis tam periculosi belli incommodis cessisset, statuit animo illa denuò, pactorum & promissorum spretâ fide, armis repetere; ad quod, missis Legatis, à Clothario sibi suppetias ferri postulabat, sicut & Theodebertus ab altera parte, teste Jonâ fecerat. Verùm Clothario utrisque renuente, ambo in sese fratres consurgunt, de quorum sanguinolento conflictu infrà suo loco. Bellum inter Theodebertum, & Theodoricum qua de causa exortum.

IN CAPUT XXIV.

De civitate & origine Academiæ Parisiensis.

126 *Ad Parisium urbem pervenit.* Hæc est præcipua Gallię Celticę civitas, *Lutesia Parisiorum* vulgò dicta, celeberrima *Christiani orbis* Academia, & primaria Francorum Regum sedes. Eam à Julio Cæsare extructam dicit Petrarcha, sed falsò: erat enim, ut notat Gaguinus lib. 1. fol. 3. suprà quingentos annos ante Cæsaris in Gallias adventum ędificata. Ipsam interfluit *Sequana* fluvius: superfluum est hîc in ea describenda hærere, cum ipsa notior sit, quàm ut Notis indigeat. Porrò scholas hic primus aperuit *Claudius Clemens* monachus Hibernus, ut testantur Annales Arelatenses, & monachus Sant-Gallensis *de gestis Caroli Magni*, cujus hæc sunt verba. *Cum in occiduis mundi partibus regnare cœpisset* (Illustris Carolus) *& studia litterarum ubique propemodùm essent in oblivione, contigit duos Scotos de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ devenire, viros & in sæcularibus & in sacris litteris incomparabiliter eruditos* &c. *Posteà verò cùm ad expeditiones bellicas urgeretur, unum eorum nomine Clementem in Gallia residere præcepit, cui & pueros nobilissimos, mediocres, & infimos, satis multos commendavit.* &c. *Alterum verò, nomine Albinum, in Italiam direxit cui & monasterium S. Augustini juxta Ticinensem Urbem delegavit, ut illuc ad eum qui voluissent ad discendum congregari potuissent.* Hoc spectant verba Lupoldi Beberburgii *lib. de zelo veterum Principum Germaniæ*, sic loquentis: *Gallici æquari possunt Romanis & Atheniensibus per operam Clementis Hiberni.* Claudius Clemens fundator Academiæ Parisiensis. *apud Henric. Canis. to. 1. antiq. lect. pag. 360.*

Quos ſequuntur S. Antoninus in Speculo hiſtoriali, Vincentius item Bellovalenſis, Martinus Polonus in *Damaſo*, Iacobus Tholoſanus l. 1. Sophol. c. 15. Chiopinus, Gaguinus, Polydorus Virgilius in Hiſtoria Anglicana, Joannes Valenſis, Sabellicus, Nauclerus, Antonius Yepes, & Nicolaus Cruſenius, qui omnes teſtantur *Claudium Clementem* conſtitutum fuiſſe à Carolo Pariſienſis Scholæ ſeu Univerſitatis rectorem, Ioanne Papiam ablegato. Neque audiendi ſunt, qui Pariſienſis Academiæ primordia in Alcuinum Anglum, ipſius Caroli magiſtrum, ac filiorum ejus Pipini & Ludovici domeſticum inſtructorem referunt. Licet enim concederemus Alcuinum, uti & alios viros doctiſſimos, poſtmodùm ex Anglia & Hibernia venientes, ſtudia hæc multùm promoviſſe, erant tamen ante ejus adventum per *Clementem* inchoata, quippè qui jam in Gallia agebat cùm adhuc in Anglia fuiſſet Alcuinus, ut indicat præfatus Monachus Sant-Gallenſis, qui recitatis ſuprà verbis hæc immediatè ſubjungit: *audito autem Albinus* (hoc eſt Alcuinus) *de natione Anglorum, quàm gratanter ſapientes viros religioſiſſimus Regum Carolus ſuſciperet, conſcensâ navi venit ad eum.* Ex quibus habetur, illos ſapientes, viros fuiſſe jam à Carolo ſuſceptos antequam ex Anglia ſolviſſet Alcuinus ſeu Albinus, qui poſteà ſuperveniens opus à Clemente incoeptum, magnis, ut credibile eſt, provexit incrementis, ſaltem monitis & conſiliis urgendo Carolum ut pergeret provehere: unde & ab aliquibus inter fundatores, & primos hujus Academiæ Magiſtros recenſetur; nec aliud ex antiquis ſcriptoribus Angli poterunt colligere vel probare. Cæterùm de aliis paſſim Hiberniæ monachis, qui Caroli Calvi temporibus Scholas Gallicas illuſtrarunt, ita Henricus Autiſiodorenſis ad eundem: *Quid Hiberniam memorem, contempto pelagi diſcrimine, penè totam cum grege Philoſophorum ad littora noſtra migrantem, quorum quiſquis peritior eſt, ultrò ſibi indicit exilium, ut Salomoni ſapientiſſimo famuletur ad nutum?* Itaque Pariſienſis ſtudii fundamenta jecit Clemens, ſuperædificavêre alii poſteà Doctores, in Gallias ex Britannia & Hibernia commigrantes, non Alcuinus publicè ibi unquam legendo; ut benè oſtendit Andreas Quercetanus, Præfatione ad edita à ſe Opera Alcuini, ſed ſuâ apud Carolum interceſſione, ut jam dixi; temporis autem ſucceſſu Deus incrementum dedit. Ex quibus apparet, immeritò reprehenſum à Reynero pag. 36. de antiq. Religionis Benedictinæ in Anglia Cruſenium, quòd in *Albinum* Hibernum Papienſis ſtudii primordia retulerat. Nam ex citatis jam verbis Monachi San-Gallenſis conſtat præter Alcuinum Anglum, qui & Albinus etiam dicebatur, alium extitiſſe ejuſdem nominis, Albinum, quem idem monachus Ticinenſis, ſeu Papienſis ſtudii conſtituit inceptorem.

Gaguin. l. 4. orig. Franc. Virgilius l. 5. hiſt. Valenſis parte 10. Compendiloquii c. 6. Sabellicus l. 9. Ennead. 8. Nauclerus de geſt. Caroli Magni. Yepes cent. 2. ad an. 640. c. 2. *Cruſenius de monachis S. Aug. p. 2. c. 13.*

Non rectè Alcuinus aſſeritur Univerſitatis Pariſienſis fundator.

IN CAPUT XXV.

De ſancta Burgundofora Abbatiſſa.

127 F*Iliamq; ejus nomine Burgundoforam.* Hæc eſt illa eximiæ ſanctitatis virgo, quam Beda, Vincentius, Trithemius, & alii *Faram* appellant, Yepes putat à Jona dici *Burgundoforam*, quaſi *Burgundiæ Faram*, quòd videlicet in Burgundionum regno ſit nata. Primordia converſionis ejus à ſæculo, reluctante patre, qui ſacram Virginem, jam à S. Columbano cœleſti ſponſo deſponſatam, terreno viro nuptui tradere ſatagebat, refert Jonas in *Vita Euſtaſii cap.* 3. Porrò de conſtructione illius monaſterii, quod à loco, in quo fundatum eſt, *Briegenſe* dicebatur, ſic idem Jonas in exordio vitæ hujus ſanctæ: *B. Burgundofora monaſterium, quod Evoriacas appellatur, cui ipſa venerabiliter præerat, omni intentione ac devotione ſecundum* Re*gulam S. Columbani inſtituit, & ad exemplum ſanctorum præcedentium* Patrum *cum aliis ancillis Dei religioſam vitam ibi duxit.* Magnam ſanè erga S. Columbani inſtituta devotionem hæc virgo ſemper geſſit, quam palàm teſtata fuit, cum Agreſtium apoſtatam, apud ſe impio ore ejus Regulæ detrahentem, virili animo repulit & refutavit. Cæterùm in hoc ſacrarum virginum nobili collegio maxima viguit vitę ſanctitas & innocentia: *Erat enim,* ut teſtatur Jonas in Actis ſanctę Virginis, *conſuetudinis monaſterii & regulæ, ut ter in die per confeſſionē unaquæque earum mentem purgaret, & qualemcumq; rugam mens per fragilitatem attraxiſſet, pia proditio ablueret.* Cujus Angelicæ converſationis odor tam multas, tamque

Vincent. l. 23. c. 15. Trith. l. 3. c. 65. Yepes cent. 2. ad an. 617.

S. Burgundofara monaſterium ſub S. Columbani Regula ædificat.

in quo multæ Virgines, etiam regię, ſanctitate claruerunt.

tamq; illustres genere virgines attraxit, ut non tantùm ex Francia, sed etiam ex Anglia multę hùc regię virgines Deo famulaturæ confluerent, cujus rei testem habeo V. Bedam l. 3. hist. Angl. c. 8. in hæc verba scribentem: *Cujus* (nempe Earcomberti Cantuariorum Regis) *Filia Earcongota, ut condigna parenti soboles, magnarum fuit virgo virtutum, indesinenter semper serviens Deo in monasterio, quod in regione Francorum constructum est ab Abbatißa nobilißima, vocabulo Fara, in loco qui dicitur Brige.* Et postquam retulisset qualiter Angli solebant suas filias in Galliam cœlesti sponso copulandas transmittere, subdit: *Inter quas erat Sedrida filia uxoris Annæ Regis Orientalium Anglorum, cujus suprà meminimus, & filia naturalis ejusdem regis Edelburg; utraque cum esset peregrina, præ merito virtutum, ejusdem monasterii Brigensis est Abbatissa constituta.* Hæc ille. De Sisintrude, Gibitrude, Erkantrude, Quilisinda, Austilde, Bithilde, Eandeberta, hujus almæ domus sub magistra Burgundofora, alumnis, vide Jonam in ipsius Sanctæ vita, qui singularum gloriosum transitum describit. Huic nobili congregationi, inter alias claræ nobilitatis heroas, præfuit Abbatissa *Bertrada*, regiæ stirpis titulo illustris, religionis privilegio illustrior, ut in Præfatione loquitur vetustus vitæ S. Faræ post Jonam scriptor, qui plura de pristina Brigensis cœnobii dignitate prosequitur.

De S. Adone & illustri ab ipso Iotrensi constructo cœnobio

128 ADo *intra Iurani saltus monasteriũ ex beati Regula Columbani construxit.* De hoc & aliis duobus Fratribus, de quibus in hoc capite Ionas, hæc ex *Fridegodo in vita S. Audoëni* Haręus ad 24. Aug. *Temporibus Clotharii clarißimi Principis, filii Chilperici Regis Francorum, anno plus minus vigesimo regni ejus, pago Suessionico, quinque milliaribus ab ipsa civitate distante, eo loco, quem Sansiacum vocant, orti sunt tres venerabiles viri, ex uno semine, nobiles in sæculo geniti, & gratia omnipotentis Dei posteà mirificè illuminati, putà, Ado Dado, & Rado quod etiam de his etiamnum pueris Deo dilectus prædixerat Columbanus, genere Scotus, cœnobiorum Luxoviensis in Gallia, & Bobiensis in Italia fundator. Nati sunt patre Anthario, matre Aiga. Primogenitus Ado, monasticam appetens vitam, monasterium condidit Lodariense ad Matronæ fluvium in proprio solo ad præscriptum Regulæ almi Patris Columbani. Rado, qui extremum nativitatis ordinem tenebat, thesaurorum regalium summus procurator effectus est; quos ille justo dispensans ordine, fideliter & Christianè custodivit, erga Dei præcepta similiter justus, & religiosus. Porrò S. Audoënus, cognomento Dado auricularii locum & munus in aula Regis obtinuit, sigillum, vel annulum Regis custodiens. Ad illius scilicet nutum omnia palatii negotia gerebantur, ejus consiliis optimates omnes, atque ipse etiam Dagobertus Rex, Clotharii filius, ceu divinis oraculis parebant.* Ex quibus clariora nonnihil redduntur ea quæ de his hoc loco Ionas. Sed ut ad monasterium illud ab Adone constructum revertamur, *Iotrense* dictum, cujus meminit Innocentius 3us. *cap. ex parte de privileg.* sciendum ex Chronicis Benedictinis, in illo monasterio, duobus habitaculis divisos, vixisse monachos & moniales, qui omnes eidem Ecclesiæ serviebant, & ejusdem cœnobii membra censebantur. Monachis præerat ipse Sanctus *Ado*, Sororibus autem *Telechildis*, nobilis Abbatissa, cujus festum agitur 10 Octobris. Neque hoc inusitatum pro illis temporibus videri debet: nam simile quid in Vita S. Brigidæ per Cogitosum legitur; quæ in Ecclesia, quam in Lagenia, Hiberniæ Provincia, natali solo, erexerat, duo ampla distinxit oratoria, quorum unum frequentabat Episcopus cum sua schola regulari, alterum Abbatissa cum virginibus sacris. Ex hoc Jotrensi virginum collegio nobilissimum per omnes Gallias *Calense* cœnobium sanctimonialium fuit propagatum, quod à S. Bathilde Galliæ reginâ fundatum, ex sororibus Jotrensibus *S. Bertiliam* primam Abbatissam cum aliis sacris virginibus accepit, atque processu temporis tantùm in sanctitate crevit, ut celeberrima ejus fama per Franciam & Angliam longè, lateque diffusa, multas Regum & principum filias attraxerit, quæ locum hunc suâ postmodum professione illustrarunt, cujus rei testis est V. Beda in historia suæ gentis, qui illustrem illam in Anglia Abbatissam

Sub S. Columbani Regula Ado Iuranum,

Lodariense.

& Iotrense monasteriũ,

Yepes cent. a. ad an. 961.

è quo Calense propagatum, con. struxit.

l. 3. c. 8. & l. 4. c. 23.

 Hildam

Hildam, & sororem ejus reginam *Heresvydam*, hujus domus professas fuisse testatur; ex qua evocata denuò in Angliam ab Aidano Episcopo Hiberno, tunc in Anglia prædicante, *Beata Hilda*, ibi monasterium nobile construxit. *S. Bertilia* duas hîc simul reginas, Angliæ nimirum & Franciæ, monasticis institutis instruebat; ipsaque tandem Regina *Bathildis*, loci prima fundatrix, cum multis ex aula claris nobilitate comitibus ingressa, domum à se fundatam suâ sanctitate nobilitavit. Multarum sequentibus quoque sæculis illustrium genere & sanctitate personarum discipulatu claruit hæc schola, in qua ultimis etiam hisce temporibus, ut refert Elias Reusnerius * præfuit domina *Ranata Borbon*, regiæ stirpis fœmina, circa annum salutis 1580. Vide Yepem citatum. Nunc ad alium Antharii filium Dadonem transeamus.

* in descr. stemmatis ultimorum Franciæ Regum.

De S. Audoëno & monasterio Resbacensi ab eo fundato Necnon & fratre ejus Radone

S. Audoënus Resbacense;

129 D*Ado intra Brigensem saltum supra fluviolum Resbacen, ex supradicti viri Regula monasterium construxit.* Superfluum est hîc de Audoëni, seu Dadonis sanctitate verba facere, ubique notissimâ. Cæterùm de monasterio hoc Resbacensi ab ipso constructo hîc annotandum est, quòd cùm illud extruere cogitaret, super locum monasterio posteà consignatum, cœlestis claritate luminis præfulgens apparuit globus, cujus radii circumcirca diffusi, loca quæque circumposita miro fulgore illustrabant, atque ita per continuos tres dies remanserunt. Quod cœleste præsagium splendorem sanctitatis & sapientiæ, qui in hoc sacro gymnasio postmodum effulsit, præmonstrabat. Porrò de hujus monasterii constructione ita ex fide *Fridegodi* Haræus. *In Brigiensis* (inquit) *silvæ recessibus Resbacis fluvioli officinas perlustrans, in suo patrimonio monasterium supradictæ Regulæ* (S. Columbani) *quod Hierosolymam voluit dici, construxit, monachorum multitudinem illic congregans, virumq; unum ex almi Patris Columbani discipulis, eis præficiens, Agilum nomine.* Hæc ille. De Sancto Aglio, Agilo, vel Agito, primo hujus celeberrimi cœnobii Abbate (qui fuit filius *Agnoaldi*, viri nobilissimi, qui fuit à consiliis Regi Sigeberto) plura habet S. Antoninus, qui inter alia, hæc de eo profert: *Hodiè S. Agitus cum summis laudibus pergit ad præmium, hodiè cum sanctis in cœlo coronatus triumphat: fælix valdè, quia ab infantia servavit castitatem, & virgo centenarius ascendit ad gloriam.* Ita ille. Verè beatus, qui vitâ immaculatâ, & annorum pariter numero computatis longævus, præclaros etiam post se discipulos, non tam ætate, quàm mente & morum maturitate provectos reliquit, inter quos numeratur egregius ille Columbani sectator *Philibertus*, Gemiticensis monasterii primus pater; de cujus loci mirandâ sanctitate nonnulla suprà notavi. Qui plura de S. Agilo scire voluerit, adeat Vincentium Specul. hist. l. 23. c. 103. S. Antoninum citatum, & Yepem cent. 2. ad annum 68.

cujus primus Abbas S. Agilus.

130 Tertius & minor natu frater, à Jona prætermissus, dictus *Rado*, thesaurorum regalium, ut suprà ex Fridegodo notavi, summus procurator, teste Aimoino l. 4. c. 41. simili cum aliis germanis suis devotione monasterium extruxit, dictum (ab ejus ut reor nomine) *Redelio*. Obiter hic advertendum, quòd Jonas Dadonem seu Audoënum, juniorem appellavit, intelligendum esse respectu Adonis tantum, de quo anteà sermo erat, & non Radonis, qui, ut constat ex Fridegodo, omnium trium fratrum erat natu postremus; de quo etiam ibi nullam expressam fecerat Jonas mentionem. Videas ex hactenus dictis lector, quantæ efficaciæ & meriti apud Deum extiterit benedictio Columbani, cùm beatissimos illos fratres, illius benedictione donatos, tantis posteà gratiæ donis in Ecclesia sua illustrare dignatus est.

Rado, alter S. Audoëni frater monasterium Redelio dictum.

IN CAPUT XXVI

131 M*Oguntiacum veteres appellarunt.* Moderni autem *Moguntiam*. Civitas est ad Rheni ripam sita, & Sedem habet Archiepiscopalem, in qua primùm sedit Bonifacius Anglus, ante quem præsules Moguntini, non nisi Episcopi dicebantur. Archipræsul Moguntinus primus est ex Ecclesiasticis Electo-

Electoribus Imperii Principis honore, titulo, & potentiâ insignis. Cæterùm quis ex Moguntinis Episcopis S. Columbano vitæ necessaria cum tanta claritate ministravit, author non exprimit, nec aliunde quàm ex Præsulum Moguntinensium Catalogo facilè sciri poterit, quem adhuc exactè distributum non vidi.

Deo suo Vodeno nomine. Aliàs *VVooden*, quem colebat antiqui Saxones, cui humanis hostiis quartam hebdomadæ feriam consecrarunt; unde Anglis, ab ea gente propagatis, adhuc hodiè *VVodnesday*, ille dies dicitur, sicut & sexta feria, quæ erat Veneri sacra (quam iidem Saxones *Frea* vocabant) *fryday* nominatur. De Wodeno isto Ethelwardus antiquus scriptor apud Cambdenum ita scribit: *In tanta seductione oppressi sunt Aquilonares increduli, ut VVoodan sicut dominum colant in hodiernum diem Dani, Normandi, & Suevi.* De Suevis tantùm loquitur hoc in loco Jonas.

pag. 68. & 72.

De S. Desiderio Episcopo, ejusque exilio & martyrio.

132 *Verum etiam contra Sanctissimum Desiderium.* Quia causa persecutionis contra hunc Sanctissimum Antistitem à Brunichilde excitatæ, ipsi cum Columbano erat communis, placet ipsam paucis ex Lectionibus Ecclesiæ Viennensis exponere, in quibus leguntur sequentia: *Eodem tempore*, (hoc est Gregorii Magni) *Brunichildis impiissima regina, regnum Burgundionum obtinebat, Arianæ hæresis fautrix* "*famosissima*, cujus maritus Rex Sigibertum, dum mortuus esset, eadem Brunichildis, legitimo spreto matrimonio, "nepotem ejus Meroveum, filium Chilperici Regis, maritum accepit: quod "audiens Chilpericus, eundem filium "suum, captum, & tonsuratum, Presbyterumque ordinatum, monasterium intrare coëgit. B. autem Desiderius Episcopus, cùm eandem Brunicihldem, tam "pro isto incestuoso matrimonio, quàm "pro aliis pravitatibus suis, zelo divino "succensus, arguere cœpit, protinùs illa, nimio furore inflammata, conta "Desiderium inardescit, & in Insula "Levisio nomine, exilio protrahi compellit. Sed Deus clementer adfuit, "mirabilia precibus Sancti operatus. "Jubet tandem persecutrix, simulans se "super eum pietate motam, ad propriam Sedem redire, cum jam in exilio "constaret eũ per annos quatuordecim "fuisse detentum. Describitur deinde, ut crudelis mulier Sanctum virum jussit interimi, qui lapide ac fuste contrito capite, martyrii coronam promeruit. Tale vir Dei à crudeli fœmina pro salutari consilio stipendium accepit, quo ipsam à diaboli laqueis eripere satagebat. Nempè perversorum cordibus, à concupiscentiis suis abstractis & illectis, prædicata veritas, contraria carni suadens, odium parit. Hinc est, quòd perversi difficilè corriguntur, & benè consulentibus reddunt mala pro bonis. Cæterũm de hoc sancto martyre agunt Martyrologium Romanum, Usuardus, Ado, Sigebertus in Chronicis ad annum 608. Passionem ejus refert Baronius ad annum 612, & iterum de eo agit in Notis ad Martyrol. 3. Idus Februarii. Variæ ad ipsum extant S. Gregorii Papæ Epistolæ.

Hareus ad 23. Maii.

causa exilii & martyrii S. Desiderii Episcopi

De S. Magnoaldo & monasterio Fussensi ab ipso constructo.

133 *Magnoaldum ministrum direxit.* MS. Cod. *Chagnoaldum*, sed perperàm: sermo est enim, non de *S. Chagnoaldo* Lugdunensi Pontifice, qui, teste Iona supra cap. 16. Columbani *minister & discipulus fuit*; sed de alio ejusdem Sancti viri ministro, discipulo, & concive, *S. Magnoaldo*, quem Columbanus ipse, cùm virtutum ac miraculorum gloriâ in Ecclesia Dei magnum fore, Domino revelante, præcognovisset, *Magni* nomine à Deo donandum prædixit, ut in ipsius *Magni* Vita, à collega & concive *Theodoro* collectâ, narratur cap. 7. Porrò *Magnum* seu *Magnoaldum* istum *Almaugavia* colit Apostolum, & monasterium *Fussense* seu *Faucense*, in Rhætia, ad fauces Alpium Iuliarum situm, fundatorem & Patronum; post quem in eo monasterio prefuerant usque ad Dominum Martinum electum anno 1614, quadraginta novem Abbates, quorum seriem & nomina texit Martinus Abbas, qui nunc ibi laudabiliter preest, ad finem vitæ *S. Magni*, à se editæ & illustratæ; qui multa miracula collegit, nusquam hactenus exposita, & inter alia miram explicuit virtutem, multiplici comprobatam

S. Magnoaldus Fussensis monast. fundator & patronus.

batam experientiâ quarumdam S. Magni Reliquiarum, quæ in illo adhuc Cœnobio religiosè asservantur, ad varia curationis beneficia exhibenda. Cucullæ S. Magni pars quædam ibi residua cum aliis ejusdem Sancti Reliquiis, puerperis cum ejus invocatione applicata, eas à partus dolore liberat. De crucicula quoque, quam ex collo pendentem gestare solebat, idem Sanctus, argenteâ, Reliquias continente *B. Mariæ Virginis, ligni Sanctæ Crucis, SS. martyrum Mauritii & sociorum* ejus, necnon & beatorum Columbani & Galli, tam experientiâ, quàm traditione compertum prodit præfatus Dominus Martinus cap. 43. quòd *ubi tempore tonitrui asportatur, aërem mitigat, aëreas potestates expellit, segetes à grandine præservat. Quin & campana nostra,* inquit, *hac cruce in honorem S. Magni benedicta, magnam virtutem habere creditur, ut ex sequenti historia demonstratur. Circa annum Domini 1564 operarius quidam pauper, nomine Ioannes Spetel, de VVeisensee oriundus, tempore æstatis fænum forte præparavit in pabulum jumentorum in valle quadam nemorosa, unâ horâ fere à monasterio distante, condensatis nubibus, inter fulgura & tonitrua ab uno monte, quasi de abietibus vocem grandem audivit: percute, percute; ab alio loco inter densas arbores aliam priori respondentem audiit: non valeo, non valeo; audio enim S. Magni canem latrare: sicq; per hanc crucem, & campanam nostram sagarum præstigiæ impediuntur, ut fruges præserventur.*

cujus Reliquiarum magna vis

contra maleficia

134 De calice quoque S. Magni idem sequentia habet: *calix iste argenteus* est, ex quo S. Magnus divina mysteria celebrare consuevit. *Multi ex eo bibentes varias sanitates consecuti sunt, præsertim à febribus, & maleficiis, ac veneno liberat. Vertiginem capitis, quæ ex dyscrasia, aut aliis quibusdam mentis passionibus provenit sæpè sanat. Item dolores dentium, syncopen, & quasdam alias infirmitates.* In hujus deinde rei confirmationem varia subdit exempla, quorum etiam aliqua suo tempore contigerunt. De stola & manipulo S. Magni cum aliis in eodem Sacrario reconditis nihil speciale refert, nisi quòd soleant interdum cum aliis Reliquiis applicari. In eodem monasterio adhuc visitur baculus ille S. Columbani dictus *Cambatta*, per quem, à Columbano transmissum ex Bobio, S. Gallus ab interdicto absolutus fuit, quo fuerat à Columbano constrictus, multis hodiè signis & mirandis effectibus clarus, de quo infrà sermo recurret. Hęc de Reliquiarum S. Magni virtute annotare libuit, ut intelligat lector, quàm potens in signis & virtutibus fuerit Magnoaldus, cujus exuviæ solùm applicatæ tanta possunt; quamque verum & congruum *Magni* nomen adeptus sit. Plura reperiuntur in Germania templa huic Sancto dicata, nam præter monasterium *Fussense*, in quo corpore requiescit, visitur Ratisbonæ ad pedem pontis cœnobium S. Magno sacrum, & in Urbe Sant-Gallensi Ecclesia extat sub ejus invocatione, & aliæ alibi. Ipsum meritò Germani inter sanctos auxiliatores honorant. Ejus denique memoriam omnia fere Germaniæ Breviaria recolunt ad 6. Septembris; relatum eum scribit in album Sanctorum anno Domini 879 Arnoldus Wion in Martyrol. Bened. ad hunc diem.

& morbos

ipsique dicatæ variæ Ecclesiæ.

IN CAPVT XXVIII.

135 *Theodoricus divinitùs percussus, inter flagrantis ignis incendia mortuus est.* Ita etiam ex hoc ipso loco Baronius ad an. 614. Aimoinus tamen & Gaguinus aliter rem gestam narrant, asserentes Theodoricum ab ipsa Brunichilde veneno sublatum fuisse; cujus impiissimę necis occasionem ita Gaguinus exponit. *Theodoricus, partâ victoriâ, cùm specie illectus neptis* (filiæ nimirum Theodoberti) *quam Colonia abduxerat, eam sibi desponsare, & uxorem accipere omninò contenderet, Brunichildis impedivit, dicens nefarium esse ducere uxorem, quæ proximo sibi generis gradu attineret; cui Theodoricus respondens: ô, inquit, perfida, & odiosa multis fœmina, nunquid mihi persuaseras Theodebertum adulterino concubitu prognatum, meum fratrem non esse, quare me & fratrem & proximum meum persequi atque perimere compulisti? Hæc loquens Theodoricus Brunichildem occidere tentavit, sed ope aulicorum protecta cœnaculo se proripuit. Nec differt crudelis mulier ultionem; potionem letiferam conficit, quam Theodorico per ministros, quos ad id idoneos, instructosq; reddiderat, bibendam, dum balneo egrederetur, offert. Veneno epoto Rex balnei calore æstuans repentè interiit. Sunt tamen, qui scribant profluvio* alvi

Brunichildis impietas & crudelitas

alvi interiisse. Hæc Gaguinus; qui & in hoc etiam à Jona recedit, quòd dicat Sigebertum filium Theodorici, equi pernicitate salvum evasisse, nec ullo posteà tempore comparuisse, quem tamen Jonas tradit captum à Clothario, & peremptum fuisse.

De miserabili exitu Brunichildis.

136 *IN domitorum equorum caudis irretitam* (Brunichildem) *miserabiliter vitâ privavit.* Brunichildis supplicium ita describit Gaguinus: *Clotharius accitus ad concionem diversæ gentis, qui cum eo militaverant proceribus, de Brunichilde castiganda consilium capit, recensitisq; mulieris flagitiis, & quod esset decem regum, aliorumque multorum cædibus rea, rogat quo supplicio dignè plecti posset. Acclamantibus cunctis crudelem fœminam vilissimâ aliquâ morte affici debere, priusquam in conspectum concionis Rex eam introducere mandaret, quartò fustigatam, tandem deduci ad se jubet, in quam postquam diu, asperéq; invectus esset, insidentem equo mulierem per totum exercitum circumferri imperat, inde à capillis, & lacertis ferocientis equi caudæ alligatam, reliquo corpore humi prostrato, lictor distrahit.* Addit Aimoinus l. 4. c. 1. primo impetu currentis equi calcibus cerebrum dispersum, reliqua verò membra, per aspera quæque sentibus, rupibusque protracta loca, dissipata fuisse. Ex quibus & aliis hucusque de Brunichilde relatis, satis conspicitur vaticinium illud Sybillinum suprà memoratum, in Brunichilde fuisse completam. Atque hunc consecuta est finem, (ut præclarè consideravit Baronius ad an. 614.) fœmina suorum propinquorum cædibus per multa annorum spatia exsatiata, quæ & alia atrocia impietatis ejus facinora toleravit Deus usque dum in servos ejus furens est debacchata, quò vel sic etiam regiâ fulgentes authoritate docerentur, quàm periculosum sit tangere Christos Domini, & in prophetis ejus malignari. Has tandem ipsa messuit fruges ex humanæ prudentiæ semine, quæ nihil non tentavit facinoris, ut regnaret, possetque mori regina; talemque triumphum ex cæde multiplici conjunctorum, ac tali morte obire diem meruit illa, quæ Christum in membris suis hostiliter est persecuta. Extinctâ ergo tam abjectâ morte Brunichilde, & spuriâ Regum prole è medio sublatâ, totius Galliæ monarchiam, juxta Sancti Columbani vaticinium, Clotharius solus obtinuit, magnus exinde monachorum & instituti S. Columbani protector & promotor.

horrendo supplicio punita.

Uno intra triennium cum omni stirpe deleto. Sic ex Impressis corrigendus est noster codex hæc & alia quę sequuntur in accusativo ponens.

IN CAPUT XXIX.

137 *UBi ab Agilulfo Longobardorum Rege.* Gregorius Turonensis l. 10. hist. vocat hunc *Paulum*, sed sciendum ipsum respexisse ad nomen, quod à baptismo sumpsit Agilulfus, non ad illud, quod ipsi primitùs fuerat impositum. Successit in regno *Autharit* Regi, quem idem Gregorius *Aptacharium* vocat; & cùm juxta Paulum Diaconum l. 4. c. 15. annos viginti quinque regnasset, excessit è vita anno Domini 616, *Deusdedit* Papæ 2. & *Heraclii* Imperatoris 7, relicto regni hærede *Adilvaldo*, majore natu filio, sub tutelâ Reginę matris *Theodolindæ.*

Agilulfus alias Paulus Rex Longobardorum.

Contra quos libellum florentis scientiæ dedit. In quo libro, ut author est Yepes ad annum 614, Essentię divinæ unitatem, & personarum æqualitatem, perspicuis. S. Scripturæ testimoniis explicavit. Dicitur illud Opus in castro Mediolanensi servari, quò ex Bobio translatum fuit, sicut & alia plura hujus sancti viri monumenta, quæ vel Romam, vel Mediolanum hinc asportata fuisse, mihi (ni me fallat memoria) testatus est monachus quidam Bobiensis, qui tum codicum & bibliothecæ curam gerebat, oculatus hujus rei testis; & ne ex toto Sancti Patris sui operibus privarentur Bobienses, clam seposuit codicem illum, in quo suprascripta opuscula ferè omnia continentur, qui adhuc in ejus monasterii sacrario asservatur.

Scripsit S. Columbanus contra Arianos.

138 *Quem locum veterum traditio Bobium nuncupabat.* Hic est ille locus, quem sanctissimus Christi confessor Columbanus in fine dierum suorum, nobilissimo constructo cœnobio, futurum illis, qui secretioris sanctiorisque vitæ studia sectaturi erant, certum receptaculum

præparavit, ac sanctissimis legibus communitum, suâ tandem sacratissimâ morte consecravit; quem ipsi locum præfatus Rex Agilulfus (causam ejus apud regem interim promovente *Constantio*, tum Mediolanensi Archiepiscopo) pio & liberali animo cum omnibus ad quatuor undequaque milliaria attinentibus donavit, cujus donationis authenticum extat instrumentum, quod est sequentis tenoris.

Donatio Regis Agilulfi facta S. Columbano de prædio Bobiensi

*Flavius Agilulfus, vir excellentissimus, Rex, Ven. Columbano, vel sociis ejus. Piam nobis credimus ab omnipotenti Domino vicissitudinem repensari, si sacerdotes in regno nostro salubri ordinatione Domino sua valuerint vota complere. Ideoq; ad basilicam beati ac Principis Apostolorum Petri, sitam in loco qui nuncupatur Bobio, per hoc generale nostrum præceptum cedimus tuæ Sanctæ Paternitati, ibidem in Dei nomine licentiam habitandi ac possidendi undique fines decernimus, ab omni parte pro circuitu, milliaria quatuor, sive culta, sive inculta, præter tantum medietatem putei, quod *sundrarit per nostra donationis concessum habemus, nam ** aliud *omnia fines illos, quos superius nominavimus basilicæ Beati Petri, vel vobis, seu qui ibidem Tibi, tuorumq; deservierit, perpetuo tempore concedimus possidendum, dantes quapropter omnibus Ducibus, Castaldis, seu Actionariis nostris omnimodis in mandatis, ut nullus eorum contra hoc præceptum nostræ paginæ ire quandoque præsumant, quatenus pro salute & stabilitate regni nostri Dominum valeatis die noctuq; deprecari. Data Mediolani in Palatio sub die nono Kal. Aug. anno regni nostri fœliciss. mi octavo ** per *Indictione tertia feliciter.*

* ita MS.

* forte alia.

* ita MS.

Hanc Patris sui donationem *Adilwaldus* filius & successor Agilulfi, plura ipse de suo parentis adjiciens liberalitati, *Attalæ* & *Bertulpho*, Columbani in Bobio successoribus confirmavit anno regni sui sexto, & decimo septimo (hoc est, ut ego conjicio, anno Domini 622. & 633.) ubi inter alia suæ erga Columbanum (quem patrem appellat) devotionis argumenta commemorat, se sancti viri sepulchrum personali peregrinatione visitasse, dominamque *Theodolindam* Reginam matrem, ob ejusdem Sancti Patris amorem, ad locum *Alpecella*, quem monasterio ipse cessit, perlustrandum ascendisse. Ipsum & horum successores *Grimdaldus*, *Chunibertus*, *Luitprandus*, *Ratchisus*, *Haistulfus*, & *Desiderius*, pari munificentiâ præstiterunt, monasterium Bobiense redditibus, ac possessionibus copiosè cumulantes; quorum omnium largitiones variis privilegiis & decretis confirmarunt & auxerunt Romanorum Reges quàm plurimi, ut videre est in litteris *Lotharii* Imperatoris, quibus largitiones Bobiensibus factas ab avo suo *Carolo Augusto*, & *Ludovico* genitore suo, confirmat circa annum Domini 846, Imperii sui in Italia anno 28, in Gallia verò 7. indictione 9. Item in litteris *Ludovici Pii*, datis anno Imperii sui 11. indictione 8. in favorem monasterii Bobiensis, in quibus commemorat, qualiter atavus suus *Carolus*, & *Ludovicus* avus, & *Lotharius* Imperator dictum monasterium in suam protectionem receperant, ad quorum exemplum ipse eidem suas immunitates confirmat. Deinde *Caroli* III. qui anno sui Imperii 2. Indictione 5. confirmat *Agiulfo* Abbati & Comiti Bobiensi Comitatum Bobiensem cum juribus ejus & pertinentiis &c. investiens ipsum Abbatem & Comitem per annulum aureum de præfato Comitatu & suis juribus & honoribus universis, prohibens sub pœna centum librarum auri obrizi solvendarum mediâ ex parte Cameræ Imperatoris, & ex alterâ mediâ Cameræ Abbatis, ne ullus contraveniat. Ad cujus exemplum eidem monasterio Comitatum Bobiensem cum suis pertinentiis confirmat *Otto* II. ad instantiam conjugis suæ *Adeseydæ*, Mediolani in cœnobio Sancti Ambrosii, Imperii sui anno 11. 8. Kal. Aug. Indict. 15. Pari quoque munificentia *Otto* III. variis idem monasterium favoribus prosecutus anno 3. sui Imperii, indict. 12. Kal Octobris, interveniente Domino *Gerberto*, Archiepiscopo tunc Ravennate, & olim, tempore Ottonis patris hujus, Abbate Bobiensi, confirmavit privilegia prædecessorum suorum exhibita Bobiensibus; & iterum anno sui Imperii 16. Indict. 13. confirmavit *Petro Aldo* Abbati Bobiensi Comitatum Bobiensem cum suis juribus. His accedunt privilegia *Henrici* IV. *Conradi* II. ac *Friderici* circa prædia Ecclesiæ Bobiensis edita, necnon & *Hugonis* ac *Lotharii* Regum, quorum ille anno 14, hic verò sui regni octavo, Bobiensibus antiqua jura

Devotio regum Longobardorum erga S. Columbanum ejusq; monachos.

ex libro privilegiorum Bobiensium

Varia Imperatorum & regum privilegia concessa Bobiensibus.

quæ menda sunt in datis hic citatorum diplomatum, non Collectori imputanda, sed chartis quas vidit.

jura confirmavit. In quibus & aliis multis privilegiis, quorum authentica adhuc in Bobio supersunt instrumenta, multis argumentis exprimitur, quantâ olim devotione Imperatores ac Reges hanc sacram domum complexi fuerint; quæ nec parvam etiam Apostolicæ Sedis benignitatem jam ab initio semper experta fuit, à qua multis favoribus & privilegiis honorari promeruit. Nam *Honorius Papa*, datis ad *Bertulphum* tertium loci hujus Abbatem litteris (quæ adhuc in Bobio visuntur) monasterium hoc ab omni Episcoporum potestate liberum, immediatæ dumtaxat Apostolicæ Sedis jurisdictioni voluit esse subjectum; in quibus litteris illud relatu dignum de filiis hujus almæ domus commemorat, quòd scilicet maximo semper zelo *Arianos* hæreticos impugnarint, in hoc sanctum Patrem suum Columbanum, quem contra eosdem *librum florentis doctrinæ* edidisse, suprà cum Jona notavimus, imitati. Meminit hujus privilegii Jonas in ipsius *S. Bertulphi* Vitâ. Multos etiam favores & privilegia Bertulphi successori *Boboleno* Abbati contulit *Theodorus Papa*, ut ex litteris super hâc re confectis constat, quarum exemplar, (quia ad multa, monasterium hoc & ipsum Columbanum spectantia, intelligenda conducunt) hic integrum referre placuit. Ita se habet.

alia à summis Pontificibus,

Honorio,

Theodoro,

PRIVI-

PRIVILEGIUM THEODORI PAPÆ.

Theodorus *Episcopus Servus Servorum Dei, Ven.* Bobuleno, *Presbytero & Abbati Ven. monasterii B. Petri Apostolorum Principis,* Ebobio *constituti, ejusq; Congregationi in perpetuum. Quanquam priscæ regulæ decreta nos doceant, quæ oportet perenniter custodiri, & Patrum constituta indiminuta servari, attamen & nos super hoc regulariter decernentes, vota supplicum, & maximè ortodoxá fide fulgentium, justo in omnibus debent effectui mancipari; quatenùs eorum pia devotio Apostolicis inviolata permaneat institutis atque decretis. Dum igitur Excell*mus. *filius noster* Rotharith *Rex, & gloriosissima nostra* Gundiberga *regina gentis Longobardorum, piá & religiosá devotione perspicui, nos scriptis postulasse noscuntur, ut Apostolicæ Sedis privilegium Monasterio Beatorum Petri & Pauli in loco, qui dicitur* Ebobio, *constituto; in quo Vir Ven.* Columbanus, *ex partibus Hiberniæ, in quibus ortus fuerat, sanctis studiis fervens, cum largitate regiá, in regno gentis Longobardorum, postquàm alia fundavit monasteria, accedens, monasterium construxisse perhibetur; ubi non parvam congregationem monachorum instituens, etiam se cum iis paribus piæ devotionis studiis mancipavit: In quo nunc Vir Ven.* Bobulenus *Presbyter & Abbas unà cum centum quinquaginta monachis conversari videtur, & in Dei laudibus, uno Regulæ spiritu, supernâ inspiratione commotus, ad laudem omnipotentis Dei, pium exbibet famulatum* [conferre debemus: in quo monasterio sub Regula sanctæ memoriæ Bededicti vel prædicti Reverendissimi Columbani fundatoris loci illius conversari videntur; pro quâ re supplici expetierunt deprecatu, ut privilegium Apostolicę Sedis nostræ in eodem mirificæ sanctitatis monasterio] *concedere deberemus; quod salubriter annuentes, necnon etiam, quia & charitatis debito provocamur, & Apostolicæ Sedis benignitate ac benevolentiá incitamur, honorem Fratribus exhibere, & specialibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ filiis specialioris prærogativæ gratiam elargiri, ut hominibus spectabiliores appareant, & com-*

Columbanus natione Hibernus.

150 monachi sub Boboleno in Bobio, Columbani Regulam observantes.

& commissas sibi Ecclesias, Apostolicæ dilectionis familiaritate suffulti, tutiùs regant, atque ipsorum subditi majorem eis reverentiam & honorem exhibeant, hoc privilegium, perenni authoritate servandum, ipsi monasterio & ejus Ecclesiæ alacriter indulgemus: ut videlicet liceat Abbati ejusdem Ven. loci, mitrâ & aliis Pontificalibus uti. Et quia etiam de B. Petri, & nostræ dilectionis gratiâ disposuimus ipsum monasterium & ejus Ecclesiam ampliùs honorare, Apostolicæ Sedis liberalitate concedimus, ut Abbas ejusdem monasterij infra sacra ministeria constitutus, signaculo Sanctæ Crucis populum valeat præmunire; ita quòd ad honorem Dei, & ipsius monasterij, & ejus Ecclesiæ, supradicta valeat exercere, sicut à prædecessore nostro, Apostolicæ recordationis Honorio, *eidem monasterio indultum esse conspicitur. Hæc enim nova postulantium, vel indulgentium est authoritas privilegium largiendi, dum profectò cunctis Apostolicæ Sedis, non solùm sub ditione nostrâ constitutis, sed etiam in cæteris* * *longis regionibus, postulata semper indulgenda sanxerunt, præsertim in* * *vicinitatem nostram, id est, in regno Longobardorum, dum profectò cunctæ Ecclesiæ usque ad fines terræ, & Oceani terminum, sub B. Petri Principis Apostolorum ditione consistunt, oportet omnes omninò medullitùs obedire, quæ per B. Petri authoritatem Apostolica Sedes dignoscitur indulgere, & ideò per interventum Excell*m *prædicti filij nostri regis Longobardorum, & præcipuè gloriosissimæ filiæ nostræ* Gondebergæ *reginæ, super hoc literis expetiti, postulata concessimus, interdicentes omnibus Episcopis, vicinis, vel procul ab ipso monasterio constitutis, nihil usurpare, nihilque præsumere contra hæc, quæ tenor hujus privilegij & norma decernit, ut videlicet Episcopus, quem Pater monasterij, vel cuncta Congregatio voluerit ad celebrandum Missarum solemnia, aut consecrationes Presbyterorum, seu Diaconorum, vel etiam tabularum, in quibus Missæ debeant celebrari, habeat facultatem in eodem monasterio ingrediendi ad pii opus ministerij; quo peracto nihil contingens, sed gratis omnia peragens, ad propria mox regredi non moretur, nihil, sicut diximus, usurpans de rebus monasterij, non de sacris Altaribus, non de paramentis, neque de vasis, neque de sacris voluminibus, nec quidquam majus, vel exiguum, sed nec concupiscere attemptet; quia si privata concupiscere satis est noxium, quantò magis sacra auferre, vel desiderare, & jure suo mancipare, Domino est inimicum? Interdicentes etiam Episcopo, in cujus Parochia esse videtur prædictum monasterium constitutum,* * *ut nihil contra tenorem præsentiæ Decreti, piâ postulatione indulti, quidquam attemptet, neque ullo modo ejus baptismales, Ecclesias,*

* f. longinquis.

* f. in vicinitate nostra.

* prò eis scripsisse videtur ut nihil.

A jurisdictione Episcoporum eximitur dictum monasterium.

*Ecclesias, seu decimas sibi vindicet, nec ipse, suique successores præsumant prohibita contingere. Chrisma igitur, vel quidquid ad sacraministeria pertinet, si à Patre monasterij fuerit postulatum, à quibuscumque * præviderit, concedimus Præsidibus tribuendum; & ut superiùs dictum est, & sæpè dicendum est, nullam potestatem habere permittimus Episcopos in eodem monasterio, neque in rebus, vel in ordinandis personis; sed quem cuncta Congregatio elegerit post mortem Patris monasterij, ipse debeat in eodem monasterio ordinari; Super hoc neque Presbyteros, neque Diacones, nec quamlibet personam in eodem monasterio habere ullo modo potestatem immutare quicquam, vel agere, cognoscentes quòd * sub Apostolica Sede, id est B. Petri Apostoli, ex prædicti regis seu reginæ consensu & postulatione, sub quorum defensione esse videtur, nostrum præsentis privilegium indulta concedere. Rogatus verò Episcopus à Patre monasterii, vel à cunctâ Congregatione suam exhibeat præsentiam; non autem petitus, ad secreta monasterii accedere non præsumat, nè quietam monachorum vitam, qui solitaria propter Deum studia peragere decreverunt, frequens Sacerdotum insolentia irrumpat, ut in Dei laudibus conversantes, pro incolumitate sanctæ Sedis Apostolicæ nostræ, & pro Excell^mis. Regibus, piâ postulatione poscentibus, assiduè Dominum deprecare non cessent. Si autem (quod non optamus) monachi in eodem monasterio constituti, tepidi in Dei amore, aut contra instituta Patrũ torpentes quandoq; conspiciuntur existere, secundũ regulas Patrũ ab Abbate, id est, Patre monasterii, corrigantur. Si autem & ipse Abbas in torpore contra instituta Patrum regulæ fuerit deprehensus, & in aliquamvè sinistrã partem inclinatus, à Sede Apostolicâ, sub cujus ditione consistit, instituimus corrigendum. Nec enim cuiquã Episcopo damus licentiã sub obtentu reprehensionis, aliquâ in suprascripto monasterio suam extendere potestatem: sed ejus capiti, id est, Apost. Sedi, si certo zelo Dei, & instinctu pietatis innititur, suis Epistolis debebit suggerere, ut quid Pontifici Romano Sedis Apost. placuerit, juxta suam prudentiã provideat disponendum; quo facto irreprehensibiliores videntur existere, constituta Sedis Apost. inviolabiliter custodiendo, si * studuerit quæ contra hunc tenorem agi * perspexerit, fideliter nunciare, & non semetipsos, & in eorum machinatione quomodocumq; * emergere. Quod si quidam caliditate aliquâ, vel avaritiæ instigatione quicquam de prohibitis præsumpserit ad temptandum, & contra superiùs decreta quoquomodò obviandum, primùm quidem sui ordinis gradu & dignitate privabitur, & ex B. Petri Apostoli authoritate, qui ligandi solvendiq; in Cœlo & in terrâ meruit potestatem, sit à participatione Domini Nostri Iesu Christi corporis & sanguinis immunis, ac à nostro consortio seclusus, & etiam Excell^mi. qui pro*

tempore

* f. petierit.

* f. genuina lectio erat quòd cùm sub Apostolica sede est B. Petri &c. nostrum est præsentis privilegii &c

* f. studuerint

* f. perspexerint

* f. immergere

tempore fuerit, regis nihilominus submovendus, quatenus & quæ statuta sunt, perpetuâ possint diffinitione manere, & temeratores præsentis decreti de suâ temeritate pœnis multiplicibus subjacere. Benè valete. Dat. IV. Non. Maii. Imperii Domini piissimi Augusti Constantini anno II, consulatus primo, Indict. prima, anno Domini DCXLIII.

Hæc Theodorus, qui Pontificatum gessit a 25 Nov. anni 641 ad 14 Maii 649, quo ferè toto tempore & deinceps ad 668 imperavit nominatus hic *Constantinus*, aliis sic, aliis *Constantius*, aliis passim *Constans*, appellatus. Ceterùm Diploma, ut invenimus, dedimus cum suis mendis nævisque ubi, ab aliquo corruptore insertum putamus totum quod conspicitur cancellis conclusum, ut indicare videtur insueta Pontificibus repetitio insulsa; speciatim verò *Regulæ Benedicti* mentionem, vel inde adjectitiam esse colligimus, quod *S. Jonas*, ejusdem cœnobii alumnus, nullam Benedictinæ Regulæ, aut ipsius *Benedicti* mentionem faciat in toto suo Opere de Actis *Columbani, Eustasii, Attalæ*, & *Bertulphi*, quod eidem Abbati Bobuleno, cui hoc Diploma concessum, dedicavit, & in vita S. Eustasii se indicat scripsisse, Veromandensis Ecclesiæ Episcopum agente *S. Eligio* quem aliunde constat 14 Maii anni 646 consecratum fuisse.

140 Extant quoque *Lucii Papæ* literæ, *Oglerio* Abbati Bobiensi datæ, quibus monasterium Bobiense in suam suscipit protectionem, omnes ei possessiones & loca justè acquisita, & à Regibus vel Principibus liberaliter collata, confirmans, & insuper concedens dicti cœnobii monachis, ut decedente Abbate, successorem sibi possint eligere secundum Regulam Sancti Benedicti, & vacante sede Episcopali, possint à quocumque maluerint catholico Episcopo Chrisma & oleum Sanctum, Clericorem ordinationes, altarium & basilicarum consecrationes recipere. Cui diplomati subscripserunt Cardinales dato Laterani idibus Martii indict. 7. anno Domini 1143, Pontificatus ipsius Lucii primo. Atq; sic Imperatorum, Regum, Pontificum favoribus ac privilegiis sanctam Columbani hæreditatem ditavit Deus, ut qui cupidine paupertatis ac privatæ vitæ virum sanctum secuti fuerant, hi etiam in terris quandam principatus imaginem capesserent: quanquam hec per hoc minor esset gloria sanctitatis & virtutis, quarum amore convenerant; imò major, ut ex positarum tenore litterarum Theodori elucet, qui locum hunc ibi *mirificæ sanctitatis monasterium* appellat, cujus etiam ibidem florentis olim primordia commemorat & commendat, affirmans ibidem centum quinquaginta Fratres tum vixisse, ex quo non parum sacræ congregationis honor augetur; eò namque gloriosior est Sanctitas, quò copiosior. Porrò hoc sanctitatis ac virtutum splendore per multa sæcula claruisse hoc cœnobium exorta ibi fulgentissimę sanctitatis lumina contestantur. Etenim præter primos quinque Abbates hujus almæ domus, *Columbanum, Attalam, Bertulphum, Bobolenum*, Comgellum, viros sanctitate ac sapientia insignes, numerantur hujus Collegii viginti, quorum hæc sunt beata nomina, *S. Romanus, S. Cumianus Hibernus*, de quo infrà, *S. Valcarius, S. Sinibertus, S. Altus, S. Teopertus, S. Cumbertus, S. Tuniprandus, S. Rattaldus, S. Andreas, S. Ioannes, S. Petrus, S. Leo, S. Bladulfus, S. Maroveus, S. Agiboldus, S. Theodebaldus, S. Baudacarius, S. Leopardus*, & alius, cujus nomen præ vetustate characteris legi non potuit, de quorum omnium translatione authenticum extat in ipso monasterio instrumentum, de quo nos infrà. Et quidem de sanctis viris *Blidulfo, Meroveo, Agibodo, Baudachario, & Leobardo* Jonas, & ipse hujus illustrissimæ congregationis alūnus, in vita *S. Bertulphi* pręclaram facit mentionem, virtutes ac miracula ipsorum nonnulla describens. His omnibus adnumeres *Petronillam, Sunivergam*, & *Rotradam* virgines, quarum in hoc Sanctuario sacra ossa requiescunt.

Lucio

Bobiensis monasterii sancti aliquot.

141 Cæterùm ne de Rectoribus hujus sacri cœnobii loqui prætermittamus, notandum de Abbatum Bobiensium continuata successione accuratam

tam memoriam non extare. Nam à S. Comgello ordine quinto usque ad *Hildunum* Abbatem series ignoratur, cui Hilduno *Amalricus* successit Comes Bobiensis, & pòst Episcopus *Comensis* temporibus Ludovici Pii & Lotharii filii. Post hunc Abbatiæ curam accepit *Agiulfus* Comes Bobiensis, circa annum, ut creditur, 885; à quo usque ad *Petrum Aldum* Abbatem & Comitem Bobiensem, à Silvestro Papa II, temporibus Ottonis III, anno circiter 999, creatum, septem Abbates & Comites Bobienses intercessisse reperiuntur, quorum hic prætereo nomina. Hoc in loco antequam ulterius progrediamur, notandum, Silvestrum hunc, de quo fit hîc mentio fuisse Gerbertum monachum primo Floriacensem, deinde Abbatem in Bobio, ut constat ex Privilegio Ottonis III suprà memorato, dato ad instantiam Gerberti (qui ibi dicitur aliquando Abbas Bobiensis fuisse) tunc Ravenatis Episcopi; & Arnoldo Wion *l. 2. ligni Vitæ* in Silvestro II, ex quo Abbatis Bobiensis munere posteà ad Archiepiscopatum Remensem, & exinde ad Revennatensem assumptus, postremò summus Pontifex Silvester II, Ottonis III favore creatus est; de qua trina sua promotione ipsemet in *R*, litera ludens teste, *Helgaldo* monacho Floriacensi, sic cecinit: *scandit ab R. Gerbertus in R. post Papa viget R.* Ejus porrò in Sede Petri legitimam successionem à *Bennonis* cujusdam mendacissimis calumniis ad eundem annum 999, quo is in Romanum Pontificem fuerat electus, doctissimè & solidissimè vendicat Baronius, qui etiam ea quæ idem *Gerbertus* pòst usurpatum sibi injustè Remensis Ecclesiæ Archiepiscopatum, contra Ioannem XIII Romanum Pontificem, & Sedem Apostolicam diabolo suggerente effutiverat, singulari eruditione & facundia recitat & refutat cùm res gestas narrat Joannis Papæ. Cujus ipsemet impietatis Gerbertus posteà pœnitentiam condignā peregit, & Ecclesiam quā anteà, sapiens plusquam oportebat, impugnaverat, sapienter & sanctè rexit, ut constat ex Helgaldo monacho Floriacensi, *illorum* temporum scriptore, qui de Gerberto sic loquitur: *Eo derelicto* (nempe Remensi pontificatu) *Ravennatium factus est rector ab Ottone tertio, de quo ad Apostolatum Petri Apostoli Sanctissimi festinus conscendens, multa in eo virtutum operatus est insignia, & præcipuè in eleemosina sancta, quam fortiter tenuit, dum fideliter vixit.* Aimoinus quoque l. 5. c. 46. de eo sic scribit: *Gerbertus intelligens, quod injustè pontificalem suscepisset dignitatem* (Remensem scilicet) *pœnitentia ductus est.* Blondus quoque dec. 2. l. 3. bonum de Gerberto testimonium perhibet: *nullus scriptorum affirmare dubitat Silvestrum 2dum. litteris, moribusq; ornatissimum fuisse.* Denique Sergius Papa quartus, vir omnium attestatione sanctus, quinque tantum annis Silvestro posterior, Epitaphium ejus sepulchro in Ecclesia Lateranensi insculpsit, *planè dignum* (ut loquitur Baronius ad an. 999.) *quovis magni nominis Romano Pontifice.* Habes illud apud eundem to. 11. ad an. 999. ubi de Silvestri obitu loquitur, & Arnoldum Wion loco citato. Fabulam de Silvestri magia & pactum cum dæmonio de sua ipsi animâ, si Pontificatum Romanum consequi posset, tradendâ, egregiè refutant, præter Baronium ad annum 999. Panuinus *in annotat. ad Platinam*, Genebrardus lib. 4. Chron. Bellarmin. to. 1. controv. 3. de sum. Pontific. l. 4. c. 12. Platus de bono stat. relig. l. 2. c. 28. Arnoldus Wion citatus, (qui hos adducit) & alii multi.

Seriesque Abbatum.

ex quibus Gerbertus dictus Sylvester II. legitimus Pontifex,

egit pœnitentiam superioris vitę & benè rexit Ecclesiam.

falsò insimulatus magiæ.

142 Nunc ad illud, unde digressi sumus, revertamur, de Abbatum Bobiensium serie sermonem resumentes, quorum ab illo de quo loquebamur anno 999, usque ad annum 1076 successionis ordo intercidit. Ab hoc verò anno usque ad *Oglerium Abbatem* & primum Episcopum Bobiensem sub Innocentio II, tres tantùm notati reperiuntur; inde verò usque ad *Innocentium* Abbatem, cujus tempore facta est unio Congregationis Bobiensis cū Cassinensi, seu S. Justinæ de Padua, hoc est, circa annū Domini 1449, octodecim recensentur Abbates; exinde verò quinq; præfuisse leguntur; nam Abbates qui posteà successerunt usque ad hæc tempora, videre non potui, non quòd ii consignati non sint. Itaque ex toto numero solùm quadraginta tres reperiuntur ex antiquis ecclesiæ Bobiensis rectoribus. Atque his progressibus & incrementis familia hæc mirum in modum dilatata monachorum multitudine ac sanctitate, inter alia ejus regionis cœnobia sublimis effulgebat, quousque tandem

ex mo-

ex monasterio nata civitas Episcopali donaretur honore, atque Episcopo cum suis alendis, de Abbatis (ut arbitror) jurisdictione, amplissima prædia signarentur, sicque diminutâ portione, monachorum quoque diminui numerus, & disciplinę vigor inciperet enervari, ipsumque demum monasterium ad occasum declinare, ac à primâ gloriâ deficere. Quanquam à supradictâ unione anni 1449. usque ad præsens tanto fervore monastica ibi exculta fuerit observantia. ut hujus monasterii extrema, etsi non Fratrum multitudine, certè tamen rigore disciplinæ videantur principiis cohærere. Multa insignia habuit schola Bobiensis antiquitatis monumenta, quorum aliqua Romam, alia Mediolanum sunt translata. Habet quoque etiamnũ ex divina providentia insignes Sanctorum Reliquias, quarum nonnullas inferiùs suo loco subnotabimus. Illa doctrinæ Majorum; hæ sanctitatis sunt vestigia. Sigillum hujus monasterii exhibet S. Columbani stantis effigiem, Pontificalibus ornati, cum mitrâ in capite & columbâ in dorso, dextrâ strictum ensem, humi defixum, gestantis, & sinistrâ pastorale. In circumferentiæ limitibus talem præfert inscriptionem : *Sigillum Congregationis venerabilium monachorum sacri monasterii S. Columbani Bobii, ordinis S. Benedicti.*

multis monumentis & Sanctorum Reliquiis claruit monast Bobien.

ejus Sigillum.

143 Cœterùm circa locum monasterii Bobiensis, sunt qui geminum esse Bobium scripserunt (ex quibus est *Gaudentius Merula* lib. 2. antiq. Gallię Cisalpinæ cap. 1. unum in Alpibus *Cocciis*, alterum, ubi situm est hoc Columbani monasteriũ, in Apennino super ripam fluminis Trebię, inter Placentiam & Genuã. Sed profectò hi maximè falluntur, ut rectè observavit *Leander Albertus* in descript. Ital. fol. 580. (qui tamen imperitè cœnobium hoc S. Galli appellat.) Neque enim aliud, præter hoc Columbani, Bobium est usquam; erroris autem occasionem inde traxêre, quòd id aliqui authores in Alpibus *Cocciis*, nonnulli in Apennino descripserunt, utrique rectè; quippè quoniam in Apennini jugo situm est, quod Alpibus *Cocciis* adhæret, imò pars illorum est, ut præfatus affirmat *Leander*, qui infrà testatur in cœnobio Bobiensi anno Christi 1493. multa pervetusta volumina fuisse reperta, quorum aliqua exprimunt Calepinus & Volaterranus lib. 20. Antrop. pag. 239.

& situs.

De sacris Reliquiis quæ in Bobio asservantur.

144 Reliquiæ ejus eo habentur in loco. Corpus ejus in Ecclesia subterranea, marmoreo monumento conditum, in altari ad hoc extructo, summâ veneratione asservatur, multis hinc inde ab utroque latere Sanctorum exuviis, ad majorem loci sacri reverentiam collocatis; inter alia verò ad dextrum altaris S. Columbani visitur altare *S. Attalæ*, successoris ipsius, Reliquias continens, & monumentum *S. Cumiani Hiberni Episcopi* cum insculpto Longobardico charactere epitaphio sequenti.

Epitaphium S. Cumeani.

Hic sacra beati membra Cumiani solvuntur,
Cujus cœlum penetrans anima cum Angelis gaudet.
Iste fuit magnus dignitate, genere, formâ;
*Hunc misit * Scotia fines ad Italicos senem,*
Locatur & Bovio Domini constrictus amore,
Ubi venerandi dogma Columbani servando
Vigilans, jejunans, indefessus, sedulè orans,
Olympiades quatuor uniusque circulo anni
Sic vixit fæliciter, ut fœlix modò credatur.
Mitis, prudens, pius Patribus, pacificus cunctis:
Huic ætatis anni fuerunt novies deni,
Lustrum quoque unum mensesq́; quatuor simul.
At Pater egregie potens intercessor existe
Pro gloriosissimo Luitprando Rege, qui tuum
Pretioso lapide tumbum decoravit devotus,
Sit ut manifestum almum ubi tegitur corpus.
*De * est hic Dominus Cumianus Episcopus*
Quartodecimo Kal. Septembris. fecit Ioannes Magister.

* id est Hiberniæ.

* forte defunctus.

145 Ad lęvum autem Columbani opponitur ex adverso altari *S. Attalæ* ara *S. Bertulphi*, successoris Sancti Attalæ, Reliquiis sacra. Tot sanè ibi Sancto-

Z z

Multis clâret reliquiis Sacrarium Bobiense.

Sanctorum corpora requiescunt, ut meritò locum illum Bobienses monachi *Sanctuarium* appellent, in quo plurima etiam sacra ossa Sanctorum, quorum ignorantur vocabula, reposita sunt, quæ simul in eadem capella recondita, magnâ locum illum veneratione celebrem reddidêre. Divinæ certè providentiæ exemplum est, ut vir sanctissimus, qui vivens Sanctorum semper monachorum catervâ stipari consueverat, mortuus quoque sanctorum undique venerandis ossibus cingeretur, & cum illis ipse in tempore retributionis, in die Domini bravium supernæ vocationis acciperet, quos in stadio currentes animabat. Cæterùm quando sancti viri, & aliorum sacra corpora, eo ornatu & cultu, quo hodiè visuntur, sunt donata, nobis aperuit instrumentum translationis eorundem; in quo continetur, anno Domini 1482. Indict. 15. die sabbathi, ultimo mensis Augusti, præsentibus Ioanne Episcopo, & Ioanne Abbate ac Comite, & monachis Bobiensibus, cum aliis multis ad talem solemnitatem confluentibus, translatum fuisse cum debita solemnitate corpus *Sancti Columbani* Confessoris, *& hujus civitatis fundatoris & Patroni*, de monumento suo veteri ibidem sito, & repositum in quadam capsulâ ligneâ fulcitâ & *sete*, hoc est, bysso, pro majori parte ornatâ; quam capsulam in crastino ejus diei, id est, Dominicâ, adhibita solemni processione Cleri & populi, in arca marmoreâ novâ ad hoc præparatâ, & superpositâ altari sub titulo Sancti Columbani collocarunt; quo etiam die aliorum sanctorum, quorum superiùs nomina recensuimus, facta fuit translatio, signatis jam ex instrumento testibus præsentibus. Episcopus autem Ecclesiam & sepulchrum sancti viri tam ipso die & anniversario illius translationis, quàm in ipso natali die devotè visitantibus quadraginta dierum indulgentias concessit. Porrò inscriptio, seu Epitaphium Columbani est hujusmodi. *Hic requiescit in pace Sanctus Pater Columbanus Abbas.* Et paulò inferiùs: *Sanctus Columbanus, Hibernus natione, Abbas & fundator monasterii Bobiensis, & aliorum plurimorum monasteriorum.* Cæterùm cum sacra ossa transferentur, aliqua seorsim posita, pretiosis posteà thecis inclusa sunt. Nam in capite argenteo pars cranii Sancti viri recluditur, & in circo argenteo elegantis artificii duodecim dentes ejus, totidem suffulti retinaculis, sustinentur. Item aliquid de capillis ipsius in tabernaculo quodam pyramidali asservatur, & in vasculo ligneo custoditur scyphus, ex quo sanctus potum sumere consueverat. Visitur quoque ibidem culter Sancti Columbani, qui tantæ benedictionis & virtutis esse perhibetur, ut panis illo dissectus, nunquam posteà corruptioni aut putredini subjaceat, & à nutricibus sumptus uberrimam lactis copiam generet, & insuper contra morsus rabidorum canum, & febres magnum robur habeat. Ipse autem culter priscam simplicitatem præfert, manubrium ejus ex osse nigro, vel cornu constat, ferrum longiusculum & amplum. Præter quæ plurimæ aliæ Reliquiæ in eodem sacrario custodiuntur, ut de lacte, & capillis Beatæ Virginis, de capillis Ioannis Baptistæ, de ligno crucis, de sudario & præsepi Domini; item Sancti Joseph, Apostolorum Petri & Pauli, Ioannis Baptistæ, Iacobi fratris Domini, Stephani, Laurentii, Sebastiani, Martini, Hilarii; item de sepulchro Domini, & ligno quod plantavit in ripa Jordanis, & de monte Oliveti. Præclarum sanè adhuc ibi perseverat antiquitatis vestigium, una nimirum ex sex hydriis, quas Dominus in Cana Galileæ ex aqua vino repleverat, quam tradunt, *Sanctum Gregorium* dono dedisse Columbano ex urbe redeunti; quod etiam insculpta marmori sepulchrali ipsius Sancti Columbani præfert effigies, genibus flexis ante Gregorium, dictam hydriam de manibus ejus excipientis.

Quando facta translatio corporum Sanctorum qui in Bobio requiescunt.

verba instrumenti.

Epitaphium S. Columbani.

& mira efficacia cultri ejus.

recensentur minutiores Reliquiæ quæ in Bobio visuntur.

IN CAPUT XXX.

EX VITA S. GALLI mutuatum.

De baculo S. Columbani, vulgò Cambatta dicto.

146 QUi *& baculum ipsius, quem vulgò cambattam vocant, per manum*

manum Diaconi transmiserunt. Cambatta Hibernis curvum baculum sonat, putatque R. Pater Stephanus Vitus fuisse baculum Abbatialem, quo S. Columbanus uti solebat, & idcirco forsan *cam*, seu curvus dicebatur: nam ejusmodi baculi nodum curvum in superiori parte gestare solent. Sed sive ad hunc, sive ad iter commodius faciendum, aut alium quemcumque usum servierit, fuit sanè baculus ille à Deo benedictus, velut altera virga Moysis, multis signis & prodigiis illustris. Hoc namque instrumento S. Magnus *Boam* illam immanem bestiam, quæ tot homines devoravit, in capite percussum potenter interemit, aliosque vermes venenosos, fugatos ab agro & oppido *Campidonensi* (quod anteà inhabitabile erat) procul exterminavit, ut in Vita *S. Magni* narratur. Qui baculum hunc in monasterio *Fussensi* suis successoribus hæreditario jure reliquit, in quo adhuc visitur, crebris signis & virtutibus illorum, qui eo primitùs usi sunt, Sanctorum Columbani, Galli, & Magni, sanctitatis & innocentiæ testis locuples. Nam admirandos effectus producit, & per veris atque æstatis tempora ferè quotidianos: *dum enim* (ut cum Domino Martino Abbate in vita S. Magni cap. 45. loquar) *in agris, hortis, pratis, arboribus, herbis, aut plãtis, varii vermes, omnisvè generis mures, talpæ, scarabæi, cyniphes, erucæ, blattæ, bruchi, cantharides, multipedæ, & quæcunq; tandẽ animalia minuta, insecta, ac venenata, seu nociva, quæ lædunt, inficiunt, rodunt, devorantq; radices segetum, folia, flores, aut fructus arborum, plantarum, olerum, lini, herbarum cujuscumque generis, si iste sacer baculus in terram figitur cum precibus consuetis, expelluntur omnes istæ bestiolæ, ut vel decidant, vel moriantur, vel discedant, aut se in foveis quasi timentes, & parcentes abscondant. Cujus rei gratia petuntur S. Magni Reliquiæ, præsertim baculus, ad exteras quoque regiones, velut in Tyrolim, Algoiam, Helvetiam, Bavariam, ad lacum Acronianum, & Sueviam &c. Exemplis non clariorem faciemus. Circa annum Domini* 1500. *tempore Abbatis nostri* Benedicti *admodum R. D. Abbas Staingadianus rogavit eum, ut Sacristanum cum sacris Reliquiis ad se dirigeret, quia erucæ illi herbas & olera devorare cœperunt, quibus cum sacris reliquiis benedictis, peractisq; precibus, ac supplicationi, Dominus Abbas cum Sacristano, ac reliquis ad prandium accessit. Ecce ad mensam Abbatis cum gaudio agricola ejus accurrens evocavit omnes, ut mirabilia viderent, quia erucæ illæ gregatim omnes, dimissis hortis, & herbis, atque oleribus recedebant, nec amplius comparuerunt. Similiter annis Domini* 1553. 1554. 1560. 1563. 1568. 1580. 1582. 1584. 1585. 1586. 1587. 1606. 1617. 1619. 1620. 1621. *in variis ac plurimis locis Brigantinis, Acronianis, Algoicis, Bavaris, &c. accidit fælici affectu, ut fruges conservatæ, vermes autem emortui sint inventi, aut recesserint.* Hæc ille: quæ satis declarant virtutem illius Benedicti baculi. Est autem, quantum ego colligere potui, & ipse Dominus Martinus testatur, de ligni specie, quod nos Hibernica lingua *Cuileann* dicimus, & Germani suo idiomate *Baxholder* vocant. *In eo*, ut idem testatur, *reliquiæ de peplis Beatæ Virginis esse putantur, & de Sancto Benedicto, de SS. Ioanne & Paulo, de Sancto Mauritio, de Sancto Udalrico, de Sancto Gallo, de Sancto Magno, quæ nostro*, inquit, *sæculo inclusæ sunt.* Vide de effectibus hujus baculi Carolum Stingelium monachum Augustanum, in libro suo de quibusdam monasteriis Germaniæ, ubi agit de monasterio Sancti Magni Fussensi.

miranda vis & efficacia baculi S. Columbani,

Omnes noxios vermes & animalcula fugantis.

Ut per hoc notissimum pignus Gallus absolveretur, ab interdicto videlicet ipsi à magistro suo Columbano in Italiam proficiscente, imposito, cujus causam aperit Walafridus cap. 8. vitæ Sancti Galli his verbis: *Post hæc igitur cum proficiscendi tempus instaret, B. Gallum repentina febris invasit, unde Abbatis sui pedibus advolutus, indicavit se infirmitate vehementi laborare, & ideo iter propositum non posse perficere. Ille verò existimans eum pro laboribus ibidem consummatis, amore loci detentum, viæ longioris detrectare laborem, dicit ei: scio frater jam tibi onerosum esse, tantis pro me laboribus fatigari, tamen hoc discessurus denuncio, ne me vivente in corpore Missam celebrare præsumas, & cum ei licentiam per se conversandi dedisset, viam ingressus est abeundi.* Hæc ille; ex quibus S. Galli humilitas & obedientia tam gravem sibi pœnitentiam acceptantis, quam non nisi ex occulto divinæ dispositionis consilio crederim imposuisse Columbanum, ut in hoc S. Gallo occasio daretur exer-

S. Gallo interdicit Columbanus Missæ sacrificio,

cendæ

cendæ virtutis. Cum enim S. Gallus (ut firmiter credi potest) nullum gravius duceret mortificationis genus, quàm cœlestis convivii dulcedine privari, idque Columbanus adverteret, ideò talem in eum dixit sententiam, Dei monitu, ex cujus illi executione, ut suæ voluntati plurimùm contrariâ, magnus meritorum cumulus accresceret. Quo exemplo tam præcipiens magister, quàm obediens discipulus, tantæ resignationis uberem proculdubiò fructum expertus, posteris confirmarunt, perfectæ obedientiæ opera sectari volentibus, juxta Prophetæ dictum, obedientiam meliorem esse, quàm victimam.

ANNOTATIONES IN MIRACULA S. COLUMBANI

ab anonymo conscripta.

IN CAPUT I.

De transitu S. Columbani ex partibus Germaniæ in Italiam.

1. *Angelico monitu in Italiam veniens.* Hanc apparitionem subindicat Jonas cap. 26. & Walefridus cap. 7. vitæ S. Galli, cujus hic verba libet audire de recessu S. Columbani & sociorum ex Brigantii finibus. *Sancti igitur viri molestè ferentes, quòd sede pellerentur amabili, consilio communi Italiam petere decreverunt, & dum nimio tenerentur dolore, S. Pater Columbanus his verbis cœpit eos consolari: invenimus quidem, Fratres, his in partibus auream concham, sed venenatis serpentibus plenam; cedat tamen tristitia languor ex malis, quia certa est fiducia de auxilio protectoris; Deus enim, cui servimus, Angelum suum mittet nobiscum, qui nos perducat ad Agilulphum Longobardorum regem, ubi ejus clementia præparante, humanos affectus, & pace plenum habitationis locum inveniemus.* Hæc ille. Verùm copiosius de hac visione loquitur Chronicon Consecrati Petri Ratisbonensis, ubi de transitu quorundam sanctorum ex Hibernia natali solo ad exteras nationes, agit. Nam de Sancto Columbano sic habet: *Sanctissimus quoque Columbanus, fortissimus tyro Italiæ, sanctus quoque Gallus, ac Magnus, duo candelabra Sueviæ, S. Florentius, Maximianus, & Albeus & Neemias & Columbanus, Sinnianus, & alii plures sancti, qui in comitatu mysterium S. Evangelii fideliter adimpleverunt.* Et posteà de suprà dictâ Angelicâ visione sermone prosequitur: *Angelus Domini in somniis B. Columbanum allocutus est, dicens: frater Columbane, Pater cœlestis te constituit conductorem gentis occiduæ, à fine mundi, de Oceani partibus, volentis consequi benedictionem Romani Pontificis; aliter Deo cœlesti placet, ut in solo Alemanicæ terræ perficiant divina obsequia, expectantes universæ carnis resurrectionem. Te quidem & spirituales tuos collaterales vult per Alpes venire, & cacumina montium transire ad civitatem Mediolanensem, ibique diem ultimum in quieta pace expectabis, sanctos itineris comites sigillatim per oppida Italiæ destinabis, gratiam baptismi in omnibus gentibus seminabunt; & ut divinitùs fuit admonitus, necesse fuit adimpleri. Mane facto Beatissimus Columbanus, advocatis in unum Fratribus, indicavit eis de Angelica revelatione: Tunc palmas beatas ad Deum extenderunt, gratias Deitati retulerunt, dicentes; quoniam scriptum est, quia, qui non bajulaverit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus, & qui non reliquerit patrem, & matrem, patriam, charosque, non est me dignus. Beatus quidem Columbanus cum suis principalibus sociis transierunt per Alpes in terram Italiæ ad civitatem Mediolanensem; ibidem cum virtutibus & miraculis claruit, recipiens felicem finem vitæ suæ. Cæteri socii secundum præscientiam Dei felicem finem sunt sortiti.* Pergit post hæc narrare dispersionem quorundam sociorum sancti viri, de quibus nos suprà in Notis ad caput 3. Vitæ S. Columbani. Ita de præfata visione Chronicon illud, ubi sciendum, id quod asseri videtur, Mediolani obiisse Columbanum, contra Jonam, Martyrologia, & omnes probatos authores, qui in monasterio suo Bobiensi ipsum vitam finiisse testantur, dimittendum esse cum aliis multis mendis & fabulis, quas author illius apocryphi Chronici, vel forsan aliquis ejus corruptor, passim interserit; cujus verba idcircò adduxi, quòd multa, licet falsis admixta, vera contineat, quæ

Codex mendosè *Maximianum*, & alios sequentes in accusativo ponit.

monetur ab Angelo Columbanus de suo in Italiam transitu.

quæ prudens lector, non secus ac lolium à tritico, poterit separare. Potest tamen hîc meo judicio trahi ad sensum verum, si intelligamus adverbium illud *ibidem* ab eo referri, non ad Mediolanum, sed ad Italiam, & ita ipsum retulisse par est in dubio præsumere.

2 *Ecclesiam &c. ex lignis construxit.* Consuetudo quippe erat Hibernis Ecclesias ex lignis extruere, ut testatur V. Beda l. 3. hist. c. 25. de Ecclesia à *S. Finano* in Insula Lindisfarnensi erectâ, loquens in hæc verba, *Interea Aidano Episcopo de hac vita sublato, Finan pro illo gradum Episcopatûs à Scotis ordinatus ac missus acceperat, qui in insula Lindisfarnensi fecit Ecclesiam, Episcopali Sede congruam; quam tamen more Scotorum, non de lapide, sed de robore secto, totam composuit.* Hæc V. Beda: quò spectant quæ de Oratorio *ex lignis levigatis, aptè firmiterq; contextis*, à S. Malachia in Ultonia ædificato, narrat S. Bernardus.

Ecclesiæ apud Hibernos olim ex robore construebantur.

3 *Ad magnitudinem Sanctissimi corporis sui.* Hoc non potest ad litteram intelligi, quasi Ecclesia à S. Columbano extructa, restricta fuisset ad mensuram corporis ipsius, sed sensus esse videtur ab authore intentus, sanctum virum exædificasse Ecclesiam, magnifici pignoris sepulturâ condignam. Unde non inanis videtur conjectura, pro *mansionem*, errore, vel incuriâ librariorum irrepsisse *magnitudinem.* Neque sanè percipi potest quomodò ea, quæ in eodem capite de hac Ecclesia dicuntur, consistere queant, si humani corporis magnitudinem non excessit.

4 *Ante ipsam quoque Ecclesiam S. Attalas crucem affixit.* De hac cruce à S. Attala erectâ fusiùs meminit Jonas in fine ejus vitæ, ubi devotam ejus ad eam ante decessum è vita refert apostrophen, quam hic recitare, brevitatis studio prætermitto.

5 *Agilulphus ex lapidibus struxit.* Corruptè legunt aliqui *Agilulphum.* Hic fuit etiam Comes Bobiensis, & floruit temporibus *Caroli* 3. *Guidonis*, ac *Lantberti* Imperatorum circa annum 883, 895 & 905. Successit in regimine Abbatiæ Bobiensis Amalrico, Comiti item Bobiensi, & Episcopo exinde Comensi, qui floruit temporibus *Ludovici** Pii: de quibus Catalogus Abbatum Bobiensium.

*l. Boni

IN CAPUT II

6 *Transitoq; flumine Trevia.* Hoc flumen interfluit montes Apenninos, & oppido Bobiensi allabitur; de eo fit mentio in instrumento donationis S. Columbani, factæ de monasterio Bobiensi, Sedi Apostolicæ.

7 *In ipsa petra vestigium Sanctissimi pedis ejus dextri impressum est.* Idem refert Jocelinus cap. 103. de quatuor virginibus à S. Patricio, sacro velamine consecratis, quæ in eo, quo stabant lapide, sua vestigia impressa reliquerunt, quæ *usque in præsens apparent*, inquit Jocelinus. Narratur quoque in vita S. *Cathaldi* Hiberni, *Tarentinorum* in Italia Apostoli, ipsius sanctissimo capiti recen nato, instar mollis ceræ durum cessisse marmor, & locū fecisse. Idē de aliis nonnullis Sanctis legitur; sed longè illustrissimum hujus rei nobis reliquit exemplum ipse Sanctus sanctorum Christus Iesus, qui in loco montis Oliveti, unde in cœlum ascendit, sacratissimorum pedum impressit effigiem, qua de re hæc pauca ex Hieronymo libet audire. *Montis Oliveti ad Oriente Ierosolymæ, torrente Cedron interfluente, ubi ultima vestigia Domini humi impressa hodieq; monstrantur; cumq; terra eadem quotidiè à credentibus hauriatur, nihilominùs tamen eadem sacrata vestigia pristinum statum continuò recipiunt. Denique cum Ecclesia, in cujus medio sunt, rotundo schemate, & pulcherrimo opere conderetur, summum tamen cacumen, ut perhibent, propter Dominici corporis meatum, nullo modo contegi & concamerari potuit, sed transitus ejus à terra ad cœlum usque patet apertus.* Hæc Hieronymus, *de locis Hebraicis in Acta.* Vide plura apud Baronium ad annum Christi 34.

Impressa vestigia Salvatoris in monte Oliveti.

IN CAPUT IV.

8 *Consuetudo est hominibus ejusdem gentis, unumquemque per diem centies & amplius genuflectere.* Hæc consuetudo primitùs apud Hibernos, ex sancti Patricii, gloriosi ipsorum Apostoli, exemplo profluxit, qui teste Iocelino cap. 183. *centenis ter vicibus (quotidie) Dominum adorando genuflectebat.*

IN CAPUT VII.

9 *Diaconus verò in ambonem ascendens.* *Ambones* apud Ulpianum l. 33. Tit. 7. l. 13. calicis genus significat, verùm hoc sensu non accipitur hîc, sed pro pulpito elevato, in quo Diaconus Evangelium cantat; cui in aliquibus Ecclesiis ex adverso respondet aliud pulpitum, Epistolæ cantandæ deputatum. Quæ consuetudo in multis, Italię præsertim & Germaniæ, Ecclesiis hodieque observatur.

IN CAPUT VIII.

10 *Tempore excell^mi. Regis Hugonis.* qui ex Comite *Arelatensi*, seu *Provincia*, offerentibus & deferentibus Italiæ Principibus, Regnum Italiæ seu *Papiense*, Rodulpho Rege ejecto, suscepit circa annum 926, ut constat ex Luitprando, & Frodoardo apud Baronium eodem annno, qui de eo etiam meminit ad annum 928, 933, & exinde sæpissimè usque ad annum 945, quo *Lothario* filio suo regnum cessit. Tempore igitur hujus Regis contigit illa tam iniqua & impia Principum quorumdam Italiæ, quam hoc capite commemorat author invasio; ad cujus faciliorem intellectum placet hic referre quædam ex *Lectionibus festi translationis S. Columbani*, de qua suprà, quæ contenta hujus capitis clariùs nonnihil explicant & breviùs. *Tempore Hugonis Longobardorum Regis erant quidam Principes in Italia, qui avaritiæ potiùs quam fidei ardore ferventes, majestatem ipsam auri cupiditate fœdantes, servorum Dei bonis inhiabant, inter quos erant Wido Episcopus Placentinus, ejusdemq́; frater, Rainerius nomine; necnon alii plerique, qui cæcâ cupiditate prædia Ecclesiæ Bobensis erepta, sibi asciverunt. Cum autem Regina Alda, ejusdem Regis conjux, in Italia veniret, secum habebat sapientissimum quendam, religiosumq́; virum, nomine* Gerlannum; *quem cùm Rex sapientiâ pollere conspexisset, primùm sibi scribam, ut vulgò dicitur, cancellarium elegit; mortuo autem Silverado, tunc temporis Abbate, eum prædictæ Abbatiæ præfecit; quam, ut cognovit jam dictis possessionibus carentem, ingemiscens de earum recuperatione (sicut boni pastoris est) cogitare cœpit* &c. Ita Lectiones præfatæ. Cæterùm quàm gravis & crudelis fuerit rapina bonorum Ecclesiæ Bobiensis, mox dicetur.

avaritia quorumdam Prçlatorum Italiæ temporibus Hugonis Regis.

11 *Qui res Ecclesiæ Bobiensis abstractas habebant, & injustè suo juri conjunctas.* Contra hos & similes direptores injustos varię, & querulosę extant Bobiensium epistolæ in Bibliotheca Papirii Massovii editâ Parisiis 1611, ex quibus pro præsenti sufficiat audire Epistolam *Gerberti* Abbatis, qui non multò post hanc Widonis & Raynerii invasionem, monasterio Bobiensi prçfuit, ex quo primùm *Remensis*, deinde *Ravennatensis*, postremò S. R. Ecclesiæ Pontifex electus est, ut alibi fusiùs retulimus. Ita ille Joanni Papę scribit: *Beatissimo Papæ Ioanni Gerebertus, solo nomine officii, Bobiensis cœnobii Abbas. Quo me vertam? proh pudor! Sedem Apostolicam si appello, irrideor; nec ad vos propter hostes est veniendi facultas, nec de Italiâ egrediendi libera potestas. Morari difficile, quando nec in monasterio, nec extrà, quidquam nobis relictum est, præter virgam pastoralem, & Apostolicam benedictionem. Dominam Imperatricem* (sic: *Imiram*), *quia vos diligit, diligimus. Per eam nunciis & Epistolis significabitis quidquid vos facere voletis, simulq́; nos per eam vobis, quidquid de statu & molimine regnorum cognoverimus vestrâ interesse. Valete.* Hæc Gerbertus ad Ioannem, quæ magnæ loci sancti desolationis, & sacrilegæ rapacitatis argumenta sunt, quam non tantum nominati Principes, sed & alii posteriores exercebant.

magna desolatio monasterii Bobiensis.

IN CAPUT X.

12 *Cum cereis lampadibus, atque thymiaterii.* Legi debet *thymiatheriis*, quod thuribulum significat, seu locum, in quo suffitus solet adoleri, à thymiamate, quod suffimentum sonat, sic dictum, eo planè modo, quo thuribulum à thure.

IN CAPUT XIII.

13 *Eo quod in profundum demersum fuerit Padi.* Padus fluvius est, inquit Plinius l. 3. c. 16. *è gremio Vesuli montis, celsissimum in cacumen elati, finibus Ligurum Vagiennorum, visendo fonte profluens, condensq́; sese cuniculo, & in Forovibiensium agro iterum exoriens, nulli amnium claritate inferior: Græcis dictus Eridanus, ac pœnâ Phaëthontis illustratus.*

Augetur

Augetur ad Canis ortus liquatis nivibus, agris quàm navigiis torrentior, nihil tamen ex rapto sibi vindicans, atque ubi liquit agros, ubertate largior. Hæc Plinius. Porrò Metrodorus quòd circa fontem arbor sit multa picea, quam Galli *pades* voçant, tradit *Pado* nomen inditum.

IN CAPUT XV.

14 **A**D *S. Petrum qui dicitur leprosorum.* Lectiones memoratæ suprà, habent *prope S. Petrum, qui ad vincula dicitur*, lumina fuisse extincta, quâ diversitate non distincta loca, seu Ecclesias intelligere debemus, sed ejusdem loci varia nomina.

IN CAPUT XXI.

Cuppa S. Columbani asservatur in Bobio.

15 **I**Vssit afferri cuppam S. Columbani. Hoc fuit vas, ex quo bibebat S. Columbanus, quod ligneum est, & adhuc in monasterio Bobiensi inter alias Reliquias cum veneratione servatur. Beneficia curationum, quæ inde ob S. Columbani devotionem bibentes, proculdubiò multa consequuntur, nondum didici. Certè uberem S. Columbani benedictionem super hoc sacrum vas descendisse, luculentum de puteo alto, sed arido, aquis posteà cœlitùs repleto, miraculum, quod in hac historia refertur, satis clarè testatur.

16 Hæc circa miracula hæc adnotasse sufficiat, quæ idcircò tam strictim percurri, qùod satis copiosè suprà in Commentariis ad Acta Sancti Viri multa in his contenta explicârim, ea præsertim, quæ ad monasterii Bobiensis antiquam gloriam, immunitates, ac privilegia spectant, largo sermone prosecutus. Ita tamen brevitati studui, & prolixæ superfluitati vitandæ, ut nihil me putem intactum reliquisse, quod necessarium esse posset ad claram hujus historiæ intelligentiam. Breviores quasque notulas ad marginem passim adsignavi. Rogamus humiliter, ut dignetur tot signorum & mirabilium patrator gloriosus, intercedere pro nobis ad illum, in cujus ista ipse virtute operatus est, Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS

Sequuntur, Benigne lector, Acta Sanctorum *Luani* & *Mochoemogi*, celeberrimorum *S. Comgalli* discipulorum; quę quia multis gratissima fore cognovimus, propter eximias S. Bernardi in *Luanum*, ejusque Patrem *Comgallum* laudes; & quia ubi de pristinâ Congregationis Bennchorensis dignitate actum est, propter ipsorum prolixitatem commodè collocari non poterant, placuit hîc appendicis instar apponere, ut ex iis maturè perlectis & perpensis pleniorem de antiquâ illius Sanctæ Congregationis gloriâ notitiam habere possis, ex qua tot clarissima Ecclesiæ ornamenta processerunt, ad perpetuum illius almæ domus honorem.

VITA

VITA
S. MOLUÆ
SEV
LUANI
ABBATIS
ET
CONFESSORIS

Ab anonymo sed fideli & antiquo authore conscripta

EX MS. CODICE ARDMACHANO

NVNC PRIMVM IN LVCEM EDITA.

Patria & parentes S. Luani, quem Hiberni vernaculo sermone *Lua*, *Molua*, & *Lughaidh*, Latino *Moluam*, *Moluanum* & *Lugidum*, & *Lugidium* vocant.

1 FUit vir vitæ venerabilis de provincia Mumoniæ, de regione *Hua-Fidhgenti*, de plebe *Corcoiche*, nomine *MoLuâ*, cujus Pater vocabatur *Carthach*, sed vulgò *Coche* dicitur; mater verò ejus *Sochla*, id est, larga, vocabatur; quę erat de Occidentali Laginiensium plaga, id est, *Osraigi*, oriunda: & peperit tres filios, *S. Molua*, & *Luigher*, & * *Johoram* Sanctus verò *Molua* ætate minor erat, sed major gratiâ: ipse enim ab infantia spiritali gratiâ est repletus, & miracula à pueritia per eum fiebant.

* rectiùs aliud MS. *Iohain*,

2 Quodam die mater sancti *Molua* exivit ad domum cujusdam viri in villa, ut peteret pecora sua ab eo, quę ille habebat in custodia, eò quod illa in herbis suis invenit: & tunc Sanctus *Molua* cum matre suâ puerulus pergebat: cumque mater pii pueri domum illius viri intrasset; vidit ille vir Sanctum puerulum Moluam flammâ ardentem sicut fulgur. Tunc vir ille timore perterritus, penè mortuus factus est. Postea videns pium puerum in sua specie, dixit: afferte ad me infantem istum, ut manu suâ tangeret caput meum; nam sanctus jam iste erit: nam gratia Dei apparet in eo. Cumque mater sua portaret eum in suis brachiis ad illum, pius flevit puerulus, & lachrimę ejus ceciderunt super illius viri pectus; & ille vir caput suum multo tempore dolebat, & ulcus pessimum sub pectore habebat; illicò ipso tactu sancti infantis manûs, à dolore capitis sanatus est, & ulcus, quod sibi multùm nocebat, evanuit. Et ille cum suis gratias agens pro salute sua, mater sancti pueruli, lęta cum eo, abigens pecora sua, ad domum suam reversa est: & de hoc miraculo nomen Sancti pueri *Molua* per propinquos

is adhuc infans cœlesti fulgore coruscat,

defluxæ ab eo lachrimulæ sanitatem ulceroso afferunt,

pinquos cœpit vulgari.

3 Oves parentum suorum cum aliis pueris villæ Beatus puer *Molua* pascebat; quodam quoque die sedentes juxta modicum ignem, sicut mos est pueris, pecora in agro pascentibus, subitò gravis pluviarum impetus ad eos descendit, & ignem omninò extinxit. Et post discessum imbrium, Sanctus puer *Molua* frigidus, accessit ubi erat ignis, ostendens quòd vellet ignem habere: & accepit titionem extinctum & humidum in manu sua, & * irridentes eum alii pueri, & venit Angelus Domini visibiliter ad eum, & sufflans benedixit titionem in manu pueri sancti; illicò titione igne ardente Angelus evanuit; & accenso inde rogo calefacti sunt pastores. Et audientes fideles illud miraculum, venerunt, & illum susceperunt ignem, & per plures domos divisus est pro munere magno ab illis: in illo verò loco cruces usque hodiè positæ sunt, quæ dicuntur *Cruces Moluæ*.

ejusdem obtentu ignis, cœlitùs accensus

* f. irridebant.

4 Alio die dum custodiret pius puer *Molua* vitulos parentum suorum prope villam, somnus cecidit super eum, & dormivit graviter. Tunc revertentes vaccæ de pascuis, vituli introierunt ad eas; sed ora nutu Dei vitulorum circa matrum ubera siccaverunt, ut nec lac ullo modo sugere potuissent. Adhuc pius puer dormiens, hoc visum est villæ incolis; & venit mater ejus irata, & puerum turbidè excitavit (putabat enim vitulos lac bibisse totum) elevansque manum ut flagellaret eum, venit Angelus Domini, & tenuit manum ejus, ne læderet puerum. Tunc mater corruens in terram, Beatus *Molua* de manibus ejus evasit, & separavit cum cæteris vitulos à matribus. Videntes autem ora vitulorum tam clausa circa mammillas vaccarum, quousque Sanctus Molua ad eos pervenit, & lac intactum ab eis, fœlicitatem beati pueri admirantes, Domino benedixerunt.

Cohibiti per Angelū & vituli à materno lacte & mater à cædendo filio:

5 Custodiebat aliquo tempore Sanctus puer *Molua* sues Patris sui cum aliis pueris in agro; cum autem sues ab eis longè discederent, unus de pueris invicem reducebat eos ad subulcos: sed quando jam Sanctus *Molua* exibat sua vice ad reducendos sues, apparebant sues ante eum quasi oves, & grex ovium videbatur hominibus ante eum, & non grex porcorum: & sedens ipse cum cæteris, sues in suis propriis formis hominibus iterum apparebant. Illi autem rustici non plenè figuram hujus rei sapiebant, sed tantùm in bonum conjecturabant, scientes gratiam Dei in aliis signis per illum: nos autem scientes figuram ovium in divina pagina, benè sapimus. Ipse enim electus est à Deo Christi ovium, id est, justorum hominum, pastor; & non porcorum, id est, malorum & iniquorum hominum, subulcus; etenim fundator multorum monasteriorum & cellarum & plurimorum monachorum ipse in eis postea * extitit.

Sues visæ ovium speciem præferre:

* f. Abbas

6 Beatissimus puer *Molua* aliquando totâ die & nocte defuit, & nemo ex suis cognoscere potuit ubi esset, vel quid ei accidit; & quærentes eum cognati sui per plebem, pater illius invenit eum in agro dormientem, sed tamen non est ausus ad eum excitandum propiùs accedere; quia virum in vestibus albis ante eum vidit stantem. Tunc ipse, inito apud se consilio, perrexit ad *Cellam Sanctorum filiorum Coelboth*, qui erant septem Fratres & Presbyteri in una Cella; & narravit eis de filio suo. Et unus ex illis venit cum eo, & suscitans puerum, odor ex ore pueri, replevit os ejus; & ipse usque ad diem obitus sui de eo satiatus fuit, & posteà in hoc sæculo usque ad obitum suum nihil comedens, nisi corpus & Sanguinem Christi in Eucharistia, quando ipse offerebat. Et de eodem odore tunc flatus veniens circa os patris sui penè inebriavit eum. Mysterium hujus rei omnipotens Deus, cujus dono venit, ipse novit.

halitûs *Luani* fragrantiâ semel afflatus unus septem SS filiorum Coelbathi, deinceps omni alimento abstinuit;

7 Posteà solebat aliquando Sanctus *Molua* frequentare Cellam prædictorum filiorum *Coelboth*; & contigit quodam die, ut quidam senex de filiis *Coelboth* caput suum in sinu Sancti *Molua* poneret; & ibi illicò obiit. Nesciebat Sanctus quòd ille

 mortuus

alius eorumdem filiorum meritis Luani revixit;

mortuus esset. Tunc alii dixerunt, mortuus est, dilecte puer, Senex sanctus in sinu tuo. Quibus ait Sanctus *Molua*, non ita faciet mihi Dominus & Deus meus, ut in sinu meo aliquem occidat. Deinde orans Sanctus *Molua*, ille Senex coram omnibus à mortuis surrexit, & posteà vixit plures dies.

infirmus quidam eadem aqua, qua ille, lotus, illicò convaluit:

8 Quadam die æstivâ beatus puer *Molua* in calore Solis in amnem quendam descendit, ut corpus suum lavaret. Hoc videns quidam vir infirmus, quem medici curare longo non poterant tempore, dixit coram omnibus ibi præsentibus, vadam & lavabo me in aqua cum puero Sancto isto, ut per eum gratia Dei me sanet ab infirmitate mea. Et lavans ille se in aqua, quæ de puero descendebat, ibi illicò sanatus est ille ab omni dolore suo, & gratias agens, firmus ad sua exivit.

abscissus pes patri redditus;

9 Aliquando pedem patris Sancti *Moluæ* à digitis dolor pessimus, id est Cancer, tenuit, & cœpit comedere pedem; & ne magis crescendo totum absorberet pedem, pes à medicis abscissus est medius. Videns jam piissimus puer *Molua* pedem patris sui divisum, contristatus est valdè; & accepit flens divisam partem, & loco suo posuit; & statim inter manus ejus, medicans divina virtus, pes conjunctus est, & conglutinatus quasi nunquam esset abscissus: sed cicatrix in eo mansit, & ab illo dolore usque ad diem mortis suæ sanus fuit. Talem rem mirabilem medici cum cæteris videntes, Christi gratiam in *Sancto Molua* glorificaverunt.

aquatus mororum succus vim vini obtinuit;

10 Quodam die cum in autumno beatus puer *Molua* cum aliis pueris, causâ jocundandi, moros in quodam vase promebant, ut liquorem haberent: & Sanctus puer *Molua* commiscuit aquam in illo liquore modico mororum, & benedicens cœpit propinare aliis pueris; sed Dei nutu vis & dulcedo vini in succo mororum cum aquâ mixtâ apparuit, & inebriati sunt inde pueri. Tunc filius *Dimai* Ducis illius regionis, *Faolanus* nomine, cum suis venit per illum locum: qui cùm vidisset pueros ebrietate * lætos, postulaverunt ipsi sibi potum dari; & cum gaudio Sanctus Molua propinavit eis, & ipsi similiter inebriati sunt, & ibi dormierunt; *Faolanus* filius Ducis visit visionem, id est, quod beatus Molua torquem aureum circa collum suum, & claram Casulam dedisset; quod post multum tempus completum est. Ipse enim *Faolanus* multa bona tribuit beato *Moluæ* in senectute sua, & regnum suum relinquens, monachalem habitum apud *Sanctum Moluam* accepit. Tunc torquem auri & Casulam claram, coronam æternam & fælicitatem vitæ cœlestis, cum Sanctis Dei *Sanctus Molua* duci *Faolano* in præsentia Sanctæ Trinitatis præbuit.

** MS. mendosè Læsos*

B. Foilanus princeps mystico somnio pręmonitus futuri sui monachatus;

11 Beatus vir aliquando cum matre sua perrexit Molua, ut aliquod intervallum in Molendino propinquo, ad molendum granum quærerent: sed nullum intervallum Molendinarius dedit eis: & posteà tribus diebus & tribus noctibus mola stetit, & nullo modo cucurrit; dictumque est molendinario, à quibusdam: verè causa pueri *Moluæ*, mola non currit. Tunc beatus *Molua* advocatus, misit in os molæ manum suam: & statim lapis cucurrit. Hoc videns molendinarius satisfecit voluntati Sancti pueri, & veniam petivit ab eo.

moralis lapis nunc sistitur, nunc gyratur:

12 Filia *Fintani*, patrui *Sancti Moluæ*, sexdecem annis à nativitate muta erat; quodam die ipsa ipsum *Sanctum Moluam* cognatum suum accepit in sinum suum, & amplexata est eum; & * anhela pueri exiens circa os & faciem ejus, illicò aperta est lingua ipsius, & loquebatur clarè; & ipsâ * *Finn-Cainner* vocabatur, quæ ibi virginitatem suam Domino devovit, & effecta est Sancta, & mirabilis in signis & prodigiis virgo, & construxit Monasterium quod dicitur *Cluain-claraidhi*, in quo ipsa Christi virgo ancillas congregavit.

reddita loquela S. Finnchainneræ à natu mutæ.

** i. halitus*

** i Candida Cannera.*

13 Alio die tres juvenes pulcherrimi & ignoti venerunt & cœperunt ludere cum Sancto puero *Molua* in conspectu parentum suorum, & ludentes

brevi

brevi intervallo, illi juvenes elevaverũt ſecum in aërem *S. Moluam*, & evanuerunt ex oculis parentum aſpicientium. Tunc pater & mater Sancti *Moluæ* cum ſuis dolebant multùm, neſcientes quid accidit filio ſuo; ſed poſt tres horas illi juvenes, id eſt Angeli Dei, dimiſerunt Sanctum puerum in terram coram ſuis parentibus, & beatus puer lætus mente & vultu erat, & conſolabatur parentes ſuos de viſitatione ſuâ Angelicâ.

ipſe Luanus ab Angelis in aëra ſublimis abductus.

14 Quædam mulier habuit mortuum partum tribus annis in utero ſuo, & nullo modo, nullaque medicinâ potuit illum parere, & magnos dolores inde patiebatur. Illa mulier ambulans quadam die, invenit Sanctum *Moluam* in via, & cognoſcens quod ipſe Sanctus puer *Molua* eſſet; venit ad eum lachrymans, & tenuit eum contra pectus ſuum, rogavitque ut uterum ſuum benediceret; & poſt benedictionem Sancti pueri, ibi illa mulier ſanata eſt à doloribus ſuis, & in ſequenti nocte partum ſuum peperit.

prægnans ejuſdem benedictione roborata, triennem partum enixa.

15 Sanctus Abbas *Comgallus* de Provincia *Ultorum*, venit aliquando in regionem *Mumonienſium*; & invenit *S. Moluam*, in agro dormientem, è via parumper remotum: & ait S. *Comgallus* uni de diſcipulis ſuis, vade illuc & reſpice quod ibi eſt. Juncus jam propinquus ori *Sancti Moluæ* ardebat igne divino, & hoc prodidit eum *Sancto Comgallo*; ille verò Frater excitavit *S. Moluam* de ſomno ad *S. Comgallum*: & videns *S. Comgallus* beatum puerum *Moluam*, ipſe amore ejus repletus eſt; ſcivit enim eum gratiâ Dei plenum eſſe: juſſitque *Sanctus Comgallus Sancto Moluæ*, ut oſtenderet ei parentes ſuos: dixitque *S. Comgallus* Patri & Matri *Sancti Moluæ*: iſtum veſtrum filiolum offerte Deo, & veniat nobiſcum ad legendum & diſcendum: ipſe enim plenus Spiritu Sancto eſt, & multa loca Domino inſtituet, & Pater multorum ſpiritualis erit. Et tunc parentes *Sancti Moluæ*, obtulerunt eum Domino, & recommendaverunt *Sancto Comgallo*, ut nutriret eum Domino. Et perrexit *Sanctus Molua*, cum Sancto Patre *Comgallo* ad Provinciam *Ultorum*, & manſit apud eum in ſancta converſatione multo tempore: & ſigna plurima per eum à Domino ibi facta ſunt, de quibus pauca narrabimus.

ſanctitas Luani revelata S. Comgallo, cui in diſciplinam traditus,

cum eo profectus eſt ad monaſterium Bennchorenſe.

16 Ipſe jam Sanctus Pater *Comgallus* juſſit ei Alphabetum ſcribi, & cœpit docere eum. Quodam quoque die invenit *Sanctus Comgallus* Angelum Dei *S. Moluam* docentem, & explanabat ei literas, & conſolabatur eum omni pietate: & poſteà *Sanctus Molua*, acutus multùm intellectu erat, & ingenioſus in liberali arte; dixitque ei *Sanctus Comgallus*, quodam die colloquentes invicem; poſtulaſti, fili mî, rem periculoſam à Domino: multi enim intellectu & arte liberali decepti ſunt, & inde cauſam habuerunt ruinę. Reſpondit ei *S. Molua*, & dixit; ſi ego haberem intellectum Domini ſemper, non offenderem, & diabolo non conſentirem; qui enim ſunt ſine intellectu, de voluntate Dei agenda non curant, & diabolo non reſiſtunt; ſed vitam ſuam in vitiis perdunt. Cui Pater *Comgallus* ait: fili firmus fide es, & per bonum intellectum tuum viâ rectâ intrabis in regnum æternum.

ubi ab Angelo literas docetur, & in liberalibus diſciplinis multùm proficit;

17 Alio die *Sanctus Molua* cum ſphęram ferream ex igne cum forcipe tenuiſſet, ut in cupam cujuſdam Fratris infirmi daret ad calefaciendam; cecidit ferrum rotundum de forcipe iterum in ignem. Hoc videns *Sanctus Comgallus*, arguit eum multis verbis. Tunc *S. Molua* confuſus, miſit manum in ignem, & reduxit inde ferrum ignitum, & poſuit in cupam, & nec ignis, neque calidum ferrum nocuit ei omninò; & Fratres hoc videntes, gratias Chriſto egerunt.

illæſâ manu tangit ferrũ ignitum.

18 Quodam tempore miſit *Sanctus Comgallus* tres turmas de Fratribus ſuis per diverſas vias in regionem, & illæ tres turmæ, rogaverunt patrem Comgallum, ut *Sanctus Molua* ſecum pergeret; & contendebant turbæ circa *Sanctum Moluam*, volens unaquæque turba eum ſecum habere. Comgallus illis dixit; cum qua turba ipſe vult, pergat. Turbæ exeuntes in vias ſuas, viſum eſt eis *Sanctum Moluam* fuiſſe in comitatu ſingulorum, donec reverſi ſunt. Hoc jam potentia Dei fecit propter ſanctitatem Sancti juvenis Moluæ; & hinc *S. Molua*, poſtea dictus à multis * *puer trium turmarum.*

diverſis ſociis, & locis unâ ſamulatum exhibet;

* *Oilanattf noubhar*

 19 Ambu-

reprehensus jacet in littore marinis fluctibus cinctus, sed intactus.

19 Ambulans aliquando *Sanctus Molua* cum *Sancto Comgallo* in quodam littore juxta mare, increpavit eum unus ex Fratribus in posteriori turbæ parte, & illicò prostravit se *Sanctus Molua* in littore, donec illi de toto litore exierunt. Venientes jam ad terram, volebat *Sanctus Comgallus* loqui ad *Sanctum Moluam*; sed non inventus est in comitatu. Pater Comgallus ait eis; nunquid aliquis ex vobis increpavit eum? Frater ille ait, Pater ignosce mihi, ego argui eum in litore. Ite citius, ait *Comgallus*, & quærite illum. Et redeuntes Fratres, invenerunt Sanctum *Moluam* in littore jacentem, & inundatione maris circumdatum; sed aqua latitudine domus in litore tumens planissimo, suo ritu non accessit ad eum, sed turgebat quasi paries. Hoc viso, vocaverunt eum Fratres ad Sanctum *Comgallum*, & audiens surrexit Sanctus *Molua*, nesciens adhuc se mari circumdatum, & cucurrit intactus aquâ ad Fratres, & venit cum eis gaudens ad Sanctum Comgallum. Illud audiens Sanctus Pater *Comgallus*, benedictiones cum suis Christo obtulit.

* sic vocat locum campestrem, ma-palibus, & vaccis enutriendis destinatum.
* f. vasis.

20 Quodam die missus est *Sanctus Molua*, ut lac * à boceto super equum deferret; sed equus in via sub * vase cecidit, & funda vasorum de loco suo intùs trusa sunt, & lac totum effusum est in terra: Beatus verò *Molua* funda vasorum iterum posuit in locis suis, & vasa implevit aquâ, dicens; vasa vacua ad monasterium non ducam, quia aqua ibi opus est. Et venientes quidam de villa post eum, elevaverunt vasa aquâ plena cum eo super equum; & ipsi narrabant vicinis suis: aquam portat Sanctus *Molua* ad monasterium suum pro lacte. Sed aqua illa nutu Dei conversa est in lac optimum, & qui bibebant de eo, dicebant, quòd sapor mellis in eo esset. Et Angelus Domini venit ad Sanctum *Moluam* quando equus cecidit, & consolabatur eum.

aquam in lac,

21 Missus est alio tempore S. *Molua* ad molendinum, ut moleret quoddam granum, quod non erat triticum, sed nutu Dei per merita Sancti *Moluæ* illud factum est triticum purissimum. Et hoc videns œconomus Sanctus Monasterii Sancti Comgalli, non ausus est comedere illud, jussitque custodiri ad oblationes faciendas ad opus Domini.

& grana quædam in triticea vertit,

22 Dixit Sanctus Comgallus aliquando Sancto *Moluæ*; quare fili unum equum à Præposito, & duc illum paralyticum ad locum, ad quem vult ipse venire. Et occupato tunc Præposito cum equis suis in aliis rebus, dixit Sanctus *Molua* illi paralytico, qui non poterat antè multo tempore se movere de lecto; surge frater, ut ducam te ad locum, ad quem vis ire: volebat enim Sanctus *Molua* illum in humeris suis portare. Statim ille paralyticus sanatus à Domino, ad vocem Sancti *Moluæ* surrexit validè de lecto, perhibens se sanum esse. Et hoc videns Sanctus *Molua*, ait illi: vade sanus in Dei nomine quòcunque volueris ô bone homo: sed si quis interrogaverit te, quomodò sanus factus es, dices ei, quòd Sanctus Pater Comgallus meus in Christi nomine sanavit te. Ille autem homo exiens dicebat omnibus, quòd Sanctus *Molua* discipulus Sancti Comgalli se sanum uno verbo fecit. Et qui hoc audierunt & viderunt, glorificabant Deum in Sanctis suis.

Leprosum sanat.

extinctum cereum, & humidum, flatu accendit.

23 Ibidem in fine cujusdam Sanctissimæ Paschæ noctis, cùm Sanctus Comgallus offerret Deo, Beatus *Molua* tenebat ei candelam in manu sua: dormiente eo verò paulisper,* oppressus somno, candela de manu ejus juxta altare in aquam * consecratam cecidit, & extincta est. Increpans eum Pater *Comgallus*, timensque Sanctus *Molua* multùm increpationem ejus, apprehendit eam extinctam & humidam de aqua, & aspiciens in cœlum, repentè sufflavit eam, & illicò exarsit candela in manu ejus clarâ flammâ coram Clero, quasi nunquam fuisset extincta: & videntes hanc flammam, ipsi inflammati sunt in Christi amore.

* f. & oppressus
* i. Aquam benedictam, sic Hiber-nia à consecratione dictam usque colitcha.

24 Deinde coactus est *Sanctus Molua* à Sancto Comgallo, sacros ordines accipere, & acceptis gradibus, dixit ei Pater *Comgallus*: accipe quosdam discipulos tecum fili mi, & vade ad patriam tuam: ibi enim plura loca Domino ædificabis; acceptâque licentiâ & benedictione Sancti Comgalli & omnium Fratrum, venit *Sanctus Molua* cum aliquibus Fratribus secum, à monasterio Sancti Comgalli claro *Beannchor*, & pervenit ad quendam locum, qui dicitur *Druim-sneachta*: ibique aliquo tempore habitavit, & multas virtutes fecit.

Sacris initiatus, Benchorensi fi us vale dicto habitat in Druim-sneachta, ubi &

25 Illic duo pueri quodam in die, in stagno propinquo cùm natassent, apparuit bestia terribilis valdè, cujus magnitudo

pueros ab immani bestia liberat, quæ nunquam postea comparuit, aut nocuit, ejus jussu cohibita;

gnitudo erat quasi magna scapha. Videns *Sanctus Molua* bestiam venientem ad pueros, vocavit eos de terra, dicens; natate ad me velociter, ut videam quis ex vobis velociùs natat: & nesciebant pueri quia bestia persequebatur se; natabantque pueri velocissimè, volentes probare natationem suam; pervenientesque pueri ad portum, recepit eos vir Sanctus in terra, & illicò post eos percussit bestia portum pectore suo, & fecit magnum sonitum; respicientesque pueri retrò, timuit unus de illis terribilitatem & formidinem illius, & illicò ibi mortuus est; & volens bestia ingredi terram, jussit ei Beatus *Molua* in Christi nomine, ut rediret in lacum, & nemini noceret inde posteà usque ad finem sæculi. Et ab illo die usque hodiè illa belua inde non comparuit, nec nocuit. Dolentes autem amici illius pueri de morte ejus, accessit ad eum Sanctus *Molua*, & suscitavit eum à mortuis coram omnibus; & ipse posteà vixit multis diebus.

& defunctũ ad vitam revocat.

26 Volensque Sanctus *Molua* de illo loco ad suam Provinciam, sicut Sanctus Comgallus sibi dixit, exire, venit Angelus Domini ad eum dicens: si volueris in hoc loco manere, multæ erunt possessiones hujus loci, & tua* provincia hîc magna erit; sin autem, perge ad patriam tuam, sicut tibi Sanctus Magister tuus dixit. Et noluit *S. Molua* in illo loco manere, quia impedimentũ ei faciebant sæculares: sed ipsum locum benedixit, & constituto illic monasterio, venit inde ad sanctam scholam Sanctissimi Finniani in sua civitate Cluain-ir-aird, quæ est in confinio Laginiensiũ & *Nepotum Neill*; in qua schola multitudo Sanctorum Hiberniæ * Divinitatem apud Sanctum Finnianum virum sapientissimum scrutabatur.

* f. rectius *Parochia*

dein ab Angelo instructus, constituto ibidem monasterio scholam adiit *S. Finniani*,

in qua multi SS. discebant Theologiam, quod Phrasi Hibernica est scrutari divinitatem;

27 Quodam die missus est Sanctus *Molua* seminare semen in quadam segete, & illud semen non erat triticum, sed ante tempus congruum illa seges crevit & maturavit & purum triticum fuit. Et de hoc nomen Sancti *Moluæ* apud Sanctũ Finianum, & suam Scholam glorificatum est. Et post aliquod tempus accepit Sanctus Molua licentiam à Sancto Magistro Finniano & suis sanctis Discipulis, & venit ad *Mumoniam*, & lustravit patriam suam, id est, *Nepotes Fidhgenti*, quæ gens est in medio *Planitiei Mumoniæ* usque ad medium montis *Luacra* in occidente, ad australem plagam fluminis *Sinna*. Venitque sanctus Molua cum discipulis suis quodam die ad Ducem *Huafidhgente*, qui vocabatur *Foelanus*, filium *Dima*, de quo supradiximus, quando ipse inebriatus est, tribuente ei Sancto *Molua* in sua provincia liquorem mororum; introiensque Sanctus Molua ad Ducem *Foelanum*, postulavit ab eo locum, in quo monasterium Domino ædificaret. Tunc Dux in alea ludebat, & nihil viro Domini longè respondebat. Cumque Dux diu taceret, quidam Comes de suis dixit ei: quare domine Dux non salutas sanctos Monachos, neque respondes eis: Abbas enim eorum frater noster est, jam oportet nos dare ei honorem: multa enim bona de eo audivimus. Cui Dux respondens, ait; verè saluto illos in corde meo, & in adventu eorum gaudeo: & quod quærit dominus meus Abbas *Molua* mente cogito. Tunc Dux divinitùs inspiratus, dixit Sancto *Moluæ* propheticè; in hac gente tua, Pater *Molua*, locus nominatior tuus non erit, nec etiam resurrectio tua. Videns Beatus *Molua* sanctum Ducem, spiritu prophetico inspiratum, dixit ei: ubi igitur domine Dux, meus major locus erit, & resurrectio mea? Dux ait ei: in confinio jam *Mumoniensium* & *Laginiensium* erit nominatior locus tuus, & resurrectio tua. Multa quoque alia loca in hac patria tua, & in aliis regionibus Domino ædificabis, & quæcunque necessaria tibi fuerint, ministrabuntur à me: & post tempus siquidem ego ipse monachus tuus ero. Ita hæc omnia illis contigerunt.

triticeam segetem è semente non triticea educit;

in Mumoniam reversus,

cùm Foelani ducis vaticinio locum suæ resurrectionis didicisset,

28 Sciens Sanctus *Molua* hoc vaticinium à Domino fuisse, benedixit Duci *Foelano* & genti suæ, id est, *Nepotibus Huafidhgenti*; & venit cum monachis suis ad confinium Mumoniensium & Laginiensium, & primitùs adivit fratres matris suæ in regione *Osraigi*, * quem locum cœpit ædificare. Fratres autem matris Sancti Moluæ duo erant, quorũ unus lætus fuit in adventu sancti Moluæ, & obtulit ei hereditatem suam: alius verò asper fuit, & dolens quòd frater suus hæreditatẽ suam Sancto Moluæ daret: ipse enim pessimus volebat eam habere, evaginavitque gladium suum, & venit cum suis occidere virum Dei, nisi frater ejus cum Domini adjutorio defenderet; & destruxit quod Sanctus

Ossragiam petiit,

* rectiùs *ibiq; locum*

 Molua

ubi avunculo, Cellam ejus demolito, divinam ultionem vaticinatus,

Molua ędificavit ibi. Cellam enim Sanctus Molua in illa hęreditate cœpit, quam ille malignus destruxit. Cui ait Sanctus Domini coram omnibus: priusquam unus mensis implebitur, tu morieris, & hereditas tua post te dissipabitur: & secundum viri Domini vaticinium completum est.

ad montem Smóil pergens,

29 Nolens Sanctus *Molua* illic amplius manere, venit Angelus Domini ad eum, & ostendit ei montem *Smóil*, dicens, adi montem illum: ad radices enim ejus major locus tuus erit, & resurrectio tua in eo. Direxitque Sanctus *Molua* iter suum ad montem *Smóil* (qui mons dicitur mons *Bladhma*) sicut sibi Angelus dixit: & habebat quinque vaccas secum in portionem; & in quocumque loco vaccæ expectabant, illic sanctus cum suis manebat, & quacunque horâ vaccę inde ibant, sequebantur eas Sanctus *Molua* cum suis. Angelus enim Domini apparuit cuidam homini, nomine *Blendeno*, dicens: cras Sanctus Abbas *Molua*, sequens quinque vaccas albas, auribus rubicundis, veniet ad te, & offer illi hæreditatem tuam, quia tu monachus illius eris. Et ita factum est: in illa siquidem hæreditate Sanctus *Molua* Cellam ædificavit, quę dicitur *Ros Buaileadh*.

mon. Rosbualense extruit, fundum dante Blendeno,

30 Et inde Sanctus *Molua* veniens, perrexit ad *Berachum* ducem regionis *Laighse*, quæ est in angulo *Lageniensium*, contra *Mumonienses* & *Nepotes Neill*, & quæsivit ab eo aptum locum monsterii. Tunc filius *Berachi*, Ducis patrię, mortuus est, & nullum responsum dabat: & rogatus Sanctus Molua pro eo, benedixit aquam, & aspersus est ex ea puer infirmus, & illicò coram eo, surrexit sanus. Hoc videns Dux *Berachus*, pater illius, ait Sancto *Moluæ*; ecce offero tibi & Domino istam arcem meam cum agris suis, & construe hîc monasterium. Respondit ei Sanctus *Molua*, dicens: non accipiam arcem tuam regalem, sed trade mihi locum ad Australem plagam montis *Bladhma*, sicut constituit mihi Angelus Domini. Tunc Dux *Laighse Berachus tradidit Sancto Moluæ locum, quem quæsivit*, & constituit ei semper tributum à Duce & Gente *Laighse*. Benedixitque Sanctus *Molua* illum Ducem cum sua prole & gente: & venit ad locum sibi prædestinatum à Domino, & cœpit ibi Monasterium magnum & clarum & famosum ædificare: & constituit Sanctus Molua, ut nulla mulier ibi semper intraret: & ab illo die usque hodiè nulla mulier in illud monasterium audet intrare, magnaque multitudo monachorum hinc & inde venit ad illum locum, & recipiebat eos benignè pius Pater *Molua*. Et in ipso loco clara civitas, quę vocatur *Cluain fearta Molua*, id est, *Latibulum mirabile Sancti Molua*, eò quòd ipse in sua vitâ multa miracula in eâ fecit, & adhuc gratiâ Domini per eum patrantur in honore Sancti Moluæ: & ipsa est in confinio Mumoniensium & Lageniensium inter regiones *Osraighe* & *Heli* & *Laighse*. Et volentes Fratres Sancti *Moluæ* Domum ei in claro loco construere, in primis ait eis; Christus Abbas noster est, ipse jam in hospite recipitur: domum igitur hospitum hîc facite, & meliores de agris vestris in usum ejus tradite. Et sic factum est: & cura hospitum & peregrinorum in illo loco valdè apud Sanctum Moluam agebatur.

& ad eundem montem, Beracho Lagisiæ rege, cujus filium à morte eruit, locum tribuente,

Cluainfertense, in quod nulla mulier intrat

31 Post hæc Sanctus Abbas *Molua* venit cum multis monachis ad gentem suam, id est ad *Nepotes Fidhgenti*: & magnas oblationes de agris, & de substantiis ibi invenit, & Cellas & clara monasteria illic Deo instituit; & non solùm in ipsa regione, sed & in aliis in quibus Congregationes & Officia ordinavit; & multa miracula Sanctus *Molua* in illis locis fecit, & adhuc in eis per eum monstrantur.

aliaque in *Hi-Fidhgente*, aliisque regionibus

32 Quidam conversus & Monachus apud Sanctum Moluam erat, qui nolebat peccata sua confiteri: veniens aliquando Sanctus *Molua* per viam, quæ ducit ad locum, qui dicitur *Tuaim. Domnaich*, fuit prędictus Monachus in comitatu ejus, & ait Sanctus *Molua* illi, juxta crucem, quæ erat in via prope locum illum, id est, *Tuaim*: peccavi verè hodiè, qua confessionem alicui Seniori non feci de his, quæ egi hodiè; me igitur hic sustine modicùm, donec vadam illuc & confitear. Tunc ait ille conversus Monachus, compunctus corde: num est ita grave peccatum non confiteri in hoc sæculo? Nonne satis nobis est, Deum solum rogare pro peccatis nostris? Ait ei Sanctus *Molua*: nisi confessus fuerit homo peccata sua, veniam non consequetur, nisi per magnum pœnitentiæ supplicium hîc à semetipso-

Monachum confiteri nolentem ad fidem sacramentalis confessionis reducit, &

docetque sine illâ reapte præmissâ defunctum, acrem manere accusationem & pœnam.

metipſo, & poſt accuſationem diaboli publicam in futuro per judicium ſuâ pietate donaverit ſibi omnipotens Deus. Sicut enim pavimentum domus ſcopâ quotidiè tergitur, ita anima quotidianâ confeſſione. Hoc audiens Monachus à ſuo Sancto Abbate, promiſit confiteri ſua offendicula, & confitebatur fideliter; & ſanatus eſt ille Frater à ſuâ præteritâ audaciâ, & gaudebant Pater & Fratres.

S. *Molaßium* ab acerbiſſimo ulcere crucis ſigno ſanat:

33 Aliquando vir Dei *Molaiſſi* ulcus peſſimum habuit ſub pectore ſuo, & os ejus contraverſum eſt: & renuit ille medicinam propter magnitudinem doloris, & nimiam acerbitatem. Hoc audiens *Sanctus Molua*, venit ad eum, & dixit ei: ſi mihi licet benedicere pectus tuum, quo torqueris, ô Pater chare? Dixitque ei *S. Molaiſſi*, benedic ſancto ſigno & tuâ oratione tantùm, ſed cave ne tangas illud ullo modo. Et ita benedicens *S. Molua* pectus viri Dei, illicò dolor evanuit ex eo radicitùs, & ſanus apparuit *Sanctus Molaiſſi* ſtatim. Tunc ipſi duo ſancti cum ſuis diſcipulis Chriſto gratias egerunt.

* ſ. *& hic*

Dochonnæ confractum pedem redintegrat, & mortis tempus prædicit:

34 Deambulans quadam die S. Pater *Molua* circa monaſterium, & unus Frater ſecum, nomine *Dochonna* * cecidit in quandam foſſulam, & ibi ſubitò pes ejus in tres partes confractus eſt, & nullo modo potuit ſe inde amovere. Acceſſit ad eum pius Pater *Molua*, & accepit coxam diviſam in manibus ſuis, & conglutinavit os ad os, orans, & illicò ſanatus eſt pes Fratris in manibus, quaſi nunquam eſſet fractus. Et ſurgens Frater *Dochonna* ſoſpes, comminavit ei *S. Molua* & dixit: cave ne in vitâ noſtrâ ulli hoc factum dixeris. In quacunque enim die indicaveris cuiquam, pes tuus erit fractus, & citiùs morieris, ſicut modò tibi contigiſſet, niſi per me Deus te ſanaret. Quod factum eſt: ille enim Frater *Dochonna* poſt plurimos dies colloquens cum quibuſdam Fratribus de S. *Molua*, narravit eis prædictum factum: * ibi illicò pes ejus coram Fratribus fractus eſt, & poſt breve ſpatium obiit, ſicut vir ſanctus dixit. Et Fratres talia audientes & videntes ædificati ſunt in ſuo Sancto Seniore.

* *&*

lupos benigno hoſpitio exceptos cicurat.

35 Quodam die Sanctus Pater Molua ivit videre armentum monaſterii ſui, & vidit propè viam inter arbuſta lupos eſurientes & clamantes in cœlum, & motus miſericordiâ accerſivit illos ſecum, & collocavit in hoſpitio, & lavit pedes eorum, & fecit vitulum occidi & coqui & traditus eſt eis cum omni humanitate: & tale convivium anniverſario more fecit S. *Molua* lupis. Poſteà lupi alacres cœperunt cuſtodire pecora ab aliis lupis & à furibus, & erant quaſi domeſtici cum paſtoribus ſancti, cognoſcentes ſe invicem: & multis diebus poſt obitum S. Moluæ hoc illi lupi faciebant.

* *i. hoſtias in Miſſa conſecrandas.*

perdici crucis ſigno vitam adimit, mox reddit:

* *ipſa*

36 Quodam die Frater quidam *Finanus* * oblationes faciebat in quodam cœnaculo, & Sanctus Pater Molua adjuvabat eum, venitque perdix avis per feneſtram, & abſtulit unam oblationem ſecum in roſtro ſuo: & ſignavit S. *Molua* poſt avem, & * illicò cecidit in terram mortua. Hoc *S. Molua* videns, benedixit illam orans, & ſuſcitavit eam à morte, & cibavit illam piè; ipſa avis poſteà in vita ſua familiaris fuit inter Fratres.

ejus interventu ſol ſeriùs occidit S. Sednæo.

* *ab* redundat.

37 Alio die venit Epiſcopus *Saighir*, nomine *Sedna*, circa veſperam. Hoc audiens S. Pater Molua, occurrit ei dicens, mane Sancte Pater apud famulos tuos hac nocte, quia veſpera eſt. Reſpondit ei Epiſcopus Sedna, verè ſancte famule Dei, non poſſum, quia per fidem meam promiſi civibus meis hodiè pervenire ad Civitatem meam *Saighir*; ſed Deum ora pro nobis, ne deficiat dies donec ad noſtram Urbem perveniamus; confidimus enim in tua Sanctiſſima oratione hoc fore nobis, quamvis eſt contra naturam. Penè enim diæta eſt * ab aliquibus à civitate Moluæ *Cluainferta* uſque ad civitatem *Saighir*. Deoſculantes & benedicentes ſe invicem Sancti, Epiſcopus in viam ſuam exivit. S. Molua orationi ſe dedit, Sol jam lucidus Epiſcopo cum ſuis in via reſplenduit in regione tenebroſa per circuitum, donec in ſua Civitate poſt orationem ſedit. Cives jam civitatis *Saigher* hoc miraculum ſuo Epiſcopo aſcribebant, Sanctus autem Epiſcopus S. Moluæ; & nos ſcimus hoc factum per merita amborum à Domino fuiſſe.

38 Quidam homo captus ab incolis, dimiſſus eſt à rege *Temoriæ*, ut pretium libertatis à bonis hominibus quæreret; ille enim homo divitias non habebat, ſed per fidem ſuam ad quærendum pretium dimiſſus eſt; veniensque ipſe ad *S.* Moluam, invenit eum in agro mittentem ſemen in terra. Audiens jam S. *Molua*

Molua negotium suum, misit manus plenas de semine in sinum * suum, dicens ei: vade, & da hoc Regi pro te. Ipse homo valdè hoc admirans interim, iterum aspiciens in sinum suum, vidit illud aurum pulcherrimum factum in sinu suo. Tunc ille gratias Domino & *S. Moluæ* agens, perrexit ad Regem, & dedit illi aurum. Videns Rex lucidum aurum, dixit ei: quis dedit tibi tale aurum? Ille homo indicans Regi eventum rei, ait ei Rex: vade tu liber à me: hoc verò aurum reporta *S. Moluæ*. Ille quoque lætus rediens, illud fideliter à Rege *Sancto Moluæ* assignavit. Et benedicens S. Molua coram omnibus illud, iterùm versum est in granum. Videntes & audientes hæc, in Christi fide firmati sunt, & in contemptu divitiarum.

* ejus.

grana in aurum versa,

39 Alio die circumiens Sanctus Pater *Molua* Levicianam, invenit retrò Sanctuarium in Leviciana quatuor Fratres volentes ire in peregrinationem, & colloquentes sibi secretè. Quibus ait S. *Molua*: cogitatis verè Fratres mei ire in peregrinationem longè pro Christo; sed dico vobis in Christi nomine, quia modò ubi pedes vestri sunt, ibi sepeliemini. Illi scientes quòd verum foret, stabiles in suo monasterio posteà permanserunt, & illic sepulti sunt, sicut vir Dei prædixit.

quorundam cogitationes, & sepulturæ locum detegit;

40 Beatissimus Archiepiscopus Lageniensium *Moedhog*, qui & *Ædanus* dicitur, voluit ire trans mare in Britanniam ad Sanctum Magistrum David Episcopum, ut interrogaret eum, quem in Hibernia haberet Patrem confessionis suæ. Venitque Angelus Domini dicens ei: noli ire trans mare; scit enim Dominus omnipotens, quia confessio tua sancta & pura est, sed tamen vade ad S. *Moluam* filium *Coche*, & sit ipse pater confessionis tuæ, si aliter non vis esse. Posteà venit Sanctus Archiepiscopus *Moedhog* ad Sanctum *Moluam*, & receptus est honorificè ab eo; fecitque S. *Molua* vitulum pinguem occidi & parari cum aliis cibariis Sancto *Moedhog* & audiens S. Molua quòd Episcopus non comederet carnes, benedixit octo partes carnium, & factæ sunt octo pisces. Et cùm essent appositi coram Episcopo, sciensq; divinitùs quomodò pisces facti sunt, benedixit eas, & iterum fiunt octo partes carnium. Hoc videns S. *Molua*, displicuit ei: alii enim pisces tunc in monasterio non erant. Jam iterùm coram Episcopo & omnibus benedixit octo partes carnium, & illicò factæ sunt octo pisces. Hoc Sanctus Episcopus sumpsit charitativè in Christi nomine pro honore Sancti Moluæ, Deo gratias cum omnibus agens: & Episcopus accipiens Sanctum *Moluam* patrem confessionis suæ, cum gaudio in osculo pacis ad sua reversus est.

deligitur Confessarius à S. Moëdoco Episc.

cujus gratiâ carnes semel, iterumque mutat in pisces;

41 Aliquando S. *Molua* visitavit Sanctum Einenum Abbatem in regione *Kennselach*, non longè à flumine *Berbha*, in monasterio *Ros Mic-treoin*, quod Sanctissimus senex *Abbanus* fundavit, habitantem. Et ille Sanctus Abbas *Einenus*, vir promptus in miraculis fuit; & ipse de una natione natus erat & Sanctus Molua: rediensque Sanctus Molua ad sua, invenit sanctam sororem suam, nomine *Croin*, mortuam super feretrum, & sorores flentes circa eam. Quibus ait S. *Molua*: gaudium æternum sit vobis in cœlis; & ipse orans juxta feretrum, illa subitò surrexit à morte, benedicens omnibus. Et cum se invicem S. *Molua*, & beata sua soror *Croin* salutassent, ipsa elegit remori, & manere in requie cum Sanctis; acceptoque Sacrificio, cum benedictione & oratione S. Moluæ, remigravit ad Christum & dormivit in pace.

S. Enenum, rectiùs *Eminum*, invisit.

S. Croneam sororem ad vitam revocat, iterumque sacrâ communione refectam sinit in pace quiescere.

42 Quodam die Sanctus Senex Molua & duo discipuli ejus secum legentes, subitò ipse contristatus est, & flevit coram eis, & post pusillum gavisus est, & erat hilaris in gaudio. Tunc Fratres interrogantes de causa tristitiæ & lætitiæ, dixit eis: hâc horâ S. Gregorius in Præsulatum electus, & renuens flevit ipse; sed Angelus Domini venit ad eum, & suasit ut acciperet: & ipse ex jussione Angeli lætificatus suscepit; ego secundum Apostolum flevi cum illo flente, & cum eo gaudeo. De tali jam jam divinâ ostensione discipuli gaudebant.

videt in Spiritu S. Gregorium abnuentem, & pòst annuentem suæ in Papam electioni:

43 Ambulans S. *Molua* aliquando in Provincia Lageniensium, Reginam eorum intraverunt dæmones, & vexabant: quæ alligata tribus catenis, adducta est à multis ad S. *Moluam*, ut oraret pro ea. Orante S. *Molua* illicò coram populo dæmones de illa dolentes exierunt, & ipsa invalida erat ad horam post vexationem dæmonum. Et benedicens eam S. Molua, soluta est & læta cum suis, gratias agens Deo & S. *Moluæ*, ad pro-

Lageniensiũ Reginam à dæmonis vexatione sanat.

ad propria rediit. De hoc jam gaudium magnum in illa regione factum est.

44 Berachus Dux *Laighse*, de quo superius diximus, cœnam magnam Regi Lageniensium paravit, & * cervisia, quæ ad illam cœnam parata erat, * amara contigit fuisse, ut gustantes eam homines illicò vomebant: & hoc Duci cum suis multùm displicuit; vidensque ipse Dux pauperem prætereuntem nudis pedibus, portantemque duos ficones in frigore, miratus est, & dixit ei: quare bone homo * ficones in pedibus non habes in frigore? Et quis dedit tibi eos? Respondit pauper, Sanctus senex *Molua* dedit mihi illos, & malè possum ponere immundos pedes meos ubi fuerunt pedes Sancti ejus. Hæc audiens Dux Berachus abstulit ficones & miscuit eos per omnia dolia in quibus erat liquor, & statim valida dulcedo apparuit, comitante eam sanitate. Et hæc videns Dux valdè gavisus est cum suis, glorificans Deum & Sanctum Moluam, & reddidit illi pauperi suos ficones cum magno beneficio.

*[margin: * f. Cervisiam · * ita amaram · * l. calceamenta · Cerevisiam noxiam perficit.]*

45 Quodam die venit S. Molua ad Civitatem S. *Cannici Achadh-bo*; & ibi tres pueri parvuli filii *Darii* miserunt per pietatem manus suas in collum S. Moluæ, & palbabant eum cum palmulis suis, vocantes eum patrem eorum. Admirantes de hoc homines, interrogaverunt quare infantes hoc pariter fecerunt, & volebant prohibere eos. Tunc ait illis S. Molua: finite istos ostendere dilectionem sine dolo per Dei inspirationem: isti siquidem parvuli sancti monachi mei post me erunt in monasterio meo. Et sic factum est.

[margin: filiorum Darii sanctimoniam & monachatum prædicit.]

46 Armentarius monasterii Sancti *Molua* subitò mortuus est, & dolebant de hoc Fratres. Tunc S. *Molua* in alio loco erat. Oeconomus monasterii posuit tunicam Sancti * *Lugidi* super mortuum, & illicò surrexit ille vivus & sanus, & posteà pluribus diebus vixit. Sanctus videlicet *Molua* pridem *Lugidus* nominatus est, sed à matre suâ per pietatem vocabatur *Molua*; & posteà similiter à Sancto magistro suo *Comgallo*, & inde omne vulgus vocat eum *Molua*, & sciunt primum nomen ejus, id est, *Lugidum*.

*[margin: mortuum resuscitat. · * l. Moluæ]*

Puer mutus aliquando, id est, filius *Mael duibh*, adductus est ad Sanctum *Moluam* ut curaret eum. Orans jam S. senior *Molua* posuit tres digitos suos in ore illius, & illicò coram omnibus locutus est, & benedicens omnibus gratias egit Deo.

[margin: muto loquelam.]

47 Sanctus Pater Molua aliquando ambulans in regione * *Na-ndési* invenit ibi in quodam loco luctum magnum. Uxor enim Ducis illius regionis ibi mortua est dolore partûs, & mortuus est infans in utero ejus; & rogatus est Sanctus Molua à Duce & Principibus, magnis præcibus, ut divinam Clementiam pro illa exoraret. Et orans Sanctus *Molua* suscitavit utrosque id est, * Ductricem & filium in utero ejus. Obtulit igitur Ductrix se cum filio suo, Deo & Sancto Moluæ. Dux quoque *Na-nDési* agrum Deo & Sancto Moluæ obtulit, in quo Sanctus Molua Cellam ædificavit, quæ dicitur *Ard-gabhrain*.

*[margin: * l. Desiorum · prægnanti & proli vitam impetrat. · * l. Ducissam]*

48 Sanctus Abbas *Daganus* pergens Romam, duxit secum Regulam, quam Sanctus Molua ordinavit & dictavit monachis suis: & legens Sanctus *Gregorius* Papa illam Regulam, dixit coram omnibus: Sanctus cujus est hæc Regula, circumsepsit sepim circa familiam suam usque ad cœlum. Et mandavit Sanctus Gregorius suam orationem & benedictionem Sancto Moluæ; & de hoc Sanctus Molua gaudens gratias egit Deo.

[margin: ipsius Regula approbata à S. Gregorio Papa.]

49 Cum aliquando Sanctus Molua venisset ad locum qui dicitur *Tuaim-Dombnaigh* invenit ibi puerum juxta vitulos offerentem ludo puerili, & habebat oblationem de limo. Hoc videns Sanctus Molua benedixit illam oblationem, & illicò versa est in panem tritici & de manu illius Sacrificium in nomine Domine tunc accepit, ipse jam puer posteà gratia Dei de die in diem repletus est & Sanctus Episcopus tandem factus est, qui est Dochonnu filius Mailansii.

[margin: ad ejus benedictionē lutea hostia in manu S. Dachonnæ pueri versa divinitùs in triticeam, & forte consecratam.]

50 Unus de dentibus Sancti Moluæ in sua senectute cecidit; & ait ipse Fratri sibi ministranti: hunc dentem, fili, diligenter custodi: erit enim dies quando necessarius erit: & ne sepeliatur mecum. Quod post multum tempus completum est. Nam post obitum Sancti Moluæ quidam monachi venerunt ad Hiberniam quærere Reliquias Sanctorum Hiberniæ: & cùm venissent ad Civitatem *Cluainferta* petere de Reliquiis Sancti *Moluæ*, noluit populus scrinium aperire Reliquiarum Sancti Moluæ: videns ille Frater anxietatem monachorum & populi, indicavit eis de illo

[margin: dens Sancti Moluæ datus monachis advenis Reliquias Sanctorum Hiberniæ corrogantibus.]

dente,

dente sicut suprà diximus; & utrique lætati sunt inde, & datus est ipsis ille deus secundum suam petionem.

51. Aliquando Sanctus Molua venit ad Sanctum *Daganum* Abbatem salutandum, & interrogavit Sanctus senex Molua Daganum, quis esset in loco suo post se? Et prædixit prophetice Sanctus *Daganus* dicens, Beatus *Lachtanus* sedebit in sede tua post te. Et hoc placuit Sancto *Moluæ*. Et dixit Sanctus *Daganus* venerabili seni *Moluæ*: Pater Sancte, da benedictionem tuam super me & locum meum: scimus enim quia vis post breve tempus ad Christum migrare. Respondit Sanctus senex *Molua*: de supernis benedictio tua semper erit. Posteà orantes, & benedicentes se invicem in osculo pacis, Sanctus Molua ad sua reversus est; Sanctus autem *Daganus* in loco suo, qui dicitur *Achadh-dagain* mansit.

Dagani Episcopi vaticinio discit S. Molua successurum sibi S. Lactanum.

52. Sciens Sanctus senex Molua diem remigrationis suę proximum fuisse, collectis monachis suis ante se, præcepta divina mandavit eis, & inter cætera dixit: Charissimi Fratres bene colite terram, & bene laborate, ut habeatis sufficientiam cibi, & potus, & vestitus: ubi enim sufficientia erit apud servos Domini, ibi stabilitas erit, & ubi stabilitas in servitio divino fuerit, ibi religio erit: finis autem veræ religionis, vita æterna erit. Filii mei charissimi, sit apud vos stabilitas, sit congruum silentium; peregrinos curate, propter orationem laborem manuum diligite, hospites semper propter Christum recipite, vacate semper orationibus mane, posteà lectionibus, inde operamini (sic ipse dividebat diem in tres partes) usque ad vesperam, vacantes ad opera Dei & alias necessitates.

morte appetente dat suis monita salutaria,

53. Post hæc & alia monita venit Sanctus *Molua* ad Sanctum *Cronanum* in Insula *Cre* tunc habitantem, ut salutaret eum priusquam migraret de hoc sæculo: & indicans Sanctus *Molua* Sancto *Cronano* obitum suum prope esse, Communionem corporis & Sanguinis Christi accepit ab eo: & in osculo pacis deinde post orationem & benedictionem lachrymosam inde datam, Sanctus Molua ad suum monasterium *Cluainferta* cum suis reversus est. Cum declinasset Sanctus Molua ad quandam Cellam parumper de via remotam, quæ dicitur *Tuaim-domhnaigh*, sedit ipse lassus in via in orientali plaga * gronnæ; grorma * jam magna est inter insulam *Cre* & Civitatem *Cluainferta*. Et dixit *S. Molua* cuidam sancto viro nomine *Stellano*, qui erat unus de discipulis suis: si quis viderit familiam cœli & terræ simul, ad quam debet ire? Respondit ei Beatus *Stellanus* dicens, verè ad familiam utique cœli. Da mihi igitur fili charissime Sanctum Sacrificium, inquit Sanctus Pater *Molua*; quia video familiam cœli ad exitum paratum meum, ut pergam cum illis. Et ibi accipiens Sanctissimus senex *Molua* Dominicum Sacrificium de manu discipuli sui *Stellani* * 2. *Non. Aug.* emisit spiritum, & migravit inter choros Angelorum ad Jesum Christum: cujus corpus portatum est ad prædictam Cellam, id est, *Tuaim-domhnaigh*, & erat ibi per aliquot dies. Contentio enim fuit inter *Lagenienses* & *Mumonienses* circa Reliquias Beati Moluæ. Mumenienses volebant habere, eò quòd ipse de gente eorum esset natus, & in suâ Provinciâ monasterium & Cellas habuit; & in terra eorum, quamvis in extrema parte, migravit. Lagenienses verò beatum suum corpusculum ducere ad Civitatem suam *Cluain-ferta*, quam ipse constituit in Occidentali termino regionis, dono Berachi Ducis *Laighsi*, ut sepeliretur in ea. In illa contentione Angelus Domini venit ad quosdam viros, & dixit eis: ponite corpus Sancti in plaustro, duosque boves indomitas in eo, & dimittite eis ire quocunque ire voluerint. Et concordantes de sententia Angelica utrique, ita fecerunt. Boves autem nutu Dei perrexerunt iter ad supradictam Civitatem *Cluainferta*, & steterunt in plaustro ante ostium monasterii. Et illicò quidam vir Sanctus & sapiens nomine *Manchenus*, venit ad plaustrum & posuit oculum suum cruentatum, penè tractum extra caput, ad corpus Sancti *Moluæ*, & statim sanatus est ac si nihil ei unquam noceret. Posteà à multitudine Sanctorum corpus beatissimum Sancti senis *Moluæ* cum honore debito traditum est humo, in loco ædificato in suo monasterio, quod ipse de agro construxit ubi clara Civitas crevit, in qua Christi gratia in signis & prodigiis juxta reliquias Sancti Moluæ per seculum apparet.

Corpus Dominicum accipit de manu S. Cronani,

* *Gronna, terra quædam montana & humida est ex qua effodiuntur glebæ in ignis pabulum*

* *al. enim.*

dein à S. Stellano, paulò post defuncti animam Angeli cœlo inferunt.

* *id est, pridie*

Contentio de Sacri corporis thesauro oborta,

Sedata est, indomitis bubus illud sponte deportantibus Cluain fertam;

ubi ad ejus contactum S. Mancheni oculo repentè curato,

& exequiis, assistente Sanctorum multitudine, peractis, terræ creditum, miraculis clar

54 Angelus Domini bis in hebdomada, id eſt, in Dominica & in feria quinta, ſemper veniebat ad Abbatem *Munnu*, qui eſt in monaſterio ſuo *Techmunnu*, in Auſtrali plaga Lagenienſium, quæ dicitur *Keanſea-lach*: & non venit in hebdomada, in qua Beatus Molua ad cœlum migravit. Et oſtenſum eſt divinitùs Sancto *Munnu* quòd per ſeptem dies poſt exitum Sancti *Moluæ*, exultatio & ingens lætitia in cœlo erat, & pœnæ * inferni relevatæ ſunt, & tenebræ à multis locis in terra fugatæ; & dolores per orbem mediocres effecti ſunt, & plures ex eis evaſerunt. Et poſt hebdomadam veniens Angelus Domini ad Sanctum *Munnu*, interrogavit eum Sanctus *Munnu*, dicens: quare ſolito more his diebus non veniſti ad me miniſter Dei mei? Reſpondit Angelus, dicens, quia hoſpes venerabilis his diebus ad cœlum migravit, id eſt, *Molua* filius *Coche*, & ideò non venerunt Angeli his diebus ad Sanctos Hiberniæ viſitandos: familia enim cœli his diebus elapſis in adventu ejus ſimul gaudebant. Sanctus *Munnu* ait; nunc apparet quoniam ipſe plus voluntatem Dei præ omnibus nobis complevit. Sed tu vade ad Dominum, ut ſciam pro qua cauſa charius fuit, in adventu ejus gaudere, quàm ad me venire. Exivit Angelus, & poſt breve ſpatium rediens, dixit: hæc eſt * quæſtio tua: nullius hominis unquam facies à Sancto *Molua* erubuit: mitis enim erat ad omnes, & ſervos Dei monachos cum omni lenitate & pietate tractabat, & cum manſuetudine ad rationem corripiebat: tamen tu lætus eſto: ſimilem enim honorem invenies in cœlo, quia pœnam in hoc ſæculo denuò uſque ad mortem tuam patiêris. Et feriâ quintâ proximâ percuſſus eſt leprâ Sanctus Dei *Munnu*, à planta pedis uſque ad verticem capitis: & ita permanſit per viginti annos uſque ad mortem ſuam, & ſanctitas ejus in ſua vita ſatis invenitur deſcripta.

animam verò ingenti ſuperûm lætitiâ acceptam, ab Angelo didicerunt S. Munnu.

* l. Turgatorii

* l. quæſtionis ſolutio.

in MS. mendosè ſanitas.

55 Item Sanctus *Gregorius Papa* Romæ in die exitus Sancti Moluæ audivit choros Angelorum ſua carmina canentes, qui ſuaviter dicebant: Sancte Pater *Molua*: tua ſancta merita non tacebo. Et hæc verba Sanctus *Gregorius* mandavit ad Hiberniam per Sanctos viros transferri. Beatiſſimus noſter patronus *Molua*, exemplo Chriſti Apoſtoli, bonum certamen certavit, curſum conſummavit, fidem ſervavit, proinde coronam vitæ æternæ accepit à Domino noſtro Jeſu Chriſto, quem cum Deo Patre & Spiritu Sancto honor & gloria manet in ſæcula ſæculorum Amen.

& S. Gregorius Papa.

S. MOCHOEMOGI
SEU
PULCHERII
ABBATIS
ET
CONFESSORIS
VITA,
AUTHORE ANONYMO ÆQUÆVO.
Ex MS. Cod. Ardmachano.

1 BEatissimus Abbas *Mochoemogus* de Provincia *Connachtorum*, scilicet de gente *Conmaicne*, paternam originem duxit, cujus pater patriam suam deseruit propter inimicitiam, & venit ad regionem *Mumeniæ*, & habitavit in terra *Hua-Conuill-gavra* cum suis, in Plebe, quæ dicitur *Corcovaiscenn*. Ipse honorificus artifex in lignis & lapidibus erat, & audax in militia, cujus nomen *Beoanus* dicebatur. Ipse amavit quandam pulchram fœminam, multùm pudicam & ingenuam de *Mumenia*, videlicet de gente * *Na-ndesi*, quæ erat soror Sanctæ Virginis *Ita*. Ipsa fœmina vocabatur *Nessa*, quæ volebat vivere in castitate in ævum, sicut Sanctæ Virgines, quæ anteà virum nesciebant. Sed Sancta Virgo *Ita* sua soror eam dedit *Beoano* in uxorem, egregio artifici. Beata enim *Ita* Dei Prophetissa hoc sciebat nutu divino esse.

Beoanus artifex è Conmacnensium Connaciæ

* *I. Desiorum*

& *Nessa* è gente *Desiorum Momoniæ*, pii conjuges, aliquandiu infœcundi,

2 Quodam tempore Beoanus artifex quoddam prçclarum in Monasterio Sanctæ *Ita* construxit ædificium, quo peracto, ait ei Sancta *Ita*; pete pretium magister quod vis pro tuæ artis labore. Ille ait; promitte mihi in Christo, Sancta Mater, quod petam. Et promisit ei virgo quidquid petiisset. Tunc *Beoanus* ait ad sanctam Dei; scis tu pia mater quòd tua soror, uxor mea sterilis est, & hæredem non habemus; roga ergo Deum pro nobis, ut filium habeamus. Ait ei sancta virgo: habebitis jam filium, coram Deo & hominibus electum: quod vaticinium post tempus completum est.

cum de gignenda prole mascula per *S. Itam* jam assecurati essent,

3 Rex quidam crudelis nomine, *Crunn-moel* de Australi parte *Hua-Conaill*, multùm offendebat gentem, quæ dicitur *Corcobhaiscenn*, & venit aliquando cum multo exercitu devastare illam plebem, & fecit cædem magnam in militibus sibi resistentibus, inter quos *Beoanus* artifex decollatus est. Uxor autem sua, adhuc erat sterilis, & non habebant hæredem; quæ venit ad stragem cum suis quærere cadaver mariti sui. Inveniens jam caput, corpus cognoscere non potuit; quod duxit secum, & ostendit Sanctæ *Ita* sorori suæ, flens & dicens: non hoc, chara soror, promisisti nobis, dicens, quòd iste dimitteret filium post se, & ecce vulva mea sterilitate clausa manet, cùm ipse sit occi-

ille in prelio capite truncatus occubuit;

sit occisus. Cui ait Sancta *Ita*: Noli soror flere, potens est Deus nos adjuvare, & meum promissum implere. Vade igitur, & compone caput ad corpus suum. *Nessa* soror sua respondit Sanctæ *Itæ*; utique non possumus corpus ejus agnoscere in magna occisorum strage, præ nimio sanguinis cruore. Ait Sancta Virgo: voca eum nomine suo ter in memoria Sanctissimæ Trinitatis, & surget, & ad te veniet, & superponens ei caput, dicet tibi: ô mulier, quid clamasti me? benè enim habui. Et secundum hoc præceptum fecit fœmina, & ille valens animo & corpore sano & integro, perficiens Dei potentia, ait ad uxorem suam quod prædixit Sancta Prophetissa *Ita*. Deinde ipse & sua conjux simul perrexerunt, & venerunt ad Sanctam *Itam*, gratias Deo agentes & genua curvantes. Dixit ei Beata *Ita*: vis remanere amice in hac vita, an ut nunc ad cœlum pergas? Respondit ei *Beoanus*, dicens: pro nihilo hunc totum mundum computo, velut fimum in comparatione gaudii æterni. Tunc ait ei Beata *Ita*: bonum est tamen, ut præmium quod promisi, tibi reddatur. Ibi Sancta *Ita* lavit eum aquâ, & posteà nullum in eo vulnus inventum est, & benedixit eum, & consecravit, & misit eum cum uxore sua in domum suam. Et ipse *Beoanus* dormivit cum uxore sua, & aperiens Dominus vulvam ejus, ipsa filium, plenum Dei gratiâ & venerabilem, concepit.

sed interventu S. Itæ redditus vitæ,

quam cum toto mundo flocci deinceps fecit,

filium genuit expectatum, quo gravidam Nessam.

4 Tunc temporis Sanctus *Fachnanus*, sapiens & probus, aliquo eventu factus est cæcus, & nihil videbat. Ipse Sanctus in Australi Hiberniæ plagâ, juxta mare in suo monasterio, quod ipse fundavit, ubi crevit civitas, in qua semper manet magnum studium Scholarium, quæ dicitur *Ross-alithre*, habitabat; ubi jam S. *Fachnanus* fudit ad Dominum orationem, ut ostenderet sibi medicinam, quâ lumen oculorum reciperet suorum. Deinde Angelus Domini venit ad eum, dicens: non poteris sanitatem oculorum invenire tuorum, nisi oculos & faciem tuam laveris lacte uberum uxoris *Beoani* artificis; quæ enim nunquam peperit, sed dono Dei modò sanctum habet in utero conceptum; & hæc Angelus dicens, abscessit. Sanctus autem Dei *Fachnanus* non cognoscebat *Beoanum* artificem, & nesciebat in qua regione Hiberniæ ipse habitabat, & non indicavit ei Angelus. Et ait ad suos sanctus; scio quid faciam, ibo ad Dei Prophetissam Beatam *Itam*, & ipsa mihi indicabit quæstionem meam. Et direxit ad Sanctam *Itam* iter suum, viâ quinque dierum: & cùm intraret plebem *Corcobhaiscenn*, audierunt discipuli ejus homines in quodam molendino *Beoanum* nominantes artificem: & ipsi eos interrogaverunt, si cognoscerent illum *Beoanum* artificem, vel si scirent, ubi ipse habitabat. Tunc unus illorum ait eis: videtis illam mulierem, ad villam euntem? Respondentibus illis, videmus; ait eis; ipsa est *Beoani* uxor artificis. Currit tunc illorum unus post illam, dicens ei: expecta fœlix fœmina paulisper, donec Sanctus Senior noster veniat, qui te vult salutare. Illa stetit in loco, dicens: verè magna est mihi fœlicitas, quòd vult me Christi famulus salutare. Sanctus jam veniens *Fachnanus* interrogavit illam, si ipsa *Beoani* artificis uxor esset? Illa respondit suo more sobriè & pudicè: ego sum, Domine. Sanctus ait: habesnè in utero conceptum? Ait ei: Dominus Deus suâ bonitate mihi sterili concessit habere. Tunc Sanctus, indicans seipsum suo nomine, ei narravit quæ sibi acciderant. Beata fœmina ait ei: Domine, ubera mea non dant adhuc lac. Sanctus ad eam inquit: in nomine Sanctissimæ Trinitatis, & per tui sanctitatem partûs, mulge ea, & pro re certâ lac dabunt. Illa agens juxta viri Dei verbum, sua uberâ ubertim lac fuderunt. Lavans igitur Sanctus lacte uberum *Beatæ Nessæ*, uxoris Beoani artificis, oculos suos, ibi illicò lumen recepit suum, & videns lucidè cœlum & terram, gratias egit Deo suo; & benedixit illam fœminam, & suum conceptum, & commendans per eandem fœminam *Neßam*, orationem suam & benedictionem Sanctæ *Itæ*, reversus est gaudens in Christo cum suis ad monasterium suum.

S. Fachnanus Rosalitrensis, tum cæcus,

Angelo monitore adit,

ex ejus lacte orbes lavat, & mox visum recuperat.

5 Cum *Beata Neßa* partui proxima esset, venit cum suo marito ad monasterium *S. Itæ*, alloquentes eam; & cum reversi essent, tenuerunt dolores partûs *Nessam*, & sedit in curru; cumque *Sancta Ita* sonitum currus audivisset, ait suis: sub rege sonat iste currus: videte sub quo currit. Nunciirevertentes ad Sanctam Dei, dixerunt: soror tua *Nessa*, sola sedet in curru. Sancta ait:

Nascituri infantis sanctitatem prædicit S. Ita,

verè ſub rege ſonat, quia filius, qui in utero ejus eſt, in regno cœli, Dei gratiâ, magnus ſedebit. Veniens illa ad domum ſuam, peperit filium, gratiâ plenum: & craſtino die nuntiatum eſt S. *Itæ*, quòd ſoror ſua *Neſſa* parturiiſſet filium. Et ſancta multùm gaviſa eſt, dicens: unde meruit *Beoanus*, ut haberet talem filium, qui coram Deo & hominibus magnus erit, cujus memoria erit in æternum? Et addidit, dicens: ipſe erit pulcher & ſenex; inde dederunt ei nomen primum *Coemgenus*; ſed hoc nomen evertit ipſa Sancta Dei, vocans eum per dilectionem nomine, quo vulgò nominatur, id eſt, *Mochoemogus*, quod latinè dicitur *meus pulcher juvenis*.

& nato novum nomen imponit *Mochoemoc*:

6 A fonte jam baptiſmatis gratia Dei in ſignis & prodigiis cum eo apparuit. Quodam ſiquidem die mater ejus pergens foràs, reliquit filiolum ſuum in conclavi ſolum dormire; retrò autem aſpiciens, vidit globum per domum igneum ſursùm aſcendere. Celeriter recurrens ad domum, & clamans, ignis evanuit, & nullo modo apparuit, ſed invenit parvulum vultu hilarem, formâ rubicundâ; ut nec poſſet videre vel attingere eum. Hoc modo oſtenſum eſt matri ſuæ. Omnes hoc videntes vel audientes non dubitabant ſanctum infantulum igne Sancti Spiritus viſitari.

infantulum cœleſtis flamma illuſtrat,

7 Poſt hæc pater & mater ejus ad S. *Itam* venerunt, dicentes: gratia Dei, ô Domina, in tuo puerulo, noſtro filiolo, mirabiliter apparet, & non eſt conveniens noſtris moribus carnalibus, & non poteſt nobiſcum habitare, quia nos ſumus carnales, ipſe verò ſpiritualis. Quibus *Ita* ait: ducite illum huc: me enim oportet nutrire eum: & per viginti annos beatiſſima Abbatiſſa *Ita* in moribus honeſtis, ſcientiaque literarum nutrivit eum Deo, nominans eum nomine quo ſuprà diximus, *Mo-choem-og*, ut ſacerdos fieret & locum Deo ædificaret. Et prædixit ſancta Dei quòd in loco in quo Sanctus *Mo-choemog* ad cœlum migraret, civitas in honore ejus creſceret ibi. Sanctus *Mochoemog* ait ei: fiet pia mater, ſicut tu dicis. Tunc cum benedictione & licentiâ parentum ſuorum & glorioſæ nutricis ſuæ *Itæ*, quæ ſua matertera erat, acceptis quinque diſcipulis ſecum, in Aquilonarem *Hiberniæ* plagam, id eſt, in Provinciam *Ultorum*, ad Sanctum Abbatem multorum monaſteriorum *Comgallum*, Sanctus Mochoemogus perrexit. Sanctus jam *Comgallus* accepit eum cum lætitia, & apud ipſum non poſt plurimos dies Sanctus *Mochoemog* ordinatus eſt Sacerdos.

à pueritia ad 20 æt. annum moribus, literiſque imbuit *S. Ita*,

quà annuente adit *S. Comgallum*,

apud quem brevi pòſt initiatus Sacerdos,

8 Quadam die *Comgallus* & S. Mochoemogus ſimul orantes, Prior monaſterii ſui, in quo tunc erant illi, venit ad eos dicens, miror multùm, amici Dei, viſionem, quam Dei conceſſione jam vidi in via, quâ veniebam, & inde timore & horrore mea mens turbatur: unum enim dæmonem ſuper Caſtellum regis quaſi in otio ſedentem vidi; multitudo autem maxima ſupra circuitum hujus noſtri monaſterii dæmonum, quaſi parata ad prælium, conſtat atrociter. Gratia jam Dei illi Priori oſtendit hanc viſionem, ſed ſpecies ejus immutata eſt timore & horrore dæmonum. Tacens adhuc Sanctus Pater *Comgallus*, ait *S. Mochoemogus*: ſurgamus Pater, & agamus Deo gratias, quia Fratres ſervitium Dei tenent, & in nos iniquum ſurgit odium, quando diabolus multitudinem dæmonem ad locum noſtrum congregat. Ubi autem diabolo ſervitur, unus dæmon ibi in otio videtur, quaſi præpoſitus expectans ſervitium ſuum: illuc enim mittit rex milites ſuos in armis bellicoſis, ubi contra eum fortiter pugnatur; ubi autem pacem habet, illuc tantum nuncium mittit: ita jam agit diabolus contra reſiſtentes ſibi. Tunc ait Sanctus Senior *Gomgallus*: Veraciter, fili, quod Deus ſervo ſuo oſtendit, expoſuiſti. Ait ei S. Mochomoemogus: ſurge Pater, & arma ſpiritualia noſtra fortiter teneamus, & oremus ad Chriſtum, ut videant Fratres virtute Chriſti dæmones hinc fugientes, & ut ipſi in Chriſtum nobiſcum confidant, hoc videntes cum Priore ſuo. Tu circunda monaſterium à ſiniſtra, ego autem à dextra; & projiciamus dæmones, imperantes eis in Chriſti nomine, ne huc iterum ſe congregent uſque ad diem judicii. Sic agentes Sancti, multi viderunt dæmones * ſcurriles in fugam, & pervenientes ad Caſtellum regis, ſederunt ibi quaſi in præſidio. Fratres hoc videntes, & * deinde audientes multum firmati ſunt in Chriſto. Illud Caſtellum, *Rath-teambain* vocatur, in quo erat rex *Ultorum*: monaſterium autem vocatur *Beannchor*, in quo & in Cellis

eiuſdem viſionem pulchrè interpretatur,

& dæmonum acies, adjuvante S. Comgallo, abigit à mon. Benn-chor,

* f. *currentes*

* f. *alii*

ſub quo 3000 monachi degebant:

Cellis sub *S. Comgallo* tria millia monachorum fuisse perhibentur.

9 Postquam hoc vidit Sanctus Pater Comgallus, dixit ad B. *Mochoemogum*: fili, Patrem aliorum oportet te esse; & locum Deo ædificare, ubi ipse tibi annuerit. Et missi sunt simul hi Patres cum suis discipulis à *S. Comgallo*, ut in diversis locis per Hiberniam, Christi famulos nutrirent: id est, S. Mochoemogus, & Beatissimus *Lachtanus*: qui fundavit egregium monasteriū *Achadh-ur*, id est, *Ager mollis viridis*, propter humiditatem rivulorum, qui transeunt ibi, & multa alia sancta loca ab eo constructa sunt; & *S. Molua* filius *Coche*, *S. Finnbarrus*, & *S. Luctigernus*: hi omnes probati inventi sunt in Christo Jesu.

dein quo tempore emissi à *Comgallo* ad construenda per Hiberniam monasteria SS. *Lactanus*, *Molua*, *Finnbarrus*, & *Luctigernus*;

Sanctus quoque Mochoemogus cum monachis suis ad locum *Enachtruim*, qui est in monte *Bladhma* in regione Lageniensium venit, & cœpit ibi Cellam ædificare. Quidam verò sæcularis homo venit ad eum, dicens: noli hîc incassùm laborare, quia locus iste tuus non erit. Cui *S. Mochoemogus* dixit: hic jam manebo donec quis manum meam trahens, me vi expellendo teneat. Tunc ille tenuit manum viri Dei, volens expellere eum. Ait ei *S. Mochoemogus*: quo nomine vocaris ô homo? Ille ait; *Bronach* est nomen meum, quod latinè dicitur tristis. Cui dixit vir Sanctus: congruum tibi nomen habes, quia hîc & in futuro tristis eris: tu hinc jam Dei nutu & generatio tua à Duce hujus regionis eris expulsus; ego verò ero in hoc loco donec vir Dei, Coemanus nomine, ad me veniat; cui dimittam hunc locum qui erit agnominatus ex hoc loco, cujus resurrectio erit hic. Ille homo, audiens talem prophetiam, & sciens suum reatum contra Ducem, sine pœnitentiâ post injuriam factam in ira recessit, & illicò contigerunt ei omnia quæ prædixerat vir Sanctus. Et cùm Beatus *Coemanus* ad *S. Mochoemogum* illuc venisset, dimisit ei locum illum: qui mansit ibi in magna sanctitate usque ad obitum suum. Sanctus verò Mochoemogus ad regionem *Mumeniæ* perrexit.

Mochoemogus quoque cum sociorum globo expeditus, *Enachtruimense* monast. exstruit, quod posteà cessit S. *Coemano*

10 Veniens siquidem S. Mochoemogus ad Orientalem plagam *Mumeniæ*, quæ dicitur *Eile*, contra Occidentalem terram *Laginensium*, quæ *Ossraighi* nominatur, accepit ibi locum, qui vocatur *Cluain-mor*. Demùm vir Sanctus *Mochoemogus* perrexit salutare quemdam potentem dominum, nomine *Coemanum*, manentem propè in suo Castro, quod dicitur *Rath-teambnain*. Ille vir religiosus & fidelis erat, & Ecclesiam habebat in suo Castello, qui benignè suscepit virum Dei, & honorificavit eum. Manens itaque Sanctus vir in quodam noctis spatio in illa Ecclesia, uxor *Coemani* respiciens foràs de solario, videt Ecclesiam muro igneo circundari omni parte; & vocavit virum suum, & vidit ipse similiter. Tunc intellexerunt, se mirabilem hospitem habere, & * ipse visitatione Angelorum * stans in Ecclesia visitari: & mirantes reversi sunt, & Deo gratias egerunt. Crastinâ autem die vir ille dixit ad Sanctum Mochoemogum: domine scimus, quia homo Dei es, & multi venient ad te, & non poteris spatiosum in hac plebe meâ angustâ locum invenire; sed ambo eamus ad dominum meum, Ducem regionis *Eile*, ut det ipse tibi locum aptum & spatiosum. Et hoc placuit viro Dei.

dein ipse in regione Eliæ Cluain monast. accepit: inde ad Castrum *Rath-teamb-nain* progressus, dum ibi orat in Ecclesia, hæc apparet muro igneo circumsepta:

* f. *ipsum* * f. *stantem*

11 Antequam ipsi venissent ad Ducem, suus magus dixit ad Ducem: vir quidam ad te, domine, hodiè veniet, & si permiseris eum habitare in hac regione, potestas hujus terræ continget ei, & potens erit, & dominus tuæ regionis semper. Dux dixit ad Magum; si ipse in armis venerit ad me, fortiter resistam ei; sin autem mitis Prædicator Christi, cui credidimus, simpliciter venerit, mihi placet. Posteà *S. Mochoemogus* cum suo ductore ad Castrum Ducis pervenit, & Dux videns eum, lætus multùm in adventu ejus effectus est, genua flexit ad pedes sancti. Dux verò audiens Sanctum *Mochoemogum*, repletus Spiritu Sancto, ait: Serve Dei vivi, ecce offero tibi arcem meam regalem cum omnibus, quæ in ea sunt, & cum agris suis. Cui vir Sanctus ait; gratias Deo agamus pro bonitate tua, cultor Christianæ fidei; sed tamen hîc non ero, neque Castrum tuum accipiam: sed quære mihi aptum locum in deserto; quia plus mihi placet. Post hæc Dux ait; habeo quemdam in deserto locum, valdè secretum, magnâ & densissimâ silvâ consitum, juxta grunnam stagni *Lurgan* positum, & ipsum tibi & Deo offero cum terminis suis, si placet tibi. Et hoc Sancto Dei multùm placuit. Et jussit Dux subulco suo, qui bene sciebat deserta loca, ducere Sanctum

pòst, recusato Ducis Eliæ Castro, prælegit silvosum recessum, vicinum lacui *Lurgan*.

quò cùm ducente subulco,

tum dei cum discipulis suis ad prædictum locum qui renuit dicens; non possum ire domine cum eo quia plurimi porcorum meorum desunt, quos debeo quærere, nesciens quid illis accidit: cui sanctus ait, Veni mecum, & cum reversus fueris invenies porcos tuos omnes quos quæris in platea hujus Castri incolumes; subulcus jam credens verbis Sancti lætus perrexit cum eo, & cum reversus esset, cum benedictione, porcos suos, sicut dictum est sibi, invenit.

quem de inveniendo, qui ex errârat grege, assecuravit,

pervenisset, locum suæ resurrectioni destinatum indicio sponte sonantis ibi Cymbali agnoscens,

12 Cum jam pervenit Sanctus Mochoemogus ad illum locum Cymbalum suum clarè sonuit; veniens enim à nutrice sua Sancta Virgine *Ita* Sanctus vir Mochoemogus, ipsa Cymbalum parvum dedit ei, dicens; hoc Cymbalum mutum erit donec pervenies fili ad locum resurrectionis tuæ; ibi autem clarè sonabit; audiens autem vir Dei vocem cymbali sui, gaudens Christo gratias egit, sciens se resurrecturum ibi. Illicò Sanctus Mochoemogus invenit illic sub umbra cujusdam arboris maximum Aprum setis suis valde canum, qui deponens feritatem suam mansuetus stetit ante Sanctum Dei, tunc ad discipulos suos ait Sanctus; sicut est color Apri istius ita erit nomen loci hujus in æternum. Canus enim Latinè, *Liath* Scoticè dicitur, & nominatur ipse locus Hibernicâ linguâ eodem nomine, id est, *Liath*. In primis triduano jejunio S. Mochoemogus ipsum locum Deo consecravit. Visitatio Angelorum antè frequentabat ipsum locum, quod ostensum est sancto Episcopo *Colmano*, filio *Dare*: ipse enim erat in suo monasterio quod Scoticè dicitur *Daremor*, id est *Nemus magnum*, & est positum in confinio * *Muminensium*, & * *Laginensium*; sed tamen positum est in regione *Muminensium*, in regione scilicet *Ele*: qui Colmanus Episcopus de gente regali * *Mumeniæ*, id est, de *Eoganacht* natus est. Quidam ex Fratribus ejusdem Episcopi perlustrans prædictam silvam antequam illic venisset S. *Mochoemogus*, detulit inde dulcia poma secum, & dedit ea Sancto Episcopo: interrogans eum Episcopus, unde attulit poma, ille inquit: de illa silva attuli tibi domine. Tunc ait S. *Colmanus* Episcopus: multitudo Angelorum descendentium & ascendentium sæpius mihi de illa silva apparet, quasi examen apum; ibi jam erit magnus de familiâ Domini exercitus. Ille ait: da mihi, Pater, licentiam eundi illuc, & manendi illic. Ait ei S. Colmanus: vade in pace, & si potueris ibi habitare, vadam ipse ad te, ut sit ibi resurrectio nostra. Ille autem quinque monachos incipientes operari ibi invenit; quos videns nihil moratus, reversus est, & indicavit Colmano Episcopo. Beatus Colmanus dixit ei: ille locus à Deo servatus est illis. Vade igitur Frater, & interroga Abbatem illorum, si ipse veniet ad me, an ego ibo ad illum? Hoc audiens Sanctus Abbas *Mochoemogus*, ait: ego ad * summum Pontificem ibo: ego enim debeo sanctis ejus instrui exemplis. Et gavisus est Sanctus Episcopus in adventu ejus multùm. Et præcepit ei Pontifex in charitate balneare: & beatus Abbas propter obedientiam se balneavit. Posteà colloquentes invicem Sancti, videlicet Episcopus *Colmanus* & Abbas *Mochoemogus*, Episcopus prophetavit, dicens: mi Frater & conserve in Christo, frequenter iste locus meus desertus erit, ut nec saltem Presbyter possit hîc habitare propter bella, quæ in hoc confinio sæpiùs erunt; tuus autem locus semper habitabitur, & in majus crescet. Dixit ei S. Mochoemogus: ego, Pater, propter honorem tuum præcipiam, ut de loco meo, ut fuerit iste desertus, Sacerdos huc veniat & celebret hîc: insunt enim quatuor milliaria inter ista loca, & non plus. Deinde firmantes inter se invicem amicitiam, & benedicentes se invicem & loca sua, Beatus Mochoemogus ad suum locum cum suis regressus est: mansit autem in suo loco Sanctus Episcopus. Inde cœpit S. Mochoemogus ædificare monasterium in suo loco, & erevit ibi civitas, sicut prædixit beatissima Prophetissa Sancta *Ita*; quæ civitas *Liath-Mochoemogi* vocatur. Et dispersa est longè lateque fama religiositatis Beati Mochoemogi, & confluebant multi ad eum undique, & subdebant se jugo Christi sub eo.

novo nomine Liath insignit, & triduano jejunio sacrat:

** rectiùs Mumoniensium*
** Laginiensium*

paulò post invisit Colmanum vicini Doremorensis Cœnobii Patrem & Episcopum,
** Mumoniæ*

sæpiùs initum in eo saltu, Angelorum frequentiâ;

** vocat summum propter sanctitatem Colmani Eminentiam.*

cujus vaticinio discit utriusque loci futurum successum,

firmatâque cum eo amicitiâ in eremum suam redux,

Liathano monasterio & civitati initium dat,

13 Posteà supradictus Dux, qui benignè suscepit S. Mochoemogum, & locum suum ei dedit cum aliis donis, mortuus est. Alius quoque surrexit post eum in regno, *Ronanus* nomine, filius *Bledini*, qui decrevit S. *Mochoemogum* de finibus suis expellere. Et venit cum militibus multis in furore iræ Sanctum Dei expellere cum contumeliâ; sed

unde eum deturbare volentem Ronanum Ducem

ſed ipſe deſcendens in locum, pedes ejus adhæſerunt ſolo, & nec ullo modo potuit ſe movere de loco; videnſque quoſdam monachos, vocati ſunt ipſi ad eum, & dixit eis: vocate Sanctum Abbatem veſtrum ad me: ecce enim miraculum in me factum eſt; quippè quia mala cogitatio contra Sanctum Dei erat in corde meo. Dixerunt ei monachi: ipſe Deo meo Sacrificium offert, & poſteà tertiam cantabit *Horam*, & antequã hæc fient non audemus ei indicare. Celebratâ igitur *Tertia*, indicaverunt Sancto Fratres quid accidit Duci. Reſpondit Sanctus: hodiè foràs non egrediar donec ſit *Nona* celebrata. Manſit itaque Dux eodem modo uſque ad *Nonam* immobiliter. Cantatâ jam *Nonâ*, Sanctus *Mochoemogus* venit ad Ducem, dicens ei: Tyranne, quid prodeſt tibi modò tua terrena poteſtas & crudelitas? Tu veniſti deſtruere hunc locum, in quo ſepelieris utique. Dixit ei Dux: Serve Dei, quæcunque mihi dixeris, ego faciam; ſed quæſo ſolve me de hoc vinculo. Tunc juſſit ei Sanctus abire: & illicò ſolutus eſt; ſtatimque coram Principibus ſuis eundem locum, ſicuti anteceſſor ſuus, obtulit Deo; & ſeipſum ſuamque generationem in ipſo loco ſepeliri decrevit. Et benedicens eum vir Sanctus, gaudens receſſit, qui valdè erat obediens *S. Mochoemogo*: & Sanctus multùm eum diligebat.

miraculo terræ affixit, ſed ſolvit pœnitentẽ deinceps beneficum atque amicum.

14 Et factum eſt poſt tempus quòd mortuus eſt ipſe Dux *Ronanus*, & ſepultus eſt apud Sanctum *Mochoemogum*, ſicut ipſe adoptavit. Poſt mortem autem *Ronani* quidam Scriba ad Monaſterium S. *Mochoemogi* venit, & audiens ipſe Sanctum Dei commendantem *Ronani* Ducis animam Deo, increpavit multùm Sanctum Dei de commendatione animæ viri, qui in voluptatibus ſuis de ſæculo migravit. Et S. * *Finianus* tunc in monaſterio *Liath* cum aliis Sanctis erat: & ille Scriba magnum conflictum ante *S. Finianum* contra beatum *Mochoemogum* de anima *Ronani* Ducis diſputavit. Sed Sanctus vir Mochoemogus, opponens multa exempla illi de clementia divina, ait: anima Ronani eſt in poteſtate Dei, ut indulgeat ei peccata ſua propter me, * ut ſcias qui es cæcatus in tua ſcientia, quia ita eſt, & quòd tua contentio ſit inutilis, mors tibi imminet, & ſepulchrum tuum ignotum ſemper erit omnibus hominibus, ſed te non excommunicabo, ne ſis expers regni Dei. Et diſcedens ille Scriba * indeſperatus nutu Dei à ſuis mortuus eſt, & ubi ſit ſepultus omnibus ignotum eſt, juxta verbum viri Dei.

* in Vita Hibernica *Finanus*

cujus defuncti animam Deo commendat, & requiem adeptam, prænunciato pertinacis ſcribæ interitu confirmat.

* & ne

* *E. inſperatè*

15 Poſt hæc *Suibhne*, filius *Diarmoda*, ducatum regionis *Eile* arripuit; ipſe enim * *Foelanum* filium *Ronani* Ducis de regione * expulit, & erat exul ab eo: ſed poſt tempus S. Mochoemogus pacem fecit inter eos. *Slebhinus* autẽ filius *Suibhne* occidit manu ſuâ per dolum *Feolanum* filium Ronani, quem ſibi & Fratri ſuo per fidem commendavit S. Mochoemogus. Hoc audiens S. Mochoemogus, nimis ſibi diſplicuit, & ipſe ivit ad corpus ejus * afferendum ad ſepulchrum, & ponens S. Mochoemogus * maſtigiam ſuam in terra ibi, oblitus eſt eam, quæ crevit in magnam arborem, quæ uſque hodiè manet, & ipſa nomine Mochoemogi vocatur in ſignũ virtutis. Venientes ad Monaſterium, *S. Kainnicus* Abbas venit illuc, & volentes corpus humo tradere, beatus *Kainnicus* dixit ad S. Mochoemogum, hunc hominem, qui repente occiſus eſt, non debes ſepelire inter monachos tuos. Et reſpondit S. Mochoemogus: nolo contradicere tibi Pater, ſed ſepelietur corpus ejus ſeorſim interim; ſed tamen anima ejus coram præſentia Dei in cœlo eſt, & ideò reſurrectio ejus debet eſſe inter Monachos. Baculus meus & Chriſmale cum iſto interim in extremo loco ſepelientur, & inde non ſolventur donec huc corpus *Slevini*, qui iſtum juvenem occidit infideliter, veniet: manus ejus jam citiùs vindictâ Dei à latere ſuo cadet, de quâ iſtum occidit, & inde ſtatim morietur, & hîc ſepelietur; * veniet autem iterum iſte Foelanus, & poſteà ſepelietur inter monachos: & ſic omnia facta ſunt. *Slebhinus* autem, cadente dexterâ manu ejus à latere ſuo, mortuus eſt; & veniens corpus ejus ad monaſterium, evolutum eſt corpus *Foelani* de ſepulchro, & tunc lavatum eſt aquâ, & ſtantibus omnibus ipſe ante ſanctum revixit: & accipiens ipſe Sacrificium de manu S. *Mochoemogi*, ait ei: fili mî, vis hîc in ſæculo ad tempus vivere, an nunc ad cœlum migrare? Ille autem, dans clara teſtimonia de requie juſtorum, & de pœnis impiorum, ait ad Sanctum Mochoemogum: domine Pater, gloria hujus ſæculi nihil eſt; dimitte me

* Vita Hibernica *Fedlimium*

* MS. mendosè *expulſit*

* MS. mendosè *efferendum*

* i. *ſcipionem ſeu baculum*

Foelanum (rectiùs *Fedlimium*, ut habet Vita Hibernica) inſidiosè interemptum ſepelit in ſuo monaſterio,

prædicens interemptorem ejus, brevi ibidẽ ſepeliendũ; illum verò tunc repictùrum, & demum inter monachos humandum.

* *Vivet* rectiùs.

Ccc ergo

ergo citiùs ad Christum migrare. Et benedicens eum Sanctus, illicò emisit fœliciter spiritum, & sepultum est corpus ejus digno honore inter Monachos. *Slevinus* autem occisor ejus, foris sepultus est, ubi erat priùs *Foelanus* humatus; *Subhne* autem Dux, pater *Slevini*, videns Dei vindictam repentè in filio suo evenisse, venit & egit pœnitentiam ante S. Mochoemogum, dicens: Domine Sancte Magister, Christi-fidelium pastor, ego patiar libenter Martyrium, seu in peregrinationem ibo longinquam, si jusseris, & si quid mihi dixeris, Christo me juvante, complebo. Videns vir Dei visitatum verâ pœnitentiâ, ait ei: confitere peccata tua, & esto de cætero fidelis in omnibus, & eleëmosynas Christi Ecclesiis pro anima tua & anima *Ronani* antecessoris tui da; quia promptus est Deus ad se convertentibus dare indulgentiam. Ipse jam Dux egit quæ sibi præcepta sunt gaudenter, & in Castello suo in quadam insula in medio fluminis *Siure* bono fine obiit.

quod totum cùm impletum est,

Suibhneus, homicidæ pater, territus,

ad præscriptum viri sancti pœnitentiam egit,

& vitam feliciter consummavit.

16 Aliquando *Falbhe Fland*, rex Mumeniensium, qui regnabat in arce regali *Cassel*, jussit suis aurigis pascere equos suos in agro monasterii *Sancti Mochoemogi*, in quo erat fœnum multum. Hoc audiens *Sanctus Mochoemogus*, properavit illuc, & asperè expulit equos de agro suo, & malè eos tractavit. Cum hoc nuntiatum esset Regi, iratus jussit suos obsides regionis *Hele*, quos tenebat in vinculis, interfici, nisi Dux *Ele*, & parentes obsidum Sanctum *Mochoemogum* de suis finibus expellerent. Sciens vir Dei hoc edictum, perrexit velociùs ad Civitatem *Cassel*, alloqui ibi Regem: & irati altercantes ad invicem, Rex ait Sancto viro: Calve parve, tibi honor hîc non dabitur, sed de regno nostro eris expulsus. Ait ei Sanctus; si ego sum Calvus, tu eris luscus. Ad hanc vocem acerbi dolores urere oculum regis intolerabiliter cœperunt, & illicò extinctum est lumen ejus. Et amici regis magnis precibus virum Sanctum rogaverunt, ut in Dei nomine Regem adjuvaret. Et ait Sanctus: dolores ejus * prohibentur, sed lumen non videbit. Tunc Sanctus benedixit aquam: & lavans rex inde oculum suum dolores sui relevati sunt; sed privatus est lumine: de quo non curabat rex, quia dolores cessaverunt torquere oculum suum; & ita dormivit sequenti nocte rex. In ipsa scilicet nocte visio mirabilis divinâ dispensatione apparuit regi. Vidit enim Seniorem pulchrum cum formâ fulgureâ ad se venientem; qui tenens manum regis, de sede sua duxit eum ad Australem murum arcis *Cassel*, & posuit eum ibi: & vidit totum campum *Fembin*, cui imminet arx *Cassel*, plenum synodo candidâ Sanctorum, excelsâ & pulchrâ formâ. Et interrogavit rex Seniorem, quæ esset illa Synodus venerabilis? Dixitque Senex regi: Sanctus Archiepiscopus Patricius, Patronus Hiberniæ, & omnes Sancti Hiberniæ cum eo sunt in Synodo ista; qui veniunt adjuvare Sanctum Mochoemogum, quem tu despicis: dico tibi rex, quia nisi dederis ei placitum suum, citò morieris, & eris mersus in profundo inferni. Adhuc dormiebat rex, & vidit quòd iterum tenebat Senex ille manum suam, & ducens eum secum, statuit eum supra murum Aquilonalem arcis: apparuitque ei visio similis priori, id est, *campum Mossaidhe*, plenum * choris pulcherrimis, qui candidis velaminibus tegebantur (arx enim *Cassel* in confinio duorum speciosorum camporum constat, *Fembin* scilicet & *Mossaidhe*): & interrogans iterum rex Seniorem, dixit ei Senior: gloriosissima Virgo *Brigida* ibi est, & Sancta Virgo *Ita* cum omnibus Virginibus Hiberniæ, quæ in adjutorium Sancti Mochoemogi venerunt, quem tu offendisti injustè: & ecce prædico tibi, ô Pater patriæ, nisi dederis ei voluntatem suam, peribis, & nullus de semine tuo regnabit in æternum. Postea Senex discessit ab eo, & surrexit rex de somno, & evigilans, quod vidit suis amicis & Consiliariis enarravit. Qui dixerunt ei: nisi feceris quod tibi præceptum est, dies tuus finitus est. Crastino siquidem die sedens pro tribunali rex; vocatus est S. Mochoemogus ante se: & narravit ei coram omni populo ea, quæ ostendit ei Angelus in somnis. Vir sanctus gratias Deo egit, & Sanctis suis. Et voluntatem Sancti Mochoemogi rex humiliter complevit; & benedicens Sanctus regem, remisit rex

eum

Falveus Rex Casseliæ,

MS. expulsit

in S. Mochoemogū injurius,

& contumeliosus,

protinùs altero lumine privatur;

* f. prohibebuntur

& oblatâ in somno geminâ visione monitus territusque,

* esse

virum sanctum veneratur & placat.

rex eum ad suum monasterium cum magno honore.

17 Alio tempore rex Cassel * *Falbhe* offendit *Colmanum* Episcopum filium *Dare*, amicum Sancti Mochoemogi, cujus superiùs mentionem fecimus, & rogavit Sanctum Mochoemogum, ut veniret secum ad regem: & pergentes sancti, ambo ad regem venerunt. Rex tunc erat in supradictâ civitate regali *Cassel*: noluit jam rex consentire Sanctis, sed superbè in sua potestate respondit eis. Tunc ait ei Sanctus Mochoemogus: non decet te ita respondere summo Pontifici, qui est sanctissimus secundum Deum, & non est minor te secundum nobilitatem hujus sæculi: de una enim natione nati estis: sed duo dæmones dominantur tibi, equitantes super te semper, id est, dæmon elationis, & alter fornicationis. Respondit rex: quomodo sciam si ita habitant in me? S. Mochoemogus ait ei; habebis signa, una fœmina, quam diligis, hac nocte morietur, & duo equites in equis albis cras primo mane ad te venient, & confabulabuntur tecum, & nescies unde veniant, aut quò vadent. Tunc rex perterritus his dictis, petivit indulgentiam, & voluntatem sanctorum piè adimplevit. Hoc videntes sancti, Beatus *Mochoemogus* dæmoni, qui superbiam regi suadebat, ait: fuge seminator loliorum de isto loco, & sede super lapidem illum, donec ad te veniet socius tuus: & loquar ego ibi vobiscum. Deinde alium dæmonem, qui libidinem in rege incendebat, expulit post socium suum. Qui dixerunt sancto: quò ibimus modo? Dixit eis sanctus: ite in duas illas rupes, quæ sunt in latere Aquilonali hujus arcis *Cassel*, ubi non est accessus hominum, & nemini inde nocebitis usque ad diem judicii. Et ille locus ab illo tempore formidolosus est, & sæpè terrentur & perturbantur animalia, quæ illuc difficilè scandunt: & clamor & murmur eorum ibi sæpiùs auditur. Rex autem hæc omnia sciens, gratias egit Deo, & sanctos ejus honorabiliter remisit ad sua.

* Falveus

qui ipsum posteà liberavit

à malo dominatu spirituum superbiæ & fornicationis,

eosdemque compulit subire vicinas rupes, nec cuipiam deinceps nocere.

18 Quadam die Monachi S. Mochoemogi ad occidentalem plagam monasterii in silva propinqua laborabant; sed unus eorum separabat se ab aliis seorsum, & abscidit solus magnam arborem; cadens autem arbor constrinxit caput Fratris contra aliud lignum, & mirum dictu, caput non fregit; sed Frater inde non potuit se movere, nec potuit loqui: Fratres autem, cùm venisset hora, reversi sunt domum, putantes illum Fratrem secum venisse. Sedentes posteà in mensa, respexit pius Pater Mochoemogus Fratres, & non videns illum Fratrem, interrogavit ubi ipse esset, & profitentes omnes se nescire, ait Pater sanctus, ò filioli mei, Fratrem vestrum in magno obliti estis periculo. Hæc dicens, surrexit illicò de mensa, & sequentes eum Fratres, perrexit recto itinere ad locum, in quo Frater erat in equuleo, sed nullo modo potuerunt eum juvare. Si enim lignum abscinderent, statim Frater periret. Hoc magnum videns S. Mochoemogus periculum, conversus ad arborem, dixit: præcipio tibi in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, surge & sta in gradu tuo pristino. Ad hanc vocem arbor illicò paulatim surrexit, & stetit in statu suo firmiter, sed signum scissionis in ligno multo tempore, quo stabat, videbatur. Pater jam sanctus & sui monachi recipientes suum Fratrem, incolumem de tanto periculo, gratias Deo egerunt, & cum gaudio reversi sunt ad Cellam suam.

excisam arborem imperio surrigit, stabilitque,

& eâ oppressum monachum eruit incolumem:

19 Alio quoque die Monachi Sancti Mochoemogi metentes suam segetem, tres Fratres subitò in rure sunt mortui. Hoc audiens sanctus vir, citiùs perrexit ad eos: displicuit enim sibi valdè, quòd Monachi sui subitaneâ morte perirent: & benedixit aquam, quæ divinitùs posteà vim vini habuit, & cùm aspergeret aquâ mortuos, surrexerunt vivi; sed erant invalidi; gustantes autem illam aquam firmi facti sunt, & cum cæteris operati sunt & comederunt, & in multis diebus posteà vixerunt. Rediens inde sanctus vir ad Cellam, vidit quandam arborem plenam fructu, qui erat hominibus inutilis præ amaritudine nimiâ, benedixitque signo crucis arborem, & fructus ejus illicò in dulcedinem conversi sunt. Hæc tria miracula uno die per Sanctum virum divino nutu facta sunt; id est, vinum de aqua factum est, mortui resuscitati sunt, amaritudo conversa est in dulcedinem.

aliàs die uno & aquâ vertit in vinum, & tres monachos subitò defunctos vitæ reddit & fructum amarum mutat in dulcem:

20 Duo Fratres aliquando in monasterio S. Mochoemogi infirmabantur, juvenis & senex decrepitus; absente

verò ſancto Patre, juvenis ille mortuus eſt& ſepultus;ſenex autem vivebat.Revertente itaque S. Mochoemogo,orans ipſe ad Dominum,ait; in quo merui, Domine mi Jeſu Chriſte, juvenes meos, quos tibi vellem nutrire, ut tibi ſervirent, morte in juventute finiri; & ſenes decrepitos, quos vis corporea deſerit, vivere? Hæc dicens, juſſit ſepulchrum aperiri, aitque mortuo: ſurge in nomine Jeſu Chriſti, fili mî. Et ſurrexit ſtatim, benedicens Chriſtum Salvatorem omnium. Deinde interrogavit Sanctus Mochoemogus prædictum ſenem infirmum, ſi vellet migrare ad Chriſtum; accipienſque tunc Sacrificium ſenex, emiſit fœliciter Spiritum. Tunc Angelus Domini, veniens ad S. Mochoemogum, dixit ei: ſicut tu ſcis & vis, Chriſti famule, diſpone & judica quamdiu vixeris familiam tuam. Hoc privilegium ſibi datum à Deo vir S. Mochoemogus diſpenſavit * divinitùs ſuis diſcipulis.

ex ſuis monachis uni juveni vitam; alteri decrepito beatam impetrat emigrationem:

* l. ſanctè

21 Quodam die conſtituto Beatiſſimus Abbas *Cainnichus* promiſit ſe venturum horâ nonâ ad S.Mochoemogum uſque ad *Liath.* Hanc promiſſionem S. Abbas *Cainnichus* oblitus eſt, uſque ad *Nonam* illius diei in ſuo monaſterio manens, *Achadh-bo* videlicet, in regione *Oſſraighi*; recordatus autem ingemuit ad Deum, quia non adimplevit quod promiſit Sancto; & inſpiratus Dei diſpenſatione cœpit currere, ſed tam citò agitatus eſt, quòd ipſam *Nonam* in monaſterio *Liath* cum S. Mochoemogo cantavit. Deus qui eum conduxit citiſſimè, ipſe ſcit quid illi accidit; quia ſibi & nobis * latebat, niſi quòd ipſe viribus perambularet ſuis. Iter jam unius diei multis ſpeditibus inter ipſa duo Monaſteria, *Liath* ſcilicet & *Achadh-bo*, conſtat. Et præcepit S. Mochoemogus balneum præparari, & ait S. *Cainnicho*: canta nobis Pater interim Miſſam, donec Fratres de obedientia redeant: ſed S.Kainnichus noluit. Sedentes poſteà in Refectorio ad menſam, Beatus *Cainnichus* abſcidit panem, ſed ſanguinis rivum de pane in terram currere Fratres viderunt. Tunc ei leniter S. Mochoemogus dixit: domine Pater, redeamus ad Eccleſiam, & ſacrifica Deo Sacrificium laudis, quia hoc ego & Fratres mei valdè ambimus. Et Beatus Senior Cainnichus tunc Deo Miſſam cantavit, ſicut deſiderabat S. Mochoemogus. Reverſis autem ſanctis poſt Sacrificium, panem nitidum ſine abſciſſione viderunt: & gratias Domino Jeſu Chriſto agentes, comederunt cum lætitia ſpirituali.

ipſum inviſens S. Cannechus, diei iter, unius horæ particulâ conficit,

* *Nota auctorem hic indicare ſe tum fuiſſe præſentem, adeoq; vixiſſe ante annum 598, quo aut ſequenti obiit ſanctus hic Cannechus.*

& miraculo inductus Miſſam cantat.

22 Alio tempore quidam Fratres ad Monaſterium *Liath* venerunt, volentes videre & alloqui S. Mochoemogum. Tum Sanctus vir cum Fratribus ſuis laborabat in agro prope monaſterium, & interrogantes quis eſſet S. Mochoemogus, indicatus eſt eis; videnteſque eum ſuper genua ſua operantem, mirabantur: alloquentes autem eum, prophetavit eis dicens: Fratres, cogitate de remedio animarum veſtrarum: mors enim imminet vobis, & citò omnes moriemini, niſi ille puerulus qui eſt vobiſcũ. Illi de hoc vaticinio non dubitantes, pœnitentiam egerunt, & poſt paucos dies mortui ſunt: ipſi enim numero quinque erant. Et puerulum eorum retinuit apud ſe Sanctus Mochoemogus, & ipſemet docuit eum, & poſteà evaſit in ſanctum virum, quem Sanctum *Daganum* Abbatem vocant, qui jam in ſuo monaſterio, nomine *Inbher-daile*, in Oriente Hiberniæ plaga, in regione *Lagimenſium*, ſcilicet in *plebe* * *Dal-meſcorb*, poſita juxta mare, jacet; & alius puer cum Sancto Dagano apud Sanctum Patrem Mochoemogum legebat.

Quinque Fratrum mortem vicinam prænunciat S. Mochoemogus:

S. Daganum puerum imbuit,

* MS mendosè *Dal-macſtorb*

23 Quodam quoque die Sanctus Pater Mochoemogus dixit Beato *Dagano*: fili mî, ſi benè legeris, communionem corporis & Sanguinis Chriſti, antequam morieris, de manu mea accipies. Et poſt paucos dies iſte puer Sanctus occiſus eſt. Gens enim *Oſſraighe* venit devaſtare regionem *Eile*, & illo die S. Daganus cum ſuo ſodali vitulos vaccarum monaſterii cuſtodiebant: cæteri enim omnes in diverſis operibus occupabantur. Satellites autem Ducis *Oſſraighe* contingentes piis paſtoribus, decollaverunt S. Daganum; alter verò injugulatus evaſit. Tunc erat *Sanctus Kainnichus* in monaſterio *Liath*: & veniens injugulatus qui evaſit ad Sanctos Mochoemogum & Kainnichum cum ſuis Fratribus, & gratia Dei ipſum illicò per Sanctos ſanavit: corpus autem *S. Dagani* tanquam truncum reductum eſt ad monaſterium, & caput cum eo. Et ait *S.Mochoemogus* ad *S. Kainnichum*; huic juveni, ſancte Pater, promiſi communionem Dominicam ante mortem dare, ſed adhuc non complevi: divina virtus

& decollatū reſtituit vitæ, cooperante S. Cannecho

virtus in eo per nos magnificetur: conjunge igitur, Pater, caput ejus corpori suo, aut roga Deum, ut revivat. *S. Cainnchus* ait: in Christi nomine caput conjungam corpori: tu verò pete Deum remittere animam suam huic. Et componens Beatus senex *Cainnichus* caput, fortiter adhæsit corpori, sicut antea; sed cicatrix quasi circulus circa collum usque ad obitum suum permansit. Orans autem Mochoemogus, tenensque *S. Cainnichus* eum adhuc suis manibus, fælicissimus juvenis *Daganus* surrexit vivus & sanus ad sanctos, benedicens Dominum: & accepit communionem de manibus *S. Mochoemogi*, sicut promissum est ei, & posteà longo tempore ipse *S. Daganus* vixit, cujus vita miraculis claret, & in suo loco memorato Pater multorum monachorum extitit.

Colmanum Ducem, Sacrarii immunitatem violantem,

mala quedā imprecans

24 Quodam tempore *Colmanus*, filius *Feraidhe*, Dux *Ossarighe*, putans inimicum suum, nomine *Finanum*, ante se fugere ad Monasterium *S. Mochoemogi*, & ibi latere, venit & scrutatus est omne ædificium Monasterii ad perdendum illum. Cui ait *S. Mochoemogus*: contra te à Deo meo tres petitiones petivi, sed duæ negatæ sunt, tertia autem mihi concessa est. Prima petitio mea contra te erat, ut citò morereris; sed *Sancto* * *Fachnano* Deus donavit, ut adhuc vivas quatuordecem annos. Secunda verò erat, ut ne cœlum habitares; sed propter *S. Kainnichum* conceditur tibi cœlum habitare. Tertia jam est, ut ante finem hujus mensis à regno tuo sis separatus; quæ petitio mihi à Domino meo donata est modò. Hæc verba audiens Dux, egit pœnitentiam, & obtulit oblationes Deo & S. Mochoemogo. Et sanctus ait illi: eris jam expulsus potentiâ tuâ, & vix periculum mortis evades; sed quia sanctos viros amicos habes, in omni potentiâ tuâ post triduum dominaberis, & S. Cainnichus amicus meus in omnibus te adjuvabit. Posteà Dux de tali prophetiâ gaudens, cum benedictione recessit.

* Vita Hibern. *Kinano*

* Hæc imprecatio exponenda est ut ista S. Ephræm *in suo Testamento*: *Arovandran vir effrænis atque rebellis, quia voluisti congregationes Christi Ecclesiarum à Spiritu Sancto congregatas, demoliri atque exterminare ex ea quæ sub cælo est, deleatur memoria tua, & non inveniatur in libro viventium &c.* & hęc Ieremię cap. 18. *Ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum a facie tua non deleatur & c.*

& bona prænuntians ad pœnitentiā adducit: ipse aliique Sancti cœnobio S. *Mochumbæ*, in quo nondum tecto, commodè pernoctarunt.

25 Quandam Cellam S. Mochoemogus suo commendavit discipulo, qui vocabatur *Mochomba*: & ipse ædificavit ibi primitùs Ecclesiam & Refectorium. Interea *S. Mochoemogus* & *Sanctus Cainnichus*, et *S. Molua* filius *Coche* & *S. Mosecta* convenerunt unâ nocte ad eandem Cellam, nullaque domus ibi adhuc erat tecta, nisi Ecclesia sola. Et ille discipulus Præpositus loci ait illis: ite vos in Ecclesiam, quia aliam domum paratam non habemus. *Sanctus Mosecta*, qui dicitur & *Fecheanus*, ait ei: non, sed ibimus ad Refectorium quamvis sit nudum; & Deus noster non sinet ventum vel pluviam super nos descendere hac nocte. Comedentes ibi sancti, id est, in Refectorio nudo, & manentes illic, posteà *S. Molua* dixit: in hoc loco, in quo facta est hæc cœna nobis charitativa, abundantia divitiarum semper erit. *S. Mochoemogus* dixit: hoc nudum culmen meum, sub quo Dominus nos hac nocte tempestivâ defendit à vento & pluviâ, benedictum erit, & clarum ædificium hic non deficiet usque in æternum. *S. Cainnichus* dixit: filius mortis in hoc loco non morietur. Ita sancti benedixerunt illum locum, & benedictio illorum semper non fallitur ibi. Et recedentes inde Patres, ille pius Discipulus *Mochombe*, magister loci, ait eis: me solum, Sancti Dei, hic dimittitis. Dixerunt ei sancti, spiritualiter hîc tecum erimus, & tu eris sanctus in hoc loco, & tu nobiscum ad judicium Dei convenies: & hoc signum habebis. Tunc sancti quinque parvos lapides posuerunt ibi in Sancto Cœmeterio, qui usque hodiè immobiles ibi gratiâ sanctorum permanent in signum suæ promissionis; & nemo potest illos inde movere.

varia bona exorant,

& fixere in cœmiterio lapides quinque, deinceps immobiles.

26 Alio tempore Comes Nepotum *Ængusa*, de gente * Nandese, de qua gente mater Sancti Mochoemogi erat nata, ut superiùs diximus, & alius Comes de eadem gente, nomine * *Foelanus*, filius * *Æcha*, qui erant inimici invicem, conjuraverunt pacem inter se in conspectu S. Mochoemogi, & alterum alter de manu Sancti in fidem accepit; sed posteà Comes nepotum *Ængusa*, non custodiens fidem suam, occidit *Foelanum* filium *Æcha*. Hoc audiens Sanctus Pater Mochoemogus, in ira magna venit maledicere eum, vel vocare ad pœnitentiam, sed induratum est cor illius, dicens: non curo si quid facies *Mochoemoge*, quia Sanctissimus *Cumminus Longus*, filius *Fiachna*, benedixit me diligenter, & regnum cœli & terræ mihi promisit. Hæc dicta audiens Sanctus Mochoemogus, dixit: quem Sanctissimus *Cumminus* benedixit, non maledicam; sed uxorem tuam & filium

* *Desiorum.*
* Ms. Hiber. *Fedlimius*
* I. *Eochodij*

 tuum

tuum maledicam: tunc illa domina cum filio suo venit ad S. Mochoemogũ, flectentes genua ante eum, & dicentes: parce nobis Domine in Christi nomine, & quidquid dixeris nobis, libenter faciemus; & scis domine Pater, quoniã dominũ nostrũ, qui te offendit, nos non possumus corripere. Sanctus Mochoemogus accipiens satisfactionem eorum, dixit: stagnum istud, quod circundat eum, & est multum ipsi tutamen, maledicam: Castellum enim illius Comitis, tutum valdè, in medio stagni profundissimi erat. Et maledicens vir sanctus stagnum istud, statim terra absorpsit, & apparuit terra arda loco ejus, illis nescientibus quò recessit aqua. Adhuc in duritia cordis sui ille Comes permansit. Tunc sanctus dixit: maledicam filiam tuam, quam multum diligis, & equum tuum fortissimum & velocissimum, in quo ad bella confidis: & maledicens eos, statim mortui sunt. Hoc videns Comes, corde pœnituit, & fecit satisfactionem, sanctum pro nomine Christi rogans pro sua filia, stagno suo, & equo. Et ait Sanctus: domino Deo nostro omnia possibilia sunt; sed ego orabo, ut fiat voluntas Christi in eis. Et orans S. Mochoemogus, stagnum repletum est aquis suis repentè, sicuti antea fuerat, & filia resuscitata est, & equus revixit fortis & velox. Hæc videns Comes, agrum Deo & S. Mochoemogo obtulit ad Ecclesiam construendam. Et S. Mochoemogus imponens illi pœnitentiam, ordinansque Cellam illam, reversus est, Deo gratias agens, ad Monasterium suum.

Ad maledictionem S. Mochoemogi stagnum indurati Comitis, absorbetur, filia & equus moriuntur:

sed pœnitenti omnia nox restituta, & vir sanctus muneribus honoratus;

27 Alio tempore Sanctus Episcopus *Fursæus* & Beatissimus Abbas *Mochoemogus* juvenem unum multùm diligebant, qui dicebatur alumnus eorum, quia frequenter vitam suam à pueritiâ apud eos ducebat, & docebant & nutriebant eum Sancti in verâ religione & honestate vitæ: ipse erat *Scanlanus*, filius *Foelani*, de nobili genere. *Cuanus* jam Dux alligavit juvenem illum, & posuit illum in custodia: timebat enim eum multùm, quia juvenis *Scanlanus* debebat Dux esse sicuti Cuanus. Hoc audientes Sancti *Fursæus* & *Mochoemogus*, illicò perrexerunt rogare Ducem *Cuanum* pro dilecto suo *Scanlano*; & ait S. Mochoemogus Duci: Domine Dux, dimitte nobis nostrum amicum incolumem, quia tibi innocens est. Et ait Dux: verè adhuc mihi nihil mali fecit, sed timeo se facturum, contendens contra me regionẽ. Respondit S. Mochoemogus, ego promitto quod ipse non nocebit tibi in vita tua. Dux factus serenus, faciam * quod vultis; sed venite mecum ad civitatem *Cassel*, & dimittam illum vobis coram rege, ut ipse sit testis: & pervenientes illuc, dedit eis coram rege juvenem *Scanlanum*, & pacem habentes, discesserunt ab invicem. Cum ergo rogatus S. Mochoemogus, rogaturus *Cuanum* Ducem pro *Scanlano* juvene ivisset, tunc Sanctus Archiepiscopus Civitatis *Imleach* manebat cum rege in civitate *Cassel*, & dixit propheticè ad regem, Domine rex, diligis Ducem tuum *Cuanum*? Ait rex: verè diligo. Dixit ei Episcopus: mitte ergo ad eum citiùs, ut det placitum suum S. Mochoemogo: quacunque enim die displicuerit ei, morietur. Sic enim factum est posteà. Offendens autem Dux *Cuanus* iterum *S. Mochoemogum*, petensque vir Sanctus divinum auxilium contra eum, statim mortuus est, & Scanlanus filius *Foelani* alumnus sanctorum, gratiâ S. Mochoemogi, Dux suæ regionis à Rege ordinatus est. Et ait rex ad Episcopum prædictum, qualis meriti, putas, Domine Episcope, Mochoemogum esse? Respondit Sanctus Episcopus: scio hoc verè, ut si dixisset S. Mochoemogus, mons *Guath* transiret in locum campi *Femin* trans fluvium *Siure*, & campus *Femin* de loco suo pro eo exiret, hoc utique Dominus pro honore ipsius fecisset. Tunc rex benedixit Deum, gratias agens ei.

qui primùm morte, erens,

* inquit

sed demùm resistens, Cuanus Dux, statim interiit.

testimonium sancti Imlecensis Episcopi de sanctitate S. Mochoemogi.

28 Quidam vir, nomine *Dima*, amicus S. Mochoemogi erat fidelis, cujus Pater *Fechinus* erat: ipse *Dima* in Sanctæ Trinitatis nomine rogavit S. Mochoemogum, ut si quando infirmaretur, vir sanctus ad eum venire dignaretur, & communionem Dominicam de manu ejus in hora mortis suæ acciperet; & hoc vir Dei illi promisit: post multum verò tempus infirmatus *Dima* misit nuncium ad S. Mochoemogum ut veniret ad se. Sed tunc vir Sanctus in Monasterio, quod dicitur *Inis-leambnachta* in australi regionis *Ossraigi* plagâ; juxta fretum maris, in quo flumen *Feoir* fluit, manebat. Illud audiens *Mochoemogus*, perrexit festinus, sed antequam ipse veniret, Dima amicus ejus mortuus est, & planctus magnus erat super eum, sed non

non fuit sepultus donec S. *Mochoemogus* illuc pervenit. Et vir sanctus illâ nocte cum cæteris circa corpus vigilabat. Mediâ nocte, acceptâque lucernâ ardente surrexit S. Mochoemogus ad feretrum solus, & signans signo sanctæ Crucis corpus, ait ad eum: mî amice chare *Dima*, surge in Christi nomine, ut accipias de manu mea viaticum Domini sicut fides tua acquisivit. Ad hanc vocem *Dima* illicò quasi de gravi somno surrexit, benedicens *Deum*. Et ait ei vir sanctus: quid tibi modò placet? vivere cum tuis iterum, an ad requiem, quam vidisti, reverti? Audientes qui erant in domo colloquutionem eorum, convenerunt, & videntes dominum suum vivum, gratias Deo egerunt. Ille autem eligens & orans migrare de hoc sæculo, dedit ei *S. Mochoemogus* coram omnibus Communionem. Et ipse obtulit semen suum post se semper sepeliendum apud sanctum Dei, & redormivit in pace: & S. Mochoemogus cum suis corpus ejus in suo Monasterio *Liath* sepeliri curavit.

Dimam à morte resuscitat S. Mochoemogus, & optantem mox dissolvi, & esse cum Christo communit sacro Viatico:

29 Aliquando Beatissimus Abbas *Mochoemogus* unum de monachis suis ad occidentalem Hiberniæ plagam misit: sed ille rediens mortuus est in civitate *Imleach*, quæ est in planitie *Mumeniæ*, & sepultus est ibi: & ipse Monachus vocabatur *Cuan-cherr*. Hoc audiens S. *Mochoemogus*, exivit, ut adduceret corpus illius ad suum Monasterium: sed Archiepiscopus illius civitatis non dimisit ei corpus monachi sui. Et disputantes invicem, ait Pontifici *S Mochoemogus*: putas justum esse, ut corpus monachi mei, qui in meo monasterio corpus & animam suam Deo obtulit, retineas? Dixit ei Pontifex: Deus scit, non ego. Hoc audiens *S. Mochoemogus*, dixit ei, ut scias quod iniquè agis, domine Episcope, videbis virtutem Christi in eo. Et accedens sanctus vir ad sepulchrum monachi sui, apertum est sepulchrum à Deo ante eum, & tenens manum Fratris sui sanctus Pater, Frater eum eo de sepulchro surrexit. Tunc Episcopus magnâ voce magnificans Dominum Jesum Christum, dixit ad omnes: vivum monachum, quem Deus meus, pro meritis famuli sui secundum exemplum *Lazari*, resuscitavit, non debeo retinere: scit Deus quòd non pro malitia feci, sed volens, ut Sanctæ Reliquiæ essent in Cœmiterio hujus Ecclesię. Posteà acceptâ licentiâ & benedictione Præsulis, *S. Mochoemogus* & suus monachus *Cuan-cherr*, gaudentes in Christo ad suum monasterium redierunt. Posteà ipse *Cuan-chert* jussu Sancti magistri sui Mochoemogi monasterium ædificavit, quod vocatur *Glasmore*, & ipse ibi multis diebus in magna sanctitate & miraculis divinis mansit, & in fine fœlici migravit ad Christum.

Monachum suum extra monasteriū mortuum, & sepultum è sepulchro vivum secum ad monasterium ducit,

fundatorem postea Glasmorensis monast. Sanctitate & miraculis clarum.

30 Aliquo eventu virgo sacrata, nomine *Cainer*, lumen oculorum suorum amisit, & erat cœca multo tempore: quæ ducta ad *S. Mochoemogum*, rogavit eum in Christi nomine, ut benediceret oculos ejus. Et consecravit aquam vir Dei, benedicens oculos ejus, & jussit ei, ut faciem suam eâ lavaret. Illa sancta virgo lavans faciem suam inibi, illicò recepit lumen suum coram omnibus; & videns coelum & terram, regressa est ad Cellam suam, gaudensque ex corde benedixit Deum in miraculis suis per famulos suos sanctos. Postquam S. Mochoemogus lumen temporale reddidit Dei dono, ad æternum lumen Deus eum vocavit, cohabitare cum Sanctis; infirmatus autem, Fratres & loca sua benedixit, & coram collectâ multitudine Sanctorum 3. Idûs Martii fœlicissimè sanctam animam Deo reddidit, & sepultus est cum debito honore in monasterio suo sancto *Liath*, ubi per eum à Christo multa miracula patrantur; cui est honor & gloria cum Deo Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum Amen.

demum Canneræ Virgini cœcæ lumen reddidisset oculorum,

suos mors clausit beatus 13 Martii,

sepultus & posthumis miraculis clarus in Liath.

DISSERTATIO

DISSERTATIO
DE MONASTICA
S. COLUMBANI
LUXOVIENSIS
ET
BOBIENSIS
ABBATIS
PROFESSIONE

PROOEMIUM

1 Hucusque, benigne lector, de sanctitate & sapientiâ S. Columbani quanto potuimus studio & sinceritate sermonem prosecuti sumus, hîc pro Collectanei nostri complemento, quandam longè obscurissimam, sicut difficilioris inquisitionis, ita prolixioris stili subjicimus controversiam, de monasticâ ipsius professione & monasteriorum ab ipso constructorum vivendi instituto; quam ex loco suo, in quo primùm de Sancti Abbatis Regulâ sermo fuit, ipsa nos tractationis prolixitas, ab Annotationum brevium scopo aliena, huc transferre coëgit. Magna planè hac de re illustrium virorum, sacrarumque religionum disceptatio, satagentibus singulis ad sui splendorem Instituti tantum sibi sidus acquirere. *Columbanum* namque Patres Eremitæ S. Augustini, sicut & S. *Comgallum* ejus instructorem & Abbatem, suæ Regulæ cultores fuisse contendunt: *Cassinenses* autem è contrà *Benedictinæ* ipsum familiæ indubitanter ascribunt. Atque hinc non levis inter utriusq; Ordinis scriptores exorta contentio, magnum studioso lectori desiderium excitavit, exploratum aliquid in hac parte cognoscendi.

2 Quare cùm nos argumenti, quod præsenti Opere suscepimus pertractandum, quippe qui Sancti Patriarchæ Regulam explanandam assumpsimus, necessitate compulsi, cogamur aliquid etiam de hac quæstione differere, conabimur in gratiam lectoris huic dissertationi prolixiùs insistere, & primùm ad omnem sinistram vel fraudis vel invidiæ suspicionem amovendam, quæ pro monachatu vel Augustiniano, vel Benedictino Columbani proferunt præfati Scriptores argumenta, quantâ fieri poterit efficaciâ, & sinceritate producere, ac additis de novo rationibus confirmare. Deinde quæ oppositam utrique assertioni sententiam suadent, studiosè collecta subdemus, ut ex contrariis juxta se positis queat veritatis amator

amator solidiùs de propositâ controversiâ ferre judiciũ. Denique ne animo contendendi ad scribendum arguamur impulsi, eâ moderatione nostram hac in parte sententiam proponere ac tueri statuimus, ut cùm primùm rationibus nostris urgentiores in contrarium apparuerint, continuò simus assensum præbituri.

3 Quod si in his omnibus ab aliorum placitis, nostris interdum conjecturis persuasi, recesserimus, meminerint adversarii licitum nobis esse, sicut & illis, dubias inire vias, ubi certus ad veritatem non patet aditus, & ubi rationes certæ non adsunt, incertas objicere conjecturas. Meminerint etiam in præsenti plerumque quæstione tam obscurâ, tam ambiguâ, non rationum certitudinem, sed probabilitatem; non evidentiam, sed verisimilitudinem; non denique demonstrationes, sed suasiones moderato lectori, præsertim ab imperito, impolitoque calamo, expectandis; quarum ubi firmior vis animum lectoris aliò forte pertraxerit, quàm quò ipsi optarent, gratulari potiùs debent de oblatâ sibi veritatis altiùs inquirendæ occasione, non succensere scribenti, cujus in hoc laudari debet conatus, studio veritatis impensus, non reprehendi. Vel si forte contingat pro contrariâ ipsorum opinioni sententiâ evidentiora aliqua proferri argumenta, si boni æmulatores esse velint, debent victrici veritati adhærere, & errorem victum deserere (quem semper scopum in scribendo Christianæ & sinceræ mentes observant) & neminem victum præter errorem, aut victorem præter veritatem æstimare. Quod cùm ipsos facturos confidenter sperandum sit, ad ipsam tandem controversiam progrediamur, quam in tres articulos dividemus, quorum primus examinabit an Augustinianæ, secundus an Benedictinæ, tertius (in quo totius quæstionis stat resolutio) si neutrius, cujus tandem Regulæ vel Instituti professor fuerit, explicabit.

ARTICULUS I.

EXAMINATUR AN S. COLUMBANUS SUB INSTITUTO EREMITARUM S. AUGUSTINI MILITAVERIT.

§. I.

Proferuntur motiva Patrum Eremitarum pro Augustiniano S. Columbani monachatu.

4 Hieronymus Roman. cent. 3. an. 592. Ludovicus ab Angelis lib. 4. hist. mag. de vita S. Augustini cap. 19. Ambrosius Staibanus, Gonzales, Marquez cap. 15. §. 4. Nicolaus Crusenius de monachismo S. Augustini part. 2. cap. 11. unanimi omnes consensu affirmant S. Columbanum fuisse Eremitam Ordinis S. Augustini, id quod de *S. Comgallo, S. Luano,*

S. Luano, reliquisque Bennchorensis cœnobii alumnis sentiendum esse contendunt. Pro qua opinione probandâ sequentia adfert Crusenius argumenta.

5 *Ante aliquot*, inquit, *annos solebat Ordo Eremiticus Sancti Augustini recitare Officium de Sancto Columbano, ut de Ordinis personâ. Item plura reperiuntur in Ordine Sancti Augustini templa, D. Columbano, uti Sancto ex gremio Ordinis, dedicata; inter quæ erat celebre illud Florentinum, ubi Societas Sanctorum Galli & Columbani est in pretio, & aliud non procul à Lucensi civitate.*

6 Prætereà verisimile est monachos Hiberniæ illam vivendi normam fuisse complexos, quam *Sanctus Patricius*, fidei & Religionis ibi plantator, & præcipuus Doctor ipsorum, professus erat: Patricium autem Eremitam Sancti Augustini extitisse, manifesta Jocelini, Probi, ipsiusque Sancti, id de se testantis, convincunt testimonia: nam Jocelinus cap. 185. Vitæ S. Patricii, agens de habitu, quo solebat vir Sanctus incedere, ita scribit: *super cætera indumenta cucullâ candidâ amiciebatur, ut ipsâ habitûs formâ, & colore, monachatus sui speciem, & candidatum humilitatis & innocentiæ repræsentare videretur.* Quibus verbis ipsam describit habitûs formam, quæ apud Patres Eremitas est in usu, qui cum cucullâ & baculo in manibus incedunt, sicut *Patricius* incedebat. Probus verò ab eodem Crusenio citatus, ita loquitur lib. 1. Vitæ S. Patricii post initium: *Peracto quadriennio* (nempe sub disciplina Sancti Martini Turonensis (*apparuit ei Angelus, dicens: vade ad plebem Dei, id est, ad Eremitas. Et mansit cum Eremitis octo annis. Verisimile est*, inquit Crusenius, *Sanctum Patricium concessisse ad Lirinense Eremitorium, ubi, ut ante probavimus, Sancti Augustini Regula florebat, vel potuit cohabitasse tunc Sancto Germano Antisiodorensi, ut testatur Probus, quem* (Germanum) *constat instituti fuisse Augustiniani.* Hæc Crusenius. Postremò ipsius Sancti Patricii chirographum, omni exceptione majus ad idem, ita se habet: *In nomine Domini nostri Jesu Christi: Ego Patricius humilis servus Dei, anno Incarnationis ejusdem 433. in Hiberniam a Sanctissimo Papa Cælestino legatus, Dei gratiâ Hibernicos ad fidem veritatis converti, & cum eos in fide Catholica solidaßem, tandem in Britanniam sum reversus ad Insulam Avalloniæ, & ibi duodecim Fratres inveni, Eremiticam vitam ducentes, & cùm inveni eos humiles ac quietos, elegi potiùs cum illis abjectus esse, quàm in regalibus Curiis habitare, sicq; licet invitum, in pastorem me prætulerunt.* Hæc, ut author est Stanihurstus lib. 2. Vitæ Sancti Patricii cap. 71. extant in monasterio *Glastoniensi*, & expressam ipsius Sancti de sua Eremitica professione continent confessionem. Quibus accedit quòd monasterium super locum Purgatorii Sancti Patricii constructum, quod aliquando, præfato Stanihursto testante, ipse incolebat, S. Augustini observet institutum.

7 Ratio hæc ex Augustiniana Sancti Patricii professione deducta, alios Hiberniæ Sanctos æquè Augustini Regulam coluisse demonstrat. Nam Jocelinus cap. 174. de Sanctis Hiberniæ monachis differens, inter alia hæc habet. *Vivebant* (monachi) *secundum Regulam à Sancto Patricio præfixam, mundi contemptu, cœlestium appetitu, Sanctâ mortificatione carnis, abdicatione voluntatis propriæ, pares Ægyptiis monachis merito atque numero.* Ex quibus verbis intenta ab authoribus recitatę sententiæ conclusio rectè videtur inferri: cùm enim Sanctus Patricius Augustiniani esset Instituti, ut statim ostensum est, non est credibile, ipsum aliam illis, quos instruebat, monachis, Regulam præscribere voluisse, quàm Augustini, & proinde omnes illos Hiberniæ Sanctos Eremitas, de quibus hic Jocelinus loquitur, inter quos non infimi censebantur *Columba*, *Comgallus*, *Columbanus*, eorumque discipuli, ejusdem Regulæ professores extitisse credendum est.

8 Confirmatur ulteriùs hæc opinio ex duobus illis monachis Parisiensis & Ticinensis Academiarum primis fundatoribus. Hos namque Augustinianæ professionis extitisse communis est opinio; sed perspicuum videtur illos non aliam Regulam fuisse professos, quàm eam, quæ Hiberniæ monachis, ex quorum ipsi medio prodierunt, tunc erat in usu, nempe *Augustini*: alia enim illis adhuc temporibus in Hibernia vivendi Norma non vigebat; siquidem *S. Benedicti*

religio ante *S. Malachiæ* tempora illuc non pervenit, ut ex verbis *S. Bernardi* inferiùs citandis colligere licet. Cæterùm quòd præfati duo monachi Ioannes & Clemens Augustiniani fuerint professione, constat primùm ex eo quòd primo statim accessu libros *S. Augustini*, maximè *de civitate Dei*, prælegisse ferantur, & *Carolo Magno* (qui eos Parisiis appulsos, ad prædicta Gymnasia erigenda susceperat) suasisse, ut eosdem ad mensam legendos adhiberet, ut testatur Crantzius hist. Saxon. lib. 2. cap. 8. & Yepes to. 3. Annal. Benedict. cent. 4. ad an. DCCXCI. Deinde *Albinus* Papiam, seu Ticinum à Carolo destinatus, ad monasterium Sancti Augustini directus fuit, ubi primùm scholas aperuit, & è vivis excessit; cui consensit Papiensium vulgata traditio, quæ in Augustinianos ejus studii primordia refert, eoque nomine Sanctum Augustinum pro tutore & mecænate colunt. Atque hæc pro Augustiniana Sancti Columbani professione adstruendâ sint dicta.

§. II.

Ostenditur ex recentiore Eremitani Ordinis sub Augustino institutione non fuisse Columbanum Eremitam.

9 VErùm istis non obstantibus, salvo meliori judicio, nullum videtur Patribus Eremitis in Columbanum jus competere; quam mecum sententiam facilè amplectetur quisquis Ordinis hujus incertam originem & progressum considerare voluerit, prorsùs incognitum usque ad tempora magni Lateranensis Concilii, sub Innocentio III. Circa quod sciendum, nullum ex illis Congregationibus Eremiticis, ex quibus simul unitis erectus est Ordo Eremitarum Sancti Augustini, qui hodiè inter quatuor mendicantes computatur, suam ab Augustino, aut aliquo temporum illius vicino institutionem accipere potuisse. Quod priusquam de *Guilielmitis* ostendere incipiam, suppono hic obiter, præter illam Congregationem *Sancti Guilielmi*, de qua in præsenti, aliam extitisse *Guilielmitarum* Congregationem, quæ nomine *Montis Virginis* appellatur, institutam, ut refert Azorius Instit. mor. lib. 12. c. 2. à *Guilielmo Vercelensi*, viro nobilissimo, sub Regula *Sancti Benedicti* anno Domini 1124. & ab *Alexandro III.* confirmatam, quam in regno Neapolitano potissimùm vigere scribit. Quo præmisso, ad propositum nostrum revertamur, quod sic ostenditur. Nam prima illa Congregatio, videlicet *Guilielmitarum*, sive ortum habuerit à *Guilielmo* quodam Scholari Parisiensi, Ordinis *Vallis Scholarium* sub Sancti Augustini Regula, institutore, ut volunt Bernardus Vargas, Augustinus Ticinensis, & alii; sive à *Gulielmo* Duce Aquitaniæ, quem ejus defectionis, quâ *Anacleti* Pseudo-papæ partes secutus, ab Innocentii II. legitimi Pontificis obedientiâ anno 1131 recessit, pœnitentiâ ductum plurimi asseverant in eremum se transtulisse, & in Tusciâ apud *Stabulum Rhodis* sanctissimè obiisse: sive, quod veriùs videtur, à Guilielmo, ab utroque istorum alio, in jam dicto Stabulo-Rodis sanctissimè conversato & defuncto anno 1157, prima ejus fundatio nequit sæculum Christi XIII. antevertisse.

10 Neque dici potest, *Guilielmum* eo solùm sensu vocari ejus Congregationis fundatorem, quòd illam continuâ temporum serie ab Augustino per alios Eremitas propagatam, aliis tradiderit, & ampliùs dilatârit. Nam si qui erant in Occidente ante *Guilielmum* Eremitæ, non in unum aliquem Ordinem redacti, sed per varia loca sine ulla unius nominis, habitûs, aut Capitis, sine ullâ Regulæ, aut statutorum communione, dispersi hinc inde vivebant; adeò ut nihil certi, vel explorati ex Scriptoribus haberi possit de *Guilielmitis* ante ipsum *Guilielmum*, vel eorum sub Augustini, vel alteriùs Regulâ professione, sed altum de his apud omnes silentium; quod etiam pro parte disertè testatur Jordanus de Saxonia & ipse Augustinianus Eremita *in Vitis Fratrum l.* 1. his verbis: *Qualiter Fratres nostri à tempore dispersionis suæ de Africa usque ad tempora prædicti Innocentii* (nempe tertii) *Papæ vixerint, quidq; egerint, scripto authentico non inveni*, quibus consonant verba Sancti Antonini 3. p. tit. 24. c. 14. §. 5.

24. §. 5. ejusdem ferè tenoris. Subscribunt alii plures, ex quibus est Genebrardus, & Sabellicus Ennead. 9. asserentes *eremiticum institutum ante Guilielmum penè extinctum, & ad interitum fuisse perductum*, ac proinde non continuatorem aut propagatorem, sed potiùs fundatorem, seu, ut loquitur Genebrardus, *conditorem* Guilielmiticæ Congregationis dici debere *Guilielmum*, quem idem Genebrardus & Jacobus Gualterus ad annum 1159 Regulam ex S. Augustini operibus collectam suis tradidisse volunt, vel, & alii malunt, Regulam S. Augustini assumpsisse, sub qua Congregationem illam ipse primus inchoavit. Quæ omnia si vera sunt, prima institutio *Guilielmitarum*, in ipsum *Guilielmum* authorem refundi debet.

11 Altera Congregatio Joannis Boni (quæ eadem est cum illa de *Brictinis*, & de *Fabali*) sic dicta, quòd à *Ioanne Bono* Mantuano, eremi *Cæsenatensis* cultore (qui multis ad Eremiticam vitam colendam inductis, erexit Congregationem) originem primitùs habuisse credatur, non incœpit ante annum 1208, quo primùm anno constat *Ioannem Bonum* à sæculi vanitate conversum, ut ex Actis ejus per *Constantium Laudensem*, Eremitam Augustinianum, ex ipso originali processu de vita & miraculis ejus, jussu Innocentii IV. per Albertum Episcopum Mutinensem formato, summâ fide collectis, certissimâ calculatione deducit noster *Lucas Wadingus* in suo eruditissimo *Apologetico de pratenso monachatu S. Francisci.* §. 2. Nec ante Innocentium IV. ullam approbatam Regulam, aut certam habitus formã Congregationis hujus alumni gerebant, ut ex ipsius Innocentii litteris constat, datis Perusii Kal. Maii, sui Pontificatus anno secundo, in quibus hæc leguntur. *Cùm iidem religiosi, Ioannis boni, aliquam de approbatis Regulis non haberent, quidam ex eis accedentes ad sedem Apostolicam, obtinuerunt ab ea B. Augustini Regulam sibi dari, & sic ex tunc cœperunt in regularibus observantiis instrui, & regulariter se habere.* Similia habet *Iordanus de Saxonia* lib. 1. cap. 9. quibus de Joanne Bono subdit: *sicq; vir iste sanctus, qui prius sine Regula vixerat, postmodùm sub Regula S. Augustini militans, peramplius Domino servivit.* Ex quibus errare noscuntur, qui Ioannis Boni Congregationem Augustinianis auferre nituntur contra tam expressa Pontificis verba. Cæterùm habitûs forma ibidem in hæc verba præscribitur: *Et quia eorum habitus, qui habitui Fratrum Minorum videbatur conformis, apud aliquos scandalum quodammodò suscitabat, de mandato & authoritate duorum Cardinalium, qui tunc in partibus Lombardia legationis fungebantur officio, nigrum quem gestatis adhuc, habitum elegerunt.* Et infrà tribuitur titulus Prioris Generalis Ordinis Eremitarum sine additione, Priori dicti Ordinis. Ex quibus omnibus concluditur *Ianbonitas* ante dicta tempora nec Regulam, nec habitum Augustini Eremitis usitatũ habuisse, quod de aliis Congregationibus de *Fabali* & *Brictinis* unitis etiam asserendum est, non obstantibus rationibus contra hoc allatis à Crusenio, Marquezio, & aliis primævam sui Ordinis originem ad ipsum S. Augustinum referentibus; quibus latè respondet Gabriel Pennottus mox citandus, & alii, ad quos lectorem remitto; tum quia non vacat immorari; tum quia etsi oppositum verum esset, nullatenùs tamen negare possunt Patres Eremitæ, obscurum & ignotum fuisse sui Ordinis progressum usque ad illa ultima tempora; quod ad meum propositum abundè sufficere videtur, ut latiùs infrà deducam.

12 Porrò ex omnibus his Congregationibus in unum corpus redactis per *Richardum Cardinalem S. Angeli*, ad hoc à summo Pontifice delegatum, generalem omnium unionem fecit *Alexander quartus*, & illum Ordinem, qui *Eremitarum Sancti Augustini* hodiè dicitur, erexit, & confirmavit, constituto ipsis *Lancfranco Mediolanensi* in Generalem, Laterani, 5. Idus Aprilis, anno sui Pontificatus secundo. Verba bullæ sunt hæc: *Dudum mandatum Apostolicum à nobis emanavit, ut de singulis domibus vestris, quarum quædam Sancti Gulielmi, quædam Sancti Augustini Ordinum, nonnullæ autem Fratrum Ioannis Boni, aliquæ verò de Fabali, aliæ verò de Brictinis censebantur, & apud homines ambiguis interdum nuncupationibus vacillabant, duo Fratres cum pleno mandato ad nostram mitterentur præsentiam, quod nostra circa vos salubriter ordinaret dispositio recepturi. Cumq; Fratres hujusmodi ad sedem Apostolicam*

Invenies hanc bullã apud Laertium Cherubinum to. 1. Bull. sub Alex 4. bull. 6 & Crusen. p. 2. cap. 1. & Wading. in suo Apologetico §. 4. n. 21.

licam accessissent, coram dilecto filio nostro Richardo S. Angeli Diacono Cardinali, quem negotio unionis vestræ perficiendo, vice nostra, deputavimus, sufficientia ad id exhibuêre mandata, & in Generali Capitulo vestro in urbe celebriter congregato, nomine omnium à quibus fuerant destinati, & de communi Capituli ejusdem assensu, vos & domos vestras in unam Ordinis observantiam & vivendi formulam uniformem redigi, unumq; ex eis ovile fieri, Generalis Prioris præsidentiâ gubernandum, unanimiter consenserunt, petentes ut per gratiam unionis & conformitatis hujusmodi eis, juxta conceptum votum paupertatis spontaneæ, perpetua possessionum terrestrium abdicatio remaneret, & ipsis baculos vel ferulas deferendi imposita necessitas tolleretur, collatâ in Cardinalem eundem providendi vobis eâ vice de Generali Priore totius Ordinis nihilominùs potestate. Porrò idem Cardinalis, nostri authoritate mandati, vivo ad eum sermone directi, nec non & concordi eorundem Fratrum ac prædicti Capituli consensione suffultus, universas domos & Congregationes vestras in unam Ordinis Eremitarum S. Augustini professionem & regularem observantiam perpetuò counivit sub Generalis cura Prioris, canonicè instituendi pro tempore præ aliis Provincialibus, necnon & Conventualibus singularum domorum Prioribus regulariter gubernandas. Et ut novam ovilis Dominici unionem universalis capitis unitas consummaret, te dilecte fili, Frater Lancfrance, in Generalem Ordinis ejusdem Priorem & Patrem, Spiritus sancti gratiâ invocatâ præfecit, ac etiam prout à nobis specialiter in mandatis acceperat, confirmavit, vos universos & successores vestros à baculis & ferulis deportandis, & quod non cogamini ad recipiendas possessiones aliquas, vel habendas, decernens perpetuò liberos & exemptos. Nos igitur præfati Cardinalis processum, convenientem cum voluntatis nostræ proposito, approbantes, præmissa omnia grata habemus & rata, ipsaq; authoritate Apostolicâ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Insuper autem personas & domos vestras sub BB. Petri & Pauli protectione suscipientes, & nostrâ præsentium authoritate statuimus, ut vos filii Priores & Fratres in professione prædicti Ordinis in præfato Generali Capitulo ordinatâ, quo quidem Ordine vos perpetuò censeri volumus, vobiscum super universarum professionum aut observationum debito, quas antea feceratis in prædictis, vel aliis Ordinibus, dispensantes, sub devota Generalis Prioris, quem nunc vobis divina ordinatio prætulit, ejusq; successorum obedientiâ perpetuò virtutum Domino servientes, nigris dumtaxat & nullis aliis alterius coloris cucullis, ut uniformis amictus normam ejusdem in vobis professionis ostendat, utamini de cætero universi. Et, ut hæc sancta unio, quam perpetuæ pacis tranquillitate gaudere volumus, omnibus integritatis suæ perfecta partibus, stabilis perseveret, decernimus ut omnes domus Ordinum suprà scriptorum, quarum Fratres juxta mandati nostri formam, ad nostram præsentiam non venerunt, ipsi unioni, tanquam corpori membra, absque diffugio ullius exceptionis inhæreant, & ad observationem prædictorum omnium teneantur. &c. Hæc præfati diplomatis verba volui recitare, quod eis non modicam præsenti instituto lucem afferri intelligerem.

Lancfrancus Mediolanensis constituitur primus Prior Generalis ordinis Eremitarum S. Augustini anno 1256.

13 Cum itaque nulla ex memoratis suprà Congregationibus, nec ex omnibus præfatæ bullæ tenore simul adunatis conflatus ordo, tempora S. Columbani pertingere potuerit, ut hactenùs initâ temporum exactâ calculatione monstravimus, relinquitur sub nullâ saltem ex his Congregationibus, aut sub Ordine inde collecto, militare potuisse *Columbanum*, & multo minùs *Comgallum*, aliosvè Columbano priores, atque adeò neque ullam eremiticam S. Augustini Regulam esse professum, qualem ante illa tempora nullam extitisse multi affirmant à Gabriele Pennotto * copiosè relati: Nauclerus vol. 2. gen. 40. 31. primam dicti Ordinis fundationē ad Guilielmum Aquitaniæ Ducem & Joannem Bonum memoratos refert, *Volaterr. lib.* 21. *Antrop.* ab Alexandro IV. ejusque Legato S. *Bonaventurâ* probatos affirmat, *Robertus Holcot in cap.* 7. *lect.* 95. scribit illos collectos ex Eremitis, factos Urbanitas & assumpsisse Regulam S. Augustini, & hinc illum Ordinem dici Eremitarū S. Augustini, de quorum tamen Ordine nunquam fuit Augustinus; S. Antoninus p. 2 tit. 16. c. 8. & 3. p. tit. 24. c. 24. habet, quod licet potuissent ante Mendicantes, fuisse aliqui eremitæ viventes secundum Regulam D. Augustini, non tamen habebant unum caput, nec habebant easdem constitutiones, quas Eremitani mendicantes in civitatibus; *Arnoldus Wion cap.* 9. *Ligni vitæ*

Qui negant ullum eremiticum S. Augustini ordinem extitisse ante præfata tempora?

* l. 1. hist. Can. Reg. c. 44. & 45.

vitæ dicit tempore *Petri Damiani*, qui floruit anno 1010, nullos Eremitas D. Augustini Regulam observasse. *Pudentius Sandoval* agens de S. Ildefonso Toletano *lib. de fundat. Ord. S. Benedicti*, asserit S. Augustinum nullum Ordinem novum instituisse, sed tantùm Regulam suis Clericis scripsisse. Quorum omnium sententiam confirmare videtur altum omnium veterum Pontificum & Conciliorum, Doctorum & Historicorum de hujusmodi instituto silentium usque ad tempora magni Lateranensis Concilii sub Innocentio III, quorum nullus facilè proferetur, qui de hoc Ordine verba facit, ut testantur *Jordanus de Saxonia* & *S. Antoninus* superiùs adducti. superiùs adducti. Et quamvis Coriolanus scribat Innocentium I. hunc Ordinem suis ad *Valerium Hipponensem* litteris confirmasse, aliosque Pontifices ante Concilium Lateranense multa ei privilegia contulisse, nullum tamen dictorum privilegiorum, aut litterarum potuit exemplar proferre. Prætereà dictus Jordanus ibidem cap. 19. disertè fatetur, S. Augustinum non obtinuisse à Sede Apostolica sui Ordinis confirmationem, *Nec mirum*, inquit: *non enim illo adhuc tempore usus inoleverat Sedem Apostolicam circa talia occupari, quia nulla fuit adhuc prohibitio vel restrictio de Ordinibus instituendis.*

Sanè altum de eo apud veteriores eo ævo silentiū

14 Denique si fuisset tunc talis Ordo ab Augustino institutus, & ab Innocentio approbatus, proculdubiò præcederet alios Ordines, origine & institutione posteriores, videlicet SS. *Benedicti*, *Dominici*, *Francisci*, &c: juxta enim antiquitatis & confirmationis ordinem, præcedentia computatur, ut notat Glossa communiter recepta in *cap. Quorundam de elect. in 6.* verbo. *Prædicatorum.* in cap. *Statuimus* de *major. & obed.* V. *primum locum.* & cap. *certum.* eodem. junctâ Glossâ. Unde inter *regulas juris in 6.* 54. est hæc: *Qui prior est tempore, potior est jure.* Item in Jure civili passim cavetur, ut priores tempore, sint priores in honoribus & sessionibus. De qua re videri potest alii Abbas & alii Doctores in citata capitula *de maior. & obed.* Ast Eremitanus Ordo talem præcedentiam non obtinuit: nam Prædicatores & Minores præcedunt in omnibus actibus publicis & sessionibus Augustinianos illos collectos ab Alexandro IV, qui se dicunt ejusdem planè fuisse professionis cum illis, qui ante Concilium Lateranense sub Augustini Regulâ vixisse dicuntur. Quam præcedentiam Eremitæ consecuti fuissent, etiamsi à nullo, quàm ab Augustino Regulæ approbationem accepissent. Nam Ordo approbatus olim ab Episcopis vel Provinciali Concilio, sine ulteriori Sedis Apostolicæ confirmatione pro approbato ab omnibus catholicis habebatur, & ab Ecclesia pro tali recipiebatur, ut colligitur *ex cap. parsimonia. dist.* 41. prout etiam Jordanus suprà fatetur; & clarè constat exemplis sanctorum Patrum, Basilii, Pachomii, Martini, & nostrorum olim Hiberniensium, *Comgalli*, *Columbæ*, *Brandani*, *Coemgeni*, qui hujusmodi Regulas condiderunt, ut infrà latiùs, & aliorum; quorum omnium instituta nullo speciali Apostolicæ Sedis decreto confirmata, innumeros, eosque sanctissimos, habuêre cultores, ad magnum Ecclesiæ ornamentum, & communem Christiani orbis utilitatem, quando sub hujusmodi regulis & institutis erecta coenobia vel congregationes ita florebant, ut in aliquibus tria, in aliis quatuor, in nonnullis etiam septem, imò viginti monachorum millia aliquando cohabitasse legantur, ex quibus qui non poterant Ecclesiã verbo instruere, ædificabant exemplo. Si igitur Augustiniani Eremitæ ante exortos Patres Prædicatores & Minores, sub Regula ab ipso dumtaxat Augustino præscriptâ & approbatâ militassent, proculdubiò ante illos in omnibus consessibus publicis ipsi, velut tempore & institutione priores, locum & præcedentiam obtinuissent. Ex quibus omnibus concluditur, saltem valdè dubium esse, ullum fuisse Ordinem Eremiticum ab Augustino fundatum, vel si fuit, non nisi absque capite fuisse, & communi aliquâ vivendi formâ, quales non fuerunt monachi S. Columbani, semper in communi, & sub uno capite viventes & Regulâ; qui proinde S. Augustini Eremitis accensendi non sunt, ipsius tempore vel nondum institutis, vel dispersis; quod ulteriùs confirmare placet.

Pro Regulis olim monasticis sufficiebat approbatio Episcopi vel concilii Provincialis.

§. III.

§. III.

Aliis adhuc conjecturis idem ostenditur.

15 EX dictis superiùs hoc idē de Columbano confirmatur. Nam suprà ex Jordano de Saxonia, & S. Antonino, & aliis ostensum est, obscurum esse quomodò vixerint, aut quid egerint Eremitæ S. Augustini usque ad tempora Innocentii III. Quod si *Columbanus* Eremita fuisset Augustinianæ Regulæ, nequaquam ita mansisset ignotus Ordinis ejus progressus; quippe qui iam per tantum virum ipsius alumnum, in tot per Galliam, Germaniam, Italiam, illustrium monasteriorum, quæ usque in hęc tempora continuâ successionis serie perseverant, fundatione latè propagatus, toti fuisset Europę notissimus, omnium Scriptorum calamis celebratus, Principum Christianorum (qui pro sua in S. Columbanum, ejusque monachos devotione & munificentiâ, eadem copiosè ditaverunt) litteris & privilegiis ac authenticis donationum instrumentis celebri memoriâ commendatus, ac denique ipsorum monasteriorum tabulis ac regestis, sedulâ observatione consignatus; in quibus tamen omnibus ne vel levis quidem mentio reperitur ejusmodi Ordinis in illis locis vel plantati vel recepti.

multis olim celebratus ordo S. Columbani monumentis,

16 Pręterea in omnibus Columbani monasteriis Benedictinæ Regulæ professores introducti facilè id ipsum convincunt. Etenim si priores illorum locorum incolæ Augustinianæ professionis fuissent, nequaquam sanctissimi Patriarchæ Augustini, clarissimi Ecclesiæ doctoris, Regulâ relictâ, aliam aliquâ recentiorē amplexi fuissent professionem, maximè in aureis illis initiis, quibus singulari cœnobia illa sanctitate florebant, & copiosâ virorum illustriū multitudine, qui minimè passi fuissent tam citò se à sui Doctoris abduci disciplinâ, sub quâ tanta fuissent monasticæ perfectionis incrementa consecuti, & ad aliam longè diversam vivendi rationem transferri. Neque credi potest illa loca, ejectis Augustinianis, ad Benedictinos fuisse translata, cùm nullo modo verisimile sit, ipsorum monasteriorum patronos, & Romanos Pontifices vel leviter de fructu uberi, tunc per operam in illis viventium monachorum, Ecclesiæ Dei proveniente, informatos, passuros fuisse, ut illa à veris possessoribus, & quidem benè meritis, tam subitò cum Eremitarum sanctissimè viventium injuriâ alienarentur. Quod si hoc vel illo modo ea transmigratio contigit, mirum est quòd nulla vel tenuis ejus rei apud ipsos saltem eorundem locorum Chronographos extet memoria, quâ tempus & causam ejus doceremur; unde potiori multò jure suum dicere possunt Benedictini Columbanum, qui tot sæculorum pacificâ possessione, fundata per ipsum, ejusque discipulos, monasteria, velut hæredes tenuerunt.

si Augustinianus esset, nequaquam ejus cœnobia transferrentur ad Benedictinos,

17 Ulteriùs id ipsum evidenter infertur ex diversâ formâ regiminis, & nomenclaturâ Rectorum Congregationis Luxoviensis seu Columbani monachorum, & Eremitarum S. Augustini: nam horum prælati in omnibus Bullis & privilegiis Pontificiis hactenus à temporibus Innocentii III, Priores inscribuntur, quod etiam continuo usu satis confirmatum videmus, & in ipsa Regula, quam profitentur, ab Augustino traditâ, statuitur, ut *Præposito tanquam Patri obediatur, multò magis Presbytero*; qui nimirum nomine Episcopi, tam Præpositi, quàm monachorum erat inspector, ut rectè notavit Reynerus pag. 119, & ad quem Præpositus in gravioribus dumtaxat causis, quæ modum & facultatem ipsius excedebant, recurrere tenebatur. At verò monachi S. Columbani, sine ullo ad Episcopum, vel substitutum ab eo Presbyterum recursu, ab Abbatibus, qui & ipsi monachi erant, & omnibus monachorum causis & concursibus diligenter intererant, ut de ipsomet Columbano primo Abbate expressè tradit Jonas cap. 3. & universa contestatur antiquitas, nec ullibi Priores aut Præpositi, nisi fortè rarissimè, dicti leguntur. Licet enim substituti ab Abbatibus in regimine monasteriorum (quales sunt in cœnobiis Benedictinis Priores, & in nostri Seraphici Ordinis conventibus vicarii) Præpositi dicerentur, ut etiam ex Jona citato & cap. 9. constat, ipsi tamen Prælati, seu Patres, aut Capita monasteriorum, non Præpositi, sed Abbates vocabantur, vel Seniores, aut Patres, & similiter quæ præerant monialibus dicebantur Abbatissæ. Ex quibus

ejusque & Augustiniani Ordinis regimen prorsus dissimile.

bus omnibus colligitur, Columbani monachos alterius planè fuisse Ordinis & Regulæ ab Eremitano S. Augustini Instituto, quod nunquam sic ab Abbatibus administrari consuevit.

18 Postremò ipsemet Columbanus scripsit pro suis monachis formulam vivendi, quæ apud omnes passim scriptores Regulæ nomen obtinuit, de quo infrà latiùs, & pluriumEpiscoporum in Concilio Matisconensi suffragiis commendatam & confirmatam. Quam Regulam professi quo titulo vocari possunt Augustiniani, plusquam *Basiliani*, vel *Pachomiani*, maximè cùm ne in Regula solùm, sed nec ullibi in suis Opusculis vel Augustini meminerit, vel doctrinæ ab ipso suis discipulis traditæ; cùm tamen S. Basilii, Hieronymi, Gregorii, Comgalli, & aliorum Sanctorum Patrum, sæpius faciat mentionem, & eorum interdum verba producat ad suæ doctrinæ confirmationem; cùm etiam minorem habeat illa Regula cum Augustini cœnobiticâ propinquitatem, quàm cumOrientaliū monachorum institutis & legibus, quibus in cibi qualitate, & Psalmodię ordine propiùs accedit, necnō & in ipso sermonis usu, in quo miscentur verba illis *Aegypti* monachis usitata, qualia sunt imprimis *paximacium*, *Cenodoxia*, *Archimandrita*, *Nonnus* &c, quorum frequens est apud Cassianum usus & Græcos Patres. Ex quibus omnibus facilè repellitur inane quorundam, ac imprimis Marquezii effugium, asserentium dictam Columbani Regulam nihil aliud esse, quàm constitutiones quasdam, quas S. Columbanus Augustino adjecit; ut quid enim omisisset nominare (cum in eo argumento versabatur) eum, cujus doctrinam ejusmodi statutis communire & roborare satagebat? Vel cur librarii, Columbani Regulam describentes, titulum aliquem talium constitutionum, ex mente Columbani indicem, non, affixerunt? Sed quia ex his quæ articulo sequenti dicturi sumus tam hujus figmenti, quàm hactenus improbatæ de Columbani monachatu assertionis falsitas pleniùs ostendetur, pro nunc hac de re misso sermone, ad proposita superiùs pro Eremitis motiva solvenda transeamus.

& Regula diversa

§. IV.

Solvuntur motiva pro Augustinianis in principio articuli adducta.

19 Primum itaque illud, quod adducit Crusenius de Officio in honorem S. Columbani ab Augustinianis recitari solito, nihil concludit. Nam in propriis religiosorum Breviariis & Calendariis plurimi recensentur Sancti, qui religiosi non fuerunt, quod inspicienti Breviaria Benedictinorum, Carthusianorum, Prædicatorum, Carmelitarum, Fratrum quoque Minorum, multis apparebit exemplis, & in ipsorum etiam Eremitarum (ut alia prætermittam) Calendario inter alios inferuntur *Cornelius & Cyprianus*, *S. Stanislaus* Episcopus & martyr, *Gregorius Nazianzenus*, & alii, quos nemo scribit Eremiticum Augustini Ordinem fuisse professos; & ex horum numero fuisse Columbanum vel inde concluditur, quòd de ipso Officium recitare desiterint Eremitæ, quod videri posset parvæ pietatis, & erga tantum Sanctum exiguæ devotionis argumentum, si is illorum esset instituti. Alia itaque quærenda ratio est cur ipsorum primitùs insertus sit Calendario Columbanus, quàm quòd Ordinis esset persona. Pari facilitate refellitur illud, quod de templis Columbano dicatis, subtexuit Crusenius: nam Basilicas & Oratoria solet certis Sanctis erigere populus Christianus ad eorum Reliquias honorandas, vel ad prædicationis, curationis, & similium beneficiorum, eorum meritis concessorum, memoriam conservandam; qualia populo *Florentino & Lucensi* strenuum Evangelii præconem Columbanū, cùm Italiam obambularet, non dubium est præstitisse quàm plurima; sicut & fidelem ejus discipulum S. Gallum *Veneriis* exhibuisse, illa quam in Ecclesia *S. Eustachii*, priùs sub ipsius invocatione, ut creditur, extructâ, in ipsius S. Galli altari usque adhuc conservata memoria & Officium semiduplex in ejus die sacro in eadem civitate recitari solitum, satis luculenter ostendunt. Neque demonstrari potest memorata templa ab Augustinianis primò fuisse fundata. Nam licet Ecclesiæ illi ad muros Lucenses extructæ anno 1266, teste Cæsare Franciotto de

multi non religiosi inseruntur Calendariis religiosorū Ordinum

Ecclesiæ in honorem S. Columbani in Italia erectæ, & quare.

Sanctis Lucensib. pag. 543. & concedente Capitulo generali, ex divenditis eremitorii illius prædiis collectam pecuniam ad ampliorem S. Augustini fabricam construendam contulerint; nusquam tamen invenire potui, primævam illius loci originem ab Augustinianis incepisse; nec aliunde quàm ab ipsa civium in Sanctum virum de Italia benè meritum devotione, sicut & aliud Florentinum, promanasse crediderim. Quod si ea loca postmodùm in eas civitates admissi Patres Eremitæ, ex populi & senatus liberalitate ad incolendum obtinuerunt, non inde consequitur ea fuisse ab initio pro ipsis constituta, vel Sanctum tutelarem ejusdem cum illis Regulæ vel professionis extitisse.

20 Ad alteram rationem, quæ in eremitica S. Patricii professione fundatur, respondemus imprimis non videri posse ullo probabili argumento deduci S. Patricium Eremitam fuisse Augustinianæ professionis; imprimis enim nullo id antiqui Scriptoris de Patricio loquentis testimonio fulcitur, aut certis indiciis. Deinde nullus ex illis, quos S. Patricius in sacrarum litterarum studio magistros coluit, ejusmodi vitæ genus observavit. Martinum etenim Turonensem, apud quem, teste Probo, quatuor annos traduxit Patricius, nullus unquam vetustus author & fide dignus Augustinianum scripsit Eremitam, nec scribere potuit, cùm aliquot ante constructum Hippone ab Augustino præcipuum sui Instituti monasterium, Martinus fuerit ordinatus Episcopus Turonensis, ut tradit Baronius, ordinationem *Martini* ponens anno 374. & Augustini 395. antè quam ordinationem plurium annorum intervallo verisimile est S. Martinum Institutum illud, sub quo postea vixit *Patricius*, Ecclesiæ suæ tradidisse. Nec Eremitæ illi, inter quos ex eodem Probo octo annis à Martino digressus, Angelico monitu conversatus est, Augustini Regulam profitebantur, ut statim ostendam; quòd & de *S. Germano* etiam Autissiodorensi, cujus magisterio diutiùs Patricius usus esse perhibetur, affirmandum erit, donec signum aliquod certius illo, quod ex ejus formâ habitus adducit Crusenius, appareat; nam tunica & cuculla non plus indicant Eremitam Augustinianæ, quàm Pachomianæ Regulæ, quibus talis habitus erat in usu, ut pleniùs ex Hieronymo & Cassiano mox citandis ostendam. Prætereà ex Jordano suprà lib. 1. cap. 5. & aliis mox citandis, cuculla Eremitarum erat nigri coloris; Patricii verò candida. Quod si contendas istos Sanctos quamvis alterius essent instituti, Regulæ Eremiticæ S. Augustini præcepta tradere potuisse, fateor quidem: verùm aliter contigisse, ex eo colligitur, quòd missus à *Germano* cum *Segetio* Presbytero Romam *Patricius* ad *Cœlestinum*, non Eremiticam, sed Canonici Regularis vitam exercuit in Ecclesia Lateranensi, ut constat ex *Officio Canonicorum Lateranensiũ* à Pio V. approbato, in quo habetur ex Canonico Lateranensi creatum à *Cœlestino* Hiberniæ Apostolum, eoque missũ cum *Auxilio* & *Servinio* Lateranensibus item Canonicis. Certè nullo modo credendum est, S. Patricium adhuc in minoribus agentem, nondum ad prædicandum Evangelium missum, alium vivendi normam Romæ coluisse, distinctam ab illa, quam in Galliis à *Martino* & *Germano* magistris hausisset; & proinde sicut Romæ vixit, ita & in Galliis Canonicũ extitisse Regularem, cujus viæ viros in Cathedralibus solebãt Ecclesiis Episcopi tunc Galliæ adunare, sicut S. Augustinus in Africa faciebat, quod de S. Fulgẽtio & Prospero Aquitano refert Myræus, & de aliis Episcopis alii contestantur historici juxta Crusenium part. 2. c. 6 ex quorum numero verisimile est extitisse Martinum & Germanum, à quibus, Jocelino testante, Patricius monasticũ suscepit institutum & Apostolicam doctrinã. Nec obstat quòd non Canonici, sed monachi vocem usurpet Jocelinus: nam authores solent frequenter hæc nomina confundere, ut patet ex S. Antonino in sum. hist & sum. Theolog. 4 part tit. 14. c. 10. §. 8. nomen clerici cum monachi confundente, & Matthæo Paris in Henrico III. sub an. 1240 pag. 730. edit londin. & notat Azorius instit. moral. lib 12. c. 19. ex Abbate in cap. *ex parte*, docente nomen monachi ad omnes Religiosos transferri solitum, nisi specialis appareat ratio restringendi.

21 Cæterùm an Instituti S. Augustini fuerint hi Canonici quibuscum vel in Gallia, vel Romæ versatus est Patricius, quæstio est satis intricata; nam si juxta Vincentium, Antoninum, Platinam, Volaterranum, Baronium, & reliquos passim scriptores, primus ejus Instituti propagator ex Africa extitit Gelasius Cœlestino & Patricio posterior, quomodo potuerunt Patricius aut alii Lateranenses Canonici, cum quibus vitam

S. Patricius non fuit Eremita S. Augustini,

ut nec SS. Martinus, aut Germanus,

sed Canonicus Regularis.

tam degebat Canonicam, Augustini Regulam esse professi; quod tamen videntur asserere Joannes de Nigra-valle lib. Epil. Chron. 13. c. 18. Volaterr. lib. 21. Antrop. Robertus Richardin. ad illa verba Regulæ Sancti Augustini: *nolite cantare*, Joannes Trullus & Augustinus Ticinensis, necnon & Pius V. in Bulla approb. Offic. Canonic. Lateranensis Congreg. *S. Patricium* discertè inter Canonicos Regulares recensentes; idque Ordinis S. Augustini, de quibus proculdubiò ipsi sunt intelligendi. Quo, inquam, sensu ista subsistunt, nisi admittamus primam Canonicorum S. Augustini in Ecclesiam Lateranensem traductionem in anteriora, quàm Gelasii tempora referendam, & ipsum Gelasium non nisi instauratorem esse potuisse ejus Instituti, idque præfatos authores solum contendere, & ipsum Breviarium Canonicorum Regularium Lateranensium, in quo hæc leguntur: *Gelasius una cum sociis perbenignè à Leone I. Papa excepti, atque in Ecclesia Lateranensi collocati, Canonicum ibi Ordinem juxta D. Patris nostri Augustini Regulam & saluberrima instituta instaurare cœperunt &c.* Ubi notandum, *instaurare*, quo supponere videtur, præfuisse jam ibi Canonicos, quos secundum mentem & instituta S. Augustini instauravit, seu reformavit. Vel dicendum præcessisse quidem Laterani Canonicos Regulares, Apostolicam Regulam professos, quos idcircò suis Augustiniani adnumerant, quòd ab Augustini sectatore Gelasio, sancti Doctoris disciplinam & Regulam successores ipsorum accepissent. Ex quibus colligitur, quocumque illi sensu Augustiniani vocentur, satis veritati consentaneum esse, S. Patricium ejusdem Instituti Canonicum extitisse, & ex tali assumptum in Episcopum. Quod ulteriùs confirmari potest ex tot per ipsum ejusque sectatores in Hibernia fundata hujus Ordinis Ecclesias & monasteria, quæ nunc prolixum foret sigillatim recensere. Itaque neque instructores S. Patricii Eremitæ fuerunt, neque doctrina ab ipsis Patricio tradita probari potest fuisse Eremitica S. Augustini, sed potiùs Canonicalis. Sed quia de Patricii monachatu seu Canonicatu fusiùs loqui non est hujus loci, ad illud unde digressi sumus revertamur, adductis pro Crusenio rationibus satisfacturi.

22 Quarum illa quæ ex Jocelini testimonio profertur asserentis S. Patricium cucullâ candidâ incedere consuevisse, ipsam pro qua formatur opinionem impugnare videtur; cum enim juxta varia Summorum Pontificum Gregorii IX. Innocentii IV. Alexandri IV. decreta nigri coloris habitu uti debeant Eremitæ, ut etiam tradit Marquez cap. 4. Crusenius 1. part. c. 17. asserentes eundem colorem ab ipsomet primitùs Augustino suis Eremitis traditum, quo deduci potest argumento ex candida S. Patricii veste Eremiticus ejus sub Augustini Regula monachatus? Cæterùm candor ille non erat curioso aliquo peregrinæ admixtionis artificio inductus, sed talis, quem ipsa velleris natura ferebat, quod in ovibus Hibernicis candidum esse solet; quâ nativi coloris simplicitate Sanctæ paupertatis & humilitatis amore, ad exemplum S. Patricii contenti Hiberniæ monachi, multis sæculis vivebant, ut adductis suprà verbis subjicit Jocelinus: *Unde & monachi in Hibernia* inquiens, *S. Patricii sequendo vestigia, per multa temporum volumina habitu simplici contenti erant, quem ovium ministrabat lana qualibet extrinsecâ tinctura remotâ.* Ex quibus clarè rejicitur inane quorundam figmentum, dicentium idcircò Hiberniæ monachos album sibi præ nigro colorem elegisse, ut quoddam maleficorum genus, atrum sibi colorem vendicantium, subterfugerent; quod quia nullo nititur fundamento, & citatis jam Jocelini verbis apertè repugnat, asserentis S. Patricium & monachos ipsum imitantes, ad repræsentandum humilitatis & innocentiæ candidatum, album colorem assumpsisse, tam facilè rejicitur, quàm asseritur.

Nec color cucullæ ejus contrarium probat.

23 Quod si adversarii plus velint momenti collocare in forma quàm in colore habitus S. Patricii ad suam sententiam commonstrandam, neque sic etiam suo ipsum conquirent Instituto; cuculla siquidem vestimenti genus, quo caput & humeri, & apud aliquos etiam, ut Patres Benedictinos, reliquum corpus contegitur, usitatissima erat apud Ægypti monachos, quod teste Cassiano lib. 1. instit. c. 4. non tam ad corporis curam, quàm ad monasticę simplicitatis & innocentiæ symbolum gerebant, ut etiam fatetur Dorotheus Abbas apud eundẽ: *ferimus*, inquiens, *cucullam, quod innocentiæ signum est & puritatis.* De quâ cucullatâ Ægy-

ptiorum

ptiorum veste legendi Sozom. lib. 3. hist. c. 15. Nicephor. li. 9. c. 14. Palladius hist. Lausiacæ cap. 38. S. Hieronymus in vita S. Hilarii; qui omnes consentiunt Ægypti monachos cucullatos incessisse, S. quoq; Benedictus cap. 55. suæ Regulæ monachis cucullæ usum præscripsit, de quo ibi Turrecrem. tract. 121. Quæ si vera sunt, uti certum est esse verissima, qua ratione concludi potest ex cuculla S. Patricii, ejus sub Augustini potiùs, quàm sub Basilii, vel Pachomii Regula institutio? Vel qua consecutione, discipulorum ejus Sancto Benedicto æqualium, vel posteriorum, Augustinianam, potiùs quàm Benedictinam professionem, talis habitus indicabit, maximè cùm nihil de nigro colore (quem postmodùm usus monachorum invexit) assumendo, in Regula Sancti Benedicti contineatur, per quod excludi possent à Benedictinâ familiâ, in albis incedentes Hibernienses monachi. Nullum itaque ex S. Patricii cucullâ colligi potest argumentum pro Eremitica ejus sub Augustino professione, & multò minus ex baculo quem gestare solebat, qui nequaquam talis erat, qualem circumferre solebant olim in manibus mendicantes Eremitæ quinque palmorum, ipsis à Gregorio nono, (non primo, ut opinatur Jordanus citatus) præscriptum; sed, velut altera virga Moysis, signis & prodigiis illustris, & quod à Domino Salvatore nostro descendisset, *Baculus Jesu* nuncupatus. Quod si dicamus S. Patricium baculo, usuali more Eremitarum, aut ruricolarum, vel itinerantium, uti solitum, nihil inde ad propositum Patrum Eremitarum efficitur, quia ejusmodi baculus dici nequit Eremiticæ ipsorum sub Augustino professionis insigne, sicut fuit ille quinque palmorum à Gregorio 9. præscriptus, solis Augustinianis proprius.

nec quod baculo usus fuerit,

24 Aliud quod ex Probo adducitur à Crusenio, plus ipsius impugnat, quàm propugnat opinionem, si attentè Probi verba, à Crusenio truncata, pensentur: *Peracto verò quadriennio, apparuit ei Angelus Domini, & dixit illi: vade ad plebem Dei, id est, Eremitas & solitarios nudis pedibus, & conversare cum eis, ut proberis per aliquod tempus.* Hæc Jocelinus, ex quibus habetur, Eremitas ad quos ab Angelo directus est Patricius, nudis pedibus incedere consuevisse; quam consuetudinem apud Augustini Eremitas olim viguisse nullibi legimus, quin potiùs contrarium pro more habitum, hujus temporis Eremitæ declarant, cum calceis & tibialibus incedentes. Prætereà non monet Angelus, ut cum illis Eremitis remaneat tanquam unus ex illis, & futurus corporis illius membrum, sed ut probaretur ad tempus arctioris vitæ studiis, quò promptior & paratior spiritu redderetur altioribus ministeriis postmodùm obeundis. Ex quibus omnibus apparet, nihil hic Probum favere Crusenio. Quod si concedamus, illos de quibus agit Probus, fuisse, ut conjicit Crusenius, insulæ *Lerinensis* cultores, minùs favere videbitur. Nam illi, sicut & Massilienses, non ab Augustino, sed ab Ægyptiis & Palestinâ, monachatum suum acceperunt; quod nemo dubitabit, qui vel *Severi* Dialogos de monachis Orientalibus, vel *Cassiani* Instituta & Collationes, vel denique Sancti vitam *Honorati*, Lerinensium fundatoris, perlegerit: *Vos, ô Sancti Fratres* (inquit Cassianus in sua Præfatione ad Collationes Patrum) *Honorate & Eucheri, tantâ illorum sublimium virorum, à quibus prima anachoreseos instituta suscepimus, laude flammamini, ut unus quidem vestrum ingenti Fratrum cœnobio præsidens, congregationem suam, quæ quotidiano sanctæ conversationis vestræ docetur intuitu, illorum quoque Patrum præceptis optet institui. Alter verò, ut etiam corporali eorundem ædificaretur aspectu, Ægyptum penetrare voluerit.* Pensentur illa verba: *tanta illorum sublimium virorum* (Patrum scilicet Ægypti) *à quibus prima anachoreseos instituta suscepimus, laude flammamini*; quæ non ad *Cassianum* tantùm & *Massilienses*, sed ad *Honoratum* & *Eucherium*, ad quos sermonem dirigebat Cassianus, referri debent, adeoque ad monachos Lerinenses, illorum Patrum ab Honorato præceptis instructos. Quibus omnibus clarè colligitur, non Augustino, sed Ægyptiis suam institutionem debere præfatos monachos. Quod ulteriùs ex eo confirmatur, quòd Cassianus cum suis Massiliensibus, & *Faustus* Abbas Lerinensis, ab Augustino tam acriter dissenserint in gravissimis fidei quæstionibus de gratia & libero arbitrio; quod nequaquam illi fecissent, si Augustinum præceptorem & vitæ suæ institutorem agnovissent,

& habitarit aliquantisper inter Eremitas.

Unde monachi Lerinenses suũ monachatum acceperunt.

vissent, cujus vel solo verbo ipsi à talibus opinionibus docendis revocari potuissent. Itaque sive de Eremitis illis nudipedibus, sive de Lerinensibus, Probi citata intelligatur authoritas, nihil Eremitico sub Augustino S. Patricii instituto suffragatur.

Adductum supra S. Patricii chirographum videtur apocryphum.

25 Sed nunc ad ipsum S. Patricii chirographum transeamus, in quo majorem vim ponunt adversarii: ad quod imprimis respondemus, nobis planè videri apocryphum, ut ex falsâ, quæ ibi traditur chronologiâ colligitur; ibi enim dicitur anno Incarnationis Domini 433. in Hiberniam à Cœlestino missum esse Patricium, cùm tamen ad hunc annum non pervenerit Cœlestinus, qui excessit è vita anno priori 8. Idus Aprilis, ut declarat Baronius ad eundem annum; quo etiam anno electus est *Sixtus* Romanus in Pontificem, ut ibidem notatur. Unde si ad annum 433. cum dicto chirographo Patricii missionem extendamus, non à Cœlestino, sed à Sixto dicendum erit, missum fuisse Patricium, contra omnes Scriptores, qui ex instituto de Sancti Patricii apostolatu loquuntur, & universam antiquitatem, qui unanimi consensu affirmant ipsum à Cœlestino ordinatum Hiberniæ Apostolum, idque anno 431, vel ad summum 432. inchoato. Qua de re videndus Baronius ad annum 431. Neque aliquod subest fundamentum dicendi hîc errorem in numeris irrepsisse, cùm exemplaria illius chirographi inter se & cum MSS, quæ haberi possunt, concordent. Deinde verba illa, quibus ait se author illius chirographi, *Hibernicos ad fidem veritatis convertisse, & in fide Catholica solidasse.* Item *invitum in pastorem* ab Eremitis *Avallonia* assumptum, aliena planè videntur à S. Patricii humilitate & modestiâ, qui se vilem peccatorem, & nullis magnis conferendum scribere consuevit, ut ex Jocelino colligitur. Prætereà nullibi legimus Sanctum Patricium post conversos Hibernos aliò commigrasse ad habitandum, neque ullo modo credibile videtur, id permissuros fuisse ipsius insulæ Sanctos, quos ipse in Christo per Evangelium genuerat, qui tanti Patris absentiam ferre minimè potuissent; sed neque vigilantissimum Pastorem oves sibi commissas ita deserere voluisse credendum est, ut suæ eis præsentiæ solatium, & opportuna doctrinæ emolumenta subtraheret. Certè talem ejus ex Hibernia recessum nequaquam siluissent ii, qui ejus missionem, prædicationem, itinera, peregrinationes, omnes demùm labores, exactissimè litteris consignârunt: minus contrarium tradidissent quot veterum ejus Acta scripserunt, clarè & passim indicantes, in Hibernia consenuisse, defunctum, sepultum esse; ubi & solemnissimè ejus pariter & SS. Columbæ & Brigidæ corpora sunt elevata & cultiori loco reposita anno 1186. Sed demus gratis vera ea esse quæ illo scripto asseruntur, quibus tunc constabit indiciis duodecim illos in Avalloniâ insulâ Eremiticam vitam ducentes, Augustiniani fuisse Instituti, præsertim cùm multi illis temporibus solitariam vitam agerent, qui nihil de S. Augustini Regulâ audierant?

26 Ultima demum conjectura, ab Augustinianis super Purgatorium Sancti Patricii consistentibus, desumpta, si quidquam valet, potiùs Canonicis Regularibus, quàm Eremitis Sancti Augustini Patricium vendicat: nam qui illum locum incolunt, Canonici Regulares sunt, nec alii à multis sæculis inveniuntur ibi vixisse, quàm Canonici. An autem ipse Patricius, vel alius ipso posterior, Canonicos illic primus statuerit, quantùm ad præsens attinet institutum, parum refert, utrum teneatur.

27 Aliud quod subjungitur ex Jocelino de monachatu Augustiniano Sanctorum Hiberniæ juxta Regulam à S. Patricio præfixam viventium, satis clarè refellitur ex dictis, in quibus declaratum est, nec Regulam quam professus est Patricius, nec quam monachis Hiberniæ tradidit, fuisse Eremiticam Augustini, quod ulteriùs ex articulo 3. clariùs apparebit, in quo fusiùs de de ratione & modo vivendi monachorum Hiberniæ loquemur.

28 Ad ultimum demùm oppositæ partis argumentum de duobus monachis Parisiensis & Ticinensis Academiarum fundatoribus, indubitanter asserimus, nec Hiberniæ monachos, à quibus profecti fuerunt, nec ipsos fuisse Augustinianæ Regulæ Eremitas. Neque authoritas S. Bernardi, ad prioris dicti confirmationem adducta, conducit. Nam etiamsi cum adversario ex Bernardi verbis colligi admittamus; Benedictinos ante S.

Monachi Hiberni Parisiensis & Ticinensis Academiæ fundatores an fuerint Augustiniani.

Malachiæ

Malachiæ tempora in Hiberniam non venisse (de quo infrà) non inde consequitur, Hiberniæ monachos Augustinianos fuisse potiùs, quàm Basilianos, vel Pachomianos, quorũ tunc celebrior proculdubiò erat fama, quàm Eremitarum S. Augustini, de quorum statu & progressu à prima dispersione ex Africa, nihil certum vel authenticum haberi potuit usq; ad tempora Concilii Lateranensis sub Innocentio III, ut suprà ex Jordano & Antonino pluriès diximus.

29 Prætereà nihil obstabat, quominùs ipsi Abbates suis monachis Regulas condere potuissent, quæ illis temporibus ab Episcopis dumtaxat approbatę, canonicæ & authenticæ censebantur, ut anteà dictum est. Itaque quod ab Hiberniæ monachis fuerint illi monachi professi, non evincit professionem eorum Augustinianam. Neque aliæ ad probandum hujusmodi utriusque monachatum conjecturæ concludunt. Ac imprimìs lepida videtur ea, quâ ex prædictorum monachorum erga S. Augustini scripta devotione, professio eorum sub ejus Regula deducitur, quasi non omnes viri docti magni Augustini pręclara monumenta maximì semper æstimarint. Tota Theologorum schola ipsum colit magistrum, ac summa veneratione prosequitur; an ergo hi omnes Augustiniani? Vel si Augustiniani, an Eremitæ potiùs, quàm Canonici censendi?

30 Nõ majoris videtur momenti quod de primo Albini ad monasterium Eremitarum Ticinense accessu subditur; nõ enim eò concessit, quasi ut Eremita Augustinianus, Eremitarum Collegio inibi consistentium societati voluisset adjungi: nam ibi nondum adhuc erant ejusmodi monachi constituti, ut ex supradictis colligitur, & ulteriùs ex eo deducitur, quod violato Barbarorum incursu monasterio, deletisque monachis, sacri loci custodibus, denuò, affulgente novâ Christianæ religionis luce, ut ipse Crusenius testatur, non Eremitis, sed Benedictinis, idem locus restaurandus, & excolendus traditus fuerit; quibus aliò migrantibus, Canonici Regulares successerunt, & postremò omnium Eremitæ, deficientibus ibidem Canonicis, substituti fuerunt sub anno 1317; quod minimè passi fuissent, si illud monasterium ad ipsorum Ordinem ex prima fundatione de jure pertinuisset. Non propterea, inquam, sed ex sacri veneratione loci, illum sibi præ aliis elegit Albinus, in quo nimirùm S. Augustini sacræ asservantur Reliquiæ, quas *Luitprandus* Longobardorum Rex circa annum Domini 721, vel 725, ut computat Baronius, ex Sardinia *Ticinum* transferri summâ solemnitate fecit: de qua translatione Crusenius p. 2. c. 12. ex Petro Oldrado Archiepiscopo Mediolanensi. Quâ quidem in re, pio consilio usus est Albinus, dum in loco illo, tanti viri exuviis consecrato, Gymnasii, quod erecturus venerat, prima jacere fundamenta & studiorum primordia ponere voluit, ut ibi sacrarum litterarum auspicaretur initia, ubi tanti Doctoris sacratissimum pignus sciret esse reconditum; cujus favore ac patrocinio erectum studium, foelici faustoq; principio progressũ & finem posset habere conformem; ad quod assequendum meritò sibi Ticinensis Academia Augustinum elegit mecęnatem & tutorem. Neque alio titulo ad Patres Eremitas hujus scholæ primordia referenda sunt; nec alio niti fundamento credenda est traditio Papiensium à Crusenio relata. Quod si suâ doctrinâ Patres Eremitæ fundatam jam Universitatem illustrarunt, hoc illis acceptum refert Schola Ticinensis, non primam fundationem; quæ à S. Benedicti veriùs, quàm ab Augustini Regulæ professoribus duxit originem. Hæc de Patrum Eremitarum S. Augustini in Columbanum prætensione: nunc ad Patres Benedictinos, quibuscum longè molestius est certamen, transeamus.

Vbi primùm Ticini concedit, & scholas aperuit Albinus.

Cur Schola Ticinensis Augustinũ colit Mecænatem?

ARTICVLUS II EXAMINATVR AN S. COLUMBANVS SVB REGVLA S. BENEDICTI MILITAVERIT.

§. I.

Adducuntur motiva Patrum Benedictinorum pro Benedictino S. Columbani monachatu

31 MAgna contentione decertant Benedictini cum Patribus Augustinianis & aliis, sibi Columbanum eripere volentibus, indubitatâ fide credentes ipsum, totumque adeò chorum discipulorum ejus, sui fuisse Instituti. Ita imprimis Trithemius lib. 3. de Viris illust. Ord. S. Bened. c. 26. Genebrardus in Chron. ad an 623. Antonius Yepes in Chron. Benedict. ad an. 515. Arnol. Wion in Martyrolog. Benedict. ad 21. Novemb. Constantinus Caietanus, Abbas S. Baronti, Urbano VIII. à sacris monumentis, in *Concertationibus* suis nondum editis, relatus à domino *Martino* Abbate Fussensi in vita *S. Magni* cap. 27. & *Carolo Stengelio* monacho Augustano, in sua *Corona lucida* cap. 8. idem asserentibus, & postremò omnium *Clemens Reynerus* Anglus de antiq. Benedict. in Anglia pag. 147. 148. & seqq. hoc argumentum post Yepesium doctissimè, copiosissimeque prosecutus. Quæ in eorum favorem militant quantâ potero efficaciâ & sinceritate subjiciam.

Asserentes S. Columbanum fuisse professione Benedictinum,

32 Quòd igitur non aliam, quàm S. Benedicti Columbanus Regulam sit professus, varia probant antiquitatis testimonia, quibus vel illa, quæ ipsi passim authori, Regula tribuitur, cum Sancti Benedicti monasticâ confunditur; vel ii, qui sub ejus magisterio & institutis vixerunt, monachi Benedictinæ professionis disertè appellantur. Primum hujusmodi testimonium accipitur ex privilegio quodam *Theodorici Francorum* Regis, quod ipse cuidam monasterio prope Argentinam, ex Mauri nomine, *Maurmunster* dicto, à *S. Leobardo*, monacho Cassinensi, constructo, concessit; in quo, postquam prædecessorum suorum Regum, dicto loco collata jura, suâ authoritate roborasset, strictè præcepit, ne quis Abbatem, vel monachos inibi consistentes, ullâ præsumeret injuriâ vel molestiâ afficere, *Sed liceat*, inquit, *sibi*, scilicet Abbati, *suisq; omnibus sub immunitatis titulo & nostro mundiburdio, vel defensione, cum omnibus rebus suis & monasterii sui, secundum normam Domini Benedicti & Domini Columbani, quietos residere atque securos &c. Data Metis in cœnobio S. Arnulfi, ejusdem loci Episcopi, quod est constitutum in suburbio, sub die Kalend. Maii anno Dominicæ Incarnationis 724. indict.* 3. anno verè regni domini Theodorici 5.* Similia verba leguntur in testamento *Leodebodi*, primi *Floriacensis* Abbatis, in quo statuitur, ut monachi *juxta Regulam Sanctissimi Benedicti & Domini Columbani consistere debeant.* Ex quibus satis colligi videtur, normam vivendi S. Columbani, ab illâ S. Benedicti, non nisi statutis quibusdam, ab ipso Columbano superadditis, potuisse distingui: non enim duæ diversæ Regulæ in eodem monasterio facilè simul observari potuissent.

eorumque motivum primum

*erat eo an. Indict. 7.

33 Secundum ad hoc sumitur argumentum

Secundum. mentum ex vita *S. Ansberti* Rothomagensis Episcopi, qui fuit successor S. *Wandregisili*, Columbani discipuli, & monasterii *Fontanellæ* in Normannia fundatoris, in qua historiæ author *Anagradus* de authoritate privilegii, quod idem *Ansbertus* pro dicto monasterio *Fontanellæ* edidit, inter alia hæc habet apud Sur. ad 9. Febr. *In qua*, scilicet authoritate, *etiam justa allegationis verbo præsentes, futurosq́ue, qui ibidem Domino militaturi erant, constringit*, (supple Ansbertus), *ut sicuti sub ejus regimine, ita & deinceps & ipsi & posteri eorum secundum Regulam Sancti Patris Benedicti fideliter Christo deservirent* &c. Hinc habetur, cœnobium *Fontanellæ* sub *Wandregisilo* fuisse Benedictinum, cùm ejus successor *Ansbertus*, non nova statuere, sed antiqua stabilire dicto privilegio videatur.

Tertium. 34 Hoc idem adhuc *S. Bertini* demonstratur exemplo, qui in monasterio Luxoviensi sub Columbano & Eustasio monasticis institutis instructus, in suo postmodùm Cœnobio *Sithiuensi* S. Benedicti præcepta discipulis tradidisse legitur, ut testatur historia vitæ *S. VVinoci*, ejusdem *Bertini* discipuli, quæ *VVinoci, Ingenoci, Quadanoci*, & *Madoci*, nobilium Britannorum, ad *S. Bertinum* accessum commemorans, in hęc verba prosequitur. *Eorum verò laudabili devotioni gratulans B. Bertinus sub norma pii Patris Benedicti docuit eos ferre suave jugum Christi, monasticisq́ue parere sanctionibus & verbis & factis instituit.* Hoc evidentissimum videtur argumentum, ipsum *S. Bertinum* à *Columbano* & *Eustasio* magistris, in S. Benedicti Regulâ fuisse enutritum: non enim credibile videtur, quod aliam ipse suis monachis disciplinæ normam præscripsisset ab ea, quam à suis primis magistris hausisset.

35 Rem hanc confirmat ulteriùs *S. Philiberti*, insignis & ipse Columbani discipulus, qui *Aichadro* monacho, *Gemiticensis* Cœnobii, à quo ipse Regum

Quartum. injuriâ fuerat expulsus, administrationem committens, Regulam S. Benedicti inibi observandam exhibuit, ut author est *Fulbertus* in Vita ipsius *Philiberti*, de ordinatione Aichadri in Abbatem Gemiticensem divinitùs factâ, loquens in hæc verba: *Mox subsequenter illi duo viri Dei* (Ansoaldus Episcopus Pictaviensium & B. *Philibertus*, qui antè de eligendo Abbate inter se tractabant) *in somnis B. Aichadro apparuerunt, Episcopus virgam pastoralem, Beatus verò Philibertus Regulam S. Benedicti porrigebat, ambo quasi ex uno ore dicentes: surge Frater, & officium quod tibi a Deo imponitur, obedienter suscipe; accipe virgam per quam subditorum errata corrigas, & ad rectum disciplinæ reducas; librum etiam, ut tu primùm quæ in ea exarata sunt, custodias, & in his tibi subditos informare ne desistas.* Quis hinc non clarè intelligat, B. *Philibertum* non aliam *Aichadro* in suo monasterio successori Regulam docendam tradidisse, quàm quæ ab ipsomet ibi prę- sidente anteà fuisset observata, & à Columbano primitus accępta. Eamdem S. Benedicti Regulam & *Remaclus*, monasterii *Solemniacensis*, ab *Eligio* sub Regula Columbani erecti alumnus, à *Papoleno* monacho Luxoviensi, à se *Malmundariensi* Cœnobio præpósito observari voluit, ut testatur in Vita *S. Remacli* Notgerus patenter affirmans, quòd Malumundariensis Monasterii monachi S. Benedicti instituto vivebant. Hujusmodi professionis cœnobiis adnumeranda sunt *Corbejense* & *Calense*, quorum illud virorum à *Theofredo* monacho Luxoviensi & primo Abbate loci illius; hoc nobilium dominarum à *Bertilia* ex monasterio *Totrensi* de schola Columbani, S. Benedicti instituta susceperunt, & deinceps retinuerunt.

36 Horum authoritati magnum robur accedit ex ipsius *Jonæ* verbis, testis Quintum. omni exceptione majoris; & *Romarici* Comitis, monachi quondam *Luxoviensis*, ad invicem attentè collatis; quorum hic in suo testamento vocat Regulam S. Benedicti illam, quam Jonas in Vita Eustasii appellat Columbani. Jonæ verba de ipso Romarico sermonem prosequentis sunt ista: *Postquam per exemplum Columbani ac per Eustasii prædicationem monitus, ad Luxovium veniens, monachicæ institutioni se subdidit; quo diu sub regulari tenore vitam agente, postea Eustasio annuente, puellarum monasterium in suo proprio inseruit, & Regulam Columbani illis custodiendam tradidit.* Hæc Jonas in *Vita Eustasii*. Romaricus verò in suo testamento de eodem monasterio sic loquitur: *Mons ille silvestris, nempe Romaricensis, non multum distitus à Mosellæ fluminis ripa, factus est mansio Sanctarum harum, quæ cogitatione & aviditate conversantur in cœlis; nam spinis & vepribus extirpatis, construxi ibi monasterium monialium*

alium Ordinis D. Benedicti in honore Sanctissimæ Trinitatis & Beatissimæ genitricis Mariæ Virginis & BB. Petri & Pauli, ac omnium sanctorum; quod sanctum monasterium à proprietate loci congruum sortitum nomen, mons sanctus vocatur. Et infrà: *factum est autem hoc donum IV. Non. Martii, anno ab incarnatione Domini 620, Clothario glorioso Francorum Rege regnante. Testes 5. sunt &c.* Adducit hoc instrumentum *Franciscus Rosiers* Histor. Lotharing. to c. 79. & ex ipso referunt Yepes & Reynerus. Hoc argumentum, si quod aliud, Columbani professionem evincit Benedictinam, & clarè concludit ejus Regulam, quâ differt ab illa Benedicti, non aliud esse, quàm statuta quædam ipsi Regulæ pro jure Abbatis tanti superaddita; quod ne gratis dictum videatur, placet hic referre procœmium ipsius Regulæ S. Columbani, citatum à Cajetano & Reynero, editum cum ipsa Regula per Carolum Stengelium suprà citatum, quod hactenus allatis in favorem Patrum Benedictinorum multam videtur lucem & fidem adferre. Ita se habet:

Incipit præfatio Regulæ Cœnobialis Patrum de Hibernia subsequentis.

Prologus Regulæ S. Columbani cœnobiali affixus.

EQuidem Sanctus Pater Benedictus in hanc Regulam qualitate ordinis, pænitentiæ modos instituit, sed unde de quibusdam causis intimavit, dicens: si quis hoc aut illud perpetraverit, disciplinæ regulari subjaceat. Ipsius quippe disciplinæ mensuram in arbitrium Abbatis judicandum permisit; quia dum qualitatis morum vel pænitentiarum innumerabilis est diversitas, potuit ei fieri in arbitrium onerosa prolixitas; etenim ipse per humilitatem spiritus præcedentium Patrum disciplinæ authoritatem recepit, quia ut fertur, omnium Sanctorum spiritu plenus fuit. Igitur de eadem emendatione disciplinæ quibusdam verbis instituta subter inserta nectuntur. Ex quibus verbis non solùm Columbanus, qui illius Regulæ habetur institutor, sed & multi alii Hiberniæ monachi sub illa viventes, S. Benedictum ut Patrem & Patriarcham Ordinis venerantur, cùm nihil audeant Regulæ ejus addere, nisi quod Abbatis arbitrio sanctus Pater in ipsa Regula judicandum permiserat, quosdam videlicet pœnitentiæ modos, qui in progressu dictæ formulæ Columbani copiosè taxantur; & huc spectant ultima illius procemii verba. *Igitur de eadem emendatione disciplinæ quibusdam verbis instituta subter inserta nectuntur*; hoc est, pro arctiori disciplinâ & morum observantiâ quosdam canones seu statuta, prout nobis in ipsa Regula concessum est, subjiciamus; quæ statuta, sicuti S. Benedicti Regulam non mutant, sed confirmant; ita nec eorum conditor *Columbanus*, distincti Ordinis censendus est fundator, sed tantùm Benedictini propagator.

§. II.

Ostenditur S. Columbanum in Hibernia non recepisse Institutum S. Benedicti.

ANteqùam obscurissimi hujus articuli, & propter utriusque partis argumenta satis intricata, difficillimi, tractationem ingrediamur, hic præmittendus est obiter ordo in progressu servandus, ne ipsa stili confusio in re per se satis obscurâ novam adhuc pariat confusionem. Primùm igitur circa propositæ quæstionis resolutionem conabor ostendere S. Columbanum in Hibernia non recepisse Institutum S. Benedicti, deinde nec in Gallia, posteà nec in Germania aut Italia; quibus demonstratis, propositis jam argumentis satisfaciemus. Ut igitur primum efficaciter ostendatur, declarandum prius videtur, Regulam S. Benedicti, ante susceptam à Columbano peregrinationem, in Hibernia non fuisse receptam. Quod imprimis monachorum Hiberniæ per ea tempora à Romanis & Benedictinis in observatione Paschæ, tonsuræ, & colore vestium dissonantia luculenter ostendit. Non enim verisimile est quòd viri sanctissimi, quorum in Hibernia tunc ingens erat multitudo, & suorum Institutorum voluntati ac judicio quoad omnia perfectè subjecti, in hujusmodi etiam Romanæ Ecclesiæ consuetis observationibus, à S. Benedicto recedere voluissent, si ipsum sui Ordinis fundatorem agnovissent, maximè in aureis illis tunc nascentis Benedictinæ religionis exordiis: hoc enim longè alienum fuisset ab ipsorum sanctitate, & reverentiâ tanto Patriarchæ debitâ. Nec credibile est id permis-

suros

Monachi Hiberniæ, si fuissent Benedictini, non dissiderent à Romanis in ritibus Paschę & Coronæ;

suros fuisse primos Regulæ S. Benedicti in Hibernia plantatores. Itaque Hiberni ejus temporis monachi (ut etiam recte opinatur *Reynerus*, asserens prædictorum rituum more Romano observantiam, & monachorum nigrorum appellationem, quasi characterem extitisse Benedictinorum in Anglia, quo distinguebantur ab Hiberniæ & Britanniæ monachis, contrario modo viventibus) non antè Benedictinum assumpserunt Institutum, quàm ad Romanum celebrandi Paschatis & tonsuræ ritum transierunt; quod non fuit perfectè completum usque ad annum Christi 716, quo tandem operâ *S. Egberti* Presbyteri reducti sunt *Hienses* monachi cum aliis sibi subditis ad Catholicam Paschæ observantiam: nam anteà per litteras *Laurentii*, & *Melliti*, ac Romanorum Pontificum *Honorii* & *Ioannis* eâ de re missas ad Scotos anno Domini 633. ut testatur V. Beda lib. 2. hist. c. 18. 19. & lib. 3. c. 3.

ut dissedêre universi usque ad an. 633.

Australis tantum Hiberniæ pars, utramq; complectens *Momoniam* & magnam partem *Lageniæ* & *Connaciæ*, correcta fuit, & exinde qui supererant, exceptis *Hiensibus*, quos divina providentia S. Egberto reservaverat, ad prædicationem *S. Adamnani Abbatis Hiensis* circa annum Domini 703, ad ritum Romanum accesserunt ex eodem Beda l. 5. c. 16: cui superveniens S. Egbertus, ut jam notatum est, opus pro majori jam parte perfectum, ex toto complevit. Ex quibus consequenter infertur, nec monachos Australis Hiberniæ ante annum Domini 633, nec reliquos præter Hienses ante 703; nec denique Hienses ipsos in dictis Paschæ & coronæ ritibus viventes, adnumerari debere Benedictinis, & ita (ut ad propositum nostrû revertamur) *S. Comgallum, Columbam, Luanum*, cæterosque ejusdem observationis monachos & Abbates ante Honorii & Joannis tempora in Hibernia, præsertim verò Ultoniâ, defunctos, à choro discipulorum *S. Benedicti* secludendos, quod etiam infrà clarius apparebit ipsius Sancti Columbani testimonio.

pars maxima ad an. 703.

& Hienses ad 716.

38 Cæterùm an in Hiberniâ, præposteris jam ritibus ex toto purgatâ, statim plantari & stabiliri cœperit institutio Benedictina, non est ita compertû. Imò aliqui putant, primævam ejus Regulæ traductionem in Hiberniam non ante *S. Malachiæ* tempora contigisse, id ex S. Bernardo, qui in Epistolâ quadam ad *S. Malachiam* vocat Hiberniam terram inexpertam monasticæ disciplinæ, & ex ipsius S. Malachiæ verbis inferentes, apud eundem sic loquentis de illis, quos in *Claravalle* monasticis institutis imbuendos relinquebat: *Hos interim pro me, oro ut retineatis, qui à vobis discant, quod nos postmodùm doceant: erunt nobis in semen, & in semine isto benedicentur gentes, & illæ gentes, quæ à diebus antiquis monachi quidem nomen audierunt, monachum tamen non viderunt.* Ubi non potest esse sermo de aliis, quàm de Benedictinis: nam fuisse monachos à diebus antiquis in Hibernia fatetur ipse Bernardus de monasterio *Bennchorensi* loquens, & affirmans illud antiquitùs fuisse nobilissimum monasterium, *multa millia monachorum generans Deo.* Unde colligitur ipsum in priori loco non voluisse negare absolutè, fuisse monachos in Hibernia, sed solùm *Benedictinos*.

quod quidam dicunt, Institutum S. Benedicti primùm à S. Malachiâ Hiberniæ invectum,

39 Verùm his non assentior; non enim apparet verisimile, Sanctissimi Patriarchæ Benedicti Regulam, cœlesti doctrinâ & pietate plenam, Apostolicâ authoritate firmatam per reliquas jam Occidentis partes, Galliam, Germaniam, Italiam, ipsamque etiam Britanniam, in Hiberniam quoque non penetrasse, monasticis disciplinis per ea tempora plurimùm addictam & assuetam, maximè cum nulla, ut supponitur, post *Egberti* tempora in Ecclesiasticis ritibus obstaret dissonantia. Unde nemini dubium esse debet, Hiberniæ monachos, acceptis jam Romanæ observantiæ traditionibus, sive ab aliquibus ipsius Hiberniæ Sanctis, in Urbe (quam quotidianis tunc peregrinationibus frequentabant nostrates) *S. Benedicti* Regulam edoctis, ex Italia redeuntibus; sive, ut satis probabiliter opinatur Reynerus, à Benedictinis Angliæ, quibuscum quotidiana ipsis intercedebant commercia, cum Romanis illis ritibus, Sancti quoque *Benedicti*, Occidentalium monachorum Patriarchæ, Institutû deinceps uniformiter observandum suscepisse; quod ex tunc paulatim apud omnes introduci potuisse, ex eo videtur posse colligi, quòd circa annum Domini 664, ut infrà dicemus, desinere cœperit in Hibernia ista monasticorum Ordinum & Regularum varietas, de quâ in articulo sequenti; quâ penitus extinctâ monachi omnes Hiberniæ sese Benedictinæ institutioni subdere facilè poterant,

non apparet verisimile.

poterant, & monasteria omnia Benedictinis legibus informare; quod non potuit perfectè compleri ante annum Christi 716, ut supra dictū est. Et quod nullo modo veritati consonet præfata conjectura testantur quæ adhuc in Hibernia extant instrumenta donationis Episcopi cujusdam Corcagiensis, certas parochias pro quodam monachorum nigrorum in Hibernia monasterio concedentis, & hoc diu ante Malachiæ tempora, ut ex textu colligitur, & subsignatis testibus. Hujusmodi instrumentum se vidisse testatur R. P. *Franciscus Matthæus* Provinciæ nostræ Pater. Et juxta hæc, citata ex Bernardo verba sic sunt interpretanda, ut per ea tantùm voluerit S. Malachias indicare, à multo jam tempore in Hibernia monachos quidem fuisse, sed non ita frequentes & ferventes, sicut in diebus antiquis, cujus dumtaxat fervoris & frequentiæ inexpertam per multa tempora dixit S. Bernardus Hiberniam, idque propter continua bellorum incommoda, monasticæ quieti & paci inimica. Et juxta hæc intelligebat præfatis verbis S. Malachias, ex parte illam Ecclesiasticæ disciplinæ per Hiberniam dissolutionem, quam ipsemet S. Bernardus alibi fusè describit, partim ex *Danorum* & aliorum externorum hostium incursionibus, qui multa monachorum habitacula destruxerant, partim ex continuis domesticorum dissidiis obortam; ad quam tollendam divina providentia direxit *Malachiam*, qui non tantùm sæcularem, sed & regularem Clerum, accitis ex *Claravalle* monachis familiæ *Cisterciensis*, tunc in sua novitate florentis, reformavit, atque ita monachismum Benedictinum, temporum injuriis in Hibernia penè collapsum, restituit.

nec bene è-ruitur ex verbis SS. Bernardi & Malachiæ

40 Sed ut ad propositum nostrum propiùs accedamus, supponendum hic obiter, ipsos Hiberniæ monachos per ea tempora varios & ceelbres habuisse monasticarum Regularum & Ordinum fundatores, sub quorum institutis monasticæ vitæ documenta discere poterant sine recursu ad aliquam peregrinā institutionem: sequenti namq; articulo ostendemus ex antiquis monumentis, floruisse tres Ordines sanctorū in Hibernia ab anno Christi DXXXII, quo ingressus est S. Patricius cum potestate Legati, usque ad annum DCIV, quo incidit magna mortalitas, de qua V. Beda lib. 3. hist. c. 27. & alii. In primo Ordine, qui permansit usq; ad annum DXLIV, eminebant Episcopi. In secundo, qui duravit usque ad annum DXCVIII, *pauci erant Episcopi*, ut ipsius Codicis infrà citandi verbis utar, *& multi Presbyteri numero trecenti unum caput Dominum colentes, diversos celebrandi ritus habebant, & diversas Regulas vivendi, & unum Pascha.* In tertio denique, qui per reliquos usque ad mortalitatem annos claruit, *erant*, inquit idem Codex, *Presbyteri Sancti, & pauci Episcopi.* Et infrà. *Hi diversas Regulas & varios celebrandi ritus habebant &c.* Ex quibus Ordinibus quot, quamque celebres floruerint monachorum Patriarchæ, in eodem articulo clariùs explicabitur, quorum velut domesticorum sanctissimis institutis, multò faciliùs & libentiùs sese subdidissent Hiberni, quàm alicujus externi famâ dumtaxat cogniti.

ut nec ibi viguisse

41 His suppositis, quantum ad præsens attinet institutum, solùm nobis incumbit ostendere Sanctos illos secundi Ordinis, sub quo vixit in Hibernia *Columbanus*, quique ab anno Domini DXLIV usque ad annum DXCVIII floruit, S Benedicti Regulam non accepisse. Quod facile erit ut arbitror quantum è re nostra est, ex positâ ab ipsis Benedictinis temporum supputatione monstrare. Nam si ad tempus *Valentiniani* Abbatis Lateranensis, sub quo juxta *Petrum Diaconum*, monachum *Casinensem*, à *Stengelio* citatum, *Britanniæ, & Scotiæ* (id est, Hiberniæ) *Ordo ostensus fuit*, prima Benedictinę Regulę in illis partibus propagatio referatur, hoc est, ad annum forte Christi DXC, ut idem Stengelius existimat; si sic inquam, saltem jam habebimus, omnes secundi Ordinis monachos, qui ante annum Christi DXC. in Hibernia floruerunt, inter quos fuit S. Columbanus, ex Hibernia ante hunc annum, ut inferiùs dicemus, egressus, non potuisse per ea tempora *S. Benedicti* Regulam assumpsisse, quippè nondum cognitam, ut supponimus. Si verò ipsis Angliæ Apostolis *Augustino, Mellito*, & aliis monachis, à *S. Gregorio* in Britanniam missis, anno, ut notat Beda, & ex ipso Baronius, Christi DXCVI, & ibi anno sequenti primùm appulsis, ea Benedictinæ Regulæ traductio tribuatur, dicendum erit, totum secundum Ordinem desiisse ante promulgatam in Hibernia S. Benedicti Regu-

ante annum 544.

aut etiam 596

Regulam; atque ita celeberrimos illius Ordinis Patriarchas, *Finnianum, Columbam, Comgallum, Cannechum, Coemgenum, Kieranū, Brandanum, Lasreanum, & alios* illustrium Congregationum fundatores, ex catalogo Benedictinorum expungendos, & monasticorum Ordinum conditoribus juxta ea quæ articulo sequenti dicemus, accensendos.

41 Neque ad idem ulteriùs tam de tertii, quàm de secundi ordinis sanctis ostendendum probabiles desunt conjecturæ; nam creditu difficile admodùm apparet, S. Benedicti Institutum, tunc recèns in Italia circa annum Domini DIII vel DVI circiter exortum, paucis adhuc extra ipsam Italiam locis firmatum, necdum in vicinis, iisque florentissimis Galliæ, Germaniæque regionibus stabilitum, in remotissimis Occidentis partibus, ab ipso statim initio celeberrima sibi subdidisse monachorum cœnobia, & hoc antequam illi, qui in Galliam illud propagaturi venerant *Maurus* & *Faustus*, convenientem suo proposito mansionem essent assecuti, qui nimirùm post octavum tantùm à suo illuc adventu annum, hoc est, Christi 550, vel circiter, primi monasterii, nempe Glannifoliensis, opus consummarunt, ut testatur in Vita S. Mauri ipse Faustus.

præsertim cùm ante id tempus lentè admodum & parcè in Italia, & Gallia fuerit propagatum;

42 Neque minus apparet improbabile, Hiberniæ monachos, homines alioquin suarum traditionum & consuetudinum tenacissimos, vigente apud ipsos monasticę conversationis rigore, postpositis magistrorum suorum documentis & regulis, novam aliquam & peregrinam vivendi normam voluisse suscipere; atque eos qui tantâ contentione catholici Paschatis observantiæ, & Romanę tonsuræ resistebant, tantâ potuisse facilitate alterius cujuspiam, quantâvis alioquin sanctitatis opinione celebris viri, recipere disciplinam, maximè ejus, qui præfatos ritus contrario eis more servabat, quales erant Benedictus, ejusque alumni, omnes Romano ritu viventes.

& Hiberni monachi, tenaces suarum traditionum, & observantissimi Sanctorum Magistrorum

43 Ad hæc, si Benedictinæ illis temporibus apud Hibernos monachos vigebat observantia, mirum planè videtur, quod in Legendis eorum nulla hujus rei inveniatur memoria. Extant variis locis in Hibernia, & brevi, Deo favēte, lucem videbunt, Acta Sanctorum *Finniani, Fintani, Columbæ, Comgalli, Cannechi, Coemgeni, Lasriani, Mochoemogi, Luani, Cronani, Abbani, Ruadani*, & aliorum plurimorum, celeberrimarum in Hibernia Congregationum fundatorum, ex priscorum fide conscripta, in quibus cùm varia sæpe de monachorum Regulis & vivendi ratione, de ipsorum Sanctorum inter se commerciis & singulorum sanctitate passim commisceantur, nullum tamen de *S. Benedicto*, conditavè ab ipso Regulâ verbum; de quibus tamen frequentius loquendi deesse non potuisset occasio, de S. Benedicti sectatoribus differenti, & eorum gesta scribenti; nec certè debuisset, si Benedictini erant illi, quorum Acta scribebat.

ne mentionem quidē S. *Benedicti* fecisse inveniantur in propriis ipsorum legendis.

44 Denique lenior erat Regula Benedictina, quàm monachorum ejus temporis in Hibernia, præsertim secundi Ordinis, rigor & fervor exigebat; quippè quorum aliqui solis herbis cum pane & aqua contenti, lacticinia & cervisiam, & omne quod inebriare poterat, respuebant, ut per aliqua tempora Bennchorenses. Alii verò, ut monachi *S. Carthagi*, sarculis terram colentes, boum & equorum in arando ministerium excludebant, & his similia alii, ut continuas vigilias, assiduas orationes, & genuflectiones, aliasque incredibiles corporis afflictiones, quæ omnibus penè communes erant, prætercam; quæ omnia tantâ districtione ab omnibus servabantur, ut criminis loco haberetur in his vel jota unum præterire. Unde minus credibile videtur, ipsos de commodiore aliquâ vivendi formâ, consuetâ severitate relictâ, assumendâ & profitendâ cogitasse. Quò spectant ea, quæ de *S. Disibodo* Episcopo Hiberno ad annum Christi DLXX defuncto, apud *S. Hildegardem* leguntur; qui constructo in Germania monasterio, collectisquè in eo sub Regula *S. Benedicti* monachis, noluit se ipsis conformare, ne pristinum anteactæ vitæ rigorem videretur abjicere: *Permiserat enim illis*, inquit Haræus ex Hildegarde, *vivere ad præscriptum Regulæ S. Benedicti, cùm ipse severiùs & magis arduum vitæ genus sequeretur. Idcircò autem habitum illum sumere noluit, ne si Fratribus habitu similis esset, nec tamen quicquam remitteret de sua vitæ austeritate & rigore in jejuniis, vigiliis, cæterisque carni molestis exercitiis, ipsorum instituto derogare, & vivendi communem modum evertere videretur;*

& longè rigidiori Regulæ adstricti atque assueti, nequaquam præsumendi sunt ad mitiorem defecisse,

ut vel S. Disibodi factum sat indicat.

nam quoad vixit, vilissimo alimento, aspero, duroq; indumento utebatur, imitans B. Paulum primum Eremitam, & ejus similes Patres. Sanè multi alii per hæc tempora in Hibernia *Disibodi* florebant, imò omnes penè Sancti secundi Ordinis, tales erant; qui proinde minimè passi fuissent se à rigidissimo, quod colebant, vivendi instituto, ad aliud non tam severum vitæ genus transferri.

45 Cùm ergo ex dictis hucusque satis, ut arbitror, maneat exploratum, nullum ex tribus illis, quos suprà nominavimus, Sanctorum Hiberniæ Ordinibus, maximè verò secundum, saltem in *Ultonia*, vel alios, qui ipsos secuti sunt tempore, usque ad annum Domini 703, vel circiter, S. Benedicti Regulam assumpsisse, ac proinde (quod pro nunc potissimùm intendimus) S. Columbanum ex secundo Ordine, in *Ultonia* sub *Comgallo* monasticum professum Institutum, & circa annum 615 defunctum, antè relictam Hiberniam monachum non egisse Benedictinum. Quod ulteriùs manifestiùs deducitur ex comparatione temporum susceptæ à Columbano ex Hiberniâ peregrinationis, & traducti juxta Benedictinos, S. Benedicti in Britanniam Instituti: sive enim ad tempus *Valentiniani Abbatis* circa annum 590, sive ad *Augustinum* & *Mellitum* circa annum 597, Benedictinæ Regulæ in Hibernia & Britannia propagatio referatur, posterior invenietur recessu *S. Columbani* ex Hibernia, & accessu ejus ad Regem *Sigebertum* in Galliâ; nam anno primùm 550, vel 561 venit ex Hibernia in Burgundiam, aut juxta alium ætatis ipsius calculum, ad annum 576, vel 580 ineuntem, qua de re pleniùs egi ad cap. 3. vitæ ipsius. Cùm ergo juxta hanc ipsorum Benedictinorum de propagatione suæ Regulæ in Britannia & Hibernia chronologiam, S. Columbanus antè ex Hibernia recesserit, quàm ibi fuisset ostensa vel propagata Regula S. Benedicti, evidens est, ipsum quamdiu in Hibernia vixit, non assumpsisse Benedictinæ professionis formam. Ad quod ulteriùs ipsius Columbani de coævis sibi in Hibernia Sanctis loquentis in Epistola ad *Bonifacium*, verba sunt ista: *constat nos in nostra esse patria, ubi nullas istorum suscipimus Regulas Gallorum.* Si non *Gallorum*, proculdubiò nec etiam *Italorum*, eisdem tunc cum *Gallis* ritibus viventium. Deinde si nullas recipiebant illi Sancti Regulas Gallorum, nec etiam *S. Benedicti*, quæ tunc variis in locis inter alia vivendi instituta à Gallis servabatur. Quod cùm ita sit, tota controversiæ difficultas in eo sita est, ut explicemus, an peregrinationis suæ tempore præfatam Regulam acceperit, & conditis à se monasteriis observandam præscripserit.

Columbanus Hiberniâ egressus ante propagatam ibi Regulam S. Benedicti.

§. III.

Ostenditur S. Columbanum tempore suæ peregrinationis extra Hiberniam non assumpsisse S. Benedicti institutum.

46 Itaque neque in peregrinis regionibus S. Benedicti institutum à Columbano susceptum, sunt multa quæ demonstrare videntur, non exigui ponderis argumenta. Imprimis enim in Burgundia, ut à Gallia incipiamus, in qua ipse primùm, post recessum ex Britannia, pedem cum sociis fixit, non videtur S. Benedicti Regulam assumpsisse, quod ipsa temporum ratio satis suadet. Nam *S. Maurus*, primus & præcipuus Benedictinæ Regulæ in Gallia propagator, illo primùm anno vel sequenti, primi sui in Gallia *Glannifoliensis* monasterii opus consummavit, quo S. Columbanus advenit: *Faustus* enim in *Mauri* vitâ octavo demùm anno ab suo & Mauri in Gallias adventu, & Benedicti obitu monasterium illud fuisse perfectum scribit; hic autem annus fuit reparatæ salutis 550; quo eodem vel sequenti Columbanus ingressus est Burgundiam: suprà enim in Notis ad cap. 3. vitæ ipsius declaratum fuit, ipsum anno 520 natum, ætatis suæ anno trigesimo, juxta deductum superiùs ex *Lectionario Luxoviensi* annorum *Columbani* computum, peregrinationem suscepisse. Quibus ita computatis, quis precor existimabit Regulam S. Benedicti, fortè tunc unius tantùm monasterii in Gallia limitibus conclusam, ad S. *Columbanum* pervenisse, jam tum recenter appulsum? Hoc argumentum, admittendo præfatum computum, satis urget. Quod si fortassis aliquantò seriùs pervenit Columbanus in Gallicanas partes, per quem, quero, tunc Benedictinam Regulam accepit? Cujus magisterio didicit? in quo monasterio? sub quo Abbate? Neque enim verisimile apparet ipsum

Ex initio temporum propagati in Gallia Benedictini instituti, & ingressus Columbani ratione deducitur ipsum ibi non assumpsisse illud;

ipsum proprio ductu se vel suos monachos, quibus toto illo tempore, quo in Gallia vixit, Abbatis jure præerat, ad peregrinæ Regulæ, sibi anteà inusitatæ præscriptum, sine directore aliquo, in ea Regula exercitato, regere cogitasse. Quod si aliquem ex *Mauri* discipulis ab ipso accersitum advenisse dicatur, à quo ipse normam vivendi *S. Benedicti* hausisset, quomodò non huic, tanquam ipsius Columbani instructori, & non ipsi Columbano celeberrimæ Luxoviensis Congregationis, aliorumque vicinorum cœnobiorum erectio tribueretur. Quomodò non semel saltem tanti Patris magistrum, tantæ Congregationis fundatorem nominasset Jonas, qui *S. Senilem*, à quo sacras litteras in Hibernia didicerat, & *S. Comgallum*, à quo monasticum susceperat institutum *Columbanus*, tam exactè signavit; quique totam seriem exactæ in *Anagrate* & cœnobio *Luxoviensi*, aliisque locis, vitæ ejus & conversationis accuratissimè prosecutus est.

47 Quâ deinde ratione *Columbanus*, si *Benedictinis* in Gallia magistris dedit operam, suis contrariam instructoribus de celebrando Paschate traditionem tenuisset; quod tamen fecisse constat ex ejus ad *Bonifacium* Papam & Episcopos Gallicanos Epistolis suprà allatis, in quibus mordicùs Scotorum Hiberniæ de ritu celebrandi Pascha traditionem tuetur. Nam in epistola prima ad Bonifacium humiliter rogat ipsius sententiæ solatium, *quò si non contra fidem est*, inquit, *nostrorum traditionem robores Seniorum, quò ritum Pascha, sicut accepimus à majoribus, observare per tuum possimus præceptum in nostra peregrinatione:* ad quod persuadendum inducit exemplum Papę *Aniceti*, in simili *Policarpo* conniventis, & statutum concilii *Constantinopolitani*; & inter alia dicit se & suos in Hibernia *nullas suscipere regulas Gallorum, sed in deserto cum suorum manere traditionibus Seniorum.* Et in Epistola ad Episcopos Gallicanos: *omnes*, inquit, *Ecclesiæ totius occidentis non recipiunt fieri debere Resurrectionem ante Passionem, id est, ante æquinoctium Pascha, & vigesimam lunam non excedunt.* Et infrà profitetur, se *plus credere traditioni patriæ suæ juxta calculum* LXXXIV. *annorum & Anatolium Pascha celebrare, quàm juxta Victorium nuper dubiè scribentem.* Vbi non solùm in suo monasterio, sed in tota

uti & extremo more suorum Celebrandi Pascha

tunc Hibernia; quam nomine Occidentis complectitur cum aliqua parte Britanniæ, ritum illum Paschatis in observantia viridi fuisse testatur, & hoc multis post constructum S. Mauri monasterium annis, & ingressum ipsius Columbani in eremum *Vosagi*, ut ipse mox in eadem Epistola subdit his verbis: *Vsque nunc licuit nobis inter vos* Gallicanos, *vixisse duodecim annis*, hoc est, usque ad annum Domini 592, vel circiter. Ex quibus clarè confirmantur ea, quæ superiùs diximus de monachatu *SS. Comgalli, Columbæ*, & aliorum ipsis æqualium, ab illo S. Benedicti diuerso: nam hic dicitur, totam Ecclesiam Hibernicam juxta præfatas de Paschate & tonsura traditiones per ea tempora vixisse. Unde decipitur Reynerus, asserens hoc tempore *Bennchorenses* fuisse conversos, qui non nisi multis abhinc annis per *Adomnanum* vel *Egbertum* correcti sunt, ut superiùs ex V. Beda ostensum fuit. Quod autem non solùm tempore sui incolatus in Burgundia, sed postea etiam præfatum ritum retinuerit Columbanus, ipse satis insinuat in Epistola ad monachos Luxovienses, ab exilio transmissâ, dicens: *Pericula dico, discordiæ pericula: timeo enim ne & illic propter Pascha fit discordia, ne forte, diabolo insidiante, vos alienare velint* (adversarii scilicet istius traditionis) *si cum eis pacem non teneatis.* Quæ verba clarè indicant, rituum & traditionum dissonantiam, quæ discordiarum ab initio causa extiterat, illo adhuc tempore apud Columbanum, suosque monachos perdurasse, qui proinde Benedictinæ professionis pro tunc esse non poterant. Et quidem hoc ipsum non obscurè colligitur ex impugnatione Agrestini apostatæ, qui objiciebat contra S. Columbanum, ipsum in celebratione Missarum, coronæ tonsurâ, & proculdubiò etiam in celebratione Paschæ præposterâ, quæ semper illam coronæ formam comitabatur, à communi omnium more discrepare.

48 Ad idem probandum nihil potest efficacius adduci, quàm ipsamet S. Columbani Regula, superiùs exhibita, ab ipso *Luxovii* condita, quæ nomine & re censeri debet monastica per se institutio, & à quavis aliâ distincta, non minus quàm *Benedicti*, vel *Basilii*, aliorumq; Patrum, quorũ inter se instituta differre noscuntur. Primum illud mani-

festis constat testimoniis multorum, ac inter alios ipsius S. Columbani, qui in Epistola ad suos monachos, *Tu scis*, inquit ad *Attalam* conversus, *amantissime Attala, qui sensui tuo onerosi sint; depone continuò, tantùm cum pace deponas & Regulæ unitate*. Et infrà. *scito meum ad totos jussum, ut quia diversa sensi multorum vota, ad firmitatem Regulæ retinendam, ad radicem ramos ligavi.* Vbi dubium non est, ipsum de Regula à se traditâ loqui. *Ionas* quoque cap. 9. vitæ ipsius, cui consonat infrà citandus *Ordericus*, *His*, inquit, *in locis monachorum plebibus constitutis, ipse vicissim omnibus*, nempe Columbanus, *intererat*, *Regulamq́, quam tenerent, Spiritu sancto repletus condidit. Et cap.* 18. ejusdem Regulæ statum, *religionem* vocat: *Aulici*, inquit, *Regis animum perturbant contra virum Dei, cogentes ut accederet*, ac religionem, *probaret.* Et iterum. *Episcopos sollicitare est aggressa* (Brunechildis) *ut de ejus religione detrahendo, statum Regulæ, quam suis monachis custodiendam indiderat, macularent.* Et mox disciplinæ regularis vocabulo utitur: *quod nunc usq́*, inquit, *sub regularis disciplinæ habenis constrictum fuit, violare conaris.* Vide eundem cap. 25. Vitę S. Columbani, & cap. 5. Vitæ S. Eustasii, ubi etiam *disciplinæ* & *instituti* vocabulum usurpat, inducens verba S. Eustasii contra *Agrestinum* dicentis: *cujus tu disciplinam & instituta damnas.* Et infrà apud authorem antiquum vitæ *S. Philiberti*, recoluntur *Columbani instituta Sanctissima.* Ad hæc etiam faciunt verba Diplomatum in principio articuli relata, & alia clarissima hac de re antiquorum testimonia. Cùm ergo S. Columbani institutio, omnibus, quæ aliorum Sanctorum Regulis tribui solent, regulæ, instituti, regularis disciplinæ, status, religionis titulis insignita reperiatur, non poterit ipsi Regulæ monasticę titulus denegari, si, quod illis nominibus subesse solet, res Regulæ illi etiam competere ostendatur. Quod facile ex ipsamet Regulâ demonstrari potest, in qua tria vota essentialia & cætera quæ jus ipsum canonicum *cap. De præsentium* 16. *q.* 1. ut tradit Azorius lib. 12. Iustit. moral. c. 19. monachis attribuit, quæ sunt quies, silentium, oratio, seu contemplatio, & labor manuum, magna sacrarum sententiarum pondere & brevitate proposita reperiuntur: nam cap. 1. Regulæ obedientia, 4. paupertas, 6. castitas, funiculus triplex ruptu difficilis, devotâ commendantur oratione. Deinde cap. 2. silentium, 3. abstinentia, 7. orationum ordo canonicus; ultimo labor manuum seriò prescribuntur, ut humilitatem cap. 5, discretionem & mortificationem cap. 8. & 9, aliaque magnæ pietatis documenta ibi tradita, & cum his etiam Regulam cœnobialem seu pœnitentialem ad prædictorum omnium strictiorem observantiam adjectam, prætermittam. Quæ quidem omnia monasticæ vitæ præcepta, non solo stilo & ordine, sed etiam re ipsâ à *S. Benedicti* & aliorum cœnobialibus institutis, variis in locis diversa reperiuntur, ut ex cap. de synaxi & aliis multis, quę longum foret hic recensere, manifestum est; & proinde S. Columbani institutio non solùm nomine, sed & re monastica Regula, ab aliorum fundatorum Regulis diversa censeri debet, ejusque professores pari ratione alterius omninò religionis & Ordinis. Ex quo rejicitur vulgare illud aliquorum effugium, dicentium præfatam Regulam nihil esse aliud, quàm statuta quædam superaddita Regulæ *S. Benedicti* vel *Augustini.* Quod quàm parum fundatum sit, vel ipsa communis Statutorum ratio demonstrat, in quibus primaria capita Regulæ, cui subserviunt, non repetuntur, aut denuò pertractantur, sed ut jam cognita & præscripta supponuntur; neque diversa in his debet esse doctrina Regulę & Statutorum, cùm Statuta adhiberi soleant, ut cautelæ quædam ipsam Regulam non tollentes, nec variantes, sed communientes & conservantes; quod in proposito de Columbani Regulâ ad Benedictinam comparatâ non contingit. Nam in illa præcipui Benedictinæ institutionis articuli de obedientiâ, taciturnitate, humilitate, cursu Psalmorum, de cibo & potu, aliaque plura, in hac Columbani Regulâ, alio planè stilo, ordine, & interdum etiam doctrinâ, seriò pertractantur, ut patet ex cap. de obedientia, ubi videtur septem assignare obedientiæ gradus, cum tamen S. Benedictus statuat tantum quinque. Idem & in aliis Capitulis observare licet, in quibus plurima nova, & Benedictinę Regulæ, aut Augustinianæ neutiquam subordinata inveniuntur, quæ à Columbano, non ut superaddente ad alterius Regulam Statuta (quo modo

Canones

[Margin notes:]
con utraque suis peculiari Regulâ,

à Iona & aliis subvariis nominibus memoratâ,

doctrinâ, stilo, dispositione, differente à Benedictinâ

Canones cœnobiales ad propriæ Regulæ observantiam adjunxit) sed ut novam omninò Regulam, & à quavis aliâ distinctam, instituente sunt tradita.

49 Quæ cum ita sint, inquirere libet, quo indicio colligi possit, S. Columbani Regulam esse Statuta ad S. Benedicti disciplinam potiùs, quàm hanc ad *S. Basilii* monastica instituta, ad quæ tantum planè subordinatur, quantùm ad ipsam Regula Columbani, ut lectori utrumque ad invicem conferenti perspicuum erit? Vel cur non possit potiori jure eadem institutio dici introductio ad instituta Aegyptiensium, cum quibus in stilo & doctrinâ plus convenit, quàm cum illâ Benedicti, vel etiam Augustini, ut apparet ex modo jejunandi, psallendi, aliisque multis observationibus à S. Columbano præscriptis; vel ad ipsam demùm *S. Comgalli*, sui Abbatis & magistri, doctrinam, cujus aliqua documenta suprà Instruct. 2. verbatim profert, & summis laudibus effert, quemque particularem & à Benedictinâ distinctam vivendi normam suis monachis tradidisse dubium non est, ut articulo sequenti latiùs ostendemus.

non ad hanc aliamvè introductio, statuta, vel appendix,

50 Inquiro prætereà de qua Columbani Regula loquuntur illi, qui ista scribunt? Si de primâ tantùm, vel secundâ, jam alterutra saltem verè dicetur Regula. Si de utrâque simul, cur non uniformi utramque ordine & methodo in unum compilavit libellum Statutorum? Cur in prima gravi & doctrinali stilo summa monasticæ vitæ documenta complexus est, & in secundâ censorio tantùm calamo Canones pœnitentiales attexuit? Vnde hæc in additis ad unam eandemque Regulam Statutis varietas, nisi quia prima habet locum Regulæ, & secunda seu cœnobialis Statutorum, ut ex ambabus complerè exurgat monastica institutio, accessorium & principale, substantialia simul & accidentalia complectens.

ut, præter aliunde petita argumenta

51. Denique ut alias plures conjecturas omittam, non videtur Regula S. Benedicti in illo primo statim suæ institutionis exordio multis indiguisse Statutis: cùm hujusmodi Statuta introduci soleant à Prælatis ad disciplinam jam inceptam conservandam, vel lapsam restituendam, & ipsa S. Benedicti institutio multâ prudentiâ & vigilantiâ omnes relaxationi vias præcluserit, & ipsi ejus cultores pro primævo jam exorientis Ordinis fervore cuncta adamussim observare satagerent, quâ ratione judicasset Columbanus talem Regulam, tam copiosam, tot contra impendentia dissolutionis mala præceptis instructâ, tantâ à suis professoribus & documentis observantiâ & rigore excultam, novis legibus & constitutionibus onerandâ? Aut quomodo longè graviorem Psallendi ordinem, & tenuiorem vivendi ratione, quàm ipsa Regula præscribit, in ipso statim initio in suis monasteriis ordinasset, non contentus eo ipsam tenore servari, quo ipse Regulæ fundator *Benedictus*, vel ejus propagator *Maurus*, observabant? Sed ut interruptum hac digressione sermonem resumamus.

Varia,

52 Declaratur ulteriùs principale propositum ex Actis *S. Philiberti Gemiticensis* Abbatis, à quodam anonymo antiquo ad *Coschinum Abbatem Gemiticensem* conscriptis, in quibus sequentia in rem nostram clarissima continentur. *Sed quia perfecti*, inquit, *viri semper ad meliora contendunt, Sacerdos Christi Sanctorum lustravit cœnobia, ut posset aliquid haurire emolumenti ex illorum prospectâ sanctitate. Itaque invisit Luxoviense, Bobiense, & alia S. Columbani Institutum complexa monasteria; nec ea dumtaxat, sed quæcumque in Gallia, Italia, Burgundia extabant, solerti animi industriâ, instar apis prudentissimæ, optima quaque colligens, vivendi instituta & exempla. Legebat studiose Basilii præclaras constitutiones, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima; atque ita onustus virtutum aromatibus, sectatoribus suis egregia de se exempla præbebat.* Ecce hic author patenter affirmat Columbani monasteria & instituta, diversi fuisse à Benedictinis, Ordinis & observantiæ, cùm ait, Philibertum suis monachis monasticæ vitæ præcepta traditurum, non Columbani tantùm, quippe quem ipse præcipuum Ordinis sui Patriarcham agnoscebat, omnia monasteria; sed alia quæcumque in Italia & Gallia constituta cœnobia visitasse. Item studiosè perlegisse Regulas S. Benedicti, Basilii, Macarii, & Columbani, ut ex omnibus, quæ selectissima erant, excerperet, suisque discipulis observanda proponeret. Quorsum enim specificasset author monasteria Columbani Institutum complexa, nisi credidisset illa ab aliis

indicat tum vetus author Vitę S. Philiberti

aliis memoratis Galliæ & Italiæ monachorum Collegiis fuisse institutione diversa? Cur inter alias, à S. Benedicti instituto, omnium rectè sentientium consensione distinctas Basilii & Macarii Regulas, Columbani recensuit instituta, si normam vivendi à Columbano præscriptam existimabat non nisi Statutis quibusdam à Benedictina fuisse diversam? Cur non eàdem cum ipsâ Benedicti Regulâ inclusit clausulâ? Cur non dixit: S. Benedicti, seu Columbani decreta? Cur, inquam, hæc omnia tam disertè præfatus author, nisi quia probè cognovit tam diversam fuisse à Benedictinâ institutione Columbani Regulam, quàm Basilii, vel Macarii constitutiones? Annon ineptè quis hodiè, mendicantium recensens Ordines, numeraret *Dominicanos*, *Franciscanos*, *Augustinianos*, *Eremitas*, *Carmelitas*, *Capuccinos*, *Observantes &c.* cum duos ultimos Franciscanus Ordo complectatur? Aut qui antiquiores hoc ordine referret: *Basilienses*, *Benedictini*, *Pachomiani Cistercienses*, *Camaldulenses*, cùm Benedictina Regula etiam comprehendat *Cistercienses* & *Camaldulenses*? Similiter, si scriptor ille antiquus agnovit Columbani monachos ejusdem per omnia cum Benedictinis extitisse professionis, cur ejus institutum cum aliis Ordinibus à Benedicti distinctis expressit, postquam S. Benedicti Regulæ meminisset? Sanè ex his manifestum evadit aliam fuisse tunc Benedicti Regulam, & aliam Columbani.

non minùs *Benedicti* & *Columbani*, quàm eorundem & *Basilii* ac *Macarii* Regulas ab invicem distinguens.

53 Res hæc adhuc deducitur ex Actis *S. Eustasii* Abbatis, in quibus narrat Jonas, ut ille bis apostata *Agrestinus*, semel ab Ordine S. Columbani, cujus erat Luxovii alumnus, & iterum à fide catholica, à qua ad partes hæresesque Aquileiensis Patriarchæ, catholicam impugnantis Ecclesiam, in suam præceps ruinam defecerat, coram Synodo quadam Episcoporum in suburbio *Matisconensi* ad id negotii pertractandum coactâ, calumniis plenam & malitiosè conceptam, contra Columbani Institutum, mores, & cœnobiticas observantias intenderit litem, quam suprà copiosè ad Regulam ipsius sancti ex Jona descripsi. Nam si Columbanus cum suis Benedictini fuisset Instituti, minimè ausus fuisset calumniator impurus tantum facinus attentare, & multò minus Episcopi ejus garrulitati locum dare; sciebant etenim tam hi, quàm ille S. Benedicti Regulam, ante motam ab Agrestino litem, fuisse à S. Gregorio discussam & approbatam, idque omnibus ubique per Galliam & Italiam, vicinasque regiones, Benedictinorum cœnobiis illustratas, satis cognitum, nihilque ea ætate novum præ se tulisse, quod denuò dignum videretur Episcoporum discussione. Et quomodò Institutum, tanti Pontificis authoritate roboratum, ejus decreto munitum & confirmatum, in dubium vocari permisissent Episcopi, Pontificiæ authoritatis & fidei zelatores, & non potiùs severis pœnis castigassent moventem de illo litem Agrestinum, quem in tali causâ vel auditu dignum non ducerent, nedum prosecutione litis in consessu Prælatorum? Quod si dicatur, Agrestinum, specialia tantùm illa per S. Columbanum Regulæ Benedictinæ superaddita impugnare voluisse, & super horum examine convenisse Concilium; hoc satis ex dictis manet improbatum, in quibus ostensum fuit, S. Columbani Regulam non esse introductionem ad Benedicti monasticen; & ulteriùs ex scopo & exitu litis Agrestinæ refellitur, qui ipsum, quam professi erant monachi Luxovienses Regulam, suâ illâ impetitione destruere moliebatur, & non Statuta tantùm: Ego, inquit, Eustasius apud Jonam suprà ad Agrestinum; *ejus discipulus & successor, cujus tu disciplinam & instituta damnas*, per *disciplinam* intelligens primam potissimùm Regulam, quam principaliter ex vi professionis observare tenebantur, & per *Instituta* Canones pœnitentiales additos in secundâ. Unde in Vitâ Eustasii, per Surium editâ, monachi Luxovienses Regulæ S. Columbani professores appellantur. Et sanè pœna illa terribilis mortis repentinæ, monachis Regulæ S. Columbani, ab Agrestino impugnatæ, contemptoribus, divinitùs à Deo inflicta, non Statutorum tantùm, sed sui Instituti & professionis desertorum est, & omninò rebellium; unde ibidem Jonas de *Romarico* & *Amato*, ab Agrestino seductis, loquens: *abjectis*, inquit, *pristinis Institutis nempe Columbani, rudibus conati sunt præfati jam viri instruere plebem doctrinis*; Ubi dubium non est, ipsum loqui de abjectione Institutorum, ad quæ ex vi professionis erant principaliter obligati, quæque tantis conatibus demoliri

tum inquisitio facta in Regulam S. Columbani in Concilio Matisconensi.

moliri laborabat impius Agrestinus.

54 Ad prædictorum evidentiam clarissimum, si quod aliud, ex priscorum fide colligi potest argumentum, *Walafridi Strabonis*, antiquissimi, fidelissimiq; scriptoris, adjungo testimonium, qui de Instituti Benedictini in monasterio *San-Gallensi* primordiis loquens, postquam retulisset, *Othmarum* Presbyterum à Carolo, *Carolomanni & Pipini* patre, eidem loco fuisse præpositum, *ut Regularem*, inquit, *inibi vitam instituere studeret*, &, ut defuncto parente, *Carolomannus*, pro suâ erga Sanctum locum devotione, Fratrem suum *Pipinum* per litteras seriò rogarit, ut, sui amoris intuitu, eidem monasterio aliquod Regiæ largitatis solatium dignaretur impendere, ista mox de consecuto apud *Pipinum* fraternæ petitionis effectu, subjungit: *Cum igitur ab Othmaro Abbate præsentatâ, Pipinus Princeps accepisset Epistolam, annuens petitioni fraternæ, libellum quem Benedictus Pater de cœnobitarum conversatione composuerat, eidem Abbati tradidit, & alia Regiæ dignitatis impertiens dona, id ei sub omni diligentiâ injunxit, ut in loco sibi commendato ad supplendas B. Galli excubias, regularis Ordinem institueret vitæ.* Et commemoratis aliis Regiæ munificentiæ donis à Pipino collatis, tandem in hæc verba concludit: *his regiæ pietatis Othmarus donatus solatiis, & sublimatus honoribus, monasterium lætus regreditur, & ex illo tempore monastica vita in cœnobio S. Galli exordium quidem cœpit,* (signentur hęc verba) *augmentum autem & profectus hodieq; laudabiliter dilatari non desinit.* Quid manifestiùs ad nostrum potuit adduci propositum? Ecce enim disertè testatur Walafridus S. Benedicti Regulam sub *Othmaro* primùm Abbate, & *Pipino* Principe primitùs *San-Gallensi* cœnobio invectam, & tum primùm ibi coli cœptam institutionem monasticam *Casinensium*, multis post obitum S. Galli annorum circulis evolutis, quod ipsum unà cum Walafrido *Jozias Simletus de Republ. Helvet. lib. 1. fol.* 87. affirmat, cùm ait, post annum octuagesimum à morte B. Galli per operam *Pipini*, filii *Caroli Martelli*, constitutum fuisse Abbatem *S. Othmarū*, *& tunc*, inquit, *primùm D. Benedicti Regulam Fratres profiteri cœperunt.* Ad hæc antequam ulteriùs progrediamur, notandum ex eodem *VValafrido lib. 1. vitæ S. Galli c.* 25. ipsum *S. Gallum* cum aliis aliquot discipulis, in illa solitudine, constructo monasterio, monasticæ vitæ formam exercuisse. *Tempore subsequenti,* inquit, *cœpit virtutum cultor eximius S. Gallus Oratorium construere, mansiunculis per gyrum dispositis ad commanendum Fratribus, quorum jam duodecim monastici sanctitate propositi roboratos, doctrinâ & exemplis ad æternorum desideria concitavit.* Fuerunt ergo secundum *VValafridum*, vivente adhuc S. Gallo, in illo monasterio sub ipso monachi, & quidem sanctitate roborati, Regularem vitam ducentes; ex quo patet, quod superiùs dictum fuit, *San-Galli* monasticam vitam temporibus *Othmari* Abbatis incœpisse, ad S. Benedicti Instituta referendum, ibi tunc primùm introducta. Quibus prænotatis, quæro quam Regulam cum suo Abbate Gallo observabant hi monachi? Cujus doctrinæ dabant operam? Si S. Benedicti, quomodò tunc primus ibi Benedictinæ Regulæ plantator *Othmarus*? Quomodò ab ipsius solùm tempore monastica disciplina sumpsisse dicetur exordium? Si verò S. Columbani dumtaxat præceptis intendebant, quomodò *S. Gallus* cum suis, & eadem ratione cæteri tum Columbani discipuli, ejusdem cum Gallo professionis alumni, Benedictinis adscribendi? Quomodò eorum Regula censenda Benedicti? Vel itaque primordia fundatæ *San-Galli* Benedictinæ Regulæ ad ipsum Sanctum, primùm ejus eremi incolam, referenda erunt, contra fidem historiæ, vel ipse Gallus, omnesque sub ipso tum viventes monachi, à schola discipulorum *S. Benedicti* removendi erunt, contra Benedictinorum assertionem.

& Walafridus Strabo in vita S. Galli, referens Regulam S. Benedicti inductum in S. Galli Cœnobium tempore S. Othmari Abbatis,

80 annis posterioris S. Gallo,

qui proinde cum suis usque ad Othmarum successoribus Columbani Regulam servabat,

55 Neque hîc locum habere potest effugium, quo diceret fortè quispiam, Walafridum prętatis verbis non voluisse negare in Cella *S. Galli* ante *Othmari* tempora Benedictinę Regulę observantiam præcessisse, sed perfectiorem illam dumtaxat, & rigidiorem, cujus ibi inchoatæ primum constituit authorem *Othmarum*: nam ipse, uti superiùs ostendi, disertè narrat sub ipso S. Gallo diu ante *Othmari* ingressum duodecim Fratres *monastici sanctitate propositi roboratos*, hoc est, perfectos, regularis vitæ cultores, floruisse; quorum austeritas vitæ, si non districtior, certè non remissior censeri debet, illorum observantiâ, qui postmodùm sub *Othmaro* Benedictinæ ibi Regulæ magistro claruerunt.

56 Ex eodem Walafridi testimonio colligere licet, neque S. Columbanum tempore suæ peregrinationis per Germaniam

maniam apud lacum *Acronium* S. Benedicti Regulam assumpsisse, vel præscripsisse suis: nam alioquin *S. Gallus*, studiosissimus Columbani imitator, & virtutum ejus æmulator, eandem proculdubiò post ipsius in Italiam discessum, cum suis in eremo monachis strictè observasset; cujus tamen contrarium fecisse jam ostensum est ex Walafrido.

57 Ex hoc Galli monachatu ulteriùs inferimus, monachos etiam Luxovienses eandem cum Gallo, nempe S. Columbani, in cœnobio Luxoviensi professionem, etiam post *Eustasii* mortem, retinuisse. Nam idem Walafridus lib. 1. vitæ S. Galli c. 27. narrat Luxovienses, defuncto jam Eustasio, Columbani Luxovii successore, misisse sex Fratres ad S. Gallum, qui ipsum inducerent ad suscipiendum loco Eustasii Luxoviensis monasterii regimen, communibus ipsi votis & unanimi consensu delatum, quibus ipse minimè acquievit. Si Benedictinæ tunc erant hi monachi professionis, quomodo non Benedictinum aliquem expetierunt Abbatem? In vicinis Galliæ partibus multa florebant Benedictinæ Regulæ cœnobia, multi illustres sanctitate viri, etiam *S. Mauri* proculdubiò magisterio clari, ut quid ad Gallum alteriùs professionis & procul positum recurrendum putarunt? Aut quo potuisset consilio Gallus tantæ administrationis molem, & monachorum inexperti sibi instituti curam suscipere; quàm tamen non aliâ de causâ quàm humilitatis & secretioris vitæ studio declinavit, ut mox ibi tradit Walafridus?

[...]ati & Luxovienses etiã post de un ctum S. Eustathium,

57 Libet ad prædictorum hactenùs confirmationem ex Orderico Vitali Angligena, monacho *Uticensi*, antiquo pariter & fideli scriptore, anno 1120 superstite, sequens adjicere testimonium. Ita enim ille lib. 8. hist. Eccles. prope finem, de S. Columbano ejusque discipulis loquens: *Hic admirandæ Sanctitatis Pater* (intelligit Columbanum) *inter præcipuos laboravit, signis & prodigiis gloriosè inter terrigenas effulsit, & Spiritu Sancto edoctus, monachilem Regulam edidit, primusq; Gallis tradidit. Florentissimi de schola ejus monachi prodierunt, & in mundo, velut astra in firmamento, virtutibus micuerunt. Eustasius enim Luxoviensis, Agilus Resbacensis, Pharo Meldensis, Audomarus Bononiensis, Philibertus Gemiticensis aliiq; plures Episcopi & Abbates excellentissimæ processêre Religionis, quorum Sanctitas evidentibus miraculis cœlitus ostensa est; ipsorum studio in filiis Ecclesiæ insigniter propagata est. Ipsi, reor, B. Maurum ejusq; socios & discipulos noverunt, utpote vicini, & ab ipsis sicut ab aliis scripta doctorum, ædificationis causâ, Sancti normam suscipere Benedicti, ita tamen ut non abhorrerent sui Statuta magistri, almi videlicet Columbani. Ab ipso siquidem modum divinæ servitutis & ordinem didicerunt, & formam orationum pro cunctis Ordinibus, qui in Ecclesia Dei sunt, nigredinem vestium, aliasq; observationes sumpserunt, quas pro Religione & honestate ipsius tenuerunt, & sequaces eorum usque in hodiernum diem reverenter observare appetunt &c.*

tum deniq; Ordericus Vitalis Regulam & monachos Columbani à Benedictinis clarè discriminans.

58 Hic author tria illis verbis affirmat, quæ nostro plurimùm instituto favent. Primum, Columbanum Regulam monasticam condidisse, atque Gallis (nempe Burgundiæ) primum tradidisse. Alterum, memoratos suprà Sancti viri discipulos, non ab ipso, sed à Mauro, vel ejus sociis formam vivendi S. Benedicti suscepisse, & proinde illam, quam eis primò tradiderat Columbanus vivēdi Regulam, non fuisse *Benedicti*. Tertium denique, sic eos *Benedicti* doctrinam admisisse, ut primi sui magistri, scilicet Columbani, decreta retinerent. Ex quibus maturè perpensis id quod nos præsenti dissertatione contendimus, clarè consequitur. Si enim monachi S. Columbani non ab ipso, sed à *Mauro* vel sociis, Benedictinum acceperunt institutum, & insuper ipse Columbanus monasticam Regulam instituit, manifestè infertur neq; illam ejus Regulam dici posse introductionem ad S. Benedicti monasticen, vel constitutiones ipsi superadditas; neq; ad ejus præscriptum in schola Columbani enutritos discipulos antè initum cum *Mauro* vel collegis ejus commercium, censeri potuisse Benedictinæ professionis. Et sanè si Columbanum professione Benedictinū credidisset *Ordericus*, nullo modo id pręteriisset. Quid enim? monachus Benedictinus inter Benedictinos recensens Columbani discipulos, ipsum eorum magistrum, tantis à se laudibus & encomiis celebratum, ad sui Ordinis & Regulę decus & ornamentum, inter Benedicti sectatores referre neglexisset? Quis credat?

59 Itaq; quòd nec in Gallia, nec in Germania Columbanus S. Benedicti Regulā assumpserit, hactenùs allata satis ostendūt; quòd nec etiā in Italia, satis videtur mani-

manifestum. Non enim probabile apparet, Sanctum virum in fine dierum suorum, meritis jam & annis grandævum, alicui peregrinæ Regulæ vel institutioni, anteà sibi inusitatæ, se vel suos subjicere voluisse, maximè cùm cerneret institutionem à se conditam, & tunc usque observatam, magnâ perfectorum monachorum, & illustrium monasteriorum multitudine claram, satis per se sufficere ad monasticæ vitæ rationem perfectè ordinandam, sine alterius Regulæ accessione. Quod ne gratis dictum videatur, ampliùs suadetur. Nam cœnobium *Cassinense*, caput & Princeps monasteriorum S. Benedicti, anno primùm 748. à *Zacharia* Papa exemptionem obtinuit à subjectione & jurisdictione Episcoporum, ut ad eundem annum observat *Baronius*, & monent *Chronica Cassinensium*. At verò *Bobiense Columbani*, centum & sex antè annis hujusmodi amplissimam ab *Honorio* I. anno 632 impetravit exemptionem, ut testatur *Theodorus* Papa in Privilegio, quod *Boboleno Abbati Bobiensi* concessit, suprà relato ad Caput ultimum vitæ S. Columbani, & expressit *Jonas in vita Bertulphi*, quem ad hoc Privilegium consequendum Romam comitatus est, oculatus testis impetratæ exemptionis. Quod si Bobienses tum fuissent Beuedictini, adeoque quodammodò Cassinensibus subjecti Præsulibus, velut Sancti Patriarchæ Benedicti, legitimæ successionis jure, hæredibus, credasnè Cassinenses permissuros, ut honor primæ exemptionis ulli Ordinis monasterio conferretur priùs, quàm Cassinensi omnium principali? Vel credas Pontificem, si Benedictinis privilegia præstare decreverat, tam decori immemorè, eam gratiam antè privato cuipiam loco, quàm capitali Ordinis monasterio, præsertim cùm hoc re ipsâ alia Ordinis monasteria præcelleret, concessurum? Hoc ipsum ex ipso tum in Italia consueto appellationis usu monstratur, quo cœnobitæ ævo S. Benedicti & Columbani, ac aliquot sequentibus, propriis fundatorum suorum nominibus vulgò designabantur & distinguebantur; at monachi Bobienses non S. Benedicti, sed Columbani vocitabantur, ut manifesto constat exemplo in vita S. Bertulphi per Jonam. Igitur ipsi non Benedictum sed Columbanum suæ monasticæ institutionis fundatorem agnoscebant.

& sanè discriminandos evincit exemptio Bobiensi monasterio longè priùs data quàm Cassinensi;

& utrorumque consueta appellatio &c.

60 Postremò idem ostenditur ex prædicto Walafrido, qui refert S. Gallum cognitâ cœlitùs morte sui Abbatis S. Columbani, misisse quamprimùm discipulum suum S. *Magnum* ad monasterium Bobiense, & eundem posteà reversum, attulisse S. *Gallo* baculum S. Columbani, & epistolam transitum ipsius continentem: nam si monachi Bobienses tunc fuissent Benedictini, ex institutione S. Columbani, Benedicti Regulam præscribentis, proculdubiò Magnus illud Gallo retulisset, & is ad exemplum Sanctissimi magistri, & Abbatis eandem Regulam in sua Cella deinceps à Fratribus observari sedulò curasset, veluti studiorum & virtutum ejus ferventissimus æmulator; quod tamen ipsum minimè fecisse jam satis ostensum est. Igitur ut hactenùs in hoc paragrapho dicta claritatis gratiâ resumamus; neque S. Columbanus in Hibernia S. Benedicti Regulam observavit, ut Hiberniensium ejus temporis monachorum à Benedictinis in Ecclesiasticis ritibus Paschæ & tonsuræ dissonantia, & exercitatus à Columbano aliisque ipsi æqualibus ante sufficientem in Hibernia Benedictinæ Regulæ propagationem monachismus, aliæque demonstrant rationes. Neque in Gallia præfatam Regulam assumpsit; tum propter retentam etiam ibi præfatam in illis ritibus dissonantiam; tum propter deductum ex S. Galli in *Helvetia* monachatu consequentiam, & motam contra Columbani Instituta ab Agrestino litem, & alia motiva. Neque demùm in Italia Benedictino sese instituto subjecit Columbanus, ut ex concesso priùs Bobiensibus, quàm Cassinensibus exemptionis privilegio, vulgarique monachorum Columbani appellatione, aliisque conjecturis fuit probatum. Quæ omnia clarè scopum nostrum de Columbani monachatu convincunt.

Epilogus prædictorum.

§. IV.

Declaratur pro solutione argumentorum ut olim in eodem monasterio plures Regulæ viguerint, & quamdiu hoc in cœnobiis S. Columbani fuerit practicatum.

61 ADductis igitur hucusque pro nostrâ sententiâ, quantum sufficere

 videba-

videbatur, antiquorum suffragiis, nunc superest, ut nos ad alteriùs partis motiva solvenda accingamus, & prolata contra nos superiùs, vel ex antiquis tabulis, vel ex scripturis authenticis testimonia pertractemus; quod ut exactiùs fiat, supponendum est ex priscorum fide, in eodem olim monasterio diversarum quandoque Regularum constitutiones, dummodò inter se contrariæ non essent, aut incompatibiles, simul aliquando viguisse; idque, sive ex ipsorum monachorum erga fundatores devotione, se ad eorum documenta & instituta adstringentium; sive ex ipsarum constitutionum perfectione, ad monasticam vitam plurimùm conferentium, ita quòd ab utraque Regula vel fundatore tales monachi collectim, vel disjunctim apud Scriptores appellarentur. Et hanc sententiam clarè mihi videor colligere ex Gregorio Turonensi lib. 10. Hist. Franc. cap. 29. de *Aredio* loquenti in hæc verba: *construxit templa Dei in honore Sanctorum, expeditq; eorum pignora, ac ex familiâ propriâ tonsuratos instituit monachos, cœnobiumq; fundavit, in quo non modo Cassiani, verumetiam Basilii & reliquorum Abbatum, qui monasterialem vitam instituerunt, celebrantur Regulæ.* Ex quibus expresè habetur, Sanctorum Patrum Regulas simul monachis propositas, ac simul etiam, in quantum compatibiles erant, quoad præcipua saltem documenta, & quidem celebriter in illo *Aredii* monasterio observatas. Quod sanè minimè mirari debemus, cùm in aliquibus ex posteriorum etiam temporum Ordinibus tantam videamus Statutorum & constitutionum copiam teneri, ut plures antiquorum Patrum Regulas simul collectas multitudine & varietate instructionum exæquent; quibus tamen non obstantibus, in eodem collegio ab omnibus Religiosis observantur. Cur obsecro plurium olim Regularum constitutiones in uno cœnobio similiter observari non potuissent? Idem deducitur ex Vitâ *S. Philiberti* superiùs memoratâ; in qua narratur, qualiter ipse circuierit omnia Columbani & aliorum Patrum monasteria per Galliam, Italiam, & Burgundiam, *optima quæque colligens vivendi instituta & exempla*, ut ea utique in suo posteà *Gemeticensi* cœnobio monachis observanda proponeret, prout verba ibi subjecta mox indicant: *legebat studiosè Basilii præclaras constitutiones, Macarii Regulam, Benedicti decreta, Columbani Instituta sanctissima, atque ita onustus virtutum aromatibus, sectatoribus suis egregia de se exempla præbebat*, fundata videlicet in prædictorum Patrum Institutis, præsertim verò S. Benedicti & Columbani, quorum præclaras constitutiones ipse præ aliis, suis monachis præscribendas putavit, & maximè Columbani, cui, velut speciali ipsius monasterii Patri & Patrono, à latere summi Altaris D. Virginis, aram erexit, altari S. Joannis, ex alterâ parte collocato, oppositam.

Diversas Regulas monasticas in eodem olim monasterio viguisse indicat Gregorius Turonensis

Vita S. Philiberti.

62 Clarissimum, si quod aliud, hujus rei argumentum deducitur ex Privilegio *Theodori Papæ*, concesso *Boboleno* Abbati *Bobiensi* quarto, quod superiùs dedimus ad caput penultimum Vitæ S. Columbani; in quo postquam Pontifex magnificam de S. Columbani laudibus mentionem præmisisset, subdit, in prefato monasterio Bobiensi, monachos *sub Regula sanctæ memoriæ Benedicti, vel prædicti Reverendissimi Columbani, fundatoris loci illius, conversari.* Et ne quis hæc de una, eademque S. Benedicti dumtaxat Regula acciperet, à qua (inquies) censeri non debet diversa S. Columbani institutio, Statutis tantùm distincta, inferiùs iterum in eadem Bulla, hoc excludit his verbis: *si autem, quod non optamus, monachi in eodem monasterio constituti tepidi in Dei amore, aut contra Instituta Patrum torpentes, quandoque conspiciantur existere, secundum Regulas Patrum* (nempe Benedicti & Columbani, quos mox etiam idcircò Patres Regulæ appellat, quemlibet scilicet suæ) *ab Abbate, id est, Patre monasterii, corrigantur &c.* Quibus verbis evidentissimè declarat, de prædictis Regulis, non tanquam de una, & unius dumtaxat fundatoris, sed tanquam de diversis, & diversorum, priora illa verba in principio posita, esse accipienda, in quibus proinde particula *vel* non sumitur, uti aliquando solet, pro *seu*, quasi eadem esset Benedicti & Columbani Regula: Neq; sumitur etiam disjunctivè tantùm, quasi ambigeret Pontifex, utra ex illis Regulis in Bobio tunc servaretur; sed accipitur quodammodò disjunctivè, ut notetur Regularum istarum diversitas, & simul etiam copulativè, ut indicetur simultanea utriusque Regulæ in eodem monasterio observantia. Vnde hoc

Bulla Theodori Papæ, si quidem incorrupta.

modo

Benedicti & Columbani Regulas connectens

modo construenda sunt verba præfata: *In Bobio monachi sub Regula S. Benedicti, vel etiam Reverendissimi Columbani fundatoris*, supple Regulâ, *conversari videntur.* Sanè si in sensu Benedictinorum, asserentium in similibus clausulis Regulam *S. Benedicti*, dici etiam *Columbani*, propter constitutiones aliquas ab ipso superadditas, ea verba protulisset Pontifex, impropriè planè fuisset locutus, sicut eâdem ratione loqueretur ille, qui hodiè diceret, in cœnobio *Claravallensi* monachos vivere secundum Regulam *S. Benedicti* vel *Cisterciensium*, cùm una eademque sit horum & Cassinensium, Statutis dumtaxat diversa, Regulam minimè variantibus. Et hujus rei assignari potest exemplum in Physicis & Mathematicis; non enim rectè loqueretur, dicens Bucephalum esse animal vel equum; vel talem figuram esse figuram vel triangulum; quia ista non faciunt membra distincta, cùm unum includat aliud, scilicet equus animal, & triangulus conceptum figuræ. Dicendum est ergo *Theodorum* illis verbis significare voluisse, illas duas Regulas, sub propriis conditorum vocabulis, in illo monasterio tum in usu & observantia viridi fuisse, nec Columbani canones adhibitos loco Statutorum ad S. Benedicti monasticen, sed potiùs cum introductis jam Benedicti legibus in suo remansisse vigore, sicut in supradictis & multis aliis per Luxoviensis Congregationis alumnos erectis monasteriis constat fuisse per multos annos practicatum.

63 Juxta hunc etiam sensum interpretanda sunt verba instrumentorum & authorum in principio articuli adducta, cum copulatim de Regulæ *S. Benedicti & Columbani* in eodem monasterio observantiâ loquuntur; ibi enim conjunctio non copulat *Benedictum* & *Columbanum* velut unius ejusdemque Regulæ authores, sicut dicimus eundem librum à Petro & Paulo concurrentibus esse compositum; hic enim sensus in proposito planè falsus est, cùm solus Benedictus author sit Regulæ, quam profitentur Benedictini, & solus Columbanus alterius Regulæ, quam suprà habes, conditor habeatur. Neque etiam sensus ibi potest esse, quod ipsa Regula S. Benedicti ambobus sub diverso tamen titulo tribuatur, hoc est, Benedicto uelut fundatori, Columbano verò tanquam propagatori tantùm: nam propagatoribus aut reformatoribus Ordinum, nusquam primi fundatoris institutio sine modificatione aliqua tribuitur, qualis nulla in proposito apparet. Nec Statuta ab ipsis de novo Regulis fundatorum superaddita, sub nomine Regulæ cũ illis exprimi consueverunt. Ineptè siquidem, uti jam adverti, hodiè diceres, Camaldulenses aut Cistercienses monachos vivere secundum Regulam S. *Benedicti & Romualdi Camaldulensium*, aut *Roberti Cisterciensium* fundatoris, cùm constitutiones ab his editæ Regulam non faciant, aut Ordinem à Benedictino distinctum, licet distinctas inter se Congregationes efficiant; quemadmodùm etsi homo sit aliud animal à leone, non tamen ab animali ad utrumque communi, quia commune non ponitur in numero cum suo particulari contento. Ex quibus infertur id quod habetur in vita *S. Eustasii* per Jonã inter Opera Bedæ to. 3. impressa, ubi interrogatur Agrestinus, quid habeat objiciendum adversus *Regulam S. Columbani & Eustasii* per mendam irrepsisse, Eustasii, sicut & alia ibi plura. Nam legendum est: *contra Regulam Columbani & Eustasium*, ut ex eadem historiâ per Surium editâ liquet.

per conjunctionem &

64 Non aliter ergo ejusmodi clausulæ construendę sunt, quàm quod monachi viverent in eodem monasterio secundum Regulam S. Benedicti & simul etiam secundum Regulam Columbani, hoc est secundum Regulas Benedicti & Columbani, juxta stilum præfati Privilegii Theodori; ita quòd conjunctio ibi copulet illas duas Regulas principaliter simul in eodem cœnobio sub utriusque fundatoris vocabulo, non autem instar accessorii & principalis: ea quippe est in jure differentia inter conjunctionem *&* copulativam, & conjunctivam *cum*, quod inter illa, quorum unum non repugnat esse accessorium ad alterum, *cum* conjungat accessoriè, *&* verò per se & principaliter, ut colligitur ex *l. Si cui fundum ff. de fundo instructo, & cap. Cum Marthæ.* §. *quæsivisti de celebra. Missar.* & aliis locis latè citatis à Nicolao Everardo de *locis legalibus* fol. 69. Et hinc inferunt Juristæ, quòd si quis tempore professionis diceret: *Offero me & mea monasterio*, etiamsi ingressus vel professio ex aliqua inhabilitate fieret nulla, adhuc tamen valeret obla-

quę juris usu hoc differt à *cum*,

quod illa principaliter, hęc, nisi materia repugnet, accessoriè conjungat.

oblatio bonorum, quia hæc fuit conjuncta principaliter per copulam *&*. Quod si diceret: *offero me cum bonis meis huic monasterio*, tunc vitiato ingressu, vim suam consequenter amitteret datio bonorum, accessoriè tantùm per illam particulam conjuncta, quia accessorium sequitur suum principale. Cùm ergo in omnibus passim privilegiis & instrumentis, in quibus de duabus præfatis Regulis fit mentio, Regula S. Columbani mediante copula *&* conjungatur Regulæ S. Benedicti, restat, ut ejusmodi clausulas omnes juxta traditam ex jure doctrinam, de Benedicti & Columbani Regulis, tanquam de duabus per se diversis, in eodem monasterio simul olim sub ipsorum conditorum vocabulis, observatis intelligamus, & non de subordinatis instar Statutorum & Regulæ, ut contendunt Benedictini.

65 Rem hanc de simultanea plurium Regularum in eodem monasterio observantiâ clariùs ostendit citatus suprà *Ordericus*, asserens sic Luxovienses monachos S. Benedicti Regulam assumpsisse, *ut tamen non abhorrerent sui Statuta magistri, almi videlicet Columbani.* Quibus verbis disertè affirmat, cum Statutis S. Columbani receptam etiam ab eorundem Statutorum professoribus S. Benedicti Regulam concurrisse, qui nequaquam censendi sunt per hoc S. Columbani Regulam Statutorum tantùm loco habuisse, ut volunt Benedictini. Nam, præterquam quod hoc ex suprà jam dictis satis maneat improbatum, ubi ostensum fuit unam ex his non esse introductionem ad aliam, adhuc ipse abundè refellit *Ordericus*, affirmans S. Columbani *Regulam monachilem Gallis tradidisse*, & memoratos Sanctos ex ejus schola prodiisse; ex quo liquet consequenter ipsos sub eadem Regulâ fuisse professos, idque antequàm S. Benedicti institutio fuisset apud eos introducta. Quod si ita est, quis credat Regulam illam apud suos cultores & professores haberi potuisse pro accessoriâ, vel additiciâ instar Statutorum ad aliam recentiùs superinductam, quam ex monasticæ disciplinæ zelo dumtaxat, & S. Gregorii hoc commendantis reverentiâ, sancti illi Abbates unà cum illâ Columbani, jam in professione susceptâ, ubi compati poterant, in suis monasteriis observari mandaverant, & non quod eam à principio fuissent professi. Atque hinc, ab utriusque videlicet Regulæ fundatoribus sumptâ appellatione, nunc sub *Regula S. Benedicti & Columbani*; nunc *S. Benedicti vel Columbani* conversari olim dicebantur monachi, utriusque Patriarchæ constitutiones in eodem monasterio modo prædicto servantes. Nec alio planè sensu sibi cohærent verba Orderici aut instrumentorum adductorum in principio, supponendo (quod hactenùs satis ostensum est) Columbani Regulam non esse introductionem ad monasticen S. Benedicti.

Ordericus etiã referens in quibusdam cœnobiis & Columbani & Benedicti Regulas unà servatas

66 Conformiter ad hæc, dicendum non ita duas olim in uno monasterio Regulas à monachis fuisse receptas, ut sub utraque professionem emitterent: hoc enim in proposito de Regulis *S. Benedicti* & *Columbani*, longè inter se diversis, fuisset valdè difficile; sed ex vi professionis obligabant se ad unam, & cum hoc ex devotione erga Sanctos vel zelo doctrinę ipsorum & monasticæ perfectionis, seu, ut loquitur Ordericus, *ædificationis causâ*, alterius Regulę constitutiones, saltem præcipuas, etiam sub pœnarum districtione, rigidè observabant, ita tamen quod illam, ut plurimùm, quâ prius imbuti fuissent, Regulam quoad liceret, profiterentur ad præscriptum fundatoris primi; ad aliam superinductam, ex devotione dumtaxat adstricti. Unde fit monachos omnes ab ipsomet S Columbano primitùs instructos, sub ipsius tantummodò Regulâ usque ad tempus monasticam professionem emisisse; Regulam verò S. Benedicti postmodùm susceptam, & simul cum illâ, ædificationis causâ, ut diximus, observatam cucurrisse. Poterant nihilominùs horum Columbani sectatorum discipuli, in conditis à se de novo cœnobiis, S. Benedicti Regulam observandam proponere, & ingredientes ad ejus professionem admittere, præcipuis interim ex S. Columbani, velut specialis Patris & Patroni, institutione retentis Statutis, à quorum observantia, sicut dixi, etiam S. Columbani monachi dici poterant.

unam scilicet voto alteram ex devotione

67 Cæterùm quando primùm in monasteriis S. Columbani observari cœperit Regula S. Benedicti, quamdiu & quomodò cum illâ permanserit Columbani, adhuc restat explicandum. Quantum ergo ad primum, constat ex

dictis

dictis superius, ipsum S. Columbanum in monasteriis sibi subjectis non admisisse S. Benedicti Regulam; at verò tempore successoris ejus *Eustasii*, non negaverim in ipso etiam Luxoviensi cœnobio, quod omnium aliorum arcem tenebat, S. Benedicti Regulam introductam, non quidem ex vi professionis (quippè quam sub Columbani Regula emittebant) sed *ædificationis causâ*, ut loquitur Ordericus, imposterùm observandam. Cùm enim operâ S. Mauri & sociorum passim per Galliam S. Benedicti Institutum latè propagari, & monachorum ac monasteriorum copia in dies crebrescere inciperet, credibile est S. Eustasium ejus instituti celebri laude commotum, cum S. Mauri discipulis sanctæ familiaritatis & charitatis iniisse commercia, ab iisque pleniùs de Benedictinæ Regulæ præstantiâ & apud omnes æstimatione informatum, inter alia S. Gregorii Papæ, mirifici ejusdem Regulæ laudatoris, mandatum suscepisse, in privilegio monasterio Sublacensi concesso expressum, præcipientis, ut ubicumque latinæ litteræ legerentur, eandem Regulam diligentissimè observarent quicumque ad conversionis gratiam accessuri essent. Cui sancti Pontificis voluntati sese ipse conformare volens, pro suâ erga S. Benedictum, ejusque doctrinam devotione, Regulâ ipsius cœlesti sapientiâ plenam, ac, ut ipse Gregorius loquitur, *discretione præcipuam*, in suo monasterio, aliisque annexis, in quantum cum S. Columbani institutione stare poterat (cujus Statuta per omnia retinebat, ut testatur in ejus vita Jonas, & probat impugnatio Agrestini) diligentissimè observari curavit, uti etiam ex Actis *S. Winoci* apud Surium 6. Novemb. non obscurè colligitur, in quibus quatuor nobiles Britannos, *Winocum*, *Ingenocum*, *Quadanocum*, *& Madocum*, monasticam vitam amplecti volentes, *S. Bertinus*, & ipse, ut creditur, Luxovii S. Eustasii discipulus, sub normâ S. Benedicti instruxisse legitur; in qua proculdubiò fuerat ipse anteà ab Eustasio inter alios ejusdem disciplinæ cultores Luxovii educatus. Et huc omninò referenda videntur verba Orderici suprà opinantis S. Eustasium, aliosquè S. Columbani discipulos à *S. Mauro* vel sociis, *sicut ab aliis scripta doctorum, ædificationis causâ sancti normam suscepisse Benedicti*, *ita tamen, ut non abhorrerent sui instituta magistri, almi videlicet Columbani.* Ubi cum dicitur, *sicuti ab aliis scripta doctorum, ædificationis causâ, sancti normam suscepisse Benedicti*, clarè datur intelligi id quod suprà tetigimus, de modo, quo simul ambæ illæ Regulæ in eodem cœnobio concurrebant, nimirùm S. Benedicti Regulam ab illis Columbani monachis, non ex necessitate professionis, sed opere supererogationis, hoc est *ædificationis causâ*, in conditis à S. Columbano monasteriis fuisse receptam, & unâ cum ipsius Columbani, sub qua profitebantur, Regulâ observatam. In monasteriis, inquam, à S. Columbano conditis; quia non negamus in aliis posteà per discipulos Eustasii & sequentium constructis de novo cœnobiis, Regulam S. Benedicti etiam in professione vovendam, religionem intrantibus potuisse præscribi, & hoc vel ex devotione temporalium fundatorum, malentium sub Regula S. Benedicti, quàm alterius ædificata à se monasteria gubernari, vel ut sic exactiùs satisfacerent præfato S. Gregorii Papæ decreto, vel aliis de causis. Quæ in Columbani cœnobiis locum non habebant, utpotè ex primæ fundationis origine sub ipsius Regula institutis, quam longâ jam annorum consuetudine, observantiâque firmatam, Abbates, etiamsi voluissent, non potuissent convenienter abolere, aut pro Benedictinâ ex tunc vovendâ commutare. Unde quidquid sit de aliis monasteriis, crediderim in illis omnibus, quæ Jona teste sub Regula S. Columbani erecta sunt, non ante desolationem illam magnam cœnobio Luxoviensi ab Hungaris & Wandalis illatam & à *Carolo Magno* Imper. in suo Privilegio *Luxoviensibus* concesso memoratam, quam sub *Mellino* Abbate circa annum 732. contigisse tradit Catalogus Abbatum Luxoviensium, sancti fundatoris instituta desiisse: *Post hunc*, inquit idem Catalogus, nempe Walbertum, tertium Luxoviensis cœnobii Abbatem, *fuerunt quamplurimi Abbates, qui statum laudis perpetuæ servaverunt, videlicet Vandalogus, Berthoaldus, Ingofredus, Cunctanus, Resticus, Sesarius Addonus, Arulfus, Rendinus, Regnebertus, Gerardus, Ratto, Villmcranus, Mellinus. Tempore istius venerunt Vandali & Hungari, & interfecerunt Fratres Conventus & Abbatem, & cessavit laus perpetua, nec* Abbas

quo posteriori modo Regulam S. Benedicti admissam Luxovii sub Eustasio,

non incredibile est ex Actis S. Bertini.

& sic servatam usque ad an. 732,

Abbas fuit per quindecim annos. Hæc ibi, quibus satis exactè tempus & occasio notatur extincti S. Columbani Ordinis, qui usque ad illam barbaricam irruptionem in suo flore permanserat. Cum enim solemnitas *laudis perennis*, quod erat præcipuum institutionis S. Columbani capitulum, tunc usque per continuam tot Abbatum successionem inviolata permanserit, nemini dubium videri debet, quinetiam ipsa Columbani Regula apud eosdem in suo primævo rigore perseverârit, & cum ipsâ tunc Luxovii, deinde in aliis, ipsi velut capiti subjectis, monasteriis, ex præfato Barbarorum incursu, cessante, cessaverit. Neque enim poterat, contrito & emortuo jam capite, membrorum compago consistere.

68 Atque ita per spatium illud quindecim annorum, quo sine Abbate permansit monasterium Luxoviense, verisimile est, reliqua per Galliam ejusdem Instituti cœnobia in idem cum aliis Benedictinæ professionis corpus coaluisse, & monachos suorum paucitate, ac monasterii principalis desolatione consternatos, Benedictinis tunc ubique florentibus, & per Galliam latè diffusis, ex toto adhæsisse; & hac primùm viâ monasticum Institutum & Ordinem S. Columbani in Gallia desiisse, & Benedictinæ professionis formam in ejus cœnobiis institutam; quod sub Abbate *Fruonaldo* in cœnobio Luxoviensi contigisse primùm existimo, quem præfatus Catalogus, exacto memoratæ desolationis tempore, Mellini successorem constituit, & tunc primum Luxovienses monachi S. Benedicti Regulam profiteri cœperunt, & sicut in erectis à S. Mauro & sociis per Galliam monasteriis, deinceps observârunt, sic tamen quòd ob memoriam S. Columbani fundatoris in magna semper veneratione & authoritate haberentur ab omnibus documenta monastica ab ipso primitùs ibi tradita. Nec in toto illo processu redargui possunt sancti illi monachi aut irreverentiæ erga sedem Apostolicam, aut ingratitudinis erga Columbanum Patrem; quinimò pro singulari utrobique prudentiâ plurimùm commendandi; nam qui in monasteriis Columbanianæ professionis vivebant, cum non possent, congruè sui Institutoris disciplinam, longo jam usu, & observantiâ ibi stabilitam, deserere, vel aliam superinducere profitendam, ne Apostolico decreto contrarii viderentur, quantum licuit, unà cum illa S. Benedicti Regulam ex devotione observarunt; & postea successores eorum, non valentes propter temporum injurias, & maximè desolationem præfatam Luxoviensis monasterii, commodè primæ institutioni, nempe Columbani, adhærere, eam deinceps ex vi professionis observandam assumpserunt, retentâ nihilominùs adhuc S. Columbani primi Patris memoriâ, cujus observationes & Statuta per multa posteà tempora, magnâ devotione fuerunt prosecuti. Qui verò egrediebantur ex cœnobiis S. Columbani ab propagandum monachismum, licet ob justas causas, ut ante diximus, monasteria à se erecta, sub Benedictinâ interdum professione instituerent, ne tamen ingrati filii, aut paternæ S. Columbani institutionis viderentur immemores, simul etiam ipsius adhibebant Statuta. Et hæc quidem de progressu Ordinis S. Columbani in Gallia; in Italiâ verò (nam de Germania non est difficultas) in qua ipse monasterium Bobiense tantùm construxisse legitur, constat ipsius Regulam, saltem usque ad Theodori Papæ tempora viguisse, qui in suo Privilegio superiùs memorato testatur monachos Bobienses sub Regula *S. Benedicti vel Reverendissimi Columbani* fundatoris loci illius, tunc vixisse; quanquam ut jam animadversum, suspicio sit ea verba *S. Benedicti vel*, ab interpolatore aliquo inserta esse. Ad quam autem ex duabus illis Regulis simul in illo monasterio concurrentibus obligarentur monachi ex vi professionis, non potest facile definiri. Sanè non videtur verisimile *Attalam* & *Bertulphum*, charissimos Columbani discipulos, vel accepisse, vel aliis tradidisse profitendam ullam Regulam, præter illam *S.* Columbani, sub qua à principio fuerant ipsi enutriti & professi; & idem sentiendum videtur de *Boboleno*, horum vestigiis insistente; atque ita non nisi post ipsius tempora Bobienses sub Regula S. Benedicti profiteri cœperunt, quam tamen usque tunc ad pacem & concordiam cum Italis circumquaque Benedictinum colentibus institutum conservandam, devotionis & ædificationis causâ, modo sæpè dicto forsan observabant. Atque hæc de origine, progressu, & occasu Ordinis S. Columbani sufficiant; quibus suppo-

deinceps verò priori

uti & Bobii fortè à defuncto Boboleno.

suppositis, ad expendenda motiva Patrum Benedictinorum superiùs adducta transeamus.

§. V.

Solvuntur motiva pro Patribus Benedictinis superiùs adducta.

69 QUantum ergo ad primum argumentum ex privilegio Theodorici Regis adductum, sciendum monasterium illud *Maurmunster* à Sancto Abbate suo *Mauro* sic dictum, originem primitùs habuisse à quodam monacho Cassinensi, & ut habet ejus loci traditio, ipsius Sancti Patriarchæ Benedicti adhuc viventis discipulo, qui proculdubiò non aliam ibi plantavit Regulam, quàm S. Benedicti magistri & Abbatis sui; ac proinde monachos omnes illius monasterii à prima fundatione fuisse professione Benedictinos. Posteà verò latè crescente famâ Columbani, & institutæ ab eo Regulæ præstantiâ, magnâ professorum ejus sanctitate comprobatâ, cum sui Sancti institutoris disciplinâ, etiam piissimas Sancti Columbani Sanctiones ædificationis causâ observandas admisisse, & ex hac simultanea ibi utriusque Regulæ observantiâ, & non quòd Sancti Columbani Regula statutorum tantùm loco accederet ad Benedictinam, ut opinatur Reynerus, dictum est monachos illius monasterii sub normâ Sanctissimi Benedicti & Columbani conversatos fuisse.

in *Maurmunster* etiam ab initio, licet supererogatoriè, admissa pariter Columbani Regula;

70 Pari facilitate solvitur aliud simile argumentum ex testamento *Leodebodi* petitum, ex quo solùm habetur monasterium *Floriacense* ab ipso constructum, à principio fuisse Benedictinæ professionis, & simul etiam Columbani constitutiones observasse, & hoc ex ipsius fundatoris voluntate, ita præscribentis, *In quo*, inquit, *monachi juxta Regulam Sanctissimi Benedicti, & Domini Columbani consistere debeant.* Quod nihil facit contra hactenùs à nobis constituta; cùm admittamus in iis monasteriis, quæ nec ab ipso Columbano, nec à discipulis sub ejus Regulâ primitùs constructa leguntur, facilè potuisse Benedictinæ professionis formam institui, & simul etiam devotam S. Columbani Canonum observantiam.

quæ itidem *Floriaci* servata,

71 Ad secundum de privilegio *S. Ansberti* ex Anagrado respondemus, inde non posse fundamento colligi, monasterium *Fontanellæ* fuisse à *VVandregisilo* sub Sancti Benedicti Regulâ institutum; imò contrarium potiùs innuitur, cùm dicitur Ansbertum *VVandregisili* successorem statuisse, ut sicuti in illo monasterio monachi sub ejus regimine, ita & in posterum Sancti Benedicti Regulam observarent. Ut quid enim hoc cavisset, si ejus loci monachi ab initio Benedictini erant? ut quid sub suo solùm regimine expressit ibi Benedictinam viguisse institutionem? Cur non dixit: sicuti sub meo & prædecessoris regimine, vel ab initio fundati cœnobii, cùm plurimùm in hujusmodi clausulis robur inesset ad stabiliendum (quod ipse suo illo decreto intendebat) in illo monasterio Benedictinæ Religionis institutum? Cur, inquam, tali loquendi formulâ non est usus, nisi quia fortè se primum sciebat authorem introducti ibi monachismi Benedictini? Ex quibus apparet, illos non satis attentè præfata verba ponderare qui dicunt, non id ibi agere Ansbertum, ut Regulam à se introductam stabiliat, sed ut exactam regularis disciplinæ observantiam, quam ipse Abbas ibidem reliquisset, hac constitutione perennem redderet. Nam si id duntaxat intendebat, cur precor ad intentum finem efficaciùs consequendum non adduxit, quod ante alia maximè adducendum erat, primi fundatoris authoritatem & exemplum, sub cujus regimine, si non strictior, certè non remissior fuisse credenda est monastica disciplina, cujus observantia tantò discipulis acceptior & persuasibilior fuisset, quantò sub Sancti fundatoris nomine studiosiùs proposita. Tantùm ergo suo privilegio volebat Ansbertus in monasterio *Fontanellæ* unà cum S. Columbani Regulâ, ibi ab origine proculdubiò plantatâ, & tunc etiam fortè perseverante, Sancti quoque Benedicti monasticam à se introductam, stabiliter observari. Et si daremus nullum ibi locum obtinuisse Regulam Sancti Columbani, nequaquam nostræ obsisteret assertioni,

& sola usque ad præfecturam S. Ansberti obligavit in monast. *Fontanellensi*.

Hhh ut ex

ut ex dictis hactenus prudens lector intelliget.

72 Quod in tertio argumento profertur, si quidquam valet, solùm probat *S. Bertinum* in monasterio Luxoviensi sub *Eustasio* S. Benedicti Regulam didicisse, ipsumque adeò *Eustasium* jam ibi Benedictinæ observantiæ formam recepisse; id quod nos etiam cum *Orderico* citato probabiliter concedimus, fatentes plurimos ex S. Columbani schola post ipsius ex Gallia recessum Benedictinas constitutiones ex devotione suscepisse, ita tamen, ut sui retinerent *Statuta magistri, almi videlicet Columbani*, eaque per multa posteà annorum curricula, videlicet usque ad magnam illam, de qua suprà Luxoviensis Cœnobii desolationem ab *Hungaris* & *VVandalis* factam in primævo rigore conservasse. Neque ex eo quòd author Columbani nomen tacuerit, censendus est voluisse doctrinam ejus à *Sithuiensi* cœnobio excludere, quâ unà cum Benedicti proculdubiò instructus fuerat à Bertino *Winocus*, sed ideò fortè S. Benedicti dumtaxat Regulam expressit, quòd sub illa monachi *Sithiuenses* professionem emitterent, ex quorum erat collegio *Winocus*. Et licet justis de causis solam in monasterio *Sithiuensi* Benedicti Regulam docuisset *Bertinus*, nihil inde contra nostram sententiam haberetur.

fortassis etiam in *Sithiuensi.*

73 Circa monachatum *S. Philiberti*, ex quo quartum deducitur argumentum, sciendum ipsum in celeberrimo *Resbacensi* cœnobio, sub *Agilo* seu *Agito*, Columbani & Eustasii discipulo, primo loci Abbate, monasticæ professionis habitum accepisse, & proinde fuisse, sicut ipse *Agilus*, professione monachum Ordinis S. Columbani (sub cujus Regula fundatum fuisse monasterium illud testatur expresè Ionas cap. 27. vitæ S. Columbani) monachus fuit: quod si ipse S. Columbani monachus fuit, & monasterium *Gemiticense* ab ipso fundatum, sub Regula S. Columbani institutum fuisse pari ratione affirmandum erit. Quod non obscurè colligitur ex ipsius Sancti viri Actis suprà citatis, in quibus legimus, ipsum omnia S. Columbani per Galliam & Italiam cœnobia circuiisse, ejusque ac S. Benedicti, aliorumque Patrum monastica legisse Instituta; deinde in Ecclesia, quam in suo Gemiticensi monasterio in formam crucis erexit, altare majus sacratissimæ Virgini, prima verò collateralia duo S. Ioanni Baptistæ ab una parte, & S. Columbano ab altera dedicasse. Quę singularis erga S. Columbanum devotionis indicia, manifesta etiam argumenta videntur institutæ ibi à *Philiberto* primitùs observantiæ Luxoviensis, cum qua simul etiam Benedictinæ Regulæ decreta monachis ejus loci tradita, libellus ille à *Philiberto* porrectus *Aichadro* successori satis ostendit; sicque Benedicti & Columbani institutiones simul in Gemiticensi cœnobio viguisse modo superius explicato.

& dubio procul in *Gemiticensi*

74 Quod additur ibidem de *Malmundariensi* cœnobio Benedictino, extructo à *S. Remaclo*, qui tamen in *Solemniacensi* monasterio Luxoviensis instituti fuerat educatus, nihil obstat sententiæ nostre, cùm admittamus potuisse justis de causis discipulos discipulorum S. Columbani, qualis censeri debet *Remaclus*, monasteria à se recenter erecta, sub Regula S. Benedicti instituere, maximè si admitterent etiam consortium Regulæ S. Columbani; quod in proposito factum, satis inde colligitur, quòd *S. Remaclus Malmundariensi* cœnobio non Benedictinum alqiuem ex discipulis *S. Mauri*, quorum tamen tunc in Gallia celebre nomen, nec minor vitæ sanctitas ubique clarebat, sed *S. Papolenum* monachum Luxoviensis instituti S. Columbani præfecerit, qui nequaquam talem curam suscepisset, ubi non posset secundum Statuta Regulæ à se professæ vitam traducere. Vigebant ergo in monasterio Malmundariensi, & consequenter etiam in Stabulensi, cui ipse prҿerat Remaclus, simul institutiones S. Benedicti & S. Columbani, ita tamen quod ad illas ex vi professionis obligarentur, adeoque simpliciter dicendi essent Benedictini (ad quod significandum Notgerus addidit hujus loci monachos *S. Benedicti instituto vixisse*); ad has autem, nempe Columbani, ex devotione dumtaxat sese accommodarent, prout in aliis monasteriis factum ostendimus.

simul cum Benedictina servata in *Malmundariensi*

& *Stabulensi.*

75 Circa aliud evidens, ut putant Yepes & Reynerus, argumentum, ex verbis Jonæ & testamento Romarici deductum; quorum hic disertè videtur appellare Regulam

S. Bene-

S. Benedicti, quam ille vocat Columbani, advertendum, ut statim ostendam, S. Romaricum duo in monte illo *Vosego*, diversisque temporibus, monialium cœnobia extruxisse, ut ipse etiam Yepes ad annum Christi 620 expressè fatetur; unum ante susceptum Luxovii habitum, aliud post plures ibi professionis annos. Quo supposito, respondemus non de eodem monasterio loqui Romaricum & Jonam. Nam Romaricus agit de monasterio Monialium à se condito ante susceptum religionis habitum, cum adhuc esset *Avenduni* Comes, cui monasterio suo illo testamento totum illum Comitatum legavit, & filiam suam *Gertrudem* Abbatissam præfecit: *Noverit* inquit, *omnium catholicorum, tam præsentium, quam futurorum universitas, quod ego Romaricus Avenduni Comes, videns viros virtutis, voluntariâ paupertate, pauperis Iesu stigmata in suis corporibus circumferre, & in desertis ac spinosis locis habitare, ut amaritudinem crucis & asperitatem pœnitentiâ sanctâ sæculis omnibus celebrem prædicarent, secundum desiderium meum paravi eis locum in monte Rombeiense juxta castrum meum, in monte silvestri satis & horrido, haud procul à Mosellæ fluminis ripa.* Et infrà. *Spinis & vepribus extirpatis, construxi ibi monasterium monialium Ordinis D. Benedicti &c.* Et paucis interjectis: *Tunc,* inquit, *communi consensu meorum convocavi Congregationem sanctarum Monialium, quibus concessi præfatum monasterium, & Abbatissam Gertrudem filiam meam primogenitam, cui & sorori suæ Claræ filiæ meæ, ac cæteris monialibus, ut securè & liberè, ac sine bonorum terrenorum metus curâ Deo famulentur, do & concedo liberè & purè, quia Deo servire cupio, totum patrimonium, meum, videlicet totum Comitatum Avenduni, eodem modo, formâ, authoritate, proprietate tenendum, qua pater meus & ego tenuimus. Factum est autem hoc donum 4. Nonas Martii, anno ab incarnatione Domini 620. Clothario, glorioso Francorum rege regnante. Testes sunt Arnoaldus Episcopus Metensis, Dodo Episcopus Tullensis, Paulus Episcopus Virdunensis, Arnulfus cognatus meus, dux Austriæ Mosellanicæ, Brunulfus Comes Templatensis, Vambertus Dux inferioris Austriæ, Comes Salmensis &c.* Hæc Romaricus, adhuc sæcularis, quæ minimè quadrant illi monasterio, de quo loquitur Jonas, ab eodem Romarico jam monacho, & *Amato* erecto, cui non *Gertrudis*, sed *Mictefledis* præposita fuit. Ionam ipsum audiamus: *Ad Luxovium veniens* Romaricus, *monachicæ institutioni se subdidit, quo diu sub regulari tenore vitam agente, posteà Eustasio annuente, puellarum monasterium in suo proprio inseruit & Regulam Columbani illis custodiendam indidit.* Ubi clarè affirmat Romaricum, postquam diu sub regulari tenore vitam egisset, hujus monasteri jecisse fundamenta, cui ad docendam S. Columbani Regulam prefectum ab Eustasio, Amatum tradit mox idem Ionas, & cum ipso clariùs anonymus scriptor vitæ *S.* Amati apud Surium 13. Septembris, ipsi, ut creditur, æqualis, qui de eodem monasterio loquens, ait, quod *instinctu divino B. Amatus unà cum Romarico discipulo suo, puellarum monasterium condidit,* & mox Abbatissæ ibi præfectæ nomen exprimens, *in eodem cœnobio,* inquit, *vir sanctus Amatus quandam elegit, quæ sororibus præesset; ea Mecteflidis dicebatur, quam cæteris imitandam proposuit, ut ab ea sanctitatis exempla caperent &c.* Quibus omnibus inter se collatis, quis non videat monasterium, de quo meminit testamentum, aliud planè fuisse ab illo Jonæ, cùm hoc monasterium Romaricus adhuc sæcularis, Comitis honore illustris, multis titulis & possessionibus dives, ac demû quoad omnia sui juris, condiderit. Illud autem Ionæ nô nisi multos post annos monachus simplex & pauper, titulis & possessionibus nudus, alieno judicio ac voluntati subjectus, in suo, quod aliquando proprium erat, solo, sub *Amato* sibi præfecto construxerit; cui non *Gertrudis* ab ipso Romarico, ut priori, sed *Micteflidis*, ab *Amato* fuit præfecta Abbatissa; quod etiam cœnobium possessionibus dotare non potuit, monasticâ lege proprium excludente, prohibitus, sicut ipse se primum monasterium consignato Comitatu dotasse testatur. Primum ergo ait Romaricus à se constructum sub Regula S. Benedicti, secundum Ionas sub Regula Columbani; quę benè consistunt: nam Romaricus ante ingressum religionis velut homo sui adhuc juris, nulli Regulæ vel monasterio subjectus, rectè potuit, de suis bonis pro libito disponere & sub quocumque voluisset instituto sua collegia & cœnobia fundare; & ita primum illud sub Regula

Marginalia: Romaricus duo in monte Vosago monialium monasteria erexit, unum, ut ex ipsius testamento patet sub Regula S. Benedicti; alterum sub Regula S. Columbani.

S. Benedicti vel alieno consilio inductus, vel Benedictinæ Regulæ celebri famâ commotus erexit. At verò factus jam monachus, & per hoc monasticis legibus & institutis adstrictus, debuit quoad omnia, obedientiæ præscripta sequi; atque ita juxta *S. Eustasii*, Abbatis sui, directionem, secundum illud monasterium, non sub formâ professionis S. Benedicti, sed S. Columbani ab *Amato* ibi traditâ erigere; quod ita factum fuisse satis ostendit historia litis Agrestinæ cum Eustasio apud Jonam, licet cum hoc etiam satis credibile sit, ibi, sicut Luxovii, devotionis & ædificationis causâ receptas fuisse S. Benedicti constitutiones.

76 Postremò circa præfationem illam Augustanam Regulæ cœnobialis S. Columbani, vel *Patrum de Hibernia* (ut omisso Columbano habet Codex Augustanus) in qua mentio fit Sancti Patriarchæ Benedicti, notandum illam non haberi in aliis codicibus; nam in codice monasterii *Oxenhusani* in *Suevia*, qui in multis longè correctior est illo Augustano, post primam Columbani Regulam (ad cujus firmiorem observantiam canones illos à Columbano additos superiùs diximus) immediatè, nullo interposito proloquio, sequuntur illi canones sub hoc titulo: *S. Columbani Abbatis Regula cœnobialis Fratrum, sive liber de quotidianis pœnitentiis monachorum.* Et mox, ne verbo quidem interjecto subjicitur textus Regulæ, *Statutum est Fratres* &c. ut suprà descriptum habes. Sanè non videtur verisimile eum, qui tam exactè singula Regulæ illius capitula ad finem recensuit, præfationem operis omittere voluisse, si talem in Autographo reperisset, aut monachum, proculdubiò Benedictinum, quippè in cœnobio Benedictinę Regulę exemplaris non ita vetusti transumptorem, præterire cogitasse procemium illud, in quo de sui Ordinis Patriarchâ Benedicto tam præclaram tanti viri legisset encomium. Unde valdè suspectam habeo præfationem illam, quam à Columbani manu alienam judicabit, qui ejus scribendi consuetudinem & stilum perpenderit, sibi semper, sive proloquenti, sive tractanti, in primâ personâ ascribentis quæ sua sunt opera, ut videre est in exordio Instructionum, ubi sic loquitur: *Instructionis valdè necessariæ curam gerens, primùm ante omnia, quod omnibus scire primùm est, dicere, breviter licet, cupio, & quod est fundamentum salutis omnium, nobis crepido sermonis sit.* Et infrà: *de initio ergo humanæ salutis, Christo adjuvante, nostra dicta sumant exordium.* Et Instruct. 2. *his*, inquit, *quasi innarrabilibus cum debito honore silendis, de manifesta re, & ineffabili Deo placitâ loqui incipiamus.* Item Instruct. 8. *de fine vitæ nostræ, Spiritu Sancto nos adjuvante, noster sermo producendus est.* Instruct. 9. *adhuc* inquit, *de fine dicamus, Fratres clarissimi.* Et passim in *Epistolis*; nam in prima, quæ est ad Bonifacium, *ad vicinos Fratres meos*, inquit, *scripsimus istas, quas hac chartula tibi commendat Epistolas.* In Epistola quoque ad Gallicanos: *Quicquid illi sentiunt, sive Papæ per tres tomos innotui, & adhuc Sancto Fratri vestro Arigio brevi libello hoc idem scribere præsumpsi.* In sua demùm Regula cap. de Synaxi, *Variè à me quoque*, inquit, *hoc idem* (cursus nempe Psalmorum) *insinuatur* In quibus omnibus locis, & aliis quæ superfluum foret recensere, communi scriptorum, Opera à se composita designare volentium, stylo, se eorum quæ elaboravit, authorem declarat. At verò in dictâ prçfatione author subscriptorum Canonum, Notarium tantùm agens, in tertiâ personâ sic loquitur: *Igitur de eadem emendatione disciplinę quibusdam verbis institutâ* (supple ab aliis) subter inserta nectuntur, ubi non *necto*, vel *nectimus*, velut operis author dixit, ut consuevit in similibus Columbanus, sed *nectuntur*, tanquam nudus dumtaxat subsequentis Opusculi Notarius, communi commentatorum, aut registratorum more, qui cum aliorum Opera dividere vel declarare incipiunt, ejusmodi passim loquendi formulas usurpant, quæ non nisi rarissimè apud scriptores sua Opera recolentes inveniuntur.

Præfationē Regulæ cœnobialis Columbano falsò esse adscriptam indicat correctior Codex;

Stilus & forma loquendi dissimilis;

77 Prçterea si ejusmodi præfationem adhibendam existimavit Columbanus, mirum est, quòd non priùs talem affixit primæ Regulæ, quàm secundæ; cum illa longè dignior, & etiam intricatior sit, hac cœnobiali accessoriâ tantùm, in qua nulla prætendi potest specialis ratio, vel necessitas ejusmodi præliminaris prologi quæ non reperiatur in illa, cui cum nullum tale præmiserit proloquium, meritò pro suspecta haberi potest illa Regulę cœnobialis Augustana præfatio, & ab aliquo veriùs Notario, quàm ab ipso Operis authore præfixa, & fortè non ab alio, quàm à Fratre *Sigismundo*

Tam,

Tatus, monacho Augustano, claritatis causâ superadditâ, qui Regulam illam Columbani cum additis in cœnobiali canonibus, ut in codice Augustano habentur, discripsisse legitur, cum esset circa annum Domini 1510 reformator cœnobii *Augiæ divitis*, ex cujus scriniis forsan extractum fuerat exemplar illud Augustanum, exceptâ præfatione Sigismundi. Vel si velimus ad anteriora tempora illius præfatiunculæ referre originem, credi potest, ab aliquibus monachis Benedictinis antiquis adjecta, qui unâ S. Benedicti Regula, quam profitebantur, constitutiones illas observare cupientes, illam præmiserunt, quâ ostenderent subscriptos ibi canones non esse à mente vel instituto S. Benedicti alienos, mensuram pœnitentiæ Abbatis iudicio relinquentis. Postremò quidquid sit de aliis, saltem juxta Chronologiam Mariani Scoti juxta Baronium ad annum 4941, Sigeberto, Trithemio, & aliis probatam extendentis mortem S. Benedicti ad annum Christi 603, non poterit dictæ præfationis author haberi Columbanus: nam ibi prolocutor de S. Benedicto, ut jam defuncto, loquens *ut fertur*, inquit, *omnium Sanctorum spiritu plenus fuit*, quod non potuit Columbanus dicere, qui diu ante annum 600, ut ex Jona constat, & alibi ostensum fuit, adeoque juxta computum istum, in vivis adhuc agente Benedicto, Regulam illam composuit, & si quam addidit, præfationem.

nec ejus esse potest, si S. Benedictus annum 600 excessit aut attigit:

Sed quid hic tamdiu immoramur? esto sit Columbanus author, quid exinde colligent Benedictini? An quod in ea præfatione vocet author S. Benedictum Patrem? An quod ejus Regulam commemoret, doctrinam commendet, concludetur professione Benedictinus? Si sic, ipsemet Benedictus pari jure Basiliensibus erit adscribendus: nam S. Basilium magnâ veneratione Patrem appellat, Regulam citat: hæc enim ejus verba cap. 73. Reg. *Quis liber sanctorum Catholicorum Patrum hoc non resonat, ut recto cursu perveniamus ad Creatorem nostrum? Nec non & Collationes Patrum & instituta, & vita eorum; sed & Regula Sancti Patris nostri Basilii, quid aliud sunt, nisi bene viventium & obedientium monachorum exempla & instrumenta virtutum?* Cum ergo ex his verbis nemo rectè possit inferre aut S. Benedictum fuisse Instituti Basiliensis, aut ejus Regulam Statuta dumtaxat ad S. Basilii constitutiones adjicere; neque cum fundamento Benedictinis accenseri potest Columbanus, quod in illo sibi adscripto proloquio S. Benedictum, velut præcipuum monachorum Occidentis Patriarcham, ejusque doctrinam collaudet, ostendens subscriptos ibi canones, quo majus apud omnes robur obtinerent, non esse à mente vel sensu tanti doctoris alienos. Quod quidem ipsius erga S. Benedictum, sicut & hujus erga S. Basilium, adducta jam Regulæ verba devotionem & reverentiam satis ostendunt. Nec ex hujusmodi verbis, devotionis dumtaxat erga sanctos indicibus, facilè trahendum est argumentum ad aliquem huic vel isti Ordini inscribendum, cùm cuilibet sapientiæ & virtutis studioso licitum sit, quosvis in hoc genere præstantes viros laudare & venerari, eosque factorum, dictorumque suorum ubi potuerit, testes & patronos adsciscere.

quamvis denique Columbani esset, non proinde is rectiùs concluderetur Benedictinus,

quàm S. Benedictus fuisse Ordinis S. Basilii

ARTICVLUS

ARTICULUS III.

SUB QUO ORDINE PROFESSIONEM MONASTICAM EMISIT S. COLUMBANUS

§. I.

Demonstratur plures olim in Hibernia monasticos Ordines floruisse.

77 CUm hactenus conati simus ostendere S. Columbanum nec Augustinianum, nec Benedictinum fuisse professione, nunc tandem superest, ut sub cujus primùm Regula monachum egerit, præsenti articulo declaremus. Ad quod necessariò supponi debet, in Hibernia, in qua ipse monasticam emisit professionem, varios monasticos Ordines viguisse; quorum ipse potuerit aliquem assumere, ut ex hoc deinde investigemus (quod præsenti dissertatione potissimùm intendimus) cujus determinati Ordinis extiterit monachus. Atque ut primum illud appareat, ponderanda sunt nobis verba pervetusti & fidelis authoris vitæ S. Patricii de triplici sanctorum primitivæ Ecclesiæ Hiberniensis Ordine sub titulo, ac tenore sequenti scribentis.

78 *IncipitCatalogus ordinum Sanctorum in Hibernia secundum* * *divisa tempora.* (* f. diversa)

Primus ordo Sanctorum erat in tempore Patricii:& tunc erant Episcopi omnes clari & sancti,&Spiritu sancto pleni, quadringenti quinquaginta numero, Ecclesiarum fundatores, unum caput Christum colentes, & unum ducem Patricium sequentes, unam tonsuram habentes, & unam celebrationem Missæ & unum Pascha, scilicet post æquinoctium vernale,celebrabant, & quod excommunicatum esset ab una Ecclesia, omnes excommunicabant, mulierum administrationem & consortia non respuebant, quia super petram Christum fundati, ventum tentationis non timebant. Hic ordo Sanctorum per quaterna duravit regna, hoc est, à tempore Leogarii, *filii* Neill, *qui regnavit* [a] *XXXVII annis, & Alildi cognomento Molt, qui* [b] *XXX annis regnavit &* Lugadii *qui*[c] *VII annis regnavit.Et hic ordo Sanctorum usque ad tempora extrema* Tuathalii, *cognomento* Moelgarbh *duravit, Sancti Episcopi omnes permanserunt.*

(a rectiùs 30. b 20 c 25 * Hibernicè *Lughaidh*, in gen. casu *Lughadha* & *Lughdheach*)

79 *Secundus verò ordo Sanctorum talis erat. In hoc enim secundo ordine pauci erant Episcopi, & multi Presbyteri, numero trecenti, unum caput Dominũ colentes, diversos celebrandi ritus habebant, & diversas Regulas vivendi, & unum Pascha XIV luna celebrabant. Et hi uniformem tonsuram, scilicet ab aure usque ad aurem faciebant. Mulierum quoque consortia, ac administrationem fugiebant, atque à monasteriis suis eas excludebant. Hic ordo per quaterna adhuc regna duravit, scilicet ab extremis* * *Tuathalii cognomento Moelgarbh temporibus &* [d] *XXX annos, quibus* * *Dermitius Mackearvaill regnavit, & pro tempore, quo duo nepotes* * *Muredachi, qui VII annis regnaverunt, & pro tempore quo* * *Aidus filius* Anmirei, *qui* [f] *XXX annis regnavit. Hi ritum celebrandi Missam acceperunt à sanctis viris de Britannia, scilicet à* S. David, *& à* S. Gilda, *& à* S. * Deco. *Et horum nomina sunt hi, scilicet* Finnianus, Endeus, Colmanus, Congallus

(* *Tuathal Maolgharbh* d rectiùs 21. aut 20. * *Diarmoid* * *Murreadheach* e 1. vel 3. *Aech Mhac Ainmirech* f 26. vel 27. * rectiùs *Doco*)

gallus, Ædeus, Queranus, Columba, Brandanus, Bricquinus, Cainnechus, Caimginus, Lasreanus, Lasreus, Lugeus, * Barrideus, *& alii multi, qui erant de secundo gradu Sanctorum.*

* Barrindeus

80 *Tertius ordo Sanctorum erat talis; erant enim Presbyteri Sancti, & pauci Episcopi numero centum, qui in locis desertis habitabant. Hi oleribus & aquâ & eleemosynis fidelium vivebant, & omnia terrena contemnebant, & omnem susurrationem & detractionem penitùs evitabant. Hi diversas Regulas & varios celebrandi ritus habebant, & diversam etiam tonsuram; aliqui enim habebant coronam, aliqui cæsariem: & hi diversam solemnitatem Paschalem habebant; alii enim XIV Luna, alii XIII. celebrabant. Hic ordo per quatuor regna duravit, hoc est, pro tempore* * Aidi Allain, *qui tribus* [g] *annis tantùm regnavit, & pro tempore Dombnalli, qui* [h] *XXX. annis regnavit, & per tempora* * *Moelcavæ, & pro tempore* * Aidi Slane. *Et hic ordo usque ad mortalitatem illam magnam duravit. Quorum nomina sunt hi*, Petranus *Episcopus*, Ultanus *Episcopus*, Colmanus *Episcopus*, Ædanus *Episcopus*, * Lompnanus *Episcopus*, Senochus *Episcopus*. *Hi Episcopi* * *omnes & alii plures. Hi verò Presbyteri:* Fechinus *Presbyter*, Airendanus, Faillanus, * Cumenianus, Colmanus, Ernanus, Cronanus, *& alii Presbyteri plures. Nota quod primus ordo erat Sanctus Sanctissimus, secũdus sanctior, & tertius sanctus. Primus sicut Sol in fervore claritatis calescit, secũdus sicut Luna pallescit, tertius sicut aurora splendescit. Hos tres ordines B. Patricius superno oraculo edoctus intellexit, cùm in visione illâ propheticâ vidit totam Hiberniam flammâ ignis repletam, deinde montes tantùm ardere, posteà lucernas ardere in vallibus conspexit.* Hæc ibi, quæ totidem ferè verbis, regum tamen & Sanctorum prætermissis vocabulis, leguntur in antiqua & fideli *S. Finniani* vita, quæ cum aliis plurium Sanctorum Hiberniæ Legendis, quas R. P. Franciscus Matthæus, nunc Collegii nostri Guardianus, & nuper Provincialis Minister nostræ Provinciæ, circa annum 1626, summo studio ac diligentiâ, ex duobus MSS. voluminibus pergamineis, (quorum unum ad Ecclesiam Ardmachanam vel Dublinienſem spectat, & in Bibliotheca Iacobi Usserii, ex ordinatione Regis Angliæ, Primatis Ardmachani, asservatur; alterum ad Insulam quæ *omnium Sanctorum* * *dicitur*, pertinet) transumi curavit, ac ad Collegium nostrum transmitti, vel hoc nomine de afflictæ Hiberniæ antiquitatibus optimè meritus. Quæ res hic obiter præmittenda fuit, ut lectori constaret de fide testimoniorum, quæ in progressu hujus & sequentis §. ex præfatis historiis adducturi sumus: interim allatam jam de tribus Sanctorum gradibus narrationem expendamus, ex qua clarè satis innotescit progressus & status Sanctorum Hiberniæ ab anno primo ingressûs S. Patricii cum potestate legati in Hiberniam, qui fuit annus Christi 432, *Leogarii* verò tunc in Insula principantis, annus quartus, usque ad annum Domini 664, quo incidit gravis illa suprà memoratæ mortalitatis plaga, ut testatur Beda l. 3. hist. c. 27. Nam *primus ordo* Sanctorum, hoc est, ex dictorum Authorum germano sensu, supremus in perfectione & sanctitate vitæ gradus Hierarchiæ Ecclesiasticæ in Hibernia, complectens Episcopos tunc cæteris eminentiores, perseveravit ab ingressu *S. Patricii* usque ad tempora *Tuathalii Moelgarbh* Regis Hiberniæ, qui juxta Annales Ultonienses anno regni sui 10, & Christi 544; secundum alios 538 & regni undecimo obiit. *Secundus* verò monachos cœnobitas, velut aliis excellentiores, comprehendens, duravit usque ad tempus Regis *Aidi* filii *Anmirei*, qui anno regni sui 26 aut 27. & Christi 598; vel ut aliis placet 594 secundum vulgarem aliquorum de Regum Hiberniæ annis & numero computum, vel juxta præfatum codicem vitæ S. Patricii, 30, hoc est, Christi 601, aut 597 excessit è vitâ. *Tertius* denique Gradus, in quo monachi Eremitici, seu deserti cultores, pro magna parte eminebant, pervenit ad *Conaldum & Kellachum* correges, qui anno regni sui 17, & Christi 656 juxta Annal. Dungallenses, juxta Ultonienses 658 & regni 16; quin etiam ad completum septennium aut octennium corregnantium *Diermitii & Blathmaci*, filiorum *Aidi Slane*, quos præfatâ pestilentiâ sublatos annos 665 ajunt Annal. Ultonienses, alii 664. Atque hæc de istorum Ordinum temporibus sint dicta.

* *Aidi Vairidhneach*
[g] 8 vel 7
[h] 14. aut 16.
* *Conalli & Kellachi, filiorum* * *Diermitii & Blathmaci, filiorum*
* al *Lomanus*
* redundat omnes
* al *Commianus*
* *Ita vocatur ab Ecclesiâ inibi constitutâ sub invocatione omnium Sanctorum*

Progressus Chronologicus istorum ordinum declaratur.

81 Cæterùm de modo vivendi singulorum ordinum ipsemet author nos sufficienter instruxit; primi quidem, cùm affirmat eos, qui in illo floruerunt, S. Patricium vitæ suæ ducem habuisse: quod etiam testatur Iocelinus cap. 174. de hujus temporis Monachis agens: *Fecit*, inquit,

& vivendi modus

quit, *totam Insulam in funiculo distributionis dividi, divisam cum omnibus incolis utriusque sexus decimari, omneque decimum caput tam in hominibus, quàm in pecoribus in partem Domini jussit sequestrari: omnes ergò mares Monachos, fœminas Sanctimoniales efficiens, numerosa monasteria ædificavit, decimamq; portionem terrarum ac pecudum eorum sustentationi assignavit. Infra breve igitur temporis spatium nulla eremus, nullus penè terræ angulus, aut locus in Insula tam remotus, qui perfectis monachis aut monialibus non repleretur: ita ut Hibernia speciali nomine INSULA SANCTORUM ubique terrarum jure nominaretur. Vivebant enim secundum Regulam à S. Patricio illis præfixam, mundi contemptu, cœlestium appetitu, sanctâ mortificatione carnis, ac abdicatione voluntatis propriæ, pares Ægyptiis monachis merito atque numero.* Quo faciunt etiam quæ cap. 167. scripsit: *Ipse etiam Sanctus* (Patricius) *in regressu suo aliquantisper in Britannia propriâ patriâ moratus, monasteria multa fundavit, atque à paganis destructa reparavit, monachorum sacris Conventibus, secundum formam religionis, quam eis præfixit, annuentibus, ea replevit.* In secundo verò & tertio Ordine seu Classe ostendit author varios viguisse Ordines & instituta monastica, cùm ait Sanctos utriusque habuisse diversas vivendi Regulas, quod tamen ita accipiendum existimo, ut simul etiam præcipua Regulæ Sancti sui Apostoli documenta retinerent (ut de colore habitûs albo tradit Jocelinus cap. 185, quem per multa annorum volumina ad exemplum S. Patricii retinuerunt Hiberniæ monachi.) Ex quibus & aliis de novo à se additis sanctionibus, monachorum Patriarchæ seu Archimandritæ, pro suo quisque spiritu, juxta locorum ac personarum qualitates, aliasque circumstantias, alias atque alias Regulas, & monasticos Ordines instituebant, ad hoc in omnibus præcipuè cooperante S. Finniano de *Cluainirard*, magno Sanctorum secundi Ordinis & communi magistro (ut habetur in Vita S. Kierani) qui quos eminentioris sanctitatis & sapientiæ videbat, ad propagandum monasticum institutum, ad varias Hiberniæ Provincias emittebat, ut pleniùs enarrant Acta ejus antiqua extracta ex præfato Codice MS. Insulæ omnium Sanctorum in hæc verba: *In eodem quoque loco* (nempe *Cluain irard*) *ædificavit homo Dei, * Finianus, famosum monasterium, in quo velut Sol in medio cœli radians, virtutum & salutaris doctrinæ splendorem, atque miraculorum coruscationem ipse per universam Hiberniæ Provinciam transmisit: fama enim bonorum ejus ex diversis terræ partibus illustres viros, partim ad Sanctam Scripturam addiscendam, partim ad Ecclesiasticam informationem prospiciendam, quasi ad quoddam totius sapientiæ sacrarium attraxit.* Et mox discipulorum ejus nomina, in præfato Codice vitæ S. Patricii pleniùs expressa, recenset hoc ordine: *Nomina verò discipulorum ejus qui sacram paginam ab eo audierunt, sunt hi, videlicet duo Kierani, Kieranus, qui filius artificis dicebatur, & alter Kieranus, qui Sayghir, nuncupabatur, & Columba Kille, & Columba qui filius Crimthani appellabatur, & duo Brandani, scilicet Brandanus mac Finlogo, & alter Brandanus de Biorra dicitur, & Mobhi Clairnech, & Lasrianus & Sinchellus, & Cainecus, & Ruadanus* (& ex præfato Codice vitæ S. Patricii * *Nannet Laughearg, & Mugenocus Killi-Chumli*) *& Senachus Episcopus, & multi alii. Et hi omnes erant viri sancti & virtutibus pleni.* Hæc ibi de præcipuis S. Finniani discipulis, ex quibus plures posteà Ordinum & Regularum monasticarum fundatores extitêre; ad quos & alios monachorum Patriarchas referenda sunt verba nostri Codicis, cùm ait, *quod Sancti secundi ordinis diversos celebrandi ritus habebant, & diversas Regulas vivendi.* Illa quoque quæ in Vitâ *S. Brandani, filii Finlogi*, antiquâ, ex memorato MS. Codice Ardmachano (quæ incipit: *Natus est Beatissimus Brandanus in Zepharia Mumoniensi plagâ*) leguntur sequentes tenoris. *Dixit aliquando S. Brandanus sancto suo magistro Episcopo Erco: si placet tibi Pater, volo ire & videre vitam quorundam Sanctorum Patrum Hiberniæ. Cui Sanctus Episcopus ait: à Domino est hoc consilium, fili mi: & revertere ad me post tempus, ut gradum de manibus meis sacerdotalem accipias, antequam moriar. Posteà acceptâ licentiâ & benedictione S. Erci Episcopi, B. Brandanus perrexit ad S. Itam nutricem suam; quæ & dixit ei: vade fili mi chariss[i]me, & Regulas perfectorum Patrum Hiberniæ disce, & cave ne frequenter visitas virgines, ne blasphemeris.* Ex quibus clarè colligitur varias illis temporibus in Hibernia Regulas & monastica instituta sub variis fundatoribus viguisse; quod clariùs apparebit, cùm fundatores ipsos propriis expresserimus nominibus.

§. II.

Marginal notes:

S. Finnianus communis magister Sanctorum secundi Ordinis.

* al. *Finnianus.*

quorum præcipui hîc recensentur,

* rectiùs *Nennidh* aut *Nennidh Lamhdearg*

ex quibus

§. II.

Recensentur Ordinum monasticorum, & Regularum in Hibernia fundatores.

81 IN antiquissimâ S. Kierani vitâ MS. Hibernicâ, quæ spectat ad ipsius Sancti Ecclesiam *Cluain-mic nois* in Media, ab ipsius Sancti viri discipulis compilatâ, recensentur octo monastici Ordines olim in Hibernia, nimirùm *S. Patricii* (qui de sequentibus vaticinatus fuisse traditur,) *Brandani, Kierani Cluanensis, Columbæ Hiensis*, cujus ordo dicebatur *pulchra societatis*, *S. Comgalli*, *S. Adamnani*, *S Brigidæ*, *S. Molasii*, seu *Lasriani*: quos omnes eadem historia tradit trecenta animarum millia cœlo peperisse, miseros illos inclamitans, qui post hos Ordines extinctos in Hibernia vixerint. Sed advertendum hîc, non intendisse ejus vitæ scriptorem, omnes in universum Hiberniæ Ordines numerare. Nam præter hos, plures alii celeberrimarum Congregationum Patres extitêre, de quibus infrà; quos omnes dubium non est particulares pro suis monachis Regulas & Constitutiones edidisse, & in suis monasteriis, sicut hi, legendas & observandas præscripsisse, ut ex ipsorum Actis infrà ostendemus, interim de his quos jam nominavimus monasticorum Ordinum conditoribus, eorumque Regulis sermonem prosequamur.

post Patricium & Brigidam, varii extiterunt monasticorum Ordinũ fundatores.

83 De S. *Patricio*, præcipuo monachorum Hiberniæ Duce, ex Jocelino, & S. Finniano Sanctorum secundi Ordinis antesignano, ex Actis ejus §. superiori copiosè satis est dictum. Quare ad S. *Brandanum* transeamus, ex communi antiquorum scriptorum consensu, trium millium monachorum Patrem; de cujus Regula extat indubitatum antiqui Scriptoris testimonium, in ipsius Sancti Vita testantis, ab ipso, veluti altero *Pachomio*, Regulam, Angelo dictante, conscriptam, ad sua usque tempora apud S. Brandani successores permansisse: *Cum esset* S. Brandanus, inquit, *in campo* **Ai, apparuit ei Angelus Domini, dicens ad eum: scribe à me Regulam, & vive sicut ipsa indicabit tibi: & scripsit ibi S. Brandanus Regulam ab Angelo, secundum quam ordinavit vitam suam, & illa usque hodiè manet apud successores S. Brandani.* Hæc ibi, quibus consonant Arnoldus Wion & Possevinus, asserentes S. Brandanum, præter librum unum revelationum de futuris temporibus, scripsisse etiam librum de legibus monachorum, qui proculdubiò ille ipse est, de quo loquimur, ab Angelo dictatus: ubi tamen perperàm vocatur ab his Abbas Bennchorensis & monachus Benedictinus.

S. Brendanus Cluainfertensis,

* al. Ae

84 De *S. Kierano Cluanensi* Abbate & institutâ ab ipso monasticâ societate plenissimam exhibent fidem Acta ipsius MS. quæ cum aliis habentur in illo codice Ardmacano, ab ipsius Sancti viri antiquis discipulis accepta, in quibus legitur S. Finnianus, Sancti Viri magister, propter institutæ ab ipso Congregationis amplitudinem *Leath Nêreann*, id est, dimidium Hiberniæ, nomen imposuisse. *S. Kiaranus Evangelium Matthæi apud S. Patrem Finnianum cum aliis legebat, & cum pervenisset in medio libri ad locum ubi dicitur: omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, ita & vos facite illis, dixit S. Kiaranus ad S. Finnianum: Pater, sufficit mihi hoc dimidium hujus libri quod legi, ut illud opere compleam, & verè sufficit mihi ad docendum hæc sola sententia. Tunc unus de schola ait ad omnes: ex hac hora congruum nomen est Kiarano Leath Matha*, id est, *dimidium Matthæi. Cui Sanctus Senior Finnianus, non, sed congruum nomen ei est: Leath Nêreann*, id est, *dimidium Hiberniæ: parochia enim ejus per medium Hiberniæ dilatabitur.* Et infrà refertur Visio ipsi in Insula *Ara* (in qua, juxta eundem authorem, *innumerabiles Sancti omnibus incogniti, nisi soli Deo omnipotenti, jacent*) & *S. Ennæ* seu Endeo Abbati, in cujus ibi monasterio tum vivebat, de hoc exhibita: *Cum ibi*, inquit, *esset S. Kiaranus, visionẽ hanc mirabilem vidit; similem quoque visionem S. Enna vidit, id est arborem magnam fructiferamq; super ripam fluminis Sinna in medio Hiberniæ, cujus umbra protegebat Hiberniam omni parte, & rami ejus ultra Hiberniam fluebant in mare. Crastino autem die, S. Kiaranus istam visionem S. Endæ narravit; quam statim S. Pater Enda interpretatus est, dicens: arbor illa fructifera quam vidisti, & ego similiter vidi, tu ipse es, fili mi, qui coram Deo & hominibus magnus eris, & honor tuus Hiberniam implebit, & umbra adjutorii, pietatis, & gratiæ tuæ proteget eam à dæmonibus, plagis, & periculis; & fructus tuus plurimis longè lateq; proficiet.* Et posteà de accessu ejus ad locũ sibi à Deo designatum, & celebritate ac famâ constructi ibi monasterii *Cluanensis*, ista subjungit: *Venit S. Kiaranus ad locũ, qui quondam dicebatur Typrait, modò autẽ Cluain-mac-nois vocatur, & veniens ad ipsum locũ, dixit: hic habitabo, multæ enim animæ in hoc loco exibunt ad regnum Dei, & in hoc loco*

S. Kiaranus Cluanensis,

cujus eminentia sanctitatis cœlitùs ostensa.

& Monasterium celebre, Regum ac Principū sepulturâ clarum.

mea resurrectio erit. Deinde beatissimus Kiaranus cum suis habitavit, & cœpit magnum monasterium ibi fundare, & multi undique veniebant ad eum, & parochia ejus per circuitum multum dilatata est, & nomen Sancti Kiarani per totam Hiberniam multùm celebrabatur, & clara civitas & sancta in ipso loco in honore S. Kiarani crevit, cujus nomen Cluain-micnois vocatur, quæ est in Occidentali plaga regionis nepotum Neill, super ripam orientalem fluminis Sinna, contra Provinciam Connachtorum, in qua sive Reges, sive Duces nepotum Neill & Connachtorum apud S. Kiaranum sepeliuntur. Hæc ibi: quibus omnibus & aliis in eadem historia pleniùs contentis, attentè consideratis, nemo mirabitur hunc sanctissimum virum à præfato authore reliquis monachorum Hiberniæ Patriarchis inter primos adnumeratum, cujus vita, etsi magno non esset annorum numero, quippe triginta trium computata, fuit tamen sublimium virtutum consummatione completâ.

S. Columba, antonomasticè monasteriorum Pater,

85 Kiaranū sequiturS. ColumbaHiensis, magnus ille *Pictorum* Apostolus, ab ingenti monachorum, tum in Hibernia, cùm in Britanniâ sub ipsius institutis & legibus viventiū multitudine, *Monasteriorum Pater & fundator* Adomnano in ipsius Vita antonomasticè appellatus: de cujus Instituti & Congregationis amplitudine luculentū exhibet V. Beda testimonium lib. 3. hist. Ang. c. 4. in hæc verba: *Venit in Britanniam Columbanus, regnante Pictis Bridio filio Milchon Rege potentissimo, nono anno regni ejus, gentemq; illam verbo & exemplo ad fidem Christi convertit, unde & præfatam Insulam, nempe Huensem, ab eis in possessionem monasterii faciendi acceperat: neque enim magna est, sed quasi familiarum quinque juxta æstimationem Anglorum.* Et infrà. *Fecerat autem priusquam in Britanniam veniret, monasterium nobile in Hibernia, quod à copia roborum* * *Darmagh linguâ Scotorum, hoc est, campus roborum, cognominatur Ex quo utroque monasterio perplurima exinde monasteria per discipulos ejus, & in Britannia, & in Hibernia propagata sunt; in quibus omnibus idem monasterium Insulanum, in quo ipse requiescit corpore, principatum tenet. Habere autem solet insula rectorem semper Abbatem Presbyterum, cujus juri & omnis Provincia, & ipsi etiam Episcopi, ordine inusitato debeant esse subjecti, juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus, sed Presbyter extitit, & monachus.* Hæc Beda, qui & Regulæ ejus monasticæ meminit l. 3. c. 25. inducens Wilfridum ad Colmanum ita loquentem; *De Patre vestro Columba & sequacibus ejus, quorum sanctitatem vos imitari, & Regulam ac præcepta, cœlestibus signis confirmata, sequi perhibetis, possum respondere.* &c. His consonat *Notkerus Balbulus*, monachus San-Gallensis, antiquus & doctus, in suo Martyrologio ad 9. Junii, asserens hunc Sanctum, *cognomento apud suos Colum-Killi, eò quod multarum Cellarum, id est monasteriorum, vel Ecclesiarum institutor, fundator, & rector extiterit, adeò ut Abbas monasterii, cui novissimè præfuit, & ubi requiescit, contra morem Ecclesiasticum, Primas omnium Hiberniensium habeatur Episcoporum; nec immeritò, quia idem Sanctus per inhabitationem Sancti Spiritus, nulli post Apostolos & mirabilem Martinum, in Propheticâ doctrinâ, & miraculorum ostensione, atque Angelicâ frequentatione videatur secundus.* Et nonnullis sanctitatis ejus commemoratis exemplis, de cœlesti sapientiâ ejus ita prosequitur. *Doctrinâ verò B. Columba cùm omnes anteriores adæquaret, in hoc transcendere non injuriâ censetur, quod per tres dies ultimos commorationis in terra, cuncta ei revelata sunt Sacræ Scripturæ Sacramenta, omnibus retrò mortalibus, aut penitus occulta, aut certè juxta Apostolum, per speculum & in ænigmate comperta, imò requirenda atque revelanda proposita, quæ propter absentiam Bathenei, familiarissimi videlicet illius discipuli, imò propter indignitatem generis humani, litteris non sunt attitulata.* Ex quibus tam præclaris sublimium virorum encomiis apparet, quàm congruo noster author elogio hujus Sanctissimi Patriarchę Ordinem vocarit *pulchræ Societatis*. Neque enim poterant tam præclaro capiti membra cohærere, nisi firma inter se magnarum virtutum compagine necterentur, neque præceptoris tam divini magisterio digni haberi, nisi qui singulari conati fuissent studio tradita à magistro sanctitatis documenta & exempla sectari. Certè rectè cogitare possumus Regulam à tam illuminato viro compositam, quasi quoddam fuisse totius Evangelicæ perfectionis compendium, ejusque professores veros extitisse Christi Crucifixi sectatores.

Cod. excursus mendosè Meilochon

* Cod impr. corruptè Dearmach.

quę plurima per se & discipulos in Britannia & Hibernia fundavit,

cœlesti ipse doctrinâ dives:

1. Cor. 13.

S. Comgallus fundator Bennchorensis Congregationis

86 Sequitur *S. Comgallus*, *Columbæ* æqualis & amicus, trium millium mona-

monachorum Pater, & celeberrimi toto orbe terrarum Bennchorensis monasterii conditor, quod *nobilißimum*, *multa millia monachorum generans Deo*, & *multorum monasteriorum caput* appellat cap. 5. vitæ S. Malachiæ S. Bernardus, qui de sanctis hujus Congregationis alumnis etiam hæc addit: *locus verè sanctus, fœcundusq; sanctorum, copiosissime fructiferans Deo, ita ut unus ex filiis Sanctæ illius Congregationis, nomine Luanus, centum solus monasteriorum fundator extitisse feratur; quod idcirco dixerim, ut ex hoc uno conjiciat lector quam ingens fuerit reliqua multitudo. Denique ita Hiberniam, Scotiamq; repleverunt genimina ejus, ut ea potißimùm tempora Davidici illi Versiculi præcinuisse videantur: visitasti terram & inebriasti eam &c. Nec modo in præfatas, sed in exteras etiam regiones, quasi inundatione factâ, illa se Sanctorum examina effuderunt, è quibus ad has nostras Gallicanas partes S. Columbanus ascendens, Luxoviense construxit monasterium, factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnam fuisse, ut succedentibus sibi vicissim choris, continuarentur solemnia divinorum, ita ut ne momentum quidem diei ac noctis vacaret à laudibus. Hæc de antiquâ dicta sint Bennchorensis monasterii gloriâ.* Quibus satis consonant quæ de ejus primordiis recitat ipse Vitæ author: *constituit*, inquit, *Comgallus magnum monasterium, quod vocatur Bennchor, in regione, quæ dicitur Altitudo Ultorum, juxta mare orientale, & maxima multitudo monachorum illuc venit ad S. Comgallum, ut non potuissent esse in uno loco, & inde plurimas Cellas, & multa monasteria, non solùm in regione Ultorum, sed per alias Hiberniæ Provincias.* * *Et in diversis Cellis & monasteriis tria millia monachorum sub cura Sancti Patris Comgalli erant; sed major & nominatior cæteris locis prædictum monasterium Bennchor est, ubi clara Civitas in honorem S. Comgalli ædificata est.* Sed de hoc cœlesti Seminario satis in Commentario diximus. Porrò de monasticâ Regulâ S. Comgalli meminit idem author, referens quendam monachum, nomine *Conathum*, sanctitate, & præsertim austeritate Vitæ *S. Comgalli* illectum, ad ipsum commigrasse: *Tantam*, inquit, *ille Frater gratiam in S. Comgallo videns, egit pœnitentiam de tumore mentis suæ, mansitq; deinceps sub Regula S. Comgalli.* Et in fine historiæ variorum dè cruciatibus S. Comgalli sententias referens, inter cætera hæc habet: *Alii jam dicebant, quòd tanti dolores super eum à Deo dati sunt propter duritiam & asperitatem Regulæ ejus &c.* De eadem quoque fit mentio in Vita *S. Munnu*, seu *Fintani*, qui sicut ibi legitur, *cum S. Comgallo mansit, legens apud eum, & addiscens Regulam ejus.* Accedit Possevinus, asserens S. Comgallum *methodum vitæ regularis*, & *plures epistolas ad Patres Cœnobiorum* posteris reliquisse, ex quorum altero videtur esse aurea illa doctrina, ab ipso S. Columbano *Instruct.* 2. verbotenùs recitata, quam de iisdem monitis, de quibus ipse tunc dicere cupiebat, nempe monasticis, asserit à S. Comgallo traditam. Ex quibus nemini dubium esse potest S. Comgallum Regulam pro suis monachis particularem scripsisse, in omnibus Ordinis à se erecti Cœnobiis observandam.

Margin notes: cujus veterem amplitudinem & gloriam commemorat S. Bernardus, — & vetusti Biographi — * construxit — etiam Regulam à Comgallo traditam

87 Circa S. Adomnanum, quem V. Beda lib. 5. c. 16. *virum bonum & sapientem, & scientiâ Scripturarum nobilissimè instructum* appellat, advertendum, ipsum antequam Hiensis monasterii administrationem susciperet, plura in Hibernia monasteria, sub editæ à se Regulæ præscriptis erexisse, quorum præcipua fuere *Rapotense*, *Pontis-Adamnani*, *Droimtuamense*, & *Scrinense*. Posteà verò ad Hiensis monasterii regimen fuisse assumptum, in quo sic commissæ sibi administrationis curam, secundum Columbæ instituta, sibi anteà in Hibernia satis cognita, & forsan etiam usitata, exercebat, ut pristinam suam vivendi formam retineret, quæ facilè stare poterat cum illâ Hiensium. Quibus cum Catholicum Paschæ ritum ab Anglis, tempore suæ apud eos legationis acceptum, persuadere laboraret, nec posset (quamvis multos in ipsa Hibernia convertisset) resistentibus pro posse Hiensibus, divinæ planè providentiæ munere ante expletum anni cursum ad cœlum translatus fuit, *ne redeunte tempore Paschali, graviorem*, inquit Beda, lib. 5. c. 15. *cum eis, qui eum ad veritatem sequi noleb ant, cogeretur habere discordiam.* Eum cum *SS. Patricio, Kierano, Columbano, Comgallo*, invocans Poëmate 246. *S. Alcuinus* ita canit.

Margin note: S. Adomnanus plurium in Hibernia monasteriorum fundator, & Abbas Hiensis,

Patricius, Cheranus, Scotorum gloria Gentis,
Atque Columbanus, Comgallus, Adamnanus, atque
Præclari Patres morum, vitæq; Magistri,
Hic pietas precibus horum nos adjuvet omnes.

88 Ad S. Brigidæ, monialium Hiberniensium Primiceriæ, monasticum principatum demonstrandum sufficiat præclarum ipsius *S. Cogitosi* in ejus Vita testimonium ita scribentis: *Hæc ergo egregiis crescens virtutibus, & per famam bonarum rerum ad eam de omnibus Provinciis Hiberniæ innumerabiles populi de utroque sexu confluentes, vota sibi voventes, voluntariè suum monasterium, caput penè omnium Hiberniensium Ecclesiarum, & culmen præcellens omnia monasteria Scotorum, cujus parochia per totam Hiberniensem terram diffusa, à mari usque ad mare extensa est, in campestribus Campi Liffei, supra fundamentum fidei firmum construxit, & prudenti dispensatione de animabus eorum regulariter in omnibus procurans, & de Ecclesiis multarum Provinciarum sibi adhærentibus sollicitans & secum revolvens.* Et infrà. *Posteà sic unctum caput & principale omnium Episcoporum & beatissima puellarum principalis, fœlici comitatu inter se, & gubernaculis omnium virtutum, suam erexit principalem Ecclesiam, & amborum meritis sua Cathedra Episcopalis & puellaris, ac si vitis frugifera, diffusa undique, ramis crescentibus, in tota Hiberniensi insula inolevit, quam semper Archiepiscopus Hiberniensium Episcoporum, & Abbatissa, quam omnes Abbatissæ Scotorum venerantur, fœlici successione & ritu perpetuo dominantur.* Notentur verba quibus dicitur, quòd Virgo sacra de animabus ad se confluentium regulariter in omnibus procuraret, juxta videlicet Regulam vel à seipsa compositam, vel à S. Patricio traditam, secundum quam omnia sibi subjecta cœnobia regebat; quorum tanta erat multitudo, ut non dubitaverit Joannes de Bruxella in suo *Venatorio Canonicorum Regularium* Sanctam Brigidam 13. millium monacharum Abbatissam appellare.

S. Brigida monialium Hiberniæ primiceria, 13. millium monacharum Abbatissa.

89 Super est tandem ex Codice nostro *S. Lasreanus* Abbas Lethghlennensis, qui ut legitur in Vita *S. Munnu* seu Fintani, mille quingentos monachos sibi subjectos habebat, quos Româ reversus, secundum Romanum Paschatis ritum instruebat, tunc nuper ex urbe transmissum, quem ipse contra *Fintanum*, aliosque sanctissimos Abbates, in Concilio quodam hac de re in Hiberniæ coacto, defendebat, ut in vita ipsius *S. Munnu* pleniùs continetur, à quibus sicut Ecclesiasticis Paschæ & tonsuræ ritibus, ita & monasticâ institutione diversam vivendi normam suis monachis præscripsisse credendus est.

S. Lasreanus mille quingentorum monachorum Pater.

90 Hactenùs de illis quos recensuit noster Codex, nunc aliquos ex multis quos omisit, adducamus; quorum primus sit S. *Coemgenus*, singularis *S. Comgalli* amicus, multarum millium animarum, in *eodem*, ut loquitur ejus vitæ author, *habitu & professione* ipsi succedentium ad cœlestem patriam dux, qui nobilissimo *Gleanndalochensi* in *Lagenia* cœnobio originem dedit; quem locum Angelicâ revelatione didicerat, sanctum & venerabilem futurum, ac à *Regibus & potentibus Hiberniæ, auro & argento, gemmis pretiosis, ac sericis vestimentis, muneribus transmarinis, & regum deliciis, & fertilitate satis cumulandum.* De hujus loci porrò primordiis sequentia ex eadem historia accipe. *Deinde S. Coemgenus cum ad patriam suam pervenit, & cœpit habitare in illa solitudine in Gleanndaloch, valle scilicet duorum stagnorum, in qua ipse in juventute sua eremita erat, ubi vacca eum inventum prodidit, ut suprà dictum est. Illam enim solitudinem ab initio multum dilexit B. Coemgenus, & in inferiori parte prædictæ vallis magnum monasterium fundavit, ubi duo rivi clari confluunt, & multi hinc inde ad eum venerunt, & fecit eos S. Coemgenus monachos in illo loco, & plurimæ Cellæ, & varia monasteria per regiones Lageniensium sub eo fundata sunt. Et erat maxima multitudo monachorum per diversa loca sub curâ Sancti Coemgeni. Ipse Beatissimus Coemgenus prædictum suum monasterium & cætera viris probatæ vitæ & sanctitatis commendavit, constituens singulis religiosis officium suum.* Hæc ibi, ex quibus clarè satis intelligimus pristinam Congregationis *Gleanndalochensis* amplitudinem, cujus adhuc vestigia aliqua in ipso monasterii loco visuntur, cruces lapideæ, templa, & oratoria semiruta, aliæque vetustatis ruinæ, & quod ante omnia nominandum fuerat, ipsa sanctissimi Patriarchæ specus, in altissimæ rupis facie prominens, quæ multâ adhuc hodiè in memoriam tanti viri devotione, & quotidianâ peregrinatione à populo Christiano frequentatur.

ex MS. Cod. Ardmachano.

S. Coemgenus celeberrimi Gleanndalochensis monasterii & Congregationis fundator.

91 Circa eadem tempora claruit *S. Munnu*, aliàs *Fintanus*, Tech-Munnensis Congregationis in præfata Lagenia, Archimandrita, *Sancti Comgalli*; dein *Sanctæ Columbæ Kille* alumnus, posteà *Sinelli filii Mianaidh*, Abbatis *Cluain-inisensis, sapientissimi totius Hiber-* *nia*

Ex cod. Cod. Ardmach.

nia & Britannia, (ut testatur historia vitæ) annis octodecem auditor: de quo *Fintano* extat S. Columbæ vaticinium apud S. Adamnanum lib. 1. c. 2. prohibentis ipsum in monasterio Hiensi ad habitum recipi, quòd ipse multorum postea in Hibernia caput & Doctor futurus esset monachorum: *Post meam*, inquit, *de hoc ad Christum sæculo expectatum & valdè desideratum transitum, quidam de Scotia Frater, qui nunc bene juvenilem bonis moribus agens ætatem, sacræ lectionis satis studiis imbutus, nomine Fintenus, ad te, inquam, perveniens, humiliter expostulabit, ut ipsum suscipiens, inter cæteros adnumeres monachos. Sed hoc ei in Dei præscientia prædestinatum non est, ut ipse alicujus fieret monachus, sed ut monachorum Abbas & animarum Dux ad cœleste regnum olim electus à Deo est. Noli itaque hunc memoratum virum in his nostris apud te retinere insulis, ne & Dei voluntati contraire videaris; sed hæc ei intimans verba, ad Scotiam in pace remittas, ut in Laginensium vicinus mari finibus monasterium construat, & ibidem Christi ovium pascens gregem, innumeras ad patriam animas cœlestem perducat.* Hæc Adamnanus; quibus ex præfato authore vitæ ejusdem Fintani, idem vaticinium referente, componenda sunt sequentia ejusdem tenoris S. Columbæ verba de Fintano ad Baitheneum prolata. *Ad hoc autem ipse huc veniet, ut hic monachus fiat, sed ne recipiatis eum, quamvis multum sibi displiceat, & tu dices illi: revertere, fili, ad Hiberniam, quia caput magni populi ibi eris; & ipse vadat ad Australem partem Laginensium, quæ dicitur Censelach, quia ibi erit honor ipsius & resurrectio.* Certè si *Fintanus* nullius Abbatis monachus, sed monachorum ipse Patriarcha, proculdubiò & Regulam ab aliorum institutis distinctam pro concessi sibi à Deo monastici principatus jure scripsit, & in suis monasteriis observandam tradidit.

S Fintanus magnus futurus monachorum Pater à S Columba prædicitur.

92 Ex horum etiam collegio extitit S. Cannechus, familiarissimus Sanctorum Columbæ, Comgalli, & Brandani amicus, à quo nobilis illa in Lagenia *Kilkenniensis* Civitas nomen & originem traxit, qui sacris litteris & monasticis institutis à *S. Deco* in Britannia instructus, inde in Italiam profectus est, ubi mirandis editis signis, & nobili constructo cœnobio, denuò monitu Angelico in Hiberniam redivit, ibique vitam virtutibus plenam, factus multorum Sanctorum magister, & octo mortuorum suscitator, fælici fine conclusit. De quibus copiosè Acta ejus, in quibus ipse de se ad SS. *Comgallum* & *Columbam* familiariter quadam occasione loquens: *Novit*, inquit, *Filius Virginis, quia mens mea inter Angelos in cœlo fuit, à die, quâ in cœlestibus cogitationibus eam devoveram, iterum in terrenis cogitationibus non deduxi eam.* Ex quo apparet quàm solidæ mentis & erga Deum charitatis fuerit vir iste sanctissimus, dignus planè, quem ad cœlestem patriam innumerabiles monachorum greges ducem & pastorem sequerentur.

S. Cannicus seu Cannechus multorum Sanctorum magister & octo mortuorum suscitator.

ex MS. Cod. Ardmachano.

93 Prædictis hucusque Patribus coævus fuit *S. Carthagus*, seu *Mochuda* Episcopus *Lismorensis* in Momonia, ex sanguine regio oriundus, vir admirandæ sanctitatis, bis mille ad minus monachorum Pater; qui post celeberrimum *Rathense* cœnobium, multorum monasteriorum caput, in *Media* extructum, octingentorum sexaginta septem vel octo sanctorum sepulturâ clarum; inde tandem cum totidem eximiæ sanctitatis monachis & Spiritu Sancto plenis post 40. annos sui ibi incolatûs, invidiâ quorundam Clericorum, & impietate Regis Midiæ *Blathmaci*, violenter expulsus, eâ quâ in Gallia contra *Theodoricum* Columbanus Luxovio ejectus, ipse contra impium Midiæ Principem in Hibernia, gloriâ triumphavit, & tandem multis ad locum sibi à Deo præordinatum, & ab Angelis consignatum *Lismor* in Momonia pervenit, ubi celeberrimæ per universam Hiberniam & Britanniam Congregationis *Lismorensis* prima jecit fundamenta: quem tandem locum ipse suâ sacratissimâ morte, & preciosi corporis thesauro consecravit. *Et sola*, inquit vitæ author, *Dei scientia novit numerum sanctorum, qui illic post eum sepulti sunt usque hodiè.* Hujus porrò sancti viri Regulæ monasticæ meminit idem author referens exemplum admirabilis patientię cujusdã monachi *Rathensis*, quod quia præclarum, & ædificatione plenum placuit adducere: *Patientiam magnam*, inquit, *monachi S. Carthagi in tormentis & adversis habebant, ut probatum est in aliquo monacho, de cujus corpore vermes scatentes, in vestigiis ejus coram Fratribus cadebant, & sine excusatione infirmitatis opus suum quotidianum faciebat, & ipse infirmus videbatur, & pallor & macies apparebant in illo, & de eo dolebant Fratres. Quodam autem die sanctus senex Carthagus pro observantia Regulæ, causam doloris*

Carthagus celeberrimæ Congregationis Lismorensis fundator, bis mille circiter monachorum Pater.

Ex præfato Cod.

Admirandæ patientiæ exemplum.

 sui

sui quæsivit ab illo. Ille Frater nolens, ostendit ei latera sua lacerata cum torque. Tunc S. Mochudda dixit ei: quis tibi hanc superstitiosam & intollerabilem rem fecit? monachus respondit: alio die lignum gravissimum, à silva trahentes Fratres, zona mea facta est, & videns Prior camisiam meam circa crura mea, posuit hanc torquem asperam circa latera mea acriter, & exinde putrefactæ sunt carnes meæ. Sanctus senex ait ei: cur non solvisti iterum? Frater respondit; quia non est meum istud corpus, & Prior, qui posuit, non resolvit. Et erat plenus annus ex quo illud contigit. Aitq; Fratri S. Mochudda: magnum tormentum sustinuisti Frater; ideo elige ut hodie sanus sis, an ad cœlum pergas. Et ait Frater: quid mihi in hoc sæculo est? Et elegit tunc migrare ad cœlum acceptaq; Sanctâ Communione illicò migravit ad Christum. Ubi expressum habemus præclarissimum sanctissimi viri Regulæ documentum, de inquirenda videlicet à Seniore seu Abbate, infirmitatis vel tristitiæ subditorum causâ, ad quod observandum juxta Regulæ præscriptum, præfatum Fratrem voluit S. *Carthagus* interrogare. In eadem quoque historia ad idem propositum narratur quòd monachi *S. Carthagi* revertentes de via *solebant genua flectere coram Abbate & dicere: complevi Pater, ut mihi videtur, ordinem Regulæ, & mandata tua, ex quo die perrexi, usque nunc.* Ex quo aliud habemus Regulæ *S. Carthagi* statutum.

documenta quædam Regulæ *S. Carthagi.*

94 Possemus præter hos adhuc commemorare *S. Luanum* Cluainfertensis cœnobii Abbatem, & centum ex S. Bernardo suprà monasteriorũ fundatorem, & proinde etiam multorum millium monachorum Patrem. De cujus Regula sequentia ex ipsius Vita accipe. *S. Abbas Daganus pergens Romam, duxit secum Regulam, quam S. Molua ordinavit, & dictavit monachis suis: & legens S. Gregorius Papa illam Regulam, dixit coram omnibus; Sanctus cujus est hæc Regula circumsepsit sepem circa familiam suam usque ad cœlum. Et mandavit S. Gregorius suam orationem & benedictionem Sancto Moluæ. Et de hoc S. Molua gaudens, gratias egit Deo.* Hæc ibi. Sanctum quoque *Ædanum* seu *Moedocum*, Fernensem Episcopum, referre possemus, centum quinquaginta monachorum in eodem monasterio rectorem, qui omnes, uno excepto perditionis filio, sancti fuisse leguntur & quamplurium in aliis quæ erexit cœnobiis. Possemus, si opus esset, S. *Molingum*, *Colmanum*, cognomento *Ela*, *Ruadanum*, *Abbanum*, *Senanum*, *Cronanum*, celeberrimos monasteriorum & congregationum fundatores adnumerare; sed quia pristini monachismi Hiberniensis fusior tractatio ad alium locum spectat, pro præsenti supradictos commemorasse sufficiat; ex quorum diversitate Regularum, & constitutionum, nostrum de pluralitate & varietate monasticorum Ordinũ in Hibernia, superiùs propositũ intentum satis ostenditur, simulque refellitur Reyneri error, peritissimi alioquin antiquarii, asserentis, veteres Hiberniæ Cœnobitas, juxta *Palæstinorum Ægyptiorumq;* monachorum instituta viventes, sine regulâ scriptâ, per solas traditiones Patrum suorum, vitam gubernasse: contra quod procedunt evidentissima de prædictorum Patrum, præsertim verò *Comgalli*, *Columbæ*, *Brandani*, *Coemgeni*, *Carthagi*, scriptis Regulis & monasticis institutis, prolata hactenus ex priscorum fide testimonia; de quorum veritate nulli dubium esse potest; cùm adhuc in Hibernia variis in locis plura videre liceat prædictarum Regularum & institutionum exemplaria, ex quibus nonnulla uno libello collecta, se vidisse testatur prædictus suprà P. Franciscus Matthæus, cùm tempore suæ administrationis, in Hibernia tam per se, quam per alios, antiqua gentis & Provinciæ nostræ monumenta studiosè perquireret.

Luanus Abbas.

S. Ædanus

Falsum est Hibernienses olim monaches sine Regulis scriptis vixisse

95 Cùm ergo ex his diversi in Hibernia olim monastici Ordines, & eorum satis constent fundatores, superest, ut nunc tandem, quod non solùm præsentis articuli, sed & controversiæ totius scopus est, ostendamus cujus Regulæ vel professionis extiterit Columbanus. Sed priusquam eò progrediamur, hic obiter admonendus est pius lector, mirandam non esse illam in primitiva Ecclesia Hiberniensi institutionum monasticarum multitudinem & varietatem. Cum enim tantus ibi tunc fidelium fervor vigeret, æmulantium charismata meliora, ut teste Jocelino * *nulla esset eremus, nullus penè terræ angulus in insula tam remotus, qui perfectis monachis aut monialibus non repleretur, ita ut Hibernia*, etiam Paulo V. summo Pontifice in suis ad Hibernos litteris hoc idem attestante, *Insula Sanctorum ubique terrarum nominaretur*, ex sapientissimâ divini dispositione consilii factum est, ut in illis Sancto-

* cap. 174.

Vnde tanta monasticorum olim ordinum in Hibernia multitudo?

Sanctorum splendoribus, charismatum ac cœlestium donorum affluentiâ & varietate, monastica quoque Hierarchia incederet in decore suo circumamicta varietatibus; ut sicut Sanctissimi illi Patriarchæ, licet omnes undequaque perfecti, in una tamen aliqua speciali prærogativâ, singuli eminebant; hic in obedientia, ille in castitate, hic in charitate, ille in paupertate; hic in carnis mortificatione, ille in spiritu contemplationis, & sic de aliis; ita instituti ab his monastici Ordines, singuli, unus quidem sic, alius verò sic, tanto excellentiùs, quantò differentiùs ab his acceptæ monasticæ institutionis nomen hæreditarent, sic quòd intra ipsos Hiberniæ fines, totius monasticæ perfectionis observantia in supremo gradu floreret. Et licet declinante jam mundo, & refrigescente charitate multorum, vel ex tepore monachorum, vel bellorum rabie, aliisque supressi calamitatibus desierint illi Ordines, tamen consummati in brevi expleverunt tempora multa, tot fortè ad cœlestia regna transmissis animarum millibus, quot alii multorum decursu sæculorum, & continuatâ successione per varias gentes longè lateque diffusi transmiserunt. Et certè horum eximiis meritis invictam gentis nostræ, aliis vicinis jamdudum ab Ecclesiâ Romanâ dilapsis, in Catholicâ fide constantiam acceptam referimus, Deum Optimum Maximum humiliter deprecantes, ut vel scintillam aliquam pristini fervoris ac devotionis in Insulâ Sanctorum excitare dignetur ad Ecclesiæ suæ sanctæ ædificationem. Sed prosequamur intentum.

§. III.

Declaratur sub cujus Regula professionem monasticam emiserit Columbanus.

96 JOnas postquam cap. 2. retulisset Columbanum sub curâ & magisterio venerabilis *Senilis* sacras litteras didicisse, subdit cap. 3. ipsum monasticæ vitæ studio, ad S. Comgallum profectum, multos apud ipsum in monasterio *Bennchorensi* annorum circulos peregisse. Idem testatur Notkerus Balbulus, S. Bernardus, Jocelinus, & posteriores omnes scriptores, hos secuti, unanimi consensu asserentes *S. Comgallum* fuisse monasticum S. Columbani instructorem, quod & ipse vir Sanctus *Instruct.* 2. disertè testatur, cum fatetur se à S. Comgallo edoctum, cujus proinde velut magistri *luculentissimam elegantissimamq; doctrinam* ad suum ibi propositum inducit. Ex quibus meridianâ luce clariùs apparet, S. Columbanum sub Regulâ & Ordine S. *Comgalli* in *Bennchor* monasticam professionem emisisse, & sub eâ quamdiu in Hibernia vixit, absque ullius alterius Regulæ vel antiquæ, vel de novo à se conditæ adjectione perseverasse. Nec de hoc videtur ullus cum fundamento posse dubitationis scrupulus suscitari, cùm præter jam dictos, nulli alteri in Hibernia magistro vel Doctori celebri operam dedisse legatur Columbanus. At verò in Galliam pòst appulsus, novam illam Regulam condidit, de qua Jonas meminit, superiùs exhibitam, in qua pristinæ sub *Comgallo* professionis memor, præcipua Regulæ & Institutionis monasticæ *Bennchorensis* capitula retinuit, additis de suo, quæ secundum locorum & personarum circumstantias videbantur addenda, quod ipse de cursu Psalmorum cap. de *Synaxi* se fecisse fatetur; *de quo, quia variè*, inquit, *à diversis memoriæ traditum est, de eo juxta vitæ qualitatem ac temporum successionem variè à me quoque idem litteris insinuetur*; quod & in reliquis capitibus eâdem ratione fecisse verisimile est; compertâ quippe naturâ *Francorum*, quorum tunc curam susceperat, & moribus, congruum videbatur, ut pro morum & conditionum diversitate, nova etiam Regula conderetur, ingenio gentis accommoda; quod quanto discretionis spiritu ipse præstiterit, testes sunt innumeri de gente *Francorum* & *Burgundionum*, eximię sanctitatis viri, sub condita ab ipso Luxovii Regula professi, & in ejus observantia sanctissimâ finientes dies suos. Neque hoc ejus consilium à voluntate aut consuetudine S. Patriarchæ *Comgalli* alienum extitit; qui nimirùm, quos vel Spiritu Sancto revelante, vel eminentiore vitæ sanctitate prænunciante, magnum aliquem in conversione gentium, & Evangelii prędicatione fructum facturos prævidebat, non tanquam Præpositis ad loca sibi vel suæ Congregationi subjecta, sed ab omni

S. Columbanus sub Comgallo in *Bennchor* monasticam professionem emisit.

& eundem à Comgallo licentiam & missionis socios accepisse narret citatus Jonas.

In Gallia monasticam condidit Regulam.

Consuetudo S. Comgalli emittendi perfectiores monachos ad prædicandum Evangelium, & propagandum monachismum.

omni ejusmodi vinculo absolutos, tanquam gentium Apostolos, & perfectos monachorum Patres, ad novas Congregationes & Ordines instituendos ex gremio *Bennchorensis* Ecclesiæ emittebat, ut his vetusti Scriptoris in Vitâ *S. Mochoemogi* verbis de ejus & aliorum Sanctorum Bennchorensium à Comgallo factâ missione loquentis, intelligere possumus. *Postquam hoc vidit S. Comgallus*, nempe præclarum sanctitatis S. Mochoemogi specimen, *dixit ad B. Mochoemogum, fili, Patrem aliorum oportet te esse, & locum Deo ædificare, ubi ipse tibi annuerit; & missi sunt simul hi Patres cum suis discipulis à S. Comgallo, ut in diversis locis per Hiberniam Christi famulos nutrirent, id est S. Mochoemogus, & Beatissimus Lacteanus, qui fundavit egregium monasterium Achadhûr, id est ager mollis, viridis, propter humiditatem rivulorum qui transeunt ibi, & multa alia sancta loca ab eo constructa sunt, & S. Molua filius Coche, S. Finbarrus, & S. Luctigernus. Hi omnes probati inventi sunt in Christo Jesu.* Quos omnes non ad propagandam *Bennchorensem Congregationem*, sed ad novas suo nomine erigendas, emissos fuisse à S. Comgallo, vel inde satis clarè colligitur, quòd collegia & monasteria ab his posteà erecta, totâ Hiberniâ celeberrima, ut *Cluainfertense S. Luani*, & *Achadhurense S. Lacteani*, & aliorum similiter, expressis ipsorum Sanctorum nominibus censerentur, secus ac monasteria Congregationi Bennchorensi subdita; quæ cum monachis ibi habitantibus S. *Comgalli* vocabantur, ut videre licet in Vita S. *Munnu* seu *Fintani*, qui monasterium quoddam Congregationis Bennchorensis in Lagenia sibi commendatum aliquamdiu rexit. *Post hæc*, inquit author, *exiit S. Munnu, secundum vaticinium Columbæ in regionem Hua Censealach, & mansit in loco, qui dicitur Airdcrema, inter nepotes Barraidh. Ille locus juxta mare est: ibi erat Cella, in qua erant monachi S. Comgalli, & alumnus ejus, nomine Aidus Golbain, Magister illius loci erat; ipse S. Munnū ad se piè vocavit, & commendavit sibi locū suum, exiens ipse in peregrinationem; in illo autem loco duodecim annis S. Munnu fuit, & dedit illi Deus copiosum fructum maris & terræ, qualis nec antea, nec postea in illo loco erat* Hæc ibi, in quibus clarè vides monachos Cellę seu monasterii, Congregationi *Bennchorensi* incorporati, expressè dici *S. Comgalli*, & ejus præfectum, non Abbatem, aut Patrem, sed magistrum dumtaxat appellari; pro vulgari scilicet illorum temporum stilo, quo diversorum Ordinum monachi, ex suorum vocabulis fundatorum distinguebantur, & constituti à Congregationum vel Ordinum talium Patriarchis in subjectis sibi cœnobiis seu Cellis rectores, interdum *Præpositi*, aut *Magistri*, maximè apud nostrates dicebantur, uti eos vocat Jonas cap. 9. Vitæ S. Columbani, & alii multi, licet hujusmodi monasteriorum præfecti, etiam alteri ut capiti subjectorum, ut plurimùm etiam Abbates dici potuissent, sine præjudicio Archimandritæ.

ex MS. Ardmach.

Quatuor celeberrimi monachorum Patriarchæ ex gremio Bennchorensis Ecclesiæ simul emissi.

* l. *S. Luanus*

97 Dimissus est ergo cum suis comitibus Columbanus à S. Comgallo, sicut præfati quatuor, tanquam futurus, si opus esset, novæ Congregationis & monastici Ordinis institutor, illius nimirùm qui Luxovii, primùm exortus, inde posteà præcipuis Galliæ, Germaniæ, Italiæque Provinciis eximiæ sanctitatis & sapientiæ splendore illuxit, non parum etiam per hoc *S. Comgalli*, & clarissimæ *Bennchorensis* familiæ gloriâ, unde tantum sidus emicuit, illustratâ. Itaque ut finem tandem imponamus, aliter in Hibernia Columbanus monasticæ vitæ rationem exercuit, aliter in Gallia; ibi siquidem aliorum extitit discipulus, hîc magister; ibi tantùm Regulæ à S. Comgallo conditæ cultor, hîc etiam à se institutæ præceptor; ibi monastici Ordinis membrum, hîc caput; ibi filius & cliens, hic Pater & Patronus; ibi denique celeberrimæ Congregationis Bennchorensis sub *Comgalli* Regula monachus institutus, hîc æquè celebris Luxoviensis sub propriâ institutor; perfectus quidem in utroque loco monachus, & clarissimum utriusque familiæ ornamentum; in neutro tamen (quod sine ullius invidiâ dixerim) Augustinianus, in neutro Benedictinus.

Emissus est à S. Comgallo Columbanus tanquam futurus ipse per se magnus monachorum Pater.

APOSTROPHE
AD
LECTOREM.

98 Quæ hactenus tum suscepti argumenti necessitate, tum veritatis studio congessi, velim, benigne lector, ut sincero ac simplici legas oculo, nec ullum à me (sicuti reverà nulla est) aut

est, aut S. Augustini Eremitis, aut Patribus Benedictinis illatam existimes injuriam, quibus nimirùm nihil abstuli, cùm aliis quod suum erat attribui; quorum institutioni non detraxi, cùm S. Columbani Regulam ab alienæ subjectione vendicavi, & Ordinis ejus, sicut æquitatis ratio poscebat, monasticum asserui principatum. A quo Ordine sicut magna susceperunt *Benedictini* sanctitatis & sapientiæ incrementa, cùm omnia, eaque celeberrima, à Columbano, ejusque alumnis condita monasteria, ipsis cesserunt; instructique ab ipso cœlesti sapientiâ discipuli, temporis successu *Benedictinæ Regulæ* documenta susceperunt, sic meritò possunt suo *Columbanum* Catalogo inscribere, de eoque velut de famosissimo sui Ordinis propagatore gloriari, ejusque ac discipulorum ipsius præclara facta suis Regestis ac Annalibus consignare, ut cognoscat generatio ventura quàm præclaris *Benedictinæ Religionis* primordia ornamentis illustrârit Deus, qui ad ejus splendorem amplificandum, sidus illud clarissimum tantis divinæ sapientiæ radiis, tanto cœlestium virtutum claritate conspicuum, Galliæ finibus ex Hibernia transmisit, ut ibi cum alio fulgentissimo sidere *S. Mauro*, velut duo luminaria magna in firmamento relucentia, omnia Galliæ latibula mutuo fulgore collustrarent; quorum posteà discipulorum sub Benedictino coalescens Instituto ardor, tanto se per omnes Germaniæ, Britanniæ, aliarumque regionum fines fervore & claritate diffudit, ut nullus esset terræ angulus, qui se absconderet à calore ejus, nullus penè Christianæ religionis alumnus, qui non posset in lumine illo videre lumen monasticæ perfectionis. Hoc, inquam, titulo Benedictinis erit connumerandus Columbanus, non monasticâ Regulæ ipsorum professione, quam ipsum emisisse non video cur negandum putaret ejus gloriæ studens. An forsan *Columbani* nomine censeri posset indignum, sub illâ Regulâ professum asserere, quam *Magnus* ille *Gregorius*, & ipse Regulæ ejusdem professor & cultor eximius, tantis laudibus celebravit? Illius patroni alumnum vocari, qui tot spectatissimæ sanctitatis & sapientiæ Ecclesiæ Dei contulit ornamenta? Illius denique Ordinis & corporis membrum computari, ex quo non pauca Christiani orbis imperia, regna, provinciæ, Apostolos, tot per orbem Christi Ecclesiæ, ac ipsamet *Petri* Sedes Pontifices & pastores acceperunt? An, inquam, sub *Comgalli* institutione, *Benncorensis* duntaxat Congregationis fundatoris, quàm sub Benedicti, totiùs ferè Occidentis & Ecclesiæ Latinæ monachorum Patriarchæ, clarior erit fama Columbani, aut nomen illustrius, aut sublimior gloria? Majornè accederet Columbano dignitas ex Luxoviensis Congregationis institutione, quæ eodem ferè, quo nata est, sæculo exspiravit, quàm ex Benedictini Ordinis, qui per tot usque annorum curricula fælici progressu perseverat, accederet propagatione? Quis tanti præceptoris magisterium, tam illustris Regulæ professionem, tot clarissimorum virorum societatem Columbano invideat, si in hoc sibi veritatem existimet suffragari? Cum itaque nulla afferre hactenùs sententiæ prætendi justa possit occasio, præter laudabilem inquirendæ veritatis zelum, rogo humiliter omnes, qui hæc lecturi sunt, ut omnia eo, quo proponuntur animo, simplici ac sincero suscipiant, & considerent; neque contra me quispiam, veluti alieni honoris aut gloriæ adversarium, calamum assumat; cui non alios provocandi animus, sed meam, prout veritati consonum æstimavi, sententiam studioso lectori proponendi studium fuit. Quod si cujuspiam animo lederit, meam hac in parte opinionem impugnare, id quæso moderatè fiat, sine zelo, sine contentione, quia non possunt humiles contendere, & talem consuetudinem non habet Ecclesia; cum pace, inquam, & charitate fiat, ut utrique nostrum, sicuti ipse admonet Columbanus, absque ullâ offensione, *eodem proposito, eodemque desiderio veritatis agnoscendæ, quærant quod rectiùs sequantur.* Quod nobis præstare dignetur Deus pacis & charitatis. Amen. In Epist. ad Gallicanos.

Kkk INDEX

INDEX RERUM.

A.

ABstinentia *mira S. Columbani & suorum. pagina* 221.
Actus. *Ecclesia an possit punire actus pure internos. pagina* 98.
S. Ado *sub S. Columbani Regula construxit monast.* Juranum *seu* Jotrense. 349.
Agilulphus *Rex Longobardorum S. Columbanum honorificè suscipit* 241/ *Agilulphus dictus etiam Paulus.* 353.
Agresti *seu* Agrestini *objecta contra Regulam S. Columbani* 38/ *illum S. Eustasius ad divinum tribunal provocat* 39/ *miserabilis Agrestini interitus.* ibid.
Albania. *Quando Scotia nomen Albaniæ tribui captum* 284/ *quis Regum Albaniæ primus eam jussit* Scotiam *appellari.* ibid.
Alcuinus *non fuit* Universitatis *Parisiensis fundator.* 348.
Alitum *greges ad S. Columbanum divinitùs destinati.* 239.
S. Amandus *multarum gentium Apostolus.* 269.
Amans *laborem non sentit.* 72.
Ambidexter *quis mysticè dicatur.* 81.
Amen, *quid & quotuplex, consuetudo antiqua Ecclesiæ respondendi* Amen. 34.
Amicum & inimicum *qualiter nobiscum circumferimus.* 59.
Amor. *mala quæ procedunt ex amore proprio.* 68.
Anagrates *in Vosago.* 221/
Angeli *primum peccatum quale.* 16/ *Angelus S. Columbano in parva tabula orbem repræsentat.* 240/ *Angelos splendidos juxta S. Comgallum offerentem in Sancto Paschate, vidit S.* Critanus 306/ *S. Comgallus mittit per Angelum Cymbalum suis Sanctis Nepotibus* 310/ *S. Comgallo & suis in adventu S. Columbæ Angelus pisces suppeditat.* ibid/ *Angelo monitore S. Comgallum invisit S. Fiachrius Abbas* 312. *seu* 313 *ut ibi mendosè / S. Cainnechus concionem ab Angelo dictatam in monasterio S. Comgalli pronunciat* 314. *Angelus Domini prædixit S. Comgallo S. Carthagum nasciturum.* 314/ *S. Carantocus in Hiberniam ab Angelo translatus* 324/ *monetur ab Angelo S. Columbanus de suo in Italiam transitu* 354/ *cohibiti per Angelum & Vituli à materno lacte, & mater a cædendo filio (scilicet S. Luano seu Molua)* 369/ S. Luanus *ab Angelis in aëra sublimis abductus, ab Angelo literas docetur* 371/ *ab Angelo instructus construxit monasterium de Druim-sneachta* 373/ *admonitus ab Angelo S. Maidocus Epis. S. Moluam elegit in Confessarium* 376/ *Angelo monitore S.* Fachnanus *adit beatam* Nessam *gravidam, cujus lacte visum recuperat.* 381/ *Angelorum frequentia sæpius visa in saltu, in quo S. Mochoemogus extruxit monasterium* Liath. 384.
Angli. *fundamentum erroris, quo S. Columbanus adscribitur Anglis sumptum ex vita S. Suitberti.* 291.
Anima, *quomodo dicitur perdi, ut salvetur* 68/ *quid sit imago & similitudo Dei in anima rationali* 70/ *quid SS. Patres per virtutum semina animæ insita intelligant.* 71/ *detrahens propriam lædit animam.* 72.
Anni *principium quod apud Judæos.* 120/ *Anni qui Communes & Embolismales.* ibid.
Aquarum *quæ sunt super firmamentum nomine, quid intelligendum* 62/ *Aquam precibus è petra producit S. Columbanus.* 223/ *in vinum vertit S. Mochoemogus.* 387/ *in lac S. Molua.* 372.
Arrogantes *& erecti qualiter tractandi.* 79.
Attalus *Abbas Bobiensis.* 266.
Asaph *aliquot Psalmos composuit.* 67.
Avaritia *perdidit Judam* 13/ *mortem adscivit Ananiæ & Saphiræ ibid. &* 14/ *avaritia quorundam Prælatorum Italiæ.* 366.
S. Audoenus *Resbacense monasterium sub Regula S. Columbani construxit.* 350.
Aves *& feræ S. Columbano obediunt.* 229.
Aurum. *S. Comgallus salivam vertit in annulum aureum.* 310/ *grana in aurum versa meritis S. Moluæ.* 376.
Austeritas *mira S. Finchuonis.* 315. *non* 314 *ut ibi mendosè.*
Austrasiorum *& Burgundionum origo, & latitudo regni.* 323.
Autharii *tres filios benedicit S. Columbanus.* 237.

B.

Beatitudinum *prima quid denotat* 117/ *quid octava.* ibid.

Benedictionis *usus apud monachos* S. *Columbani.* 28.
Bennchorense *celeberrimum olim in Ultoniâ Hiberniæ Provinciâ monasterium.* 299/ *multos protulit illustres viros, qui magnum in alienis etiam regionibus fructum fecerunt, ut futurum prædixit S. Patricius, & completum testatur Jocelinus* 299/ *& S.Bernardus, addens nongentos ibi uno die Martyrio affectos, & Trithemius, tradens, multa millia monachorum, & Laudem perpetuam ibidem viguisse.* 300/ *idem monasterium, diu desolatum, restauravit S. Malachias* 301/ *& quidam malè confundunt cum monasterio Bangorensi in Britannia.* 302.
Bobiense *monasterium extruit S. Columbanus.* 242/ *Regum & Impp. pro Mon. Bobien. Privil.* 258/ *Privileg. Theodori Papæ.* 356/ *ab jurisdictione Episcoporum eximitur.* 357/ *centum quinquaginta monachi sub Boboleno in Bobio.* 356/ *Bobiens. monasterii Sancti aliquot.* 359/ *Series Abbatum, ex quibus Gerbertus, dictus Sylvester II. legitimus Pontifex* 360/ *multis monumentis & Sanctorum Reliquiis claruit monast. Bobiense.* 361 *& seqq./Epitaphium S.Columbani, mira efficacia cultri ejus.* 362/ *miranda vis & efficacia baculi S. Columbani, omnes noxios vermes & animalcula fugantis.* 363/ *magna desolatio monast. Bobiensis.* 366/ *cuppa S. Columbani asservatur in Bobio.* 367.
Boboleni *duo, diversi ab Abbate Bobiensi.* 264/ 150. *monachi sub Boboleno in Bobio.* 356.
Bona *temporalia cur dicantur aliena.* 55/ *bona spiritualia cur propria.* 56.
Bonosiaci *hæretici, qui, & unde dicti.* 102.
Brigantiam *adit & incolit S.Columbanus.* 238.
Britannia. *Crebræ olim Hibernorum in Britanniam irruptiones.* 283.
Brunechildis *offenditur.* 229/ *miserabiliter à Clothario Rege vitâ privatur.* 241/ *&* 345/ *vide* 346 *&* 353.
S.Burgundofaram *benedicit S. Columbanus.* 237/ *illa monasterium sub S. Columbani Regulâ ædificat.* 348.

C.

Calense *monasterium.* 349.
Carantocus *Abbas divinitùs admonitus, S. Columbano alimenta dirigit.* 231/ *S. Carantocus in Hiberniam ab Angelo translatus.* 324.
Carcer. *multos è carcere miraculosè dimittit S. Columbanus.* 231.
Carnes *semel iterumque gratiâ S.Maidoci, in pisces mutat S.Molua* 376.
Caroli Imp. *Privilegium pro monast. Luxoviensi.* 332 *& seqq.*
Castitas *vera monachi* 5/ *puritas cordis custos castitatis* 15/ *Luxuriæ plenos oculos qui habere dicuntur.* 15.
Cervisia *vasi supercumulata non effluxit* 227/ *modicum panis & cervisiæ divinitùs auctum.* 228.
Claudius Clemens Hibernus *fundator Academiæ Parisiensis.* 347.
Clericatûs & Monachalis *Instituti differentia.* 130.
Clotharius Rex *solicitatur adversus Regulam S. Columbani.* 38/ *honorificè S. Columbanum excipit.* 236/ *Prophetia S.Columbani de eodem.* 233. 237.
Cluain-claraighe *monasterium S.Cainneræ.* 370.
Cluainfertense *monasterium.* 374.
Cocus *S. Comgalli dæmonem fugat.* 309.
Cœlum *empyreum communiter admittitur à Doctoribus.* 61/ *qui igneæ esse naturæ putarunt. ibid*/ S. *Columbanus ejusdem opinionis extitit.* 62/ *qui adversæ. ibid.*
Cogitationes *malas monachi antiqui confestim aperire soliti.* 81/ *Cogitationes Fratrum, & sepulturæ locum detegit S. Molua.* 376.
S.Columbanus *scripsit libellum super controversia Paschatis ad Arigium Episcopum.* 115. *col.* 1. *ex* S.Columbani *sociis septemdecem mortui antequam annos 12 in Gallia peregissent.* *ibidem.*
S Columbanus *natus in Hibernia, Scotorum patria. Quantus futurus erat matri praostensum.* 217/ *literas discit; ejus pudicitia impugnatur. A fœmina Deo devota corripitur. Paternam domum, & natale solum relinquit.* 218/ *ejus adhuc adolescentis eruditio. In monasterio Bennchorensi sub S. Comgello fit monachus. Peractis ibi multorum annorum circulis, peregrinatur cum duodecim sociis in Britanniam, dein in Galliam.* 219/ *magnus tunc religionis tepor in Galliis. Virtutes Sancti Columbani & sociorum. Omnia apud ipsos communia. Mira S. Columbani gratia. Humaniter excipitur à Rege Sigeberto, qui eum apud se retinuit.* 220/ *Vosagum eremum intrat & Anagratem incolit. Alimentorum penuriam divi-*

nitùs suppleri meretur. Fœminam moribundam precibus sanat. Mira ipsius & suorum abstinentia. Iis à Carantoco Abbate divinitùs admonito alimenta directa: 221/ multos sanat morbidos. Duodeni lupi eum innoxiè circumstant. Ursus ejus mandato paret. Mira victus ejus parsimonia. 222/ precibus aquam e petra producit. Monasterium Luxoviense construit: magnus ad eum seculo renunciantium concursus. Fontanense cœnobium construit. Regulam monasticam condit. 223/ divinitùs absentia cognoscit. Absens Fratrum suorum statum divinitùs agnoscit. Obedientes Fratres morbis liberat; 224/ Inobedientes morbis diu afflicti. In imbre cum suis sine imbre segetes metit. Fœcunditatem impetrat cuidam potenti fœminæ. 225/ Varia sub ejus Regula monasteria construuntur. Sectum digitum Theodegisili salivâ redintegrat: aliud grave vulnus salivâ sanat. 226/ Corvus ei obedit. Ejus & obedientis discipuli intuitu cervisia supercumulata non effluxit Ursus eidem ei obedit 227/ & aves rapaces. Ad preces ejus horreum frumento repletum, modicum panis & cervisia divinitùs auctum. Tardata mors S. Columbani discipuli 228/ feræ & aves illi obediunt. Theodoricum reprehendit: eâq; re offenditur Brunechildis. 229/ spuriam Theodorici prolem renuit benedicere. Dapes à Rege missas respuit, & fercula omnia arcanâ vi diffregit. Literas comminatorias mittit Theodorico. Hic cum eo expostulat. 230/ prædicit ille Regi interitum, & Regni ac stirpis excidium. Luxovio pellitur. In oppido Vesontionensi multos è carcere miraculosè dimittit. Ipsi magno miraculo fores templi & patescunt & clauduntur: 231/ Luxovium redit. Milites ad eum denuò expellendum missi in medio positum non vident. Rursus ejicitur. 232/ Vigesimo anno post incolatum eremi illius. In via Autisiodorum versus multa miracula patrat; lanceâ ipsum trajicere volentem moxque à dæmone correptum sanum reddit. Duodecim alios dæmoniacos curat. Quinque phrenesi vexatos sanat. Prophetat Clotharium regem, loco Theodorici, intra triennium futurum. Relicto Autosiodoro, juvenem à Dæmone correptum curat. 233/ Luæ monachi percussori divinam prædicit ultionem, brevi secutam eodem loco ubi Luam percussit. Cæco dat lumen, & obsessos à dæmone liberat. Scapha ad preces ejus sine remige divinitùs ad portum, invitis rectoribus, appellit. 234/ totâ nocte ad Sepulchrum S. Martini Turoniæ excubat. Prandet cum Leupario Turonensi Episcopo: prædicit interitum regni & stirpis Theodorici. Furto ablatas res sociorum, meritis S. Martini recuperat. Nannetis nobilis fœmina Procula, misit ad eum centum modios vini, ducenta frumenti, & bracis centum modia: Doda item ducenta frumenti, ac promiscuè centum modia 235/ duas dæmoniacas sanat. Navis quæ ejus supellectilem & comites susceperat, ad littus rejecta: adversarii ipsum venerati; honorificè excipit Clotarius Rex 236/ Quem ille prædicit successurum Theodeberto & Theoderico: Parisiis dæmoniacum sanat. Meldis Chagnerici domum, & filiam Burgundoforam benedicit; filios item Autharii. 237/ Quorum erga illum devotio magna 238. 349. & 350/ à Theodeberto benignè susceptus: Brigantiam adit & incolit. 238/ Vas viginti modiorum cervisiâ plenum, halitu rumpit. Multos convertit. Alitum greges ad eum divinitùs destinati: frumentum quoque Dei jussu advectum. 239/ Angelus ei in parva tabula orbem repræsentat. Ipse Theodoberto nolenti clericatum assumere, prædicit invitè assumpturum. Videt absens & enunciat in prælio gesta. 240/ Prophetia ejus in Clothario impleta. In Italiam venit. honorificè exceptus ab Agilolpho rege 241/ à quo Bobium accipit & monasterium extruit, ubi beatâ vitâ functus nono Calendas Decembris, animam membris solutam cœlo reddidit. S. Gallus discit cœlitùs obitum S. Columbani: dein S. Magnum ad Bobiense monasterium mittit. 242/ accepit Bobiensium epistolam, & Cambatam S. Columbani: cujus memoriam ipse pariter & sui Sacrificiis celebrarunt. 243/ Miracula S. Columbani 244. usque ad pag. 261.

Columbanus junior S. Columbani discipulus. 228, 345.

S. Comgallus, dictus etiam Faustus. 47/ 302/ Comgallus variè scribitur: Comgalli varii 302/ Vitâ S. Comgalli ex MS. Codice Ardmachano. Patria & parentes: ejus adhuc pueri intuitu bellum pace commutatum. Ipse jam Clericus literas discit. 303/ dein monachus fit S. Fintani de Cluain eidhneach, cujus precibus, tædium excutit. Nasciturі Comgalli nomen & Sanctimoniam prænunciavit Sanctus Maccneßius. Sacrâ intinxit undâ S. Fedle-

Fedlemius, *tunc repentè diutinâ cæcitate liberatus. Columna ignea, dormientem illustrat: inter nives servatur intactus: eximitur à potestate seculari.* 304 / *mundum deserit, salivâ cæcum illuminat, adit monasterium S. Kierani de Cluain-macnois, ubi aliquamdiu in magnâ sanctitate mansit. Deinde ad patriam suam perrexit: sacris initiatur a S.* Lugido *Episcopo. Perrexit ad Stagnum Erne, ubi in insula Custodiaria durißimè vixit. Ejus austeritatem aßequi non valentes septem monachi moriuntur. Construit monasterium Bennchorense, aliaque: ejus salivæ lepram abstergunt* 305, *non* 395, *ut ibi mendose / Cella cœlesti fulgore irradiat. Oratione* Enanum *monachum resuscitat: fures ad monasticum statum convertit; Angelos splendidos juxta ipsum in Sancto Paschate offerentem videt S.* Critanus, *cujus ille desiderium in spiritu cognoscit & explet.* 306 / *orantis Cellam lux cœlestis implet.* Glassanum *ad vitam revocat; mures absumunt ut imprecatus est frumentum divitis avari: in Britannia monasterium construit: prædones cæcitate percußi, & denuò sanati.* 307 / *monachus humilis sub aquis servatus illæsus, alius Obediens intra marinum æstum immadidus. Puerum resuscitat, & denuò mori eligentem, in pace dormire finit. Munera sibi ab impiis oblata respuit. Lac cœlitùs obtinet.* 308 / *lactis usum senibus & infirmis permittit. Pueri manum ad scribendum ineptam, suâ benedictione aptißimam reddit. Videt in spiritu animam S.* Finnbarri *in Cœlos ferri. Monachum luscum defunctum, oculo & vitâ donat, fonte repentè de terra producto. Monachum alium vitæ restituit. Optatum alimentum cœlitùs accipit: ejus cocus dæmonem fugat.* 309 / *alius Fratrum siccis pedibus fretum superambulat, alius benedictione S. Comgalli ferrarius faber evadit. S. Comgallus mittit per Angelum cymbalum suis Sanctis nepotibus; salivam vertit in annulum aureum: Frater obediens lapidem ardentem manu illæsâ portat: Cygni ad Comgallum & suos mirè advolant: eisdem in adventum S. Columbæ Angelus pisces suppeditat. Comgallus miraculosè expleri impetrat Cormaci regis desiderium.* 310 / *semel, iterumque ignem efflatu excitat; Ducem quemdam ad pœnitentiam miraculo compellit;* Conathum *monachum à mentis tumore sanat. Petram injectâ salivâ in quatuor partes scindens, regem flectit ad pœnitentiam;* Crimthannum *ejus discipulum unda sustinet immadidum. Puer deformis ejus benedictione fit formosus. Unà cum SS.* Columba *&* Cainnecho *Bridaum regē miraculis convertit.* 311 / *Reginam veneno potatam sanat. Comgalli calumniator repentè moritur: venerator* Ædanus *lepram exuit: ipse Comgallus acies dæmonum imperturbatus expugnat: moriturus variis & diuturnis morbis torquetur, ad gloriæ augmentum, ut S.* Colmano *revelavit tunc beatus S.* Meldanus. *Angelo monitore eum invisit S.* Fiachra *Abbas* 312, *non* 310 *ut ibi mendosè / de cujus manu accepto viatico obdormivit in Domino, sepultus Bennchori, & longè post elevatus à præfato S.* Fiachrio, *à quo illius brachium in Lageniam delatum, repentè in aërem sublimè avolat, dein descendit, seque in terra recondit, ubi in Comgalli honorem erectum post monasterium. Dæmon, qui bonum Angelum mentitus, S.* Coemgenum *nisus est seducere, S. Comgallus remittit cum suis monachis ad S.* Coemgenum 313 / Cainnechus *concionem ab Angelo dictatam in monasterio S. Comgalli pronunciat.* SS. Columbæ *&* Comgalli *vestimenta imber madidat,* Cainnechi *verò non attingit. S. Comgallus cœlitùs ab Angelo noscit S.* Carthagum *nasciturum, seq; invisurum; dein venientem agnoscit & suscipit.* 314 / *exercet patientiam S.* Munnæ *seu* Fintani, *cujus intuitu cœna cœlitùs missa. Nomina quorundam Sanctorum Abbatum Bennchorensis cœnobii. Primus post S. Comgallum S.* Finnchuo*: cujus mira austeritas.* 315, *non* 314 / *ut ibi mendosè.*

Communionem *Dominicam S. Comgallus moriturus accepit de manu S. Fiachrii Abbatis* 313 / *S.* Croneam *sororem suam mortuam, ad vitam revocat S.* Molua, *iterumq; sacrâ communione refectam finit in pace quiescere* 376 / Dimam *à morte resuscitat S.* Mochoemogus, *& optantem mox disolvi & esse cum Christo communit sacro Viatico.* 391. *Vide* Viaticum.

Confessarius *deligitur S.* Molua *à S.* Maidoco *Episcopo, Angelo admonitore.* 376.

Confessio, *mensæ apud S. Columbani monachos præmitti solita, quæ?* 26 / *Confeßio sacramentalis antiquitus, etiam sacræ Communioni præmitti solita.* 103 /

103 / *Confeßiones pœnitentium maximo fructu excipiebat* S. Eustasius 267/ *monachum confiteri nolentem, ad fidem sacramentalis confeßionis reducit* S. *Molua.* 374.
Consolatio *afflictis quomodo adhibenda* 79.
Consuetudo *benedicendi lucernam antiqua.* 27 / *consuetudo antiqua Ecclesiæ ferendi in itinere Eucharistiam.* 31 / *lavandi capita Monachis antiquitùs usitata.* 32 / *non genuflectendi in diebus Dominicis, & tempore Paschali.* 32/ *respondendi Amen / jejunandi quartâ & sextâ feriâ.* 34 / *jejunandi ab horâ nonâ in horam nonam.* 106/ *genuflectendi apud Hibernos* 246.
Contumaces *è monasterio ejici posse.* 135.
Credere. *tepidè credentes credunt & non credunt.* 74.
Crimthanum *S. Comgalli discipulum unda sustinet immadidum* 311.
Chrismale, *quid,* 31.
S. Croneam, *sororem suam, ad vitam revocat S. Molua, iterumq́; sacrâ communione refectam finit in pace quiescere.* 376.
Crux. *signi Sanctæ Crucis efficacia.* 26/ S. Molassium *ab acerbißimo ulcere crucis signo sanat* S. Molua: *perdici crucis signo vitam adimit, mox reddit.* 375.
Cupiditas *calcanda.* 5.
Cygni *ad S. Comgallum & suos discipulos mire advolant.* 310.

D.

Dæmoniacos *plures à dæmone liberat S. Columbanus.* 234 / *item dæmoniacas duas, & dæmoniacum sanat.* 236. 237 / *Cocus S. Comgalli dæmonem fugat* 309 / *S. Comgallus acies dæmonum expugnat.* 311 / *dæmon qui bonum Angelum mentitus S. Coemgenum nisus est seducere. S. Comgallus remittit cum suis monachis ad S. Coemgenum.* 313/ *Lageniensium reginam à dæmonis vexatione sanat S. Molua* 376/ *dæmonum acies, adjuvante S. Comgallo, abigit S. Mochoemogus à monasterio Bennchorensi.* 383.
Desiderii *Episcopi causa exilii & martyrii.* 351.
Detractio. *pœna monachi detrahentis, audientis & non corrigentis detractorem.* 30 / *pœna monachi impatientis.* ibid/ *detractor detrahendo propriam lædit animam.* 72.
Deus unus & Trinus &c. 43 / *quomodo in nobis habitat* 45 / *modi quibus Deus creaturis est præsens* 61 / *quid sit imago, quid similitudo Dei in animâ rationali* 70.
Dignitas. *quomodo in libertate consistat hominis dignitas.* 137.
Dilectio *commendatur.* 4. & 9.
Discretio *quid: ejus defectu multi lapsi.* 16/
S. Donatus *Epis. Fesulanus.* 271/
S. Donatus Ep. Vesontionensis. 344.
Druim-sneachtense *monasterium in Comitatu de Muinechan.* 372. 373.

E.

Ecclesia *an poßit punire actus purè internos.* 98.
Ecclesiæ *fores precibus S. Columbani patescunt & clauduntur.* 231 / *Ecclesias aliquas in Hibernia extruxit Palladius.* 297/ *Ecclesiæ apud Hibernos olim ex robore construebantur* 365 / *Ecclesia in qua oravit S. Mochoemogus apparuit muro igneo circumsepta* 383.
Edmundus Hajus *Scotus Albiensis, quas suorum popularium imposturas reprehendit.* 296.
Enachtruimense *monasterium extruit S. Mochoemogus.* 383.
Eucharistia. *consuetudo antiqua Ecclesiæ ferendi in itinere Eucharistiam* 31/*pœna amittentis species consecratas. Negligentiam committentis, evomentis sacram hostiam.* 36.
S. Eusebius *Hibernus 30 annis inclusus in monte S. Victoris apud San-Gallenses* 341.
S. Eustasius *diluit objecta Agrestii.* 38/ *Agrestium ad divinum tribunal provocat* 39 / *sexcentos simul monachos Luxovii regebat* 267. 337.

F.

Feræ & bestiæ *sanctis viris interdum obediunt & applaudunt.* 325.
Fides. *aliqua fidei notitia ad Hibernos ante S. Patricium perlata* 296 / *quomodo accipienda primordia fidei Hiberniæ, de quibus Jonas.* 297/*constantia gentis Hibernicæ in fide Catholica.* 279.
S. Finnbarri *animam in cœlum ferri vidit in spiritu S. Comgallus.* 309.
S. Foillanus *Hibernus Rector Scholæ monasterii Sant-Gallensis.* 342.
Fons *è terra erupit meritis S. Comgalli.* 304. 309.
Fontanense *cœnobium construitur.* 223.

Franci-

Franci *unde appellati.* 324.

Fratres *obedientes morbis liberati, inobedientes diu illis afflicti sunt.* 224. *Frater obediens lapidem ardentem manu illæsâ portat / siccis pedibus per fretum ambulat.* 310.

Frumentum. *Horreum precibus S.* Columbani *frumento repletur.* 228 / *frumentum Dei jussu ad S.* Columbanum *advectum,* 239 / *frumentum divitis avari absumpsere mures.* 307. & 235.

G.

Gallia. *magnus religionis tepor in Galliis,* 220.

S. Gallus *discit cœlitùs obitum S.* Columbani. 242 / *S. Gallum ex Hibernia duxisse originem probatur.* 343 / *S. Gallo interdicit* Columbanus *Missæ Sacrificio,* 363.

Gratia *ad bonum opus, etiam inchoandum, necessaria est.* 51 / *necessitas gratiæ definita in Concil. Arausi.*80/ *divisio gratiæ in prævenientem & subsequentem.* 83.

Gregorius. *S. Molua videt in spiritu S. Gregorium abnuentem, & posteà annuentem suæ in Papam electioni.* 376 / *Regula S. Moluæ approbata à S. Gregorio Papa.* 377.

Gulæ *quot gradus* 106.

H.

Halitûs *S. Moluæ fragrantiâ semel afflatus unus septem SS. Filiorum* Coelbathi *deinceps omni alimento abstinuit.* 369/ *& muta loquitur.* 370.

Hæretici, hæresis. *Bonosiaci, qui, & unde dicti.* 102 / *hæresis Quartadecimanorum, à variis Conciliis damnata* 120/ *diversa erat à traditione Hibernorum de Paschate.* 121.

Heberi *seu* Iberi. I. *Hiberni* 130. 146. 269. *vide* Hibernia

Hibernia, Hiberni. *Hæresim Quartadecimanorum Hiberni nunquam sunt amplexi.* 121 / *ipsorum tamen ritus celebrandi Paschatis, etsi minimè hæreticus, fuit praxi Ecclesiæ difformis.* 122 / *ideoque demum rejectus & emendatus. Quo sensu Hibernia nomine totius Occidentis intelligitur. Successio & modus observantiæ Paschalis & coronæ apud Hibernos secundum diversa tempora : incertus author introducti apud eos erroris : non fuit S. Patricius, aut primi gentis prædicatores : quinam circa ritum præposterum Paschæ excusandi, & qui non* 123/ *controversia de Paschate, quà Hibernos respicit, erat tantùm res rituum. Difficultas abstrahendi Hibernos à suis de Paschate ritibus explicatur.* 114 / *Decreta contra errantes in festo Paschali præcipuè respiciunt Quartadecimanos, Unde credebant Hiberni suam de Paschate traditionem fuisse veriorem. Concilium in Hibernia circa quæstionem Paschæ coactum.* 125 / *mira à S.* Munnu *proposita concertatio. Ritus Romanus circa Pascha non obligavit Hibernos quamdiu apud eos receptus non erat: quomodo integrum fuit S. Columbano suam in Gallia Paschalem traditionem retinere : non sine permissione Sedis Apostolicæ & Gallorum illam retinuit.* 126 / *Hibernorum in retinendâ præposterâ Paschatis observantiâ non potuit esse plus quàm culpa venialis.* 127 / *Hiberni Catholicam semel acceptam, deinceps inconcussam tenuerunt.* 139/ *Hiberniâ ortus* S. *Colunbanus* 245 / *Hibernorum antiqua consuetudo genuflectendi.* 246 / *plures* Sancti *Columbæ seu Columbani Hiberni.* 268 / *Hibernicæ appellationis origo: Hiberniæ situs* 269/ *longitudo, latitudo, divisio : quatuor Archiepiscopales Sedes quando Pallio donata* 270 / *nulli in Hibernia serpentes aut animalia venenosa* 271 / *constantia gentis Hibernicæ in fide Catholica.* 279/ *crebræ olim Hibernorum in Britanniam irruptiones.* 283 / *demonstratur* S. *Columbanum ex Hibernia oriundum.* 285. *& seqq. Palladius ad Hibernos missus / aliquas Ecclesias ibidem extruxit / ei successit S. Patricius / quomodo accipienda primordia fidei Hiberniæ, de quibus Jonas.* 297 / *amor solitudinis in primitivis Hibernis* 298 / *Hiberni olim ad prædicandum missi, duodecim socios assumebant ad exemplum Salvatoris.* 320.

Horreum *precibus S. Columbani frumento repletur.* 228.

Humilitas *quomodo meriti causa.* 137.

I.

Iberi. *vide* Heberi

Jejunandi *quartâ & sextâ feriâ consuetudo.* 34 / *jejunandi ab hora nona ad horam nonam.* 106 / *triduano jejunio sacrat S. Mochoemogus locum monasterii.* 384.

Ignis *triplex quo probantur merita hominum.* 64 / *ignea columna puerum Comgallum*

gallum dormientem illustrat. 304/ ignem semel iterumq; efflatu excitat S. Comgallus. 311/ extinctum cereum & humectatum, flatu accendit S. Molua. 372/ S. Mochoemogum infantulum cœlestis flamma illustrat. 382/ Ecclesia in qua S. Mochoemogus oravit, apparet muro igneo circumsepta. 393.
Imago. quid sit imago, quid similitudo Dei in anima rationali 70.
Ingenui qui dicuntur. 89.
Inimicus. qualiter nobiscum circumferimus inimicum pariter & amicum nostrum. 59.
Inobedientiæ pœna 224. 225.
Invasores rei alienæ quàm severa maneat pœna. 259.
Invidia cur inter capitalia vitia ab aliquibus non numeretur. 105.
Ionæ duo, Abbates. 264.
Iotrense monasterium 349. vide Ado.
Ira duplex. 106.
Judicium proprium non sequendum: quàm bonum sit aliorum sequi judicium. 17.
Jussanum monasterium 344.

L.

Labor manuum cur antiquis monachis usitatus. 18.
Lac cœlitùs obtinet S. Comgallus. 308/ lactis usum senibus & infirmis permittit. 309/ lacte beatæ Nessæ visum recuperat S. Fachnanus. 381/ aquam in lac vertit S. Molua. 372.
Lagenia, Hiberniæ insulæ Provincia, Sanctorum ferax. 298.
Lachrimæ S. Moluæ sanitatem ulceroso afferunt. 368.
Laus perpetua in monasterio Luxoviensi. 326/ quamdiu duravit. 337. Laus perpetua in monasterio Bennchorensi. 330.
Laus propria fugienda. 14.
Libertas nostra quomodo porta hostibus aperta ab Aquilone. 136/ quomodo in libertate consistat hominis dignitas. 137.
Loquacitas vide silentium.
Lucernam benedicendi consuetudo antiqua. 27.
Luna. termini in ætate lunæ tenendi. 120.
Lupi illæsum dimittunt S. Columbanum. 222/ lupos benigno hospitio exceptos cicurat S. Molua. 375.
Lux cœlestis cellam S. Comgalli implet. 306. 307/ S. Molua adhuc infans cœlesti fulgore coruscat. 368.
Luxoviense monasterium construitur à S. Columbano. 223/ Luxovio ipse pellitur 231/ Luxovium, congruum sibi nomen adeptum, ornavit monachorum ingens numerus. 325/ & laus perpetua 326. Privilegium Caroli Imp. 332/ Catalogus Abbatum: SS. Eustasius & Walericus recuperant bona monasterii Luxoviensis è manibus Laicorum. 336/ Sexcenti monachi Luxovii sub S. Eustasio: quandiu ibi duravit status Laudis perpetuæ: prima Hungarorum in Ecclesiam Luxoviensem irruptio ejusdem secunda desolatio: quando restaurari cœptum. 337/ fundatur hospitale S. Romarici Luxovii. 338/ mille vel mille ducentos Martyres cœlo dedit Luxov. Cœnobium. 339.
Luxuriæ plenos oculos qui habere dicuntur. 15.

M.

S. Magnus (qui & Magnoaldus) collega S. Galli. 345/ Fussensis monast. fundator. 351/ cujus Reliquiarum magna vis contra maleficia & morbos. 352.
S. Malachias monasterium Bennchorense restauravit. 301.
Martyres nongenti monachi uno die in Monast. Bennchorensi coronati. 300/ Martyres nongenti in mon. Gemiticensi simul coronati. 330/ Martyres mille ducenti in Cœnobio Luxoviensi. 339.
Mensis primi principium unde sumendum. 120.
Milites ad S. Columbanum Luxovio expellendum missi, in medio positum, non vident. 232.
S. Mochoemogi Vita: parentes ejus Beoanus, artifex è Conmacniis Connaciæ, & Nessa è gente Desiorum Momoniæ, pii conjuges, aliquamdiu infœcundi, cùm de gignendâ prole masculâ per S. Itam jam assecurati essent, Beoanus in prælio capite truncatus occubuit 380/ sed interventu S. Itæ redditus Vitæ, filium genuit expectatum, quo gravidam Nessam S. Fachnanus Rosalitrensis, tum cæcus, Angelo monitore adit, ejus lacte orbes lavat, & mox visum recuperat: nascituri infantis Sanctitatem prædicit S. Ita. 381/ & nato novum nomen imponit Mo-choemh-óc: infantulum cœlestis flamma illustrat: à pueritiâ ad 20 ætatis annum moribus, literisq; imbuit S. Ita, quâ annuente adit S. Comgallum, apud quem brevi post initiatus Sacerdos, cujusdam visionem pulchrè interpretatur & dæmonum acies, adjuvante

vante S. Comgallo, abigit à monasterio Bennchor, sub quo 3000. monachi degebant. 382 / dein quo tempore emissi à Comgallo ad construenda per Hiberniam monasteria SS. Lachtanus, Molua, Finnbarrus, & Luctigernus, Mochoemogus quoque cum sociorum globo expeditus, Enachtruimense monasterium extruit, quod posteà cessit S. Coemano: dein ipse in regione Eliæ Cluainmoram accepit: inde ad Castrum Rathteamhnain progressus, dum ibi orat in Ecclesia, hac apparet muro igneo circumsepta. Post recusato Ducis Eliæ Castro, praelegit silvosum recessum, vicinum lacui Lurgan. 383 / quò cùm ducente subulco, quem de inveniendo, qui exerrārat grege, assecuravit, pervenisset, locum suæ resurrectionis destinatum, indicio spontè sonantis ibi cymbali agnoscens, novo nomine Liath insignit, & triduano jejunio sacrat. Paulò post invisit Colmanum, vicini Doiremorensis Cœnobij Patrem & Episcopum, sæpiùs intuitum in eo Saltu Angelorum frequentiam; cujus vaticinio discit utriusque loci futurum successum, firmatáque cum eo amicitiâ, in eremum suam redux, Liathano monasterio & Civitati initium dat: unde eum deturbare volentem Ronanum Ducem. 384/ miraculo terræ affixit; sed solvit pœnitentem, deinceps beneficum atque amicum; cujus defuncti animam Deo commendat, & requiem adeptam, prænunciato pertinacis Scribæ interitu, confirmat. Foelanum insidiosè interemptum sepelit in suo monasterio, prædicens interemptorem ejus brevi ibidem sepeliendum; illum verò tunc revicturum, & demum inter monachos humandum. 385 / quod totum cùm impletum fuisset, Suibhneus, homicidæ pater, territus, ad præscriptum viri Sancti pœnitentiam egit, & vitam feliciter consummavit. Falveus Rex Casseliæ, in S. Mochoemogum injurius, & contumeliosus, protinùs altero luminum privatur, & oblatâ in somno geminâ visione monitus territusque, Virum Sanctum veneratur & placat 386 / qui ipsum posteà liberavit à malo dominatu spirituum superbiæ & fornicationis, eosdemque compulit subire vicinas rupes, nec cuipiam deinceps nocere. Excisam arborem imperio surrigit, stabilitque, & eâ oppressum monachum eruit incolumem: aliàs die uno & aquam vertit in vinum, & tres monachos subitò defunctos vitæ reddit, & fructum amarum mutat in dulcem. 387/ex suis monachis uni juveni vitam; alteri decrepito beatam impetrat emigrationem: ipsum invisens S. Cannechus, diei iter, unius horæ particulâ conficit, & miraculo inductus Missam cantat. Quinque Fratrum mortem vicinam prænunciat S. Mochoemogus. S. Daganum puerum imbuit, & decollatum restituit vitæ, cooperante S. Cannecho. 388/ Colmanum Ducem, Sacrarij immunitatem violantem, mala quædam imprecans, & bona prænuntians, ad pœnitentiā adducit. Ipse alijque Cœnobio Sancti Mochumbæ seu Mochummæ, in quo nondum tecto, commodè pernoctārunt, varia bona exorant, & fixēre in Cœmitario lapides quinque, deinceps immobiles. 389 / Ad maledictionem S. Mochoemogi stagnum indurati Comitis absorbetur, Filia & equus moriuntur: sed pœnitenti omnia mox restituta, & vir sanctus muneribus honoratus. Cui primùm morem gerens, sed deinde resistens, Cuanus Dux, statim interiit. testimonium Sancti Imlechensis Episcopi de Sanctitate S. Mochoemogi. 390/ Dimam à morte resuscitat S. Mochoemogus, & optantem mox dissolvi & esse cum Christo communit Sacro viatico. Monachum suum extra monasterium mortuum, & sepultum, è sepulchro vivum secum ad monasterium ducit, fundatorem posteà Glassmorensis monasterij, Sanctitate & miraculis clarum. Demum Canneræ Virgini cùm lumen reddidisset oculorum, suos mors claudit beata, 13. Martij, sepulti & posthumis miraculis clari in Liatha. 391.

Moengalus Hibernus, Rector Scholæ Sant-Gallensis. 341 /

S. Moluæ seu Luani Vita. Patria & parentes. Is adhuc infans cœlesti fulgore coruscat, defluxa ab eo lachrimulæ sanitatē ulceroso afferunt. 368/ejusdem obtentu ignis cœlitùs accensus: cohibiti per Angelum & vituli à materno lacte, & mater à cedendo filio: Sues visa ovium speciem præferre: halitûs Luani fragrantiâ semel afflatus unus septem Sanctorum filiorū Coelbathi, deinceps omni alimento abstinuit. 369/alius eorumdem filiorum meritis Luani revixit: infirmus quidā eadē aquā quā ille lotus, illicò convaluit: abscissus pes patri redditus; aquatus mororum succus vim vini obtinuit:

B. Foillanus princeps mystico somnio

præmonitus futuri sui monachatûs ; molaris lapis nunc sistitur, nunc gyratur: reddita loquela Sanctæ Finnchainneræ *à natu muta.* 370 / *ipse Luanus ab Angelis in aëra sublimis abductus : prægnans eiusdem benedictione roborata, triennem partum est enixa. Sanctitas Luani revelata S.* Comgallo, *cui in disciplinam traditus, cùm eo profectus est ad monasterium Bennchorense, ubi ab Angelo literas docetur, & in liberalibus disciplinis multum proficit : illæsâ manu tangit ferrum ignitum : diversis sociis & locis unà famulatum exhibet.* 371 / *reprehensus jacet in littore, marinis fluctibus cinctus, sed intactus: aquam in lac, & grana quædam in triticea vertit ; Leprosum sanat: extinctum cereum & humectatum, flatu accendit. Sacris initiatus, Bennchorensibus vale dicto, habitat in* Druim-Sneachta. 372 / *ubi & pueros ab immani bestiâ liberat, quæ nunquam posteà comparuit, aut nocuit, ejus jussu cohibita ; & defunctum ad vitam revocat : dein ab Angelo instructus, constituto ibidem monasterio, Scholam adiit* S. Finniani, *in qua multi Sancti discebant Theologiam, quod phrasi Hibernica est* scrutari divinitatem ; *triticeam segetem è semente non triticea educit : in Momoniam reversus, cùm* Foelani *Ducis vaticinio locum suæ resurrectionis didicisset,* Osragiam *petiit,* 373 / *ubi avunculo, Cællam ejus demolito ; divinam ultionem vaticinatus, ad montem* Smôil *pergens, monasterium* Ros-buailense *extruit, fundum dante* Blendeno : *& ad eumdem montem,* Beracho, Lagisiæ *Duce, cujus filium à morte eruit, locum tribuente,* Cluain-fertense, *in quod nulla mulier intrat ; aliaque in* Hi-Fidhgenti, *aliisque regionibus.* / *Monachum confiteri nolentem, ad fidem sacramentalis Confessionis reducit, docetq; sine illâ reaptè præmissâ defunctum, acrem manere accusationem & pœnam.* 374 / S. Molassium *ab acerbissimo ulcere crucis signo sanat ;* Dochonnæ *confractum pedem redintegrat, & mortis tempus prædicit : Lupos benigno hospitio exceptos cicurat, perdici crucis signo vitam adimit, mox reddit : ejus interventu sol serius occidit* S. Sednæo. 375 / *grana in aurum versa ; quorundam cogitationes, & sepulturæ locum detegit : deligitur Confessarius à* S. Moedoco *Episcopo, Angeli admonitu : illius gratia carnes semel, iterumque mutat in pisces.* S. Enenum (*rectius* Eminum) *invisit,* S. Croneam *sororem suam ad vitam revocat, iterumq; sacrâ Communione refectam finit in pace quiesceee. Videt in spiritu* S. Gregorium *abnuentem, & pòst annuentem suæ in Papam electioni* Lageniensium *reginam à dæmonis vexatione sanat.* 376 / *Cerevisiam noxiam perficit ;* Filiorum Darii *sanctimoniam & monachatum prædicit, mortuum resuscitat : muto loquelam ; Ducissæ Desiorum prægnanti & proli vitam impetrat : ipsius Regula approbata à* S. Gregorio *Papa: ad ejus benedictionem lutea hostia in manu* S. Dachonnæ *pueri versâ divinitùs in triticeam, & fortè consecratam : Dens* S. Moluæ *datus monachis advenis, Reliquias Sanctorum Hiberniæ corrogantibus.* 377 / Dagani *Episcopi vaticinio discit S Molua successurum sibi* S. Lactanum : *morte appetente dat suis monita salutaria. Corpus Dominicum accipit de manu* S. Cronani, *dein à S. Stellano, paulò pòst defuncti animam Angeli Cœlo inferunt pridiê Non. Augusti. Contentio de sacri corporis thesauro oborta, sedata est, indomitis bobus illud spontè deportantibus* Cluainfertam ; *ubi, ad ejus contactum* S. Manchæni *oculo repentè curato, & exequiis, assistente Sanctorum multitudine, peractis, terræ creditum, miraculis claret.* 378 / *animã verò ingenti superûm lætitiâ acceptum, ab Angelo didicerunt* S. Mundus. *&* S. Gregorius *Papa.* 379.

Monachi / *qui non ante horam nonam : qui non ante solis occasum, cibum sumebant.* 4. 11 / *monachis S. Columbani an permissa unica eaq; vespertina refectio.* 11 / *monacho qualis refectio congrua.* 4. 12 / *carnes monachis olim interdictæ.* 12 / *panis quanta portio assignabatur olim monachis.* 13 / *monachi prima perfectio facultatum contemptus.* 14 / *labor manuum cur antiquis monachis usitatus.* 18 / *quæ Confessio mensæ apud S. Columbani monachos præmitti solita.* 26 / *opus peculiare antiquis monachis inhibitum. monachi Columbani nihil proprium admittebant. antiqui monachi ne verbo quidem aliquid dicebant suum.* 27 / *benedictionis usus apud monachos S. Columbani.* 28 / *silentium antiquorum monachorum in Synaxi. Monachi antiqui*

antiqui prohibentur eulogias recipere. 29 / pœna monachi detrahentis, impatientis. 30 / ingressus cellarum antiquis monachis interdictus. Observatio clausuræ apud antiquos monachos. 31 / pœna dilapidantis aliquid ex rebus monasterii: colloquentis cum seculari, vel hospite sine licentiâ. Monachos rumigerulos non patiebantur antiqui. transgressores Regulæ severè puniebant 33 / pœna monachi graviter alium commoventis. 34 / pœna tardè venientis ad Orationem. 35 / amittentis species consecratas: negligentiam circa Eucharistiæ Sacramentum committentis: sacram hostiam evomentis 36 / monachi antiqui omnes malas cogitationes confestim aperire soliti. 81 / plagarum & verberum antiquus apud monachos usus. 102 / collecta generalis in festis, antiquis monachis usitata. 103 / Monachalis instituti & Clericatûs differentia. 130 / monachismi impugnatores antiqui & moderni. 129 / nongenti monachi uno die in monasterio Bennchorensi martyrizati. 300 / tria millia Monachorum sub S. Comgallo: plusquam quinque millia in Tabennensi cœnobio: Nitriæ quinque circiter millia: in Lerinensi cœnobio viginti millia monachorum cohabitaverunt. 301 / Enanum monachum resuscitat S. Comgallus. 306 monachus humilis sub aquis servatus illæsus: alius obediens intra marinum æstum immadidus. 308 / monachum luscum defunctum, oculo & vita donat S. Comgallus monachum alium vitæ restituit. 309 / quadringenti quinquaginta monachi uno die in Gemiticensi Cœnobio placidè defuncti, cœlos pariter subierunt. nongenti monachi ibidem simul martyrio coronati. 330 / sexcenti monachi Luxovii sub S. Eustasio. 337 / horribilis monachorum simoniacorum exitus: Martyres mille vel mille ducentos monachos cœlo dedit monasterium Luxoviense. 339 / monachum confiteri nolentem, ad fidem Sacramentalis Confessionis reducit S. Molua. 374 / tres monachos defunctos vitæ reddit S. Mochoemogus. 387 / uni monacho juveni vitam, alteri decrepito beatam impetrat emigrationem: & decollatum Daganum vitæ restituit, cooperante S. Cannecho. 388.

Monasteria varia sub Regula S. Columbani construuntur. 226 / vide plura monasteria à pag. 325 ad 331.

Mortui resuscitati. Enanum monachum resuscitat S. Comgallus. 306 / Glassanus eius meritis ad vitam revocatus. 307 / monachum luscum defunctum, oculo & vita donat, fonte repentè de terra producto. Monachum alium vitæ restituit. 309 / senex mortuus, meritis S. Luani seu Moluæ revixit. 370 / item defunctus alius 373 / S. Coneam sororem suam defunctam, ad vitam revocat iterumque, sacra Communione refectam, sinit in pace quiescere. 376 / Armentarium sui monasterii vitæ reddit. Ducissæ Desiorum prægnanti, & proli vitam impetrat. 377 / Beoanus artifex in prælio occisus, interventu S. Itæ redditur vitæ 381 / tres monachos subitò defunctos vitæ reddit S. Mochoemogus. 387 / uni monacho juveni vitam, alteri decrepito beatam impetrat emigrationem, & decollatum Daganum restituit vitæ, cooperante S. Cannecho. 388 / Dimam à morte resuscitat, & optantem mox dissolvi & esse cum Christo, communivit sacro viatico. & monachum suum extra monasterium mortuum & sepultum, è sepulchro vivum secum ad monasterium ducit. 391.

Munera sibi ab impiis oblata respuit S. Comgallus. 308.

Mures absumunt frumentum divitis avari 307.

Muta S. Fionn-Cainnera, seu candida Cainnera Virgo sedecim annis, halitu Sancti pueri Moluæ afflata, loquitur. 370 / muto puero dat Molua loquelam. 377.

N.

Navis quâ suppellectilia, & comites S. Columbani ex Gallia in Hiberniam vehebantur, ad littus rejecta. 236.

O.

Obedientiæ varii gradus. 1. 9. 10 / obedientia quam suis monachis præscripsit Columbanus. 10 / obedientes Fratres morbis liberati, inobedientes diu illis afflicti, simplicis obedientiæ efficacia. Obedientiæ præmium. 224 / obedientia corvi. præclarū obedientiæ miraculū. 227 fera & aves obediunt S. Columbano. 229 / Fr. Obediens lapidem ardentem

manu illæsâ portat. Fr. Obediens siccis pedibus per fretum ambulat. 310.
Opus *peculiare antiquis monachis inhibitum.* 27.
Orationum *& Suffragiorum multiplicatio utilis & salutaris.* 38.

P.

Palladius *ad Hibernos missus. Ecclesias aliquas in Hibernia extruxit. Ei successit S. Patricius.* 297.
Palatiense *monasterium.* 344.
Pallium. *quatuor Archiepiscopales Sedes Hiberniæ quando Pallio donatæ.* 270.
Panis *quanta portio assignabatur olim monachis* 13 / *modicum panis & Cervisiæ divinitùs augetur.* 228.
Papa, *Pastor Pastorum.* 138 / *Ducum Ecclesiæ Princeps.* 140.
Paracaraxima *quid?* 65.
Pascha. *Quid Romæ inter Anicetum & Policarpum de festo Paschatis sit transactum. Quænam Concilii Constantinopolitani Acta ab Ecclesiâ Romanâ recepta, quæ non.* 112 / *scripsit S. Columbanus libellum super controversia Paschatis ad Arigium Episcopum.* 115 / *ratio festi Paschalis juxta veteris legis præscripta explicatur.* 118 / *tempus ejus signatur. Pascha semper die Dominica celebrandum. In celebratione Paschatis expectandum æquinoctium vernale.* 119 / *Hæresis Quartadecimanorum diversa erat à communi & antiqua Hibernorum de Paschate traditione, paucis explicata.* 121 / *quamvis minimè hæretica, fuit tamen praxi Ecclesiæ difformis.* 122 / *ideoque demùm rejecta & emendata. Successio & modus observantiæ Paschalis & Coronæ apud Hibernos secundum diversa tempora: incertus author introducti apud eos erroris. Non fuit S. Patricius aut primi gentis prædicatores. Quinam circa ritum præposterum Paschæ excusandi, & qui non.* 123 / *Controversia de Paschate, quà Hibernos respicit, erat tantum res rituum. Difficultas abstrahendi Hibernos à suis de Paschate ritibus explicatur.* 124 / *Decreta contra errantes in festo Paschali, præcipuè respiciunt Quartadecimanos. Unde credebant Hiberni suam de Paschate traditionem fuisse veriorem. Concilium in Hibernia circa quæstionem Paschæ coactum.* 125 / *Mira à S. Munnu proposita concertatio. Ritus Romanus circa Pascha non obligavit Hibernos quamdiu apud eos ob justam causam non receptus. Quomodo integrum fuit S. Columbano suam in Gallia Paschalem traditionem retinere. Nō sine permissione Sedis Apostolicæ & Gallorum illam retinuit.* 126 / *Hibernorum in retinendâ præposterâ Paschatis observantia non potuit esse plus quam culpa venialis.* 127 / Dionysius Exiguus *librum de Paschate & Cyclum* 532 *annorum edidit.* Anatolius *cycli decennovenalis author.* Victorius *composuit sub* Hilario *Papa Cursum Paschalem. Ejus calculatio à multis reprehensa* 128 / Victorius *non fuit receptus ab Hibernicis antiquis Philosophis.* 158.
Pastor *vide* Papa
S. Patricius *Hiberniæ Apostolus; ejus admiranda magnalia &* Fugatorium. 270. *successit Palladio* 297.
Paximacium *quid?* 12 / *quanta ejus mensura.* 13.
Picti *quando deleti, &* Scotiæ *nomen Albaniæ tribui cœptum.* 284.
Pisces *in carnes mutat* S. Maidocus *Ep.* 376.
Plagarum *& verberum antiquus apud monachos usus* 102.
Pœna *monachi detrahentis, & impatientis.* 30 / *dilapidantis aliquid de rebus monasterii. colloquentis cum seculari vel hospite sine licentia* 33 / *graviter alium commoventis.* 34 / *tardè venientis ad orationem.* 35 / *amittentis species consecratas. Negligentiam committentis circa Eucharistiam, & evomentis sacram hostiam.* 36 / *invasores rei alienæ quàm severa maneat pœna,* 259
Pœnitentia. *quo sensu peccata deflere, & deflenda non committere, dicatur vera pœnitentia* 97 / *prolixitas & rigor antiquorum in pœnitentia pro peccatis adimplenda. pœnitentia seipsum spontè polluentis; detrahentis vel audientis detractionem. pœnitentiæ ex præscripto SS. Patrum imponendæ.* 98 / *pœnitentia Clerici homicidæ. Monachi vel clerici fornicarii. Sodomitæ. Fornicationis simplicis. Perjuri.* 99 / *Malefici. Clerici qui furtū facit; aut post solemne castitatis votum ad uxorem quam antè habuerit, rediit, aut per rixam alterum lædit. pœnitentia coëuntis cum jumento. mulierem concupiscentis. Sacramentum Eucharistiæ perdentis; evomentis. Laici homicidæ.* 100 / *adulteri. Sodomitæ. Rei fornicationis, stupri, bestialitatis, oppressæ prolis,*

Furti, effusi sanguinis. 101 / *ebrietatis, adulterii, sacrilegi cultûs, communionis cum hæreticis.* 102 / *Pœnitentiarum mensura à pag.* 193. *ad* 210.

Preces. *mira vis precum S. Columbani: precibus eius horreum frumento repletur: modicum panis & cerevisiæ divinitùs augetur.* 228.

Præpositi *qui olim dicebantur.* 89.

Prophetia *S. Columbani de interitu regni Regis Theodorici, ac stirpis excidio.* 231. 235/ *de Clothario successuro.* 233 237 / *de percussore* Luæ *monachi.* 234/ *de Theodoberto Rege.* 240 / *prophetia S. Patricii de monasterio Beunchorensi.* 299/*S. Maccnessii de S.* Comgallo. 304/ *S. Itæ de S. Mochoemogo.* 381.

Proprietas. *monachi S. Columbani nihil proprium admitebant. antiqui monachi ne verbo quidem aliquid dicebant suum.* 27.

Providentiæ *divinæ varia exempla.* 324.

Puerum *mortuum resuscitat S. Comgallus, & denuo mori eligentem in pace dormire sinit.* 308.

Q.

Qnartadecimani. *vide* hæretici

R.

Rado *S. Audoeni frater construxit monosterium* Redolio *dictum.* 350.

Refectionis *tempus ad vesperam protrahentes.* 35.

Regulæ *transgressores severè puniebant antiqui monachi.* 33 / *quid nomine Regulæ seu Instituti S. Columbani intelligat* Ionas. 37 / *qua occasione approbata fuerit Regula & Institutum S. Columbani. Clotharius Rex solicitatur adversus Regulam S. Columbani. Agrestii objecta contra Reg. S. Columbani diluit* S. *Eustasius. Episcopi conveniunt ad examinandam Reg. S Columbani.* 38 / *terribilis divinæ ultionis vindicta in desertores Regulam & institutum* S. *Columbani.* 39 / *Non statuta addita Regulæ S. Benedicti, sed Regula per se ab illâ diversa, Institutio S. Columbani.* 40 / *Regulam monasticam condit S. Columbanus* 223 / *varia sub eius Regula monasteria construuntur.* 226 / *vide plura à pag.* 325. *ad* 331. *Regula S. Moluæ approbata à S. Gregorio Papa.* 377.

Religionis *magnus tepor in Galliis* 220.

Resbacense *monasterium, cuius primus Abbas* S. Agilus *seu* Agitus 350.

Roma *orbis terrarum caput est Ecclesiarum.* 142.

Ros-buailense *monasterium* 374.

S.

Saliva *sectum digitum Theodegisili sanat S. Columbanus. aliud grave vulnus salivâ sanat.* 226 / *salivæ S. Comgalli cæcum illuminant, lepram abstergunt.* 305, *non* 395, *ut ibi mendosè* / *salivam vertit in annulum aureum.* 310/ *petram injectâ salivâ in quatuor partes scindit.* 311.

Sanctitas *multorum antequam nati essent prænuntiata.* 298.

Sant-Gallense *monasterium, ex humili in augustum crevit, studia literarum florentissima diu fovit* 340 / *doctore primùm* Moengalo *Hiberno. dein* S. Notkero, Salomone. 341 / *Harmondo, Adelardo, Hilperico, S.* Foillano *Hiberno: ibidem* S Eusebius *itidem Hibernus emicuit: antiqua Sanctitas & veneratio monasterii San-Gallensis. Abbas Imperii Princeps* 342/ *malâ fides quorundam Scotobritannorum S. Gallum Hiberniis eripientium. Ex Hibernia insula duxisse originem probatur* 343 / *numerus Abbatum San-Gallensium.* 344.

Schapha *ad preces S. Columbani sine remige, divinitùs ad portum invitis rectoribus appellit.* 234.

Scotia, Scoti. *Scotum hebetem se appellat S. Columbanus* 155 / *Hibernia dicta olim Scotia. Origo appellationis Scoticæ.* 272 & *seqq.* / *quando Picti deleti, &* Scotiæ *nomen Albaniæ tributum. quis Regum primus Albaniam Scotiæ nomine jussit appellari* 284 / *in qua parte Scotiæ natum fingunt Scoti. S Columbanum* 294.

Serpentes *nulli in Hibernia.* 271.

Sigebertus *Rex S. Columbanum humaniter excipit.* 220 / *Sigeberti cædes.* 229.

Silentium *quando servandum* 4. 10 / *Vitia loquacitatis. ibid* / *silentium in mensa* 26 / *silentium antiquorum monachorum in synaxi.* 29.

Similitudo *Dei in anima rationali, quid?* 70.

Sol *interventu S. Moluæ seriùs occidit S. Sedneo.* 375.

Superbia *duplex.* 107.

Superciliosum *quid.* 78.

Superpcstitio *quid.* 28.

Simoniacorum *monachorum horribilis exitus.* 338.

Synaxis quid. 15.

T.

Taciturnitas. *vide Silentium.*
Theodobertus *rex benigne suscipit S. Columbanum.* 238 / *prophetia S. Columbani de eo.* 240.
Theodori *Papæ privilegium.* 356.
Tristitiæ *variæ acceptiones.* 106.
Triticeam *segetem è semente non triticea educit* S. Molua. 373.

V.

Vanæ gloriæ *natura & mala.* 107.
Vanitas *calcanda.* 5.
Vas, *quod viginti modia capiebat, cerevisiâ plenum, halitu rumpit* S. Columbanus. 239.
Vestigia *Salvatoris impressa in monte* Oliveti. 365.
Vestigium *S. Columbani in petra impressum.* 363.
Viaticum *de manu* S. Fiachrii *accepit* S. Comgallus. 313 / *de manu* S. Stellani *S. Molua.* 378 / Dima *à S. Mochoemogo.* 391 / *vide* Communionem.
Virtutum *exempla à diversis sumenda.* 18 / *Virtutes* S. *Columbani & sociorum* 220.
Vita. *quod in hac vita pro Christo cum dolore discitur, in futuro uberem fructum reddit.* 54 / *Vita præsens non est vita &c.* 55.
Vitia *septem capitalia in septem gentibus præfigurata.* 48 / *Vitia principalia octo,* 104 / *cur inter capitalia ab aliquibus non numeretur invidia.* 105.
Voluptas, *dum necessaria corpori ministrantur, subintrat sub specie necessitatis.* 59.
Vosagum *eremum intrat S. Columbanus,* & Anagraten *incolit.* 221.
Ursus *mandato* S. *Columbani paret.* 222.

W.

Walbertus. *Variæ opiniones de Walberto Luxoviensi Abbate.* 262.
Wendolenus *non fuit Abbas Luxoviensis* 267.

FINIS

BAYERISCHE STAATS-BIBLIOTHEK MUENCHEN

ERRATA

Hic ubi plures numeri, prior denotat paginam, secundus columnam, posterior, & qui solus, nisi *p.* præcedat, lineam

PAgina 4. col. 2. lin. 10. lege *cultus* / 15. pro *flexicosa*, lege *flexuosa* / 6. 2. 12. *numerus* / 7. 1. 46. *primum* pro *primùm* / 9. 1. 6. à fine *quodam die* / 13. 2. 21. *perfectiones* / 14. 1. 24. *Damianum* / 31. *perfectiones* / 15. 1. 48. *Latinos* / 15. 2. 41. *quæ* / 16. 2. 17. *deprivatione* / 18. 2. 21. *possessiones* / 22. 1. 21. *sin autem* / in marg. *quisque* / 22. 2. in marg. *Abbati suo* / 23. 2. 43. *duos dies* / 24. 2. 32. *evomuit* / 25. 2. 12. post *Agrestio* adde (*alii Agrestinum appellant*) 40. *addititia* / 29. 2. 15. *Vide* / 31. 2. in marg. *Observantia* / 32. 1. ult. *genuflectione* / 32. 2. *In caput x* / 35. 2. penult. *Eucharistia* / 37. 2. 18. pro (?) pone (,) 28. *auscultemus* / 39. 1. 23. *vecordia* / 39. 2. 5. *rabie* / 43. *interiit* / 40. 2. 3. *Gemeticensis* / p. 43. in arg. *verborum* / *venientem* / 45. 2. 37. *XI. de Civit* / 47. 1. 21. *fomites* / 48. 2. ult. post Epist. adde *ad Celantiam* / 50. 2. 20. pone * ad *debet* / & in marg. *. *MS. deget* / 53. 2. 47. *nullis* / 54. 2. 11. *Reddet* / 55. 2. 28. *nunc hominis* / 49. *Huc* / pag. 56. in arg. lin. 1. in fine deest *i*, in 2ª. *n*, in 3ª *ni*, in 4ª. *ho.* in 5ª. *qui* / 58. 2. 18. pone * ad *nosmetipsos*, & in marg. *. *mendosè in MS. nosmetipsos primùm nostram munditiam* / 61. 2. 1. *præsentiam* / 67. 2. 47. 49. pro 45 / 68. 2. 27. *lib.* 8. *Moral* / 74. 1. 32. *cohære* / 76. 1. 29. *cum Spi* / 81. 2. 13. *Per prospera* / p. 84. in marg. *f. sempiternus* / p. 85. lin. 10. *eamdem* / p. 86. lin. 7. *admodum* / 88. 1. 3. *Sciendum* / 15. *animas* / 88. 2. 4. *obtrectationis* / 37. *Simus* / 102. 2. 49. *emendetur* / 107. 2. 28. *unum* / p. 110. lin. 2. *III. vel. IV.* / 111. 1. lineam vigesimam, & seqq. ad lin. 26 sic lege. Cùm enim ab obitu S. Gregorii, cujus hîc fit mentio, usque ad mortem S. Columbani, quæ anno primo Deusdedit Papæ contigit, tres duntaxat Romani Pontifices intercessisse legantur, Sabinianus, & Bonifacius tertius & quartus, & Sabinianus quinque solùm mensibus & 19 diebus juxta Baronium ad annum Christi 604. in Pontificatu vixerit; quo permodici temporis intervallo vix benè ad Columbanum, in remotissima eremo cum suis segregatum, novi Pontificis fama perferri poterat, superest ut credamus hanc ab ipso Epistolam ad præfatum alterutrum Bonifacium, Sabiniani successorem fuisse transmissum / 37. *commorantem* / 112. 1. 46. *Paschatis* / 112. 2. 9. *fruebantur* / & inde usq; *incidisset* deberet esse alius Character / 114. 2. 14. *veri* / 115. 1. 11. pone * inter *non* & *respiciunt*, & in marg. * f. *recipiunt* / 116. 2. 29. *pro vobis* / 117. 2. 4. *quadam* / 30. *Illa item* / 119. 1. 49. *traditio* 122. 1. 22. *illicita* / 128. 1. 8. *carnatione* / 137. 1. 44. *evadente* / 142. 2. 50. *abnegetur* / 147. lege primam lineam primæ columnæ pro penultima linea secundæ columnæ / 151. 2. 50. *Ioannes vigesimus Secundus* / 163. 2. 27. *voci* / 28. *Latina* / p. 175. lin. 27. *Lævis* / p. 177. lin. 28. *Nec* pro *Ne* / 186. 1. 18. *ad* pro *à* / 186. 2. 46. *magister* / p. 188. in marg. *Domini* pro *Domidi* / 189. 1. 20. *& munda* / 190. 2. 20. *orationum nostrarum* / 21. *nostri* / 191. 2. 3. *Vitâ* / 200. 2. 15. *quis* / 204. 2. 28. *proprii judicis* / 208. 2. 14. *posteà* / p. 213. lin. 26. *Messinghami* / p. 221. cap. 6. lin. 7. *herbarum pabula* / 225. 1. ult. in marg. * *f. habere* / 231. 1. 37. *Baldulfum* / 242. 2. 16 *annuis* / p, 254. cap. 18. l. 11. *filaque* / 257. 1. 53. *defensione & tuitione* / p. 265. 2. 39. in marg. è regione Wion, *lib. 2. lig. vitæ* / 266. 1. 8. *ductum* / 267. 2. 44. *exemplum* / 268. 2. 47. *junior* / 270. 1. 11. 12. *&* 13. lege: *uno die duodecim millia infidelium baptizavit: quinquies mille Sacerdotes ordinavit* / 271. 1. 7. *Monasterii* / 43, 2ª. *parte* / 279. 1. 47. *satus inde fuit* / 286. 1. 14. lege *civis* pro *cavis* / 286. 2. 2. *charissimis* / 289. 2. 3. *situm* / 294. 2. 2. pone *Irlandum* ante *hominem* / 300. 1. 24. *quàm* / 301. 1. 30. post *Capgravius*, adde *dicebatur* / 303 1. ult. *sanguinis* / p. 304. ult. in marg. *lux* / 313. 1. 41. *Ibi viri sancti* / 325. 2. 1. *In caput IX* / 331. 1. 38. *puritas* / p. 333. lin. 15. *Celeberchcurtile* / 33. *ceteras* / 340. 1. 33. *charissimo* / 351. 1. 5. *charitate* / 11. *colebant* / 352. 2. 24. lege 870 / p. 356. lin. 27. *Benedicti* / 363. 1. 36. *infecta* / 365. 1. 46. lege *Agiulphus* pro *Agilulpus* / 395. 2. 17. *&* 18. *recens nati* / 366. 1. 43. *Italiam* / 374. 2. 53. *seculo* / 377. 2. 40. *Domini* / 389. 2. 2. *Ite* / 393. 1. 25. *expectandas* / 397. 2. 39. 41. pro 31. ibid. lin. penult. *mendicantes viventes in* / 398. 1. 2. 1050. pro 1010 / 398. 1. 51. dele *alii* ante *Abbas* / 401. 2. 43. *edit. Lon-* / 406. 1. 20. 615. pro 515 / 407. 1. 46. *Philibertus* / 408. 1. 10. dele 5. / *II.* 10. 5. / 410. 1. 47. *celebres* / 55 CDXXXII pro DXXXII / 413. 1. 50. pone * ante *recipiunt*, & in marg. * in MS. *respiciunt* / 424. 2. 34. *loci* / 439. 2. 48. *sanctissimè* / ibid. lin. penult. *Præpositos* / 447. 2. 14. post *apud eos*, adde *ob justam causam*.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Fleming, Patrick / Columbanus / Sirinus, Thomas.

Collectanea Sacra Seu S. Columbani ... Acta et Opuscula

Lovanium 1667

2 P.lat. 404
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10634668-7